D. MARCVS EVANGELISTA.

RODOLPHI GVALTHERI Tigurini in Euangelium Iesu Christi secundum Marcum Homiliæ CXXXIX.

Editio secunda priori locupletior & emendatior.

ACCESSIT operi Præfatio authoris, qua docetur, quid hominem Christianum inter nostri seculi diuersas de religione cõtrouersias & graues persecutionum motus facere conueniat. INDICES præterea tres rerum & locorum scripturæ, locorum item cõmunium, qui hoc libro explicantur.



IESVS.

Ecce agnus ille Dei, qui tollit peccatum mundi.

TIGVRI

EXCVDEBAT CHRISTOPHORVS FROSCHOVERVS IVNIOR, M. D. LXIIII.

Anno 1548 composita sunt contra Interim.

Semola papatus modo spargere gaudia tentat
Impia, sed durant gaudia nulla diu.
Quod gaudet nihil est, quin spinea corona relinquit
Sunt adhuc Christo, gloria, vita, salus.
Et quali [illegible] nimios Romanus [illegible] [illegible]
Caesaris [illegible] organa [illegible] [illegible].
Quae dum [illegible], eadem Plutonis ad arces
Retrahat in [illegible], et [illegible] [illegible] [illegible]

per d. Johan: [illegible]
[illegible].

GENERIS NOBILITATE, ERVDITIONE ET VIRTVTE PRAESTANTI VIRO, D. GEORGIO À STETTEN, Iuniori, ciui Augustano, Domino suo haud uulgariter obseruando, RODOLPHVS GVALTHERVS TIGVRINVS gratiam & pacem à Deo patre per IESVM CHRISTVM Dominum nostrum.

INTER Dei beneficia, quibus nos in extrema hac mundi senescentis palæstra luctantes iuuare dignatur, nullum ego, præstantissimè Georgi, salutarius & excellentius iudico, quàm quòd Euangelij doctrinam, quæ superiorum temporum iniuria & infelicitate diu abscondita, & quasi sepulta fuerat, singulari consilio, & non absq; illustri suæ omnipotentiæ argumento, in lucem reuocauit. Hæc enim ipsius voluntatem nobis exponit, vitæ officia docet, errores & vitia corrigit, consolationibus efficacissimis animos labascentes fulcit, & quæ omnem humani ingenij captum superant, regni cœlorum & æternæ salutis mysteria pandit atq; manifestat. Comitantur hanc bonarũ literarum & artium studia, quæ cum Euangelij cognitione quasi renata esse nemo negabit, qui prioris seculi barbariem cum præsentis huius eruditione et doctrina conferre volet. Est hoc euidens diuini fauoris argumentum, in quo veteris illius ætatis vestigia est videre, cuius felicitatem prophani scriptores tantopere commendant. Nam vt hodie cum Euangelij doctrina scholæ apertæ & liberalium artium studia passim restituta sunt: ita olim, cùm Dei filius ex Virgine matre homo nasceretur, literæ tum Græcæ tum Latinæ vnà cum artibus cũprimis floruerunt. Tribuũt eam laudem plerią; Augusto Cæsari, quem doctorum studijs egregiè fauisse ipsi quoq; fatemur, cùm & ipse ingenio valeret, & hoc ipsum studio non indiligenti excoluisset. Rectius tamen hæc gloria ad Dei filiũ refertur, qui suo in mundum aduentu per spiritũ suum eorum quoq; mentes quasi propiori afflatu excitauit, qui ab eius cognitione alienissimi fuerunt. Nec mirum est in artium & literarum cognitione eos profecisse, qui in philosophiæ studio & diuinorum oraculorum inuestigatione maiores suos excellere cœperunt. Conferantur enim cum veterum philosophorum delirijs quæ apud Ciceronem de Dijs & eorum cultu, de vita etiam conuersatione & moribus traduntur, magnum profectò discrimen reperies, licet hîc quoq; in plerisq; hallucinatus fuerit. Et si quid in coniecturis tribui debet, credibile est, Romanos cùm Aegypto potirentur, veteris testamenti libros, quos Ptolemæus Philadelphus in Græcã linguã transferri curauerat, Romam aduexisse, quorum lectio eruditis ingenijs in historia mundi cognoscenda plurimùm adiumenti contulit. Ex Mose enim desumpta videntur, quæ Ouidius de mundi creatione & progressu, de diluuio, de terrarum conflagratione & similibus rebus scripsit, & idem mundi finem aliquando fore fatetur, quem philosophorum princeps æternum esse contendit. De Ioue enim perdendi mundi consilium captante scribit:

Esse quoque in fatis reminiscitur, affore tempus,
Quo mare, quo tellus, correptaq; regia cœli
Ardeat, & mundi moles operosa laboret?

Agnouit ergo diem nouissimum, quo terram cum elementis omnibus conflagraturam esse scriptura sacra testatur. Scimus præterea tunc temporis in omnium propè manibus fuisse Sybillarum oracula, in quorum fragmentis admodum perspicua de Christo & humani generis redemptione testimonia apud Augustinum, Lactantium, Eusebium & alios scriptores ecclesiasticos habentur. Ex his illos in diuinorum quoq; cognitione profecisse, non ego solus sentio, sed idem olim sensit Eusebius, qui in libris de vita Constantini scriptis non dubitauit dicere, Vergiliũ IESV CHRISTI incarnationẽ ea Ecloga celebrauisse, quã plerią; interpretum de Augusto Cæsare exponunt, & eandem ille carmine Græco transtulit, vt illam operi suo insereret. De quo etsi cum nemine contendere velim, tamen non sine numine factum puto, vt eo tempore, quo Dei filius hominem assumere debuit, poetæ prophano eiusmodi versus exciderint, qui de nullo mortalium rectius & verius, quàm de illo exponi possunt. Nam à tempore exorsus inter alia canit:

Vltima Cumæi venit iam temporis ætas.

Cumæũ enim tempus vocat, de quo Sybilla Cumæa vaticinata fuit, cuius de Christo oracula idem author multa ex ordine recenset. Et mox pergens, ait:

Magnus ab integro seclorum nascitur ordo,
Iam redit & virgo, redeunt Saturnia regna,
Tu modò nascenti puero, quo ferrea primùm
Desinet, ac toto surget gens aurea mundo.

Te duce, si qua manent sceleris vestigia nostri,
Irrita perpetua soluent formidine terras.
Ille Deûm vitam accipiet, Diuisq; videbit
Permixtos Heroas, & ipse videbitur illis,
Pacatumq; reget patrijs virtutibus orbem, &c.

Quæ omnia, vt multa alia, quæ isto Carmine continentur, de solo Christo verè dici possunt. Is enim auream ætatem nobis restituit, tempus nimirum gratiæ, quod olim veteres prophetæ promiserunt. Ille iustitiam (vt Daniel vaticinatur) sempiternam reduxit. Ille vniuersa peccatorum nostrorum vestigia sustulit, & humanum genus damnationis æternæ formidine liberauit. Idem suos ex cœlesti semine renatos Dei filios & regni cœlorum hæredes fecit, & hic ipse totum orbē patris Dei virtutibus regit, veritate nimirum, iustitia, sapientia & omnipotentia insuperabili. Cæterum vt illo tempore Dei beneficiū pauci agnouerūt, & nec illi ipsi quid dicerent intellexerunt, per quos Dei spiritus ista loquebatur: Ita eandem esse videmus nostri seculi infelicitatem, vt Christum in Euangelio suo quotidie renascentem pauci agnoscant, & qui illum profitentur, ferè ijs non attendant, quæ eius professio exigit, sed securi vitam viuant, in qua vix minima Christi & doctrinæ Christianæ vestigia apparent. Si qui vero efficaciori spiritus virtute excitati, aliquo salutis & veritatis studio tenentur, tamen illi quoque in multis hærent, & duo præcipuè sibi obstare dicunt, quò minus maiores progressus faciant: Controuersias nimirum, quæ in religionis causa quotidie nouæ pullulant, & eorum authoritatem, qui Euangelij doctrinam & huius sectatores insatiabili crudelitate persequuntur. Et sanè non mirum est, homines rudes & imperitos hisce offendi, quæ doctis quoque & grauibus viris sæpe scandalo fuerunt: neque negari potest, duo hæc passim occurrere, imò rabie insana grassari. Nam vt eos omittamus, qui vt superstitiones suas tueantur, veritatis doctrinam apertè oppugnant, ipsos Euangelij professores in diuersa studia scindi, & opinionum sibi inuicem pugnantium certaminibus acerrimis inter sese committi videmus, & multos præpostera suorum præceptorum obseruantia seductos ea tueri, quæ in scripturis apertè improbantur. Contentionum verò istarum fructus est, quod olim damnatæ Arij, Nestorij, Eutychis, Marcionis & aliorum huius farinæ hæreses quasi ab inferis reuocantur, & defensores inueniunt eruditione & authoritate cùm publica tum priuata insignes. Quam occasionem auidè arripiunt ecclesiæ persecutores, qui eò maiori rabie in Christi membra sæuiunt, quò plus inter nos dissensionum esse vident, adeoque in illos sibi omnia licere putant, quòd ipsos mutuis conuitijs pugnare, & quasi nouos aliquos Papas excommunicationis fulmina aduersus se mutuò iaculari audiunt. Et vtinam nulla eorum exempla extarent, qui fidis Christi cultoribus vel suum patrocinium negant, vel etiam suis criminationibus frigidam suffundunt, adeoque faces subministrant, quibus illi sub hæresum criminibus crudeliter exuruntur. Sunt hæc horrenda valde, & de nostri seculi peruersitate satis testantur, nec dissimulari possunt piorum querelæ, qui & mala ista amarulenter deplorant, & se consilio iuuari cupiunt, vt quid sibi interea faciendum sit, intelligant. Est hic iustus omnino dolor, & laudem meretur illorum studium, quo fidei & vitæ rationem inquirunt, quam tutò sequi possint. At non omnes, proh dolor, tangit salutis alienæ cura, cùm multi priuatam quoque securi negligant: inter eos autem, qui consilio & authoritate reliquis præstant, diuersa planè iudicia audiuntur. Sunt enim, qui prudentis esse dicunt, tempori cedere, & præsentis seculi moribus sese accommodare. Alij magistratibus simpliciter obtemperandum esse censent, & seditionis speciem habere putant, si quis religionis ergò illorum edictis sese opponat, obliti nimirum sententiæ Christi, qui quæ Cæsaris sunt, ita illi dare iubet, vt Deo interim suum quoque in nos ius saluum & ratum maneat. Multos etiam opinionum varietas & dissentientium certamina ita offendunt, vt rerum dubij, veritatis cognitionem nullam adhuc reuelatam arbitrentur, cùm nouæ sectæ & noua doctrinæ genera quotidie emergant. Illis obrepunt impostores, qui fucata sanctitatis specie palliati, præsentem quidem rerum conditionem deplorant, simul verò ex prophetijs iuxta literam expositis seculum quoddam aureum pollicentur, quo plena & perfecta veritatis cognitio (quam ne Apostolorum quidem temporibus innotuisse dicunt) totum orbem sit illustratura. Qui verò omnium modestissimi habentur, in tantis opinionum dissidijs Concilij generalis determinationem expectandam esse sentiunt: ne dum pauculi aliquot præ alijs sapere instituunt, seipsos magis inuoluant, & alijs quoque mali exempli authores sint. Qui si simul horum temporum conditionem inspicerent, & quàm parum profuerint Concilia ex eo tempore, quo Romani Pontifices in Ecclesia primatum obtinuerunt, mox viderent, eius remedij spem omnino nullam esse, quod si ritè adhiberetur, rebus afflictis salutem afferre poterat. Quid enim speres, quando qui reformatione præ alijs opus habent, non modò eam refugiunt, sed insuper omnem Concilij indicendi & administrandi potestatem penes se solos esse volunt: qui verò illos in ordinem redigere poterant, vel illis seruiliter blandiuntur, vel etiam manifestos errores in illorum gratiam publica authoritate defendunt? RESTAT *ergo in ista consiliorum & sententiarum varietate vnica veritatis & salutis retinendæ ratio, quam scripturæ nobis tradunt, & quam pijs iam inde ab oxordio mundi semper obseruatam fuisse scimus: Vt nimirum posthabito carnis sensu & hominum quorumuis*

authoritate, ab vno Dei verbo pendeamus, & ex illo petamus rectè credendi pieq; viuendi regulam. At ne in citandis scripturæ locis prolixiores simus, vnus Micheas nobis poterit sufficere. Hic enim cùm de Christi regno, nouissimis temporibus exorituro, deque omnium gentium ad illud concursu vaticinaretur, & simul superstitiones & errores omnis generis subnascituros esse præuideret, pios breui & salutari præcepto aduersus omne scandalum instruit, dicens: Omnes populi ambulabunt, quisque in nomine Dei sui, nos autem ambulabimus in nomine DOMINI DEI NOSTRI in seculum & in perpetuum. Aureum sanè oraculum, & quod omnibus locis cùm publicis tum priuatis inscribi, imò in ipsos animos insculpi debeat, vt semper ob oculos versetur, nosq; nostri officij & conditionis, quæ in hoc mundo sustinenda est, omni momento admoneat. Primò enim docet, minime debere sperari, quòd omnes populi in vnam eandemq; fidei & religionis formam consensuri sint, quin potius miram fore multorum in superstitionibus suis fouendis ac retinendis contumaciam & incredibilem feruorem. Ambulabunt (inquit) omnes populi, quisque in nomine Dei sui. Ipsorum Deus vocat, quos singuli ex suo cerebro sibijpsis fingunt: quos olim inter gentes varios fuisse, historiæ testantur, & nouissimis quoque temporibus varios & diuersos fore, Christus monuit, quando non modò pseudoprophetas, verumetiam pseudochristos exorituros esse dixit. Consentiunt his historiæ Ecclesiasticæ, quæ olim plures fuisse docent, qui vel seipsos vel alios promissum illum Saluatorem esse impudenter iactarunt: inter quos ipsis Apostolorum temporibus primatum facilè tenuit Simon Magus, quem Samaritæ Virtutem Dei magnam dixerunt, Romani autem eidem in Tyberis alueo statuam posuerunt cum hac inscriptione, SIMONI DEO SANCTO. Secuti sunt mox, qui etsi Christum profiterentur, illum tamen longè alium tradiderunt, quàm ab Euangelistis describatur: Alij enim personæ vnitatem distraxerunt in duas, vt Nestoriani: alij naturas eius confuderunt, vt Eutychiani & Timotheani, sic dicti à quodam Timotheo: alij diuinam eius essentiam in carnem mutatam esse docuerunt, vt Apollinarius, qui idem illum corpus sine mente assumpsisse dixit: alij corpus illi tribuerunt phantasticum siue imaginarium, vt Cerdon, Marcion & Manichæi: alij cœlitus allatum & sydereum, vt Valentinus & Apelles: alij illum Deum esse, & ab æterno fuisse negarunt, vt Arius, Photinus, Artemon, Aëtius: alij in illo planè nihil præter hominem nudum agnouerunt, vt Hebion, Basilides, Cerinthus, Carpocrates, Paulus Samosatenus, Theodotion & horum similes. Taceo infinita alia hæreticorum monstra, quæ olim patres orthodoxi, Irenæus, Tertullianus, Epiphanius, Augustinus & reliqui confutarunt. Cœpit per illos mysterium impietatis operari spiritus satanæ, vt in tanta dogmatum & opinionum dissensione magno illi Antichristo viam sterneret, sicuti Paulus fore prædixerat. Etsi verò hodie portenta illa plerique abominentur, & ab hæreticorum veterum nominibus abhorreant, non desunt tamen, qui non multùm dissimilia ab his docent, cum Christum fingunt, qui verborum virtute vel ex pane fiat, vel pane contineatur, & tamen corpore suo simul terras & cœlum impleat: qui item in crustula panis adorandum proponunt, quem in cœlis ad dextram patris sedere profitentur. Accedunt his, qui veteres Christi cultores & martyres, perinde vt olim ethnici Heroas suos, in Deorum numerum referunt, illos in omni periculorum genere inuocant, & iisdem cultum exhibent, qui vni solique Deo debetur. Et eò vsque superstitio excreuit, vt non modò gentes singulæ, sed vrbes & pagi, imò singuli propè homines, Deos suos peculiares habeant, quos præ alijs cultu & veneratione dignos esse arbitrantur. Excogitarunt præterea superstitiosi homines nouas fidei & religionis regulas authorum suorum nominibus inscriptas, quibus tantum tribuunt, vt ab illis potius Benedictini, Bernhardini, Franciscani, Dominicani, &c. quàm ab æterno Dei filio, IESV CHRISTO, Christiani denominari velint. Et ita illud Micheæ impletur, vt singuli in Deorum suorum nomine ambulent, & ex suo cerebro confictos cultus pertinacissimè tueantur. De quo nos spiritus sanctus admoneri voluit, ne nobis consensum quendam in religione vniuersalem polliceamur, sed potius obfirmatis animis nos ipsos armemus ad veræ fidei confessionem. ET huc facit quòd secundo loco addit. Nos autem ambulabimus in nomine DOMINI DEI NOSTRI in seculum & in perpetuum. At in nomine Domini ambulare, idem est quod verbum illius obseruare, & res omnes iuxta illius præscriptum instituere. Nomina enim rerum notæ sunt, ex quibus agnoscuntur. Deo autem eiusmodi nomen nullum potest tribui, cùm immensus & infinitus sit. Nomen verò eius dicitur omne illud, ex quo ille agnosci potest: inter quæ cùm facilè primas teneat Verbum eius, quo seipsum & voluntatem suam nobis patefacit, hoc ipsum rectissimè nomen illius dicitur. Nec aliud hic intelligi debere, ipse Micheas paulò post docet. Cùm enim arma Christi describit, quibus ille in regni sui administratione vtitur, sic ait: Pascet in fortitudine Domini, & in magnificentia nominis Domini Dei sui, id est, in nomine Domini magnifico. Vbi per fortitudinem siue potentiam Domini, illius spiritum, per nomen verò eius Verbum intelligi debere, vel ex eo patet, quòd regnum Christi nullis alijs armis, quàm duobus hisce, propagari & administrari, scriptura passim testatur. Non temerè autem in præsenti locutione eiusmodi propheta vtitur, quæ vnà cum fide & illius libera professione vitæ quoque conuersationem comprehendit, quæ professioni nostræ respondeat. Exigit vtrumque Christus quoq; in Euangelio. Qui enim dicit, Qui me confessus fuerit coram hominibus

confitebor & ego illum coram patre meo, qui in cœlis est. Idem alibi dixit: Non omnis, qui dicit mihi, Domine Domine, introibit in regnum meum, sed qui fecerit voluntatem patris mei, &c. Et notum est illud Apostoli: Ostende mihi fidem tuam ex factis tuis. Piorum ergo fuerit, inter opinionū varietates & nostri seculi controuersias, in vnius veri Dei verbum respicere, & ex illo tam fidei & religionis quàm totius vitæ regulam petere, & eandem omni studio sectari: idq; in seculum et in perpetuum, id est, in finem vsq; sicuti Christus interpretatur, quando beatos fore dicit eos, qui in finem vsq; perseuerauerint. Conuenit hoc prophetæ consilium cum omnibus ijs, quæ tum veteris tum noui testamenti libris de hominis officio erga Deum traduntur, & satis docet, Neminem in religionis causa aliorum exemplis, vel aliter sentientium multitudine & authoritate moueri debere, vt quam ex Dei verbo didicit, religionis & fidei regulam ignauè deserat, aut turpiter prodat. Primò enim sua fide viuit iustus (vt ex propheta Paulus docet) & proinde aliorum suffragijs frustra nitetur, qui non ipse Christum ea fide apprehēderit, quæ sola nos illius, & in illo bonorum quoq; omnium consortes reddit. Deinde non ab hominum authoritate salutis nostræ ratio dependet, sed à Dei voluntate, quam ille per verbum suum reuelat, cuius tanta est authoritas, vt nullius hominis existimatio siue authoritas, illi quicquam possit derogare. Ideò D. Ambrosius olim Valentiniano Imperatore à quo idolorū & altarium restitutionem Symmachus Romani Senatus nomine postulabat, prudenter admodū ac piè scripsit: Si de re militari est consulendum, debet exercitati in prælijs viri expectari sententia, consilium comprobari. Quando de religione tractatus est, Deum cogita. Nullius iniuria est, cui Deus omnipotens antefertur, &c. Et quàm ridiculum, vel potius periculosum sit, hominū suffragijs quicquam in fidei & religionis causa tribuere, vel ex eo patet, quòd omnibus seculis diuersæ fuerunt de religione hominum præstantissimorum sententiæ. Etsi enim verbi sui lucem Deus accendat, & multorum mentes veritatis cognitione illustrèt, qui & vocantē sequuntur, & in fide agnita constantes pergunt: maior tamen semper est illorum numerus, qui aut prauis opinionibus infecti, de Christo ineptè & malè sentiunt (cuius rei exemplum in Herode habemus, quem Pythagoricus de Metempsychesi error decepit, vt in Christo Ioannem Baptistam reuixisse putaret, & in illo quemuis alium potius, quàm Dei filium agnosceret) aut veterum superstitionum consuetudine, ceu vinculis adamantinis, constricti, veram religionē admittere non possunt, qua illas omnes euerti & profligari vident. Quæ causa olim (teste Augustino) gentes impediuit, ne Christi fidem amplecterentur, cùm in recipiendis Dijs nouis & peregrinis cultibus minus faciles & procliues essent. Sciebant enim à Socrate verissimè dictum esse, vnumquenq; Deum ita coli debere, sicuti ipse præcepit. Cùm ergo Christianorum Deum collegas aut cultus sui socios nullos admittere audirent, & factitios Deos omnes necessariò relinquendos esse illis, qui veri Dei cultores esse volunt: hoc illis non modò graue & molestum, verumetiam iniquū & absurdum planè visum fuit, si propter vnum plures relinquerent, adeoq; Deos multos & patrios (sicuti ipsi aiebant) cum vno & sibi antehac ignoto Deo permutarent. Qui ergo Deorum suorum numerum augebant quotidie (adeò vt aliquando triginta millia Deorum numerata fuisse, Varro scripserit) in solo vero Deo recipiendo difficiliores fuerunt, eò quòd per hunc totum illud fabulosorum Deorum examen eijci & expelli viderent. Et hac ipsa causa hodie aduersarios nostros impediri, quò minus Euangelij doctrinam admittant, mox patebit, si rem ipsam paulò attentius consyderemus. Possunt enim ferre Christi nomen, quin illo nō minus quàm nos gloriantur, & quæ de illo docemus probant, quoad Diuos & Diuorum cultum, totumq; illud superstitionum ab hominibus inuectarum chaos, illis intactum relinquimus. Vt primùm verò exclusiua illa, SOLVS, vrgetur, & in SOLO IESV CHRISTO salutem inueniri, solum illum in ara crucis semel immolatum pro peccatis nostris satis fecisse, solum item ecclesiæ caput, solum mediatorem & aduocatū nostrum esse dicimus, nec ferendos esse eos, qui hāc eius gloriam in creaturas partiuntur, iam hoc illis dictu & creditu intolerabile videtur: & quos nullæ superstitiones defatigare possunt, quò minus asinorum instar noua quotidie onera suscipiant, solius Christi iugum ferre detrectant: quia hoc admisso reliqua omnia corruitura esse sentiunt, quibus tam diu assueuerunt. Adeò efficax est vetus erroris persuasio, & tam dulcis eorum consuetudo, quæ ipsi nobis ex nostro cerebro finximus. EST *præterea aliud genus hominum, qui cùm religionem non tanti faciant, vt de illa cum quoquam contendere velint, ambitione tamen & suæ sapientiæ existimatione inflati, veram religionem fastidiunt, ne si illi locum dent, prius errauisse, aut ab alijs meliora didicisse videantur. Eius rei exemplum olim Senatus Rom. exhibuit, qui cùm Tiberius Cæsar de operibus Christi edoctus, illum inter Deos referendum censuisset, & rem istam cum sui suffragij prærogatiua (vt Tertulliani verbis vtar) ad Senatum referret, hic quia ipse non probauerat, respuit. Vetus enim decretum erat, ne quis Deus ab Imperatore consecraretur, nisi à Senatu prius esset probatus. Fuit hæc ridicula (ne quid grauius dicam) Romanorū insolentia, qui suis suffragijs Deos fieri vel non fieri putauerunt. At quantò maiorem reprehensionē hodie merentur, qui cùm Christi nomen sibi vendicent, suæ tamen existimationi tantum tribuunt, vt ne manifestos quidem errores, & quos nec ipsi dissimulare possunt, corrigere velint, ne omnia sua vulgo suspecta reddant? Sunt hi verè ex illorum numero, de quibus Christus olim dixit: Quomodo vos potestis credere, qui gloriam à vobis inuicem accipitis, & gloriam quæ à solo Deo proficiscitur, non quæritis? Adde his omnibus, quòd incerta, fluxa & mutatio-*

tibus varijs obnoxia sunt, quæcunque hominum placitis & traditionibus nituntur, & ferè posteris improbantur quæ maiores in pretio habuerunt, imò paucos reperias, qui sibijpsis perpetuò constent. Mutantur enim pro temporum & locorum ratione hominum sententiæ, & in illis vel probandis vel improbandis plurimum potest cùm periculi alicuius metus, tum commodi priuati spes atque cupiditas: vt iam nihil dicamus de contendendi libidine, quam ambitio comitatur & reliqui affectus, qui & intellectum impediunt, quò minus quod verum est videat, & voluntatem remorantur in eo amplectendo, quod verum esse didicimus. Quis ergo non dicat eos sibi pessimè consulere, qui cùm æternæ salutis causa agitur, ad hominum placita respiciunt? Solum Dei verbum æternum, certum & immutabile est, quod æterna illa sapientia prodidit, quam nihil latet, quæq; errores nullos committit, qui postea correctione opus habeant. Ab hoc igitur quicunq; pendent, illis certa constat suæ fidei & salutis ratio, & proinde nec diuersis aliorum sententijs turbantur, nec vllius authoritate mouentur, vt à vero discedant, quod ex illo didicerũt. Si quis enim exemplorum in hac causa vsus est, eorum meritò summa debet esse authoritas, quorum fidem & fidei constantiã scriptura nobis commendãt. Ex illorum numero sunt patriarchæ, qui cùm numero pauculi essent, & inter impios idololatras, honoribus & diuitijs immodicis superbos, ipsi viles, ignobiles & peregrini versarentur: nunquam tamen adduci potuerunt, vt quam ex primis Dei promissionibus didicerant, fidem verã cum illorum superstitionibus cõmutarent. Debent istis adnumerari Moses & Aaron, qui ecclesiæ & publicæ salutis causam aduersus Pharaonem & illius Magos magna constantia defenderunt, quamuis ab illis & numero & potentia superarentur. Pertinent ad illorum ordinẽ prophetæ, qui in Dei verbo tradendo cum fide syncera inuictam quoq; animorum fortitudinem coniunxerunt, nec vllis vel minis vel promissionibus sese passi sunt adduci, vt aliter loquerentur vel sentirent, quàm à Deo acceperãt. Horum exempla imitati sunt pijssimi principes, Iosaphat, Ezechias, Iosias, quorum fides in sacra historia prædicatur. In nouo testamento Apostolos habemus, qui etsi Christum plerisq; exosum esse, & eundem à scribis & sacerdotibus perpetuò infestari viderent, illum tamen doctorem & magistrum secuti sunt, & cùm aliquot millibus ab illo deficientibus interrogarentur, Num & ipsi vellent abire? responderũt: Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes: & nos credimus et cognouimus, quòd tu es Christus, filius Dei viui. Neq; eo tempore modò ista professi sunt, sed postea Christi causam inter Iudæos & gentes ea animorum constantia egerunt, vt vitam potius amittere, quàm fidem abnegare, aut doctrinæ genus mutare voluerint. Eundem animum sanctis martyribus fuisse legimus, quibus leue visum fuit, tormenta crudelissima subire, modò in Christi fide morerẽtur, à qua illos nulla humanæ sapientiæ vis, nec vlla regum maiestas abstrahere potuit. Si quos ergo exempla iuuant, hos sibi imitandos proponant, quorum authoritas in ecclesia credentium maxima, gloria autem in cœlis maior est, quàm vt huic regũ huius seculi maiestas vllo modo conferri debeat. Tradiderunt illi nobis ex spiritus suggestione vnum verum Deum, Patrem, Filium & Spiritum sanctum, quem vnum inuocare, colere & audire debeant, quicunq; Dei cultores haberi volunt. Tradiderunt Iesum Christum, æternum & patri consubstantialem Dei filiũ, qui præfinito tempore ex Maria virgine homo factus, salutis doctrinam perfectè tradidit, peccata nostra suæ mortis merito expiauit, mortem resurrectione vicit, & peracto in terris nostræ redemptionis negotio corpus suum in cœlos subuexit, vt & illos nobis patefaceret, quos peccati culpa clauserat, & ibidem pro nobis apud patrem intercessor esset & mediator. Eundem nouissimo die visibiliter in nubibus cœli rediturum tradiderunt, vt ad eius tribunal sistantur omniũ locorum atq; seculorũ homines, et ab illo vel vitæ æternæ præmia recipiant, vel æternis scelerũ pœnis mulctentur. Tradiderunt Christum in terris ecclesiam habere, quæ verbo & sacramẽtis colligitur, & ex eiusdem semine per spiritum sanctũ regeneratur, & quã ipse remissionis peccatorum, beatæ resurrectionis & vitæ æternæ promissionibus exornauit. Pertinent ergo ad illã quotquot Dei verbum audiunt, auditũ fide syncera amplexantur, Deũ vnum & verũ inuocant, & sacramentis eius secundũ primæ institutionis formulam legitimè vtuntur, adhæc puritatẽ et sanctitatẽ Christi sanguine quæsitam diligenter custodiunt. Hæc ergo constanter teneamus, neq; illorũ moueamur rationibus siue exemplis, quibus cum ratione (quod dicitur) insanire libet, dum Deos nouos & Christos nouos fabricant, superstitiones itẽ & idololatrias quotidie nouas inuehunt, aut olim inuectas, et nunc sub Euangelij pondere quasi nutantes, suo exẽplo stabiliũt, interea verò nostrã rusticitatem rident, qui solius Dei verbo inhærere, & in illius nomine ambulare didicimus. Est illorũ hominum pertinacia maior, quàm vt facilè vinci possit, et quàm parũ in illis emolliendis proficiat patefacta nostro seculo Veritatis doctrina, res ipsa loquitur. Sed nihil propterea ex veræ pietatis studio remittere debent, quorũ mentes Dei spiritus illustrauit. Qui si non alia ratione mouentur, mouere illos debet aduersariorum constantia, vel potius contumacia: ne illi in retinendis atque fouendis erroribus plus animi & fortitudinis habeant, quũm nos in Christi & veritatis causa defendenda habemus.

Cæterùm multos terret tyrannorum sæuitia, qui superstitiones armis tueri, & Veritatis doctrinam ferro & igne persequi solent: Est etenim hæc grauis admodum, & nescio an vlla vnquam persecutio vel crudelior vel diuturnior fuerit, quàm quæ nostris temporibus ecclesiam exercet. Numerãtur à Christi morte vsq; ad Constantini Magni tempora persecutiones decem, quæ & sua interualla habuerunt, et breuissimo temporis spacio cursum suum impleuerũt. Inter illas grauissima omnium fuit, quam Diocletianus & eius

collegæ, Maximianus & Maximinus, instituerunt: quam toto decennio durauisse historici testantur, & quæ infinita crudelitatis plus quàm barbaræ exempla præbuit. At si nostri temporis historiam inspiciamus, quot regna & nationes reperire poteris, in quibus iam annis circiter quadraginta continuis sanguinolenta hostium ecclesiæ rabies grassata est? Versantur paßim in omnium conspectu peregrini, qui patrijs sedibus expulsi, & fortunis omnibus exuti egent, & vitam degunt plenam laborum & molestiarum, quales exilium comitari solent. Alij verò plures miserabiliter gemunt & suspirant, quibus nec domi Christum profiteri, nec inde tutò discedere licet. Alij in carceribus & vinculis mortem infamem in horas expectãt. Alij ad supplicia rapiuntur, in quibus excogitandis noui quotidie Phalarides & Perilli crudelẽ suorum ingeniorum astutiam truculenter exercent. Quid verò ista commemorare iuuat, quando bella horrenda religionis ergò gesta esse scimus, in quibus Germania, olim libera & Regum patria, non modò terras suas & vrbes cædibus sanguine & incendijs horribiliter vastari, sed Principes quoq; suos, non tam auito stemmate quàm meritis suis illustrißimos, in tristem captiuitatem abduci, & in ea annis aliquot non sine atrocibus contumelijs detineri vidit? Arserunt alijs in terris crudeles nobilium virorum et fœminarum rogi, & necdum hodie multis in locis ardere desinũt. Vidit florentißimum Angliæ regnum (de quo propter Martyres illustres honoris gratia omnino aliquid apertius dicendum est) principes suos ad supplicia rapi: vidit Episcopos & pastores suos in medijs flammis fidem, quam docuerãt, suo sanguine confirmare. Vidit (inquam) te Cranmere sanctißime, iam senem, ignis supplicium subire & quasi Scæuolam Christianum dextram tuã flammis obijcere, quem multis annis Cãtuariensem Archiepiscopum in primo dignitatis gradu collocatum viderat, & cuius fides regibus non semel perspecta fuerat. Vidit te Latimere pater, olim Vigorniensem Episcopum, multo senio grauem, in rogum ascendere, cuius venerandum caput reges & principes in summa admiratione habuerunt Vidit te facundißime Ridlee inter medios ignes felicem animam exhalantem, quem prius Roffensem & Londinensem episcopatum Euangelij doctrina complentem audiuerat. Vidit te fortißime Hoppere, suum Episcopum Glocestria inter diuturnos incendij cruciatus fide inuicta Christi & Euangelij sui causam tueri. Quid verò de te dicam Ioanna Graia, eruditionis, pietatis & modestiæ delicium, quæ cùm primò inuita ad regnum abripereris, paulò post ceruices immani carnificis gladio incidendas præbuisti? Secuti sunt te infiniti alij, nobilitate & virtute insignes, quos adhuc non sine dolore requirit Anglia, & hunc sibi intolerabilem putaret, nisi Elizabetha regina Serenißima, quam Deus singulari prouidentia inter motus istos grauißimos in hunc vsum seruauit, afflictis rebus opem attulisset: quæ ob veritatis doctrinam eiectos reuocauit, & illis quidem patriam, huic verò cum veritatis luce vitam atque salutem restituit. Non tamen ideò vbique locorum cessat Pontificum rabies, qui præcipui persecutionum authores sunt, sed adhuc paßim sese exerit, & de Euangelij doctrina opprimenda, deq; vastandis ecclesijs inter multos summa potentia & authoritate præditos consultatur. Mouent ista multorum animos, nec id temere, quando nos Deus non saxeos aut ligneos, sed homines finxit, qui & boni & mali sensu mouentur. Attamen tenendum est, ista non tanti momenti esse, vt periculorum metu pietatis studium vel dißimulare, vel in aliud tempus reijcere quisqam debeat: sed hic quoq; animũ obfirmare oportet, vt ad omnem casum parati, persecutiones & quæ has comitantur pericula intrepidè feramus. Et sunt hic rationes grauißimæ, quæ nos mouere & excitare debent, ex quibus aliquot recensebo, quæ mihi potißimæ videntur. Occurrit inter has prima omnium Dei prouidentia, qua res omnes administrari, scriptura docet. Et sanè cùm illa ad passeres vsq; & reliquas volucres extendatur, imò capitis nostri pilos in numerato habeat, minimè putandum est, pijs vllum periculum absq; illius nutu & consilio accidere. Quis enim paterfamiliâs de seruis & vasis domesticis solicitus liberos suos negligat, quos bonorum omnium hæredes fieri cupit? Et nos à Deo illos negligi putabimus, quos per Christum in filios adoptauit, cùm res animatas & inanimatas omnes certo consilio regat & in finem suum cõseruet? Illius ergo nutu & consilio fit, quòd cruce premimur & persecutionibus exercemur: quod non ex ijs modò patet quæ modò diximus, verumetiã ex Christi verbis, qui de omnibus perspicuè olim vaticinatus est, quæ nouißimo seculo in se credẽtibus sint euentura. Quòd si illius prouidentia hæc eueniunt, nos illa patienter ferre conuenit, ne illius consilio & voluntati reluctemur. Potest hæc vna ratio illis sufficere, qui se totos Deo consecrauerunt. De Iobo certè legimus, quòd hoc vno argumento fortunarum suarum iacturam, & subitam liberorum suorum mortem, et corporis acutißimos dolores superauerit, quòd hæc omnia à Deo immissa sciret, qui iusto & certo iudicio omnia gubernat. Et eodem nos vti docet Dominus noster IESVS CHRISTVS, qui hoc ipso tam sese quàm discipulos suos consolatur, quoties in suæ mortis mentionem incidit. Ecce (inquit) ascendimus Hierosolymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per prophetas de filio hominis. Item: Sic scriptũ est, & sic oportebat Christum pati & resurgere à mortuis, &c. Plurimùm autem ad huius rationis confirmationem faciet, si Dei voluntatem & iustam esse cogitemus, & in eum finem dirigi, vt in ipso salutem consequamur. Nec enim aliquid iniustè facit is, cuius iudicia (vt in Psalmis scribitur) sunt iustitia & veritas. Et cùm idem nobis pater sit, nihil in nos statuit durius, nisi hoc nostræ salutis ratio requirat. Nam vt idem Dauid monet, nouit conditionem nostram, & nos puluerem esse recordatur. Et huc facit, quòd afflictiones scriptura calicis nomine plerunq; denotat, nimirum vt illas nobis à Deo certa mensura propinari

cogite-

[illegible], prout ille nobis opus esse viderit, qui corda & renes scrutatur. Patebit hoc statim, si quales natura simus, aliquantò diligẽtius inspexeris. Etsi enim nos suæ voluntatis cognitione Deus dignetur, & suo spiritu nobis cohabitet, quem Christus consolatorem & aduocatum nobis fore promisit: manent tamen in nobis carnis reliquiæ & quam ex primo parente hausimus, naturæ vitiatæ corruptio. Qua fit, vt interdum et Dei & nostri officij immemores prauis cupiditatibus abripiamur, vel salutis nostræ negligentes diabolo nos circumueniendos præbeamus. Ergo virga & crucis disciplina tũc opus est, quæ securitatem nobis excutiat, & carnem ferocientem coerceat, ne in ijs cum manifesta propriæ salutis iactura pergamus, quæ nostræ professioni & vocationi minus conueniunt. Admonet de hoc Apostolus, cùm ait: Quem diligit Dominus, corripit: flagellat aũt omnem filium, quem recipit. Si castigationem sustinetis, veluti filijs sese offert Deus. Quis enim est filius, quẽ non castigat pater? Quod verò de singulis priuatim dicitur, ad totam quoq; ecclesiã pertinet, quæ dum otio & pace abundat, suas ex his labes contrahit, & tunc ferè publica quædã obrepit securitas, quæ & vero cultui plurimùm obest, & morum disciplinam euertit, et tandem in confidentiam et ambitionem degenerans dißidia & concertationes parit, quæ veritatis doctrinã publicis fidei hostibus deridendam propinant. Factum hoc tempore Apostolorum in ijs ecclesijs, quæ reliquis liberius viuebant, & minus habebant persecutionum: qualis Antiochena fuit, quæ concertationem de Circũcisione et legis iustitia proposuit: & Corinthia, quam sectis varijs scissam & fœdißimis erroribus corruptam fuisse, ex Pauli Epistolis patet. Quibus fortasse Galatarum ecclesiæ adnumerari poterunt, quæ cùm persecutores nullos sentirent, impostoribus locũ dederunt, qui Euangelij doctrinam cum lege permiscebant. Cumprimis verò memorabile est exemplum, cuius Eusebius in prologo libri VIII. meminit, vbi persecutionem, quam regnante Diocletiano sæuißimam fuisse supra diximus, descripturus, illius causas in ecclesia indicat, quam diuturnior pax & otium negligentẽ & deteriorẽ fecerit. Eius verba sunt: Vbi ex multa libertate multaq; indulgentia vitiati sunt mores, & disciplina corrupta est: dũ alter alteri inuidemus, & alter alteri derogamus, dumq; nos inuicem mordemus & incusamus, & aduersus nosmetipsos intestina prælia cõmouemus: dum verborum iaculis proximorum corda terebramus, dum principes cum principibus, populi cum populis seditiones & certamina cõcitamus, dum simulatio in vultu, dolus in corde, fallacia profertur in verbis, & malorum per singula cumulus intumescit: diuina prouidẽtia iacturam disciplinæ populo suo illatã ex plurima pace & nimia sui lenitate prospiciens, aggreditur primò sensim refrenare lapsantes, & integro adhuc ecclesiæ statu congregationibusq; manentibus, indulget interim eos qui erant in militia tantùm, gentilium persecutione pulsari. Sed cùm nullus ex hoc clementiæ eius intellectus populis daretur, quin potius veluti ignorantes Deum, absq; diuina prouidentia res agi putarent, & per hoc eò magis persisterent in malis suis, atq; illi qui duces populi videbantur & principes, diuini mandati immemores, aduersus se inuicem contentionibus, zelo, liuore, superbia, inimicitijs & odijs inflammarentur, ita vt tyrannidem potius quàm sacerdotium tenere se crederent, Christianæ humilitatis & synceritatis obliti, sacra mysteria prophanis mentibus celebrarent: tunc demum secundum vocem Ieremiæ prophetæ, obscurauit Dominus in ira filiam Zion, & deiecit de cælo gloriam Israel. Et quæ sequuntur. Hucusq; enim Eusebij verba recitauimus, quæ non tam illorum temporũ vitia describunt, quàm nostri seculi mores ceu in tabella depictos exhibent: vt vel veteri exemplo admoniti, non miremur persecutiones & afflictiones, quibus hodie paßim exercemur, cùm ijsdem vitijs & morbis hodie etiam ecclesia laboret. Agnoscamus autem in hoc crucis nostræ gloriam, quòd quos dignis scelerum pœnis Deus mulctare poterat, eos pro verbi & nominis sui gloria periclitari patitur, vt ea occasione Christo, qui in cruce mortuus est, cõformes facti, cum eodem in cœlis viuant. Ignorat hanc gloriã nostram infelix mundus, & ideò nobis sub cruce laborantibus insolenter furit & omni contumeliarum genere pios aggrauat. At qui in illam respiciunt, patienter ferunt, quæcunq; à Deo sibi immissa esse intelligunt. Deinde proderit cogitare, tyrannorum potentiam suos habere fines & terminos, quos excedere non possit. Indicat hos Christus quando ait: Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, & post hæc non habent quod amplius faciant. Hoc enim de fidei persecutoribus dicit, quos solius corporis occidendi ius habere ait. In solum ergo corpus, & quæ hoc multò inferiores sunt, fortunas siue opes, hostium nostrorum tyrãnis grassari potest. At corpus, quamuis nemo illud violenter auferat, suo tamen tempore relinquendum est. Opum verò posseßio adeò incerta & fluxa est, vt tunc maxime nos fallat, quando res nostras aduersus omnem fortunæ euentum stabiliuisse videmur. Num ergo graue erit Christo impendere, quæ velis nolis aliquando alteri cedes, etsi neminem in terris hostem siue inimicum habeas? Quid, quòd neq; in corpus neq; in fortunas nostras aliquid possunt hostes, nisi ita videatur Deo, qui vitæ nostræ dies numerauit, & cuius imperium ad omnia extenditur, quæ hac mundi machina continentur? Furiant ergo tyranni vt volent, & cœlum terræ misceant, nunquam tamen à Deo sibi præscriptas metas transgredientur. Qui enim mari suum terminum præfixit, ad quem (vt in libro Iobi scribitur) fluctus suos tumescentes deponat, facilius multò impotentia animi & iræ homunciones coercere poterit. TERTIO de Dei gloria & animarũ salute hîc agi cogitemus, quæ duo nobis omnium studiorum & actionum scopus meritò esse debent. Quia enim à Deo corpus simul & animam accepimus, in quo & sumus & viuimus & mouemur, vtique ad eiusdem gloriam omnia nostra semper parata & instructa debemus habere, ne in Deum ingrati reperiamur, qui in ho-

mines ingrati censeri nolumus. Turpe videtur seruo, si heri sui causam perfidè deserat. Quantò autem turpius est, si Christi causam nostri sanguinis patrocinio destituamus, qui suũ pro nobis fundere dignatus est? Vidit hoc beatæ memoriæ Martyr Polycarpus, quem Ioannis Apostoli discipulũ fuisse veteres magno consensu perhibent. Qui cùm sub M. Antonino Vero ad suppliciũ duceretur, à Proconsule admonitus, vt suæ senectæ rationem haberet, & vitæ suæ per Christi abnegationem consuleret, respondit: Octoginta & sex annis seruio ei, & nihil me læsit vnquam: quomodo possum maledicere & blasphemare regem meum, qui salutem mihi dedit? Aurea profectò vox, quæ vtinam omnium animis insculpta esset, quibus hodie lusus iocusq; videtur cum turpi fidei dissimulatione opibus suis consulere. Præterea cùm anima potior hominis pars sit, sine qua corpus aut planè nihil est, aut à brutis nihil differt, illius nos præcipuam rationem habere conuenit, ne dum corpori cõsultum volumus, & eos studemus placare, qui illud occidere possunt, Dei iram incurramus, qui & corpus & animam ad inferos deijcere potest. Pertinet huc Christi admonitio: Omnis qui me confessus fuerit coram hominibus, illum & confitebor coram patre meo, qui in cœlis est. Quemcunq; autem puduerit mei & sermonum meorum in generatione hac adultera & peccatrice, illius pudebit & filium hominis, cùm venerit in gloria patris sui cum sanctis angelis. Quibus & illud addi debet: Quid profuerit homini, si mundum totum lucretur, & animæ suæ iacturam faciat? Aut quid dabit homo, quo animam suam redimat? QVARTO plurimum cõsolationis afferet, si in istis certaminibus non nostram, sed IESV CHRISTI filij Dei causam agi intelligamus, qui & agonothetes noster est, & simul vires omnibus ijs subministrat, quos in hanc palæstram deduxerit. Et certè Dei negotium hoc esse vel ex eo patet, quòd rudes & imperiti homines, imbelles fœminæ, adhæc pueri & puellæ incredibili robore et constantia incomparabili non modò mortem, verumetiam acerbissimos tormentorum omnis generis cruciatus, qui ipsa morte atrociores sunt, ita vincunt, vt ipsis hostibus non rarò admirationem & terrorem incutiãt. Possem huius generis exempla vetera commemorare, sed illis minimè opus est, vbi res ipsa loquitur, & nostro seculo multa vbiq; gentium contigêre, quæ istis fidem facere possunt. Adest enim suis promissis Christus, cuius verba sunt: In mundo afflictionem habebitis: sed bono animo estote, ego vici mundum. Item: Dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt contradicere neq; resistere omnes, qui aduersabuntur vobis. Et Apostoli vox est: Omne quod ex Deo natum est, vincit mundum. Et hæc est victoria, quæ vincit mundũ, fides nostra. Quis est qui vincit mundũ, nisi qui credit quòd Iesus est filius Dei? Quia enim per fidem Christus apprehenditur, cui omnis potestas data est in cœlo & in terra, nullis malis succumbent, quotquot illi verè inserti fuerint. Vnde olim Paulus dicebat: Quis nos separabit à dilectione Dei? num afflictio? num angustia? num persecutio? num fames? num nuditas? num periculum? num gladius? Quemadmodum scriptum est, Propter te morti tradimur tota die, habiti sumus veluti oues mactationi destinatæ. Verùm in his omnibus superamus per eum, qui dilexit nos. Ipse ergo Christus pugnam hanc sustinet, nobis verò ministris & instrumentis vtitur, vt suam potentiam & gloriam eò illustriorem reddat, quando mundi & principis eius furiosam tyrannidem armis vincit planè arundineis, vel stramineis potius, nostra nimirum carne, qua nihil fragilius, nihil infirmius, nihil deniq; caducum & lubricum magis est inter ea, quæ nobis pro salute nostra certantibus indiuulse adhærent. Præbeamus ergo nos Christo Domino, vt nostra opera in isto certamine, longè pulcherrimo, vti possit: in quo vicisse nõ laudẽ modò habet, sed immortalẽ & cum æterna salutis præmio coniunctã gloriã. Reposita est enim immarcessibilis iustitiæ corona omnibus, qui in hoc stadio fortiter decertant, nec inanibus mundi terriculamentis sese superari patiũtur. NEQVE hîc mihi aliquis indignas obijciat piorum mortes, qui ferè in ista pugna cadunt, insolenter interea ferocientibus impijs, qui pleno ore suos successus iactant, & eo potissimùm argumento idola & superstitiones suas tuentur. Quia enim (vt modò diximus) non nostra, sed Dei causa hîc agitur, non quid nobis eueniat videndum est, sed quàm mirifico euentu Deus causam suam per eos tueatur, qui hostium armis succubuisse videntur, dum sanguinem suum fundunt, et vitam huius seculi cum morte ignominiosa permutant. Rigatur illorum sanguine vinea Domini Zebaoth, nec ignominiosa, sed pretiosa est in oculis Domini mors illorum, quæ iisdem simul vitæ æternæ & regni cœlestis principium præbet. Causæ verò, quam sustinent, adeò nihil decedit, vt potius illa vincat, tot confirmata testimonijs, quot sancti pro illa mortem oppetunt: miserè interim pereuntibus omnibus ijs, qui regnum Christi in pijs hostiliter oppugnant. Extant exempla omnium seculorum, quibus ista demonstrari possunt. Persecutionem sustinuit Abelus, primus ex Adamo natus Dei cultor, & à fratre crudeliter necatus obijt. Ille verò post parricidium commissum non modò viuit, sed ciuitatem quoq; ædificat, et simul nepotes ac abnepotes in multas vsq; generationes videt, qui artium variarum inuentione illustres fuerunt. Tenebant illi orbis imperium, & inter hos piorum reliquiæ exiguæ erant, per quos Deus sui nominis cognitionem & inuocationem veram in terris conseruabat. Poterat tunc aliquis cogitare, actũ omnino esse de religionis causa, maximè quando pijs omnibus vita defunctis solus Noa cum tribus filijs superstes mansisset, quorum minimus natu à maiorum virtute turpiter degenerabat. Sed tũc suum iudicium Deus exeruit, et Noam quidem incolumem seruauit arcæ beneficio, omnibus alijs per diluuium horribili & nunquam aliâs vsitato exemplo pereuntibus. Simile quid patriarcharum temporibus accidit, quando horum quidem fides et religio mirabiliter conseruata est, aliarum verò gentium superstitiones præter omniũ

expecta-

expectationem corruerunt. Adhæc in Aegypto ecclesiã suam Deus seruitute & dira tyrãnide exerceri passus est: eandẽ verò, cùm tempus illud fatale instaret, forti brachio asseruit, & illius hostes maris rubri fluctibus suffocauit. Quòd si Monarchias omnes ex ordine spectemus, illas tam diu floruisse patebit, quàm diu ecclesiam vel sua authoritate iuuerunt, vel saltẽ non oppresserũt. Vt primùm verò aduersus illam aliquid crudelius tentarunt, subitò & inopinato casu sunt collapsæ. Sic Sennacherib Assyriorum, Baltazar Babyloniorum, Artaxerxes Ochus Persarum imperio exitium attulerunt, eò quòd ad ecclesiæ euersionẽ suas vires conuerteret, quas in huius defensionem diuinitus acceperant. Alexandro item Magno mirificè fauit Deus, & eidem orbis imperium contulit, quando ille ecclesiam iuuit, & summũ sui populi sacerdotem in honore habuit, sicuti Iosephus in Antiq. libro XI. testatur. Postquã verò illius successores ecclesiæ molesti esse cœperunt, illos vnà cum regnis suis miserabiliter perijsse scimus. Nã vt reliquis omissis de solis Syriæ & Aegypti regibus dicamus, constat vtrũq; regnum non multò post intestinis bellis & parricidijs conuulsum in Romanorũ potestatem peruenisse, quando in illo quidem Antiochus Epiphanes ecclesiæ bellum mouit, in hoc autem Ptolemæus Lathurus triginta millia Iudæorũ inaudita crudelitate necauit, & reliquos occisorum carnibus vesci coegit. Plura & magis illustria huius argumenti exempla Romanum Imperium dabit, si illius historiã percurramus. Floruit enim & per totũ orbem incredibili successu aucta est indies illius potentia, quàmdiu ab ecclesia Dei manus abstinuit. Quàm primùm verò Tiberio imperãte Dei filius, IESVS CHRISTVS, in crucem suffixus est, & Nero malis furijs agitatus persecutionẽ instituit, vt Christi fidem & ecclesiã deleret, mox prouinciæ rex nouas moliri cœperunt, & ipse tyrannus sibi mortem consciuit violentã, inq; eo vulnus illud lætale accepit vetus illa bestia, cuius mentio fit in Apocalypsi, quando deficiente iam Cæsarum prosapia Imperiũ ad exteros & barbaros pro militum arbitrio trãsferri cœpit. Quotquot verò post illũ Christi fidem persequi & extinguere conati sunt, non minus grauem Dei vltoris manum senserunt. Domitianus enim à suis domesticis & libertis confossus perijt. Traianus Tyberis inundatione & diris terræmotibus mulctatus est, quibus vrbes aliquot euersas esse historici tradunt. Sub Antonino, cùm hic quoq; persecutionẽ Christianorum instituisset, pestis Italiã plurimis in locis propè exhausit, & Germani contra Romanos bellum gesserunt, nimirũ victores etiã futuri, nisi Imperator recenti Christi beneficio admonitus animi sententiã mutauisset. Cùm enim Christiana legio exercitui sitienti & iam pereunti precibus suis aquam & præsens Dei auxiliũ contra hostes impetrauisset, Antoninus crudelia aduersus Christianos edicta aboleuit. Septimium Seuerum bellis ciuilibus puniuit Deus, cùm ecclesiæ molestus esset. Maximinum verò priorũ vestigijs insistentem milites vnà cum filio discerpserunt, clamantibus vniuersis, Ex pessimo genere ne catulum quidem habendũ. Quem imitatus Decius in solo barbarico paludis gurgite submersus est, vt nec cadauer eius ad sepulturã reperiri posset, filius autẽ manu hostili in prælio cecidit. Valerianum post occisos Christi seruos, inter quos Cyprianus & Cornelius numerantur, captum legimus à Sapore Persarum rege, qui quoties equum conscendere volebat, illius ceruici pedem imposuit, et pro scabello vsus est eo, qui aduersus Christũ ferocire ausus fuerat: tandem vbi extrema senecta confectum vidit, viuenti cutem è ceruice ad pedes vsq; detraxit. Post hunc Valerius Aurelianus, cùm ipse etiam manus piorũ Christi sanguine cruentaret, suorum insidijs interceptus & crudeliter necatus est. Secuti sunt illos Diocletianus & Maximianus, qui vt reliquis crudeliores & obstinatiores fuerunt, sic etiam illustriora vindictæ diuinæ exẽpla facti sunt. Primò enim, cùm malè vsurpatũ Imperium se retinere non posse viderent, terrore & metu superati, deposita purpura priuati vixerũt: Deinde verò Diocletianus quidem ipse sibi manum intulit, Maximianus autẽ cùm ad imperium redire conaretur, à Maxentio filio Massiliã confugere coactus est ad generum Constantinum: cui cùm strueret insidias, filia maritũ patri prætulit, & ille per hanc detectis insidijs dignas perfidiæ pœnas morte luit. Qui verò illis scelerum & tyrannidis socij fuerant, Maxentius & Maximinus, ille quidẽ ad pontem Miluium prælio superatus in aquis perijt, hunc verò phtiriasis sustulit, cũ ex vermibus circa inguina enatis horribiles cruciatus diu sustinuisset. Licinius verò, qui ex ecclesiæ hostibus solus superstes manserat, cùm incurabilis esse pergeret, primũ omni dignitate exutus, deinde à Constantini præsidio Thessalonicæ occisus impiæ tyrannidis pœnas dedit. De Iuliano quid attinet dicere, qui cùm pacem ecclesiarũ, à Constantino redditam, turbaret, & dirissima quæq; contra Christum moliretur, inexpectato vulnere confossus inter voces desperationis plenas victorem agnouit, quẽ per ludibrium solebat Galilæum & fabri filium dicere? Tempus me deficeret, si quæcunq; in historijs eius generis habentur, cõmemorare instituerem: & possent his multa adijci, quæ nostro seculo vidimus: sed sufficit de illis cogitandi occasionẽ dedisse ijs, qui Dei opera obseruare didicerunt. Prodest autem in illorũ consyderatione diligenter versari, ne vel piorum afflictionibus vel tyrannorum victorijs et successibus offendamur, quibus interdũ Christo & ecclesiæ eius præualituri videntur. Coniungamus huic studio scripturæ sacræ lectionem, quæ veræ fidei fundamenta monstrabit, & mox nos aduersus omne genus scandali abũdè instructos, sentiemus, adeò vt omnibus postpositis, quæ mundus et caro obijciunt, cùm propheta nobis liceat dicere: Omnes populi ambulabunt, quisq; in nomine Dei sui: nos autem ambulabimus in nomine Domini Dei nostri in seculũ, et in perpetuũ. Ego certè Georgi præstantissime dum ista mecum frequentius cogito, & quantum ad pietatem momenti conferat scripturarũ cum historijs ecclesiasticis cõparatio non indiligẽs,

ex nostri seculi hominibus disco, qui illa instructi, veræ fidei confessionem constanter retinent: non possum non illorũ institutum vehemẽter probare, qui scripturæ libros pijs & perspicuis lucubrationibus illustrãt, vt à pluribus legi poßint & intelligi. Fecerunt hoc olim pij veteris ecclesiæ doctores, non tamen eadem felicitate & successu. Alij enim, dum ingenij acumine scripturas profundius scrutantur & seruile nimis putant literæ & historiæ insistere, in singulis propè verbis allegorias finxerunt, quibus & scripturas sæpe in sensum alienum detorserũt, & hæreticis absurdißimarũ opinionum occasiones præbuêre: in quorũ numero censendus est Origenes, & qui illum præceßit Philo Iudæus, ex cuius scriptis multos allegorizandi ansam arripuisse puto. Alij verò simplici expositione contenti in hoc fuerunt, vt quod in scripturis proponitur, auditorum siue lectorũ institutioni accõmodarent. Et hi mihi imprimis probandi videntur. Præclarè enim ab Epiphanio contra Apostolicos siue Apotacticos scriptũ est, τὰ ῥήματα θεοῦ οὐ πάντα ἀλληγορίας δεῖται, ἀλλ' ὡς ἔχει. θεωρίας δὲ δεῖται καὶ αἰσθήσεως εἰς τὸ εἰδέναι ἑκάστης ὑποθέσεως τὴν δύναμιν. Id est, Dei verba non omnia allegorijs indigent, sed sicut se habent accipienda sunt. Indigent autem speculatione & sensu ad sciendã cuiusq; propositæ rei seu argumenti vim. Speculationis nomine diligentẽ singulorum verborũ & locorum scripturæ consyderationẽ intelligit, qua illorum scopus & spiritus sancti, qui scripturæ verus author est, mens inquiritur. Per sensum verò loci expositi applicationẽ, qua iuxta Apostoli regulã verbum dei ita secatur, vt singuli de se agi intelligant, & intra animos suos efficacem sentiant spiritus operationem, quam idem Apostolus experimentum Christi per ministros suos loquentis vocauit. Obseruatæ sunt iã olim à probatis & orthodoxis ecclesiæ scriptoribus istæ regulæ, & hodie magna cũ laude nec minori fructu à multis obseruantur, qui vt probati medici solent, veram illam θεωρίαν siue speculationem cum ipsa praxi coniungunt. Quorũ exemplo simul et amicorum hortationibus crebris ego excitatus in eodẽ argumento aliquid cœpi, & quia successum à Deo datũ vidi, nec omni fructu meus labor hucusq; caruerit, vt in instituto pergam adducor. Prodit ergo (quod faustum felixq; esse velit pater luminũ) Marcus Euangelista meis homilijs illustratus, cuius lectio pijs non parum seruire potest, eò quòd res Christi, etsi non omnes, præcipuas tamẽ, succincta breuitate & perspicuitate singulari comprehendit. Scripserunt alij in hunc Cõmentarios doctos & eruditos, quibus vix aliquid addi posse videbatur. At quod alibi monuimus, tanta est agri illius sancti fœcunditas, vt nullius hominis industria omnibus mysterijs illius eruendis sufficiat. Et habent singulorũ locorum & temporum homines quæ in scripturis obseruent, de quibus alij vel non cogitarunt, vel vt cogitarent nulla causa sunt adducti. Adde, quòd homiliæ rudioribus instituendis plus seruiunt, maximè ijs, quibus non datũ est ecclesias habere publicas, in quibus Dei verbũ viua voce prædicetur. Versati sunt in hoc scribendi genere ex veteribus quoq; insignes Theologi, Theodoretus, Basilius, Chrysostomus, Augustinus, Ambrosius & plures alij, qui in suis sermonibus ecclesiæ faciẽ, quæ tunc fuit, spectandã proponunt. Quam vt cognouisse multùm prodest, ita non inutile fuerit etiam nostri tẽporis scriptorum homilias legisse, vt ex illis de doctrinæ consensu iudicare, ecclesiarum hinc inde sparsarũ mores & ritus cognoscere, & ex aliorũ exẽplis, quid nobis ex vsu fiet, discere poßimus. Quid ego in his præstiterim, piorũ esto iudiciũ. De mea fide & diligentia mihi probè sum cõscius, cuius hic mihi scopus est, vt quàm plurimis inseruiã, vtq; talentũ meæ fidei creditũ aliquando ad Dominũ non sine fœnore redeat. Quod si assequor, illius gratiæ illud omne deberi agnosco, qui solus dat incrementũ.

TECVM autẽ vir ornatißime, de istis in præsenti differere placuit, cuius nomini laborem quoq; hunc omnem cumprimis dedicatũ volo: non quòd te vel eo in loco versari, vel in re Christiana adeò rudem & imperitũ esse existimem, vt mea doctrina siue institutione tibi opus sit: sed quòd te eadem cura seriò teneri scio, & quòd ex tuo nomine operi huic gratiam & authoritatẽ non contemnendã accessuram putaui apud eos, quibus tua virtus iam pridẽ cognita atq; perspecta est. Meretur etenim, quæ in te relucet, Dei gratia, vt à bonis omnibus prædicetur, cùm ea tibi contulerit, quæ nostro seculo in paucis coniungi solent: Generis nobilitatẽ, opes, eruditionẽ, & quod omnibus corporis atq; fortunæ bonis præstantius est, syncerioris doctrinæ & fidei orthodoxæ studiũ, quod non lectione modò & scriptione diligenti, sed sancta quoq; in egenos Christi seruos liberalitate testaris. Offert quidẽ illa Deus multis alijs, sed quæ illorũ est peruersitas, se rem à conditione sua alienißimã facere arbitrantur, si vel bonis literis operã dent, vel de rebus sacris ipsi differant, aut alios de his differentes attentè audiant. Quò fit, vt nobilitatis prærogatiuã in effreni morũ licentia, opum verò vsum in prodigioso luxu & nefaria prodigalitate consistere putent, sicq; tam sibi quàm alijs noxia & exitialia reddant, quæ & ipsis & multis alijs prodesse poterant. Verè ergo tu partem meliorẽ elegisti, quæ (vt de Maria Bethaniensi olim Christus pronuntiauit) abs te non auferetur: & vtinã tui loci & ordinis homines, tuo exemplo excitati, idem aliquando faciant: quæ non postrema ratio fuerit, qua & nostri seculi concertationes cõponi poterunt, & ecclesiæ status in eam formã restitui, quam nobis Christus & Apostoli tradiderunt. Accipies autẽ Georgi præstantißime hunc Marcum nostrũ ea fronte, qua me nihil de te vnquam meritũ in amicorum tuorũ albo ascribere dignatus es: Merebantur equidẽ tua in me beneficia animi & voluntatis meæ significationẽ multò luculentiorem. Sed nosti illud Comicum, Vt quimus (aiunt) quando vt volumus non licet. Deum patrẽ omnis gratiæ & misericordiæ precor, vt quod mea industria præstari non potest, ipse sua gratia & bonitate sarciat, teq; cum tuis omnibus corpore & anima incolumem seruet. Amen. Datæ Tiguri, Calendis Augusti, Anno ab incarnato Dei filio 1561.

INDEX RERVM ATQVE VERBORVM IN HIS HOMILIIS MEMORABILIVM.

A

D.

discipulis

E.

I.

Impij

L.

M.

N.

O.

P.

Q.

R.

S.

Verbi

Z.

INDEX LOCORVM SACRAE SCRIPTVRAE, VIDELICET TAM VETERIS QVAM *Noui Testamenti, qui paßim ab authore in his Homilijs exponitur.*

Exiui

INDEX LOCORVM COMMVNIVM
QVAE IN HIS HOMILIIS SVCCIN-
cta Methodo explicantur, &c.

FINIS.

CHRISTIANO LECTORI.

SCINDITVR infelix studia in contraria mundus,
Et proprium fingit iam sibi quisque Deum.
Tum noua iam paßim sparguntur dogmata priscis
Ex patribus nulli dogmata nota prius.
Ac simul immanes grassantur vbique Tyranni,
Quos iuuat altisono bella mouere Deo.
Strata cadunt sæuo Sanctorum corpora ferro,
Aut lento uruntur vix moritura rogo.
Quid facias quærunt multi: Hic exempla secutus
Deuiat, hic turpi denegat ore fidem.
Obseruat Reges alius, sed plurima turba
Purpureos patres Conciliumq́ sonat.
Quid iuuat, ah miseros, vanum sufferre laborem?
Non ratio hæc uobis certa salutis erit.
Vna salus fuerit supremum audire Tonantem,
Saluificam proprio qui docet ore fidem.
Huius in has terras supremo gnatus ab axe
Virgineo venit semine factus homo.
Ille sua mundi peccatum morte piauit,
Ioßit & iratum ponere tela patrem.
Ille etiam victor deuicta à morte resurgens,
Dæmona deuicit Tartareasq́ domus.
Ille triumphanti similis per nubila uectus,
In summa regnans iam sedet arce poli.
Illius ex alto demissus spiritus, orbi
Tradidit ætherei dogmata sancta patris.
Hunc sequere, hunc animo credenti amplectere, in illo
Vnica sit vitæ spes tibi fixa tuæ.
Hic veterum ostendet vestigia certa viarum,
Quæ certo ducunt summa sub astra pede.
Hunc tibi diuino describit pneumate MARCVS,
Hunc legito, & CHRISTO credito, saluus eris.

R. G. T.

IN EVANGELIVM IESV CHRISTI SECVNDVM MARCVM.

RODOLPHI GVALTHERI TIGVRINI HOMILIAE.

CAPVT I.

HOMILIA I.

INITIVM Euangelij Iesu Christi, filij Dei, sicut scriptum est in Prophetis.

SICVTI *Deus pater humano generi saluatorem dedit, filium suum Iesum Christum: Ita certos quoq; testes cõstituit, qui salutem illius merito partam mundo prædicarent. Etsi verò illi omnes, propter faustum & felix salutis nuntium, Euangelistæ dici poßint, hic tamen titulus ijs potißimũ in Ecclesia tribui consueuit, qui Christi Iesu incarnati historiam scriptis prodiderunt. Causa eius rei fortasse fuit, quòd [illegible] nuntij sunt & fide digni, non rem gestam modò, sed ut gesta sit, narrare solent. At Euange[illegible] historiæ scriptores, quotuor numerantur, duo apostoli, Matthæus & Ioannes: duo item viri apo[illegible] discipuli Apostolorum, Marcus & Lucas. Nec temere factum putabimus, quòd postremi [illegible] Apostolis adiuncti fuerunt. Ita enim caueri oportuit, ne quis Christi spiritum uel solis Apostolis [illegible] fuisse, vel saltem in illis cessauisse putaret. Nunc verò omißis alijs, de solo Marco paucis di[illegible] historicã de Christo Iesu narrationem, eiusdem Christi gratia freti, ad Ecclesiæ institu[illegible] & dei gloriam explicare instituimus.* — De Euangelistis in genere.

Fuit is (vt magno consensu veteres perhibent) Hierosolymitanus ciuis, Mariæ filius, quæ Lu[illegible] Hierosolymis ecclesiæ hospitium præbuit, suamq; domum sacris conuentibus dedicauit, quan[illegible] Herodes suam aduersus Christi discipulos tyrannidem exercuit. Sunt qui tradunt, illũ ex LXX. discipulorum numero fuisse, quos Christus præter Apostolos Euangelij prædicationi destinauit. Con[illegible] illum primùm Paulum & Barnabam (cuius consobrinum vocat Paulus) secutum fuisse. Tandem Petro conuersatus est, cuius & discipulum & interpretem S. Hieronymus nominat. Scri[illegible] hunc (vt pleriq; veterum testantur) hoc suum opus Euangelicum. Postea in Ægyptũ pro[illegible] genti superstitiosiß. primus Christum prædicauit, & Alexandriæ ecclesiam constituit, cuiusq; [illegible] Neronis annum (qui à Christi natalibus sexagesimus quartus, & ab eiusdem morte tri[illegible] numeratur) præfuit. Cum autem Neronis iussu ecclesiã paßim persequerentur impij, Mar[illegible] per vrbem vnco tractus, gloriosam pro Christi testimonio mortem subiuit, & quam viuus [illegible] doctrinam, sanguinis proprij testimonio confirmauit. — De S. Marco. Act. 12. — Coloss. 4.

Hic verò nobis obseruanda venit dei bonitas, qui miseros nos non modò per filium suum redime[illegible] est, verumetiam lætum nostræ redemptionis nuntium per idoneos testes in orbe vulgari [illegible], & vniuersam filij sui historiam scriptis comprehensam proponit, vt certior sit nostræ fidei & [illegible] autoritas, qua aduersus satanæ tentationes firmi & intrepidi nitamur. Porrò præmißis [illegible] Marci verba accedemus, quibus opus suum exorditur. — Deus uult nos saluos fieri, & in veritatis cognitionem venire. 1. Tim. 2.

Proponit [illegible] eorum, quæ dicturus est. Obscurior autem videtur Hebreæ linguæ ignaris, [illegible] Initium Euangelij Iesu Christi, filij dei, &c. Potest tamen ita resolui oratio: Expo[illegible] Christi Euangelium, quod ita cœpit, sicuti Prophetæ olim prædixerunt. Vel, cuius initium [illegible] priscis Prophetarum oraculis per omnia congruit. Et mox Malachiæ locum de [illegible] allegat. A quo narrandi initium facit, quia in eo demum Christi negotium cœpit, qui non an[illegible] redemptorem esse declarauit, quàm ipsi per Ioannis prædicationem via apud homines [illegible] esset. Quin ipse alibi inquit: Lex & Prophetæ vsq; ad Ioannem, ab eo tempore autem re- — Propositio.

gnum dei annuntiatur. Luc. 16. Quia verò de his suo loco agetur, in præsenti de tribus dicendum erit, quorum mentionem Marcus hisce verbis facit.

I. Euangelium quid. Rom. 1.

Primò Euangelij vox occurrit. Quæ à Græcis sumpta, & Latinis quoq; scriptoribus vsitata, propriè bonum lætumq; nuntium significat. Quoad verò rem ipsam, ex ipsis Apostolorum scriptis certa illius definitio peti debet. Paulus ad Rom. se dicens segregatum in Euangelium dei, mox addit: Quod ante promiserat per Prophetas suos, in scripturis sanctis, de filio suo, qui genitus fuit ex semine Dauid, secundum carnem, qui declaratus fuit filius dei, cum potentia, secundùm spiritum sanctificationis, ex eo quòd resurrexit è mortuis. Et paulò post, Euangelium vocat potentiam dei ad salutem omni credenti. Omnium verò euidentissimè in posteriori ad Corinth. loquitur, hisce verbis: Omnia ex deo, qui reconciliauit nos sibi per Christum, deditq; nobis ministerium reconciliationis: Quandoquidem deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, non imputans eis peccata sua: & posuit in nobis SERMONEM RECONCILIATIONIS. Itaq; nomine Christi legatione fungimur, tanquam deo vos obsecrante per nos: rogamus pro Christo (id est, Christi nomine) recõciliemini deo.

1. Ioan. 1.

Et Ioannes Apostolus, testimonium de Christo, quem ipsi viderint & contrectarint, & vitæ æternæ denuntiationem, vocat Euangelium.

Euangelij definitio.

Est ergo testimonium bonitatis dei, quo nuntiatur, illum nobis reconciliatum esse, & promissiones patribus olim factas impleuisse, per Christum filium suum, qui homo factus, causam nostram suscepit, peccatũ sua morte expiauit, mortem resurrectione vicit, nosq; patri reconciliatos, eidem per fidei obedientiam consecrat. Est hæc definitio fusior & prolixior aliquantò. At meminerimus, talem omnino requiri, quando Euangelium omnia ea comprehendit, quæ ad nostram salutem faciunt. Porrò hic nobis tria obseruanda veniunt.

Euangelium testimonium dicitur. Apoc. 17. 12. 19. &c. 1. Ioan. 5.

Primum, Euangelio testimonij nomen tribui. Ita sanè frequenter illud vocat Ioonnes Apostolus, nimirum ad illud Christi respiciens, qui Apostolos suos testes fore dixit. Ioan. 15. Act. 1. Asserit hoc doctrinæ Euangelicæ veritatem & certitudinem, & eos arguit, qui illam in dubium uocare audent. Peccant illi, non in Euangelij præcones, sed in dei filium, cuius illi ministri sunt. Imò deum mendacij arguunt (vt Ioannes monuit) quasi is filij sui causam falsis testibus apud homines tueri voluerit. Atqui ex legis diuinæ præscripto fidem merentur quicunq; idonei & legitimi testes sunt, nec facilè locus datur ijs, qui talibis fidem derogare audent. Quantò igitur atrocior eorum audacia est, qui à Dei filio productos testes reijciunt, & ita non tam apostolos quàm ipsi Deo iniuriam faciunt, quasi is filij sui causam falsis testimonijs fucare voluerit. Sunt isti reuera digni, qui reconciliatione omni excidant, quando sermonem reconciliationis tanta improbitate fastidiunt. Vide Hebr. 10 cap.

Euangelij partes. Luc. 24.

Secundò Eũagelicæ prædicationis partes, & quomodò illa tradi debeat, nouisse oportet. Vbi Christus audiendus erit, qui ab Apostolis iam discessurus, ait: Sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertio die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam ac remissionem peccatorum. Comprehendit his primò historiam suæ tum passionis tum resurrectionis, ad quam totum incarnationis suæ mysterium referri debet. Simul verò eiusdem vsum duabus partibus, pœnitentia & peccatorum remissione, complectitur, & vtramque in suo nomine prædicari debere ait, eò quod ipse à patre exuscitatus est, vt daret Israeli pœnitentiam & remissionem peccatorum.

Actor. 5.

Est autem pœnitentia conuersio totius hominis ad deum, à quo omnes peccando secessionem feceramus. Qua etsi nobis omnino opus sit, eandem tamen ex nobis ipsis nunquam præstabimus, quando in peccatis concepti & nati sumus, & proinde illius atrocitatem adeò non agnoscimus, vt potius in illius seruitio voluptatem omnem collocatam putemus. Cœlitus ergo nos innouari oportet, & nouis viribus instrui, quas per Christum nobis deus confert, in quo se omnia posse Paulus testatur. At quia conuersio hæc, quoad salutem, inutilis esset, nisi delerentur simul & remitterentur peccata, quibus dei iram iam prouocauimus, in Christo simul peccatorum remissionem deus contulit, quam similiter Euangelium nobis annuntiat. Et quia homines indesinenter tentantur, vt vel peccatis sese totos mancipent, aut in peccatis suis de dei gratia desperent, duo hæc inter docendum semper coniungi, nec vnquã separari debent. Hinc verò patet, qui nam veri Euangelij præcones sint, & quam errent, qui peccatorum redemptionem ad Euangelij doctrinam minus pertinere dicunt, & qui superstitiosas peccatorum expiationes reprehendi nolunt, quibus homines dementati in suis ipsorum viribus atq; meritis quærunt, quæ in vno Christo quærere oportebat.

Psalm. 51. Ioan. 3. Philip. 4.

Tertiò Euangelij finem, quoad nostrum officium, obseruare conuenit. Est is obedientia fidei, sicuti Paulus admonet Rom.1.& 16. 2.Cor.10. Vt enim in Christo pœnitentiã & remissionem peccatorum prædicat: Ita eidem omnes adducit & consecrat, ut in illo sibi uiuendum & moriendum esse intelligant. Admonet hoc, ut à nobis Euangeliũ recipi debeat. Fides exigitur, qua unum Christum saluatorẽ agnoscamus, & quæ ex hac promanat obedientia. His vniuersa religio & vniuersa uitæ nostræ officia continentur, quæ omnia ad Christi regulã, quæ Euangelio continetur, formari oportet. Parum ergo Euangelici sunt, qui vel in fidei negotio multa Christo coniungunt, per quæ illius merito & gloriæ plurimum decedit: vel vitam suam ita instituunt, vt illos carni potius & diabolo, quàm Christo addictos esse constet. Euãgelij finis.

Sed ad Marcum redeamus, qui Euangelium vocat Iesu Christi, filij dei. Ita uerò totius negotij Euangelici authorem, dominum, executorem & fundamentum exprimit. Nam tota salutis ratio, quæ Euangelio traditur, in vno Christo continetur, qui traditus fuit propter peccata nostra, & excitatus est propter iustificationem nostri, qui etiam ad dextram dei est, & intercedit pro nobis. Rom.4.8. Facit hoc multum ad Euangelij dignitatem, & nostræ fidei certitudinem, quando illud non aliquem ex hominibus (quorum omnia decreta manca & instabilia sunt) sed dei filiũ authorem habere, constat. Et simul arguuntur, qui salutem vel aliqua ex parte extra Christum monstrant. Hi enim non Euangelium Christi Iesu, sed aliud & Apostolis ipsis incognitum prædicant, & proinde iuxtà Pauli sententiam anathema dici merentur. Gal.1. II. Euangelium Iesu Christi.

Obseruabis autem, Christum à Marco disertè dei filium dici. Matthæus Abrahami & Dauidis filium vocat, vt eum esse ostendat, qui olim Abrahamo et Dauidi promissus fuit. At Marcus ipsum salutis fontem propius attingit, & quasi digito monstrat, quando dei filium esse dicit: non quidem adoptiuum, quales nos sumus ex gratia, nec talem qui aliquando esse cœperit, & proinde patre minor sit: sed verum germanum, patriq; coæternum atq; coessentialem. Neq; temere hoc in operis sui initiò annotare voluit. Inde enim constat, illum nos saluare potuisse, quando per ipsum omnia sunt condita. Ipse certè Christus suis ualedicturus, diuinitatis suæ desertã mentionem facit, dicens: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Ita nimirum fidem suorum confirmans, ne de salute per ipsum parta quicquam dubitarent. Et Ioannes Apostolus à Christi diuinitate Euangelij historiam orditur, & eandem circa epistolæ suæ finẽ, hanc ipsam ob causam diligenter inculcat. Non est ergo, quod illorum deliria audiamus, qui cum Christianismi veri restitutores dici velint, olim sepultam Arij hæresim ex inferis reuocant, & de vera atq; æterna Christi diuinitate dubitare docent. Iidem enim salutis nostræ fundamenta conuellunt, quando ex scripturis constat, vni & soli deo omnem deberi nostræ saluti & redemptionis gloriam. Interim hoc illis etiam confutandis seruit, qui salutem suam proprijs viribus & meritis tribuunt, aut diuis mediatoribus nituntur, quando ne Christus quidem Saluatoris & mediatoris officio potuisset fungi, nisi idem verus & æternus fuisset dei filius. Christus dei filius. Matth.28.

Postremò Euangelici negotij modum & rationem Euangelista edocet, quando illud ita cœpisse ait; sicuti olim à Prophetis prædictum fuerat. Videtur autem ijs occurrere voluisse, qui Christi doctrinam, vt nuperam & nouam auersantur. Quia enim nouitas in religione exosa & inuisa est. Satan iam inde ab initio fidem in Christum hoc nomine apud omnes gentes suspectam facere studuit. Et sanè stupenda videri poterat illius tum astutia tum audacia, qua tale quid contra eam doctrinã conatus est, quam primis parentibus ab ipso deo traditam esse non ignorauit: nisi nota esset infelix mundi corruptio, qua fit, vt vndique rebellionis occasionem arripiant, quibus alioqui graue & intolerabile uidetur, sub dei veri legibus viuere. Poterant hic ea adduci, quæ prophetis olim impij veritatis osores obiecerunt. Sed vnicus Actorum Apostolicorum liber sufficit, qui non gentes modò, verumetiam Iudæos de Apostolis conquestos esse docet, quod noua dogmata seminarent. Quin ipse Christus non semel ad Mosen & prophetas prouocat, eò quod ipsius doctrinam illis repugnare dicerent. Vt ergo Marcus semel omnem nouitatis suspicionem tollat, Euangelium Prophetarum oracula per omnia consentire initio statim profitetur. III. Euangeliũ per prophetas promissum. Ioan.5.

Hic verò obseruandum venit, salutis rationem & fidem, quæ Euangelio traditur, omnium vetustissimam esse. Illius enim summam prima promissio continet, quæ semen mulieris caput serpentis conculcaturum pollicetur. Atqui huic illustrandæ omnes aliæ seruiunt, quas Abrahamo, Isaaco, Ia- Fides Euangelica omnium vetustissima. Genes.3.

gnum dei annuntiatur. Luc. 16. Quia verò de his suo loco agetur, in præsenti de tribus dicendum erit, quorum mentionem Marcus hisce verbis facit.

I. Euangelium quid. Rom. 1.

Primò Euangelij vox occurrit. Quæ à Græcis sumpta, & Latinis quoq; scriptoribus vsitata, propriè bonum lætumq; nuntium significat. Quoad verò rem ipsam, ex ipsis Apostolorum scriptis certa illius definitio peti debet. Paulus ad Rom. se dicens segregatum in Euangelium dei, mox addit: Quod ante promiserat per Prophetas suos, in scripturis sanctis, de filio suo, qui genitus fuit ex semine Dauid, secundum carnem, qui declaratus fuit filius dei, cum potentia, secundùm spiritum sanctificationis, ex eo quòd resurrexit è mortuis. Et paulò post, Euangelium vocat potentiam dei ad salutem omni credenti. Omnium verò euidentissimè in posteriori ad Corinth. loquitur, hisce verbis: Omnia ex deo, qui reconciliauit nos sibi per Christum, deditq; nobis ministerium reconciliationis: Quandoquidem deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, non imputans eis peccata sua: & posuit in nobis SERMONEM RECONCILIATIONIS. Itaq; nomine Christi legatione fungimur, tanquam deo vos obsecrante per nos: rogamus pro Christo (id est, Christi nomine) recõciliemini deo.

1. Ioan. 1.

Et Ioannes Apostolus, testimonium de Christo, quem ipsi viderint & contrectarint, & vitæ æternæ denuntiationem, vocat Euangelium.

Euangelij definitio.

Est ergo testimonium bonitatis dei, quo nuntiatur, illum nobis reconciliatum esse, & promissiones patribus olim factas impleuisse, per Christum filium suum, qui homo factus, causam nostram suscepit, peccatũ sua morte expiauit, mortem resurrectione vicit, nosq; patri reconciliatos, eidem per fidei obedientiam consecrat. Est hæc definitio fusior & prolixior aliquantò. At meminerimus, talem omnino requiri, quando Euangelium omnia ea comprehendit, quæ ad nostram salutem faciunt. Porrò hic nobis tria obseruanda veniunt.

Euangelium testimonium dicitur. Apoc. 17. 12. 19. &c. 1. Ioan. 5.

Primum, Euangelio testimonij nomen tribui. Ita sanè frequenter illud vocat Ioannes Apostolus, nimirum ad illud Christi respiciens, qui Apostolos suos testes fore dixit. Ioan. 15. Act. 1. Asserit hoc doctrinæ Euangelicæ veritatem & certitudinem, & eos arguit, qui illam in dubium vocare audent. Peccant illi, non in Euangelij præcones, sed in dei filium, cuius illi ministri sunt. Imò deum mendacij arguunt (vt Ioannes monuit) quasi is filij sui causam falsis testibus apud homines tueri voluerit. Atqui ex legis diuinæ præscripto fidem merentur quicunq; idonei & legitimi testes sunt, nec facilè locus datur ijs, qui talibus fidem derogare audent. Quantò igitur atrocior eorum audacia est, qui à Dei filio productos testes reijciunt, & ita non tam apostolos quàm ipsi Deo iniuriam faciunt, quasi is filij sui causam falsis testimonijs fucare voluerit. Sunt isti reuera digni, qui reconciliatione omni excidant, quando sermonem reconciliationis tanta improbitate fastidiunt. Vide Hebr. 10. cap.

Euangelij partes. Luc. 24.

Secundò Euãgelicæ prædicationis partes, & quomodo illa tradi debeat, nouisse oportet. Vbi Christus audiendus erit, qui ab Apostolis iam discessurus, ait: Sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertio die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam ac remissionem peccatorum. Comprehendit his primò historiam suæ tum passionis tum resurrectionis, ad quam totum incarnationis suæ mysterium referri debet. Simul verò eiusdem vsum duabus partibus, pœnitentia & peccatorum remissione, complectitur, & vtramque in suo nomine prædicari debere ait, eò quod

Actor. 5.

ipse à patre exuscitatus est, vt daret Israeli pœnitentiam & remissionem peccatorum. Est autem pœnitentia conuersio totius hominis ad deum, à quo omnes peccando secessionem feceramus. Qua etsi

Psalm. 51.

nobis omnino opus sit, eandem tamen ex nobis ipsis nunquam præstabimus, quando in peccatis concepti & nati sumus, & proinde illius atrocitatem adeò non agnoscimus, vt potius in illius seruitio voluptatem omnem collocatam putemus. Cœlitus ergo nos innouari oportet, & nouis viribus instrui, quas

Ioan. 3. Philip. 4.

per Christum nobis deus confert, in quo se omnia posse Paulus testatur. At quia conuersio hæc, quoad salutem, inutilis esset, nisi delerentur simul & remitterentur peccata, quibus dei iram iam prouocauimus, in Christo simul peccatorum remissionem deus contulit, quam similiter Euangelium nobis annuntiat. Et quia homines indesinenter tentantur, vt vel peccatis sese totos mancipent, aut in peccatis suis de dei gratia desperent, duo hæc inter docendum semper coniungi, nec vnquã separari debent. Hinc verò patet, qui nam veri Euangelij præcones sint, & quam errent, qui peccatorum redargutionem ad Euangelij doctrinam minus pertinere dicunt, & qui superstitiosas peccatorum expiationes reprehendi nolunt, quibus homines dementati in suis ipsorum viribus atq; meritis quærunt, quæ in vno Christo quærere oportebat.

Tertiò

Euãgelij finis.

Tertiò Euangelij finem, quoad nostrum officium, obseruare conuenit. Est is obedientia fidei, sicuti Paulus admonet Rom.1.& 16. 2.Cor.10. Vt enim in Christo pœnitentiã & remißionem peccatorum prædicat; Ita eidem omnes adducit & consecrat, ut in illo sibi uiuendum & moriendum esse intelligant. Admonet hoc, ut à nobis Euangeliũ recipi debeat. Fides exigitur, qua unum Christum saluatorẽ agnoscamus, & quæ ex hac promanat obedientia. His vniuersa religio & vniuersa uitæ nostræ officia continentur, quæ omnia ad Christi regulã, quæ Euangelio continetur, formari oportet. Parum ergo Euangelici sunt, qui vel in fidei negotio multa Christo coniungunt, per quæ illius merito & gloriæ plurimum decedit: vel vitam suam ita instituunt, vt illos carni potius & diabolo, quàm Christo addictos esse constet.

II. Euangelium Iesu Christi.

Sed ad Marcum redeamus, qui Euangelium vocat Iesu Christi, filij dei. Ita uerò totius negotij Euangelici authorem, dominum, executorem & fundamentum exprimit. Nam tota salutis ratio, quæ Euangelio traditur, in vno Christo continetur, qui traditus fuit propter peccata nostra, & excitatus est propter iustificationem nostri, qui etiam ad dextram dei est, & intercedit pro nobis. Rom.4.8. Facit hoc multum ad Euangelij dignitatem, & nostræ fidei certitudinem, quando illud non aliquem ex hominibus (quorum omnia decreta manca & instabilia sunt) sed dei filiũ authorem habere, constat. Et simul arguuntur, qui salutem vel aliqua ex parte extra Christum monstrant. Hi enim non Euangelium Christi Iesu, sed aliud & Apostolis ipsis incognitum prædicant, & proinde iuxta Pauli sententiam anathema dici merentur. Gal.1.

Christus dei filius.

Obseruabis autem, Christum à Marco disertè dei filium dici. Matthæus Abrahami & Dauidis filium vocat, vt eum esse ostendat, qui olim Abrahamo et Dauidi promissus fuit. At Marcus ipsum salutis fontem propius attingit, & quasi digito monstrat, quando dei filium esse dicit: non quidem adoptiuum, quales nos sumus ex gratia, nec talem qui aliquando esse cœperit, & proinde patre minor sit: sed verum germanum, patriq; coæternum atq; coessentialem. Neq; temere hoc in operis sui initiò annotare voluit. Inde enim constat, illum nos saluare potuisse, quando per ipsum omnia sunt condita. Ipse certè Christus suis ualedicturus, diuinitatis suæ disertã mentionem facit, dicens: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Matth.28. *Ita nimirum fidem suorum confirmans, ne de salute per ipsum parta quicquam dubitarent. Et Ioannes Apostolus à Christi diuinitate Euangelij historiam orditur, & eandem circa epistolæ suæ finẽ, hanc ipsam ob causam diligenter inculcat. Non est ergo, quod illorum deliria audiamus, qui cum Christianismi veri restitutores dici velint, olim sepultam Arij hæresim ex inferis reuocant, & de vera atq; æterna Christi diuinitate dubitare docent. Iidem enim salutis nostræ fundamenta conuellunt, quando ex scripturis constat, vni & soli deo omnem deberi nostræ salutis & redemptionis gloriam. Interim hoc illis etiam confutandis seruit, qui salutem suam proprijs viribus & meritis tribuunt, aut diuis mediatoribus nituntur, quando ne Christus quidem Saluatoris & mediatoris officio potuisset fungi, nisi idem verus & æternus fuisset dei filius.*

III. Euangeliũ per prophetas promissum.

Postremò Euangelici negotij modum & rationem Euangelista edocet, quando illud ita cœpisse ait, sicuti olim à Prophetis prædictum fuerat. Videtur autem ijs occurrere voluisse, qui Christi doctrinam, vt nuperam & nouam auersantur. Quia enim nouitas in religione exosa & inuisa est. Satan iam inde ab initio fidem in Christum hoc nomine apud omnes gentes suspectam facere studuit. Et sanè stupenda videri poterat illius tum astutia tum audacia, qua tale quid contra eam doctrinã conatus est, quam primis parentibus ab ipso deo traditam esse non ignorauit: nisi nota esset infelix mundi corruptio, qua fit, vt vndique rebellionis occasionem arripiant, quibus alioqui graue & intolerabile uidetur, sub dei veri legibus viuere. Poterant hic ea adduci, quæ prophetis olim impij veritatis osores obiecerunt. Sed vnicus Actorum Apostolicorum liber sufficit, qui non gentes modò, verumetiam Iudæos de Apostolis conquestos esse docet, quod noua dogmata seminarent. Quin ipse Christus non semel ad Mosen & prophetas prouocat, eò quod ipsius doctrinam illis repugnare dicerent. Ioan.5. *Vt ergo Marcus semel omnem nouitatis suspicionem tollat, Euangelium Prophetarum oraculis per omnia consentire initio statim profitetur.*

Fides Euangelica omnium vetustißima. Genes.3.

Hic verò obseruandum venit, salutis rationem & fidem, quæ Euangelio traditur, omnium vetustißimam esse. Illius enim summam prima promißio continet, quæ semen mulieris caput serpentis conculcaturum pollicetur. Atqui huic illustrandæ omnes aliæ seruiunt, quas Abrahamo, Isaaco, Ia-

cobo & reliquis patribus deus dedit. Quod si legem spectemus, ipsa quoq; pœnitentiam & peccatorum remissionem tradit, vtramque verò in Christo monstrat, quem omnes legales ceremoniæ quasi in tabula depingunt. Prophetæ non alia habent suarum concionum capita. Adhæc Christi Iesu ortum & natales, progressum, miracula, doctrinam, mortem, resurrectionem, ascensionem. Euangelij denique propagationem, & persecutiones ecclesiæ, omnemq; illius cursum, quem ad finem seculi vsq; habitura est, ex ordine describunt. Et id quidem omne ex spiritus Christi suggestione, sicuti Petrus apostolus monet. Pudeat ergo suæ uanitatis eos, qui Euangelij doctrinam hodie nouitatis insimulant, vetustatis verò nomine venditant superstitiones, quarum authores, initia, progressus & incrementa certis testibus demonstrari possunt. Piorum verò fuerit, contemptis eiusmodi calumnijs, agnitam veritatem constanter tueri, vt tandem superatis huius vitæ molestijs, cum Christo Iesu uiuant, cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

1. Pet. 1.

HOMILIA II.

Ecce ego mitto nuntiũ meum ante faciem tuam, qui præparabit uiam tuam ante te. Vox clamantis in deserto: Parate uiam domini, rectas facite semitas eius.

Euangelij doctrina semper nouitatis insimulatur.

ET si Deus salutis rationem, quæ in filio suo Iesu Christo habetur, ab ipsa mũdi origine per verbum suum multiuariàm tradiderit, & simul typis legalibus adumbrarit: ea tamen est satanæ tum astutia tum audacia, vt hanc ipsam omnibus seculis nouitatis nomine suspectam & exosam fecerit. Nec mirum videri debet, illius calumnias à Iudæis, qui legali iustitia inflati nihil præterea quærebant, & à gentibus veri dei ignaris, admissas fuisse, quando hodie inter Christianos Euangelij doctrina, eo nomine noua & hactenus incognita iudicatur, quòd in vno Christo salutem quærere docet. Causa erroris est, quòd pleriq; neglectis scripturis et sanctorum patrum exemplis, quæ in his describuntur, ad eos duntaxat respiciunt, qui illos proximè præcesserunt, quorum fidem damnari nefas esse ducunt: Huic igitur errori, quem etiam Christi & apostolorum temporibus regnauisse constat, Marcus ab initio statim sui operis occursurus, Euangelij principiũ & progressum talem fuisse ait, qualem olim prophetæ prædixerunt. Quæ verba diligenter tenenda sunt, vt de fidei nostræ vetustate certi, & salutis in Christo securi, illius mysteria in veteris quoq; testamenti libris inuestigare discamus. Vide Ioan. 5. Scrutamini scripturas, &c.

Argumentum præsentis loci.

Cæterum eius quod dixit, confirmationem modò subijcit Marcus, dum prophetarum de euangelici negotij initio oracula allegat. Poterat autem altius petito principio, multis referre, quæ de Christi conceptione, natiuitate, infantia & educatione prophetæ vaticinati sunt: sed omißis ijs, quæ de Ioanne Baptista habentur adducit: eò quòd in illo demum Euangelij doctrina promulgari, & Christus mundo solenniter reuelari cœpit, vt nuper monuimus. Vbi nobis obseruanda venit Dei fides & bonitas erga suam ecclesiam, quam scriptis inutilibus adeò noluit grauare, vt potius filij sui pueritiam, & historiam rerum, quas ille totis penè triginta annis gessit, silentio præteriri voluerit: nimirum pauculis illis contentus, quæ apud Matthæum & Lucam describuntur, in quibus puræ & immaculatæ conceptionis, verè incarnationis, & diuinitatis irrefragabilis argumenta elucent. Quorum cognitio vt necessaria est, ita paucis istis abundè comprehendi potuit. Docent hæc, quid de putidis & futilibus monachorum libris iudices, quos illi de Maria virgine, Christi pueritia & educatione conscripserunt: quibus satan hoc vnum effectum voluit, vt ab ipsis Christiani nominis professoribus totum salutiferæ incarnationis Christi negotium Iudæis & Turcis irridendum propinaretur. Simul illorum quoque temeritas arguitur, qui vel ipsi curiosius ea scrutantur, quæ scriptura reticere voluit, vel ecclesijs immani confidentia ea obtrudunt, quæ ipsi ex suo cerebro sibijpsis finxerunt. Tutißimum sanè fuerit, si scripturæ sacræ traditionibus contenti, intra Christianæ modestiæ metas nostri ingenij curiositatem contineamus.

Deus ecclesiã non grauauit libris inutilibus.

Porrò quoad Marci contextum, ita argumentari videtur. Prophetæ Meßiam siue Christum præcursore usurum tradidère, qui uiam illi præparet. At præcursor eiusmodi Ioannes Baptista fuit

fuit primus Christi iam incarnati preco. Ergo Euangelij Christi initium cum prophetarum oraculis conuenit. Duo autem allegat, quorum alterum ex Malachiæ tertio, alterum ex Esaiæ 40. cap. desumptum est. At operæpretium fuerit, singula diligentius excutere.

Malachiam post reditum è Babylone prophetasse constat, quando inter Iudæos, diuturna captiuitate quicquam castigatos, summa erat tum in politicis tum in ecclesiasticis rebus corruptio. Nec tamen deerant boni aliquot, qui restitutionem in Christo futuram auidè expectabant. Eiusdem aduentum non minus in ore habebant hypocritæ, & inter hos ij potissimùm penes quos erat religionis & cultus externi administratio. Vtrisq; ergo per prophetam respondet dominus, & se Meßiam quidem certò missurũ pollicetur, eundem uerò longè alium fore prædicit, quàm impij hypocritæ sibijpsis falsò persuadeant. Verba apud prophetam hæc sunt: Ecce ego mitto nuntium meum, & complanabit uiam ante me, uenietq; repentè ad templum sanctum suum dominus, quem uos quæritis, & angelus fœderis, quem uos desyderatis. Ecce uenit, dicit dominus exercituum. Et quis sustinebit diem aduentus eius? & quis, cùm ille apparuerit, consistet? Est enim quasi ignis excoquens, & quasi smigma fullonum. Sedebit sicut conflator & repurgator argenti, & filios Leui emundabit. Conueniunt hæc ijs rectißimè, quæ de Christo ab Euangelistis traduntur. Præceßit enim huius aduentum Ioannes Baptista, qui pœnitentiæ doctrina hominum mentes ad illum excipiendum præparauit, & eosdem baptismo tinctos huic nomina dare coegit. Secutus est illum Christus repentè quando nimirum rebus populi Iudaici afflictißimis uix pauculi aliquot tantã salutem sperare auderent. Venit autem in templum suum, ipsam scilicet Ecclesiam, cuius nomen tunc temporis penes solos Iudæos erat. Huius uerò reformandæ munus ex patris decreto aggressus, Leuitas & sacerdotes, qui religionem quæstum fecerant, eiecit, & incorrigibiles sui iudicij igne per Romanos tandem excidit, & in eorum locum Apostolos substituit uirosq; apostolicos, qui per Euangelij prædicationem Ecclesiam nouam ex omnibus gentibus collegerunt, & ita domino templum extruxerunt, cuius splendor & magnificentia Iudaicum illud longè exuperat. Hic uerborum Malachiæ sensus est, qui quàm aptè Marci instituto, & ipsius Ioannis ministerio seruiat, quiuis facilè intelliget. Et sanè hùc mihi Baptista respexisse uidetur, quando in sacerdotum & scribarum ordinem imminentis iudicij denuntiatione potißimùm inuehitur.

Locus Malach. 3. excutitur.

Sed Isaiæ quoq; locum uideamus. Orditur ille cap. 40. nouam concionem, qua eos, qui in Babylonem abducendi erant, consolatur, & ne omnem ueterum promissionũ spem abijcerent, prædicit fore, ut liberati in patriam redeant, & urbẽ cum templo feliciter instaurent. At quia liberatio illa, eius typum gessit, quam in Christo habemus, quæcunq; de illa dicuntur, ad Christi & nostræ redemptionis negotium referri debent. Vt enim Iudæi propter scelera sua in Babyloniorum manus traditi, & eò demersi fuerunt, unde suis uiribus & consilijs eluctari ipsis impoßibile fuit: Ita propter primi parentis transgreßionem, & quæ inde in omnes posteros manauit peccati noxam, deus uniuersum mortalium genus in diaboli potestatem tradidit, qui illud tum peccati tum mortis & inferorum uinculis ita constrinxerat, ut illis soluendis nulla hominum consilia, nullæ uires, nulla opera aut merita sufficerent. Vt uerò Iudæis, cùm nulla illorum merita interceßissent, propter promissum Saluatorem, qui ex illis nasciturus erat, ex mera gratia libertas obtigit: Ita cœlestis pater humani generis misertus, infelicem illam captiuitatem per Christum gratuitò soluit, nosq; euerso per hunc satanæ regno in libertatem filiorum suorum asseruit. Et ut populi è Babylone dimißi reditum nec inuia deserta, nec improbi hostes impediri potuerunt: Ita quia humani generis redemptionem æterno suo consilio deus detreuerat, eidem uniuersam tum mundi tum principis illius, diaboli, potentiam cedere, & remoras omnes è medio tolli oportuit. Quoad uerba autem, quæ à Marco citantur, Isaias ad terræ Iudaicæ in ruinis iacentis & itinerum è Babylone uastitatem alludens, præambulones siue præcursores fingit, qui in deserto uiam complanari & omnia præparari curent, ut redeunti populo tucior sit & facilior ad suas sedes accessus. Ita uerò ait: Vox clamantis in deserto: Parate uiam domini, in solitudine rectas facite semitas deo nostro. Omnis uallis exaltetur, omnis mons & collis humilietur, & fiant quæ obliqua sunt, directa, & aspera uertantur in uias planas, & reuelabitur gloria domini, &c. Quæ uerba propter typum (quem modò exposuimus) Marcus commodißimè ad Ioannis ministerium transfert, qui (ne quid dissonare uideretur) in deserto Iudææ ijsdem propè uer-

Locus Isa. 40. excutitur.

bis populi Iudaici ordines omnes exhortatus est, ut Christo aduentanti uiam & locum in cordibus suis præpararent.

I. Euangeliũ præparationem totius hominis requirit.

Restat, ut verborum expositioni locos, qui ad nostram institutionem pertinentes his continentur, inspiciamus. Vbi primùm occurrit, quòd Euangelij siue regni sui administrationẽ Christus ab Ioannis ministerio inchoare, & illo præcursore & præparatore uti uoluit. Admonemur itaq;, ijs legitima præparatione opus esse, qui Christi & salutis, quam ille nobis acquisiuit, consortes esse voluerint. Vt enim principes per deserta & inuia loca proficisci nolunt, nisi præmissis ante uiarum structoribus, quorum ministerio quæuis necessaria in ipsorum aduentum præparentur: Ita Christus Iesus, quem deus pater super montem suum sanctum, Zion, regem constituit, nec ad nos peruenire, nec in nobis habitare uolet, nisi animos nostros ritè præparatos esse videat. Si enim quales in peccatis concipiamur & nascamur videas, planè indignos reperies in quibus Christus habitet, aut quos pro membris & consortibus suis agnoscat. Et qui malorum colophon est, eam in carne nostra circumgestamus totius nostræ naturæ corruptionem, ut nec seruitutis peccati acerbum & exitiale onus sentiamus, nec nos aliquo saluatore putemus opus habere. Vt ergo medicina in affecto corpore locum habere nequit, donec superflui & noxij humores expurgati fuerint: Ita nec salutare illud Euangelij Iesu Christi pharmacum nobis conueniet, nisi prius repurgati & animis totis præparati fuerimus. Ideò Christus Nicodemo salutis & fidei uera rudimenta traditurus, à regeneratione orditur, & hominem, nisi illa præcedat, regnum dei videre non posse testatur. Et discipulos Euangelij prædicationem à pœnitentiæ doctrina incipere iubet. Multùm ergo falluntur, qui in Euangelio securam peccandi licentiam quærunt.

Psal. 2. Ioan. 3. Luc. 24.

II. Præparatio Euangelica in quibus versetur. Isaiæ 55. Ioan. 7. Matth. 11. 9. Lucæ 3.

Porrò, in quibus Præparatio hæc consistat, uidendum erit. Primùm ardens salutis desyderium exigitur, quale Dauid sensit, quando se ceruo ob aquarum fontes rugienti confert. Psal. 42. Nisi enim sancta hæc sitis in nobis quoque ardeat, salutem quæ in Christo per Euangelium propinatur, nunquam ea, qua decet, animorum gratitudine amplexabimur. Ideo Christus sitientes & esurientes ad sese inuitat, eos item, qui nimio peccatorum pondere pressi in conscientijs suis laborant. Idem se ægrotantibus medicum uenisse ait, eos intelligens, qui ingenitam naturæ suæ corruptionem agnoscunt, & illius sensu excitati, medicum & medicinam expetunt. Secundo loco, ea remoueantur oportet, quæcunq; dei oculos offendere possunt. Quò cumprimis facit Isaiæ locus, quem & Lucas integrum posuit, eò quòd eleganti allegoria comprehendit, quicquid hic dici potest. Per valles enim & colles siue montes, per obliquas item uias & asperas, varia & diuersa hominum ingenia, & uiuendi rationes cum diuinæ uoluntatis regula pugnantes, intelligit. Vallium ergo nomine desperabundos exprimit, qui metu & peccatorum conscientia quasi absorbentur, & ut valles imæ dehiscunt. Hi per bona voluntatis dei & gratiæ denunciationem erigi debent, vt sibi ueniæ & remissionis locum apud deum esse intelligant. Per colles & montes, eos intellige, quos vel huius seculi fortuna, vel suæ iustitiæ insolens fiducia affert, vt sibi gratuita iustificatione & salute minimè opus esse existiment. Qui nisi diuinæ maiestatis & iudicij prædicatione humilientur, frustra illis Christum & cœlestes uitæ thesauros prædicaueris. Incurui & obliqui sunt, qui animos diuersis affectibus & infinitis errorum ambagibus perplexos & distortos habent. Quos iuxta verbi diuini regulam extendi oportet, & dirigi. Sunt item asperi, siue duri & intractabiles, qui omnem disciplinam fastidiunt, & proinde Christi capaces non sunt, nisi posita animorum duritie, ceruices suas iugo ipsius patienter submittant. Horum verò omnium finis sit, dei gloria, quæ in Christo verè manifestata est, quando nimirum deuicto huius mundi principe, sui nominis maiestatem asseruit. At cùm in his consistat Christiana præparatio, næ illi turpiter errant, qui cùm Euangelici dici & haberi velint, nunquam de expurgandis superstitionibus aut emendanda morum disciplina cogitant: quin etiam indignè ferunt, si quis Christi zelo inflammatus ea demoliri aut corrigere instituat, quæ & nostræ saluti, & gloriæ dei palàm officiunt.

III. Deus hominũ ministerio utitur.

Postremò obseruabis, quòd ad præparationem hanc Christus Ioanne ministro vti voluit. Atqui poterat ipse subitò nouas mentes creare, poterat à peccandi studio per occultam spiritus suggestionem abstrahere, & ardens in omnium animis incendere salutis desyderium. Sed ut nostræ infirmitati sese accommodet, hominum ministerio utitur. Quem morem iam inde ex quo

in Israele

in Israele ecclesiam constituit, ab illo obseruatum esse constat. Et in nouo Testamento nihil quoad externi ministerij ordinem & vsum mutatum est. Quin Paulus, Christum spiritus sui dona inter homines largiri, & illum ecclesiæ suæ pastores, Apostolos, doctores & Euangelistas dare scribit. Arguit hoc illorum deliria, qui verbi ministerium, ceu superuacaneum fastidiunt, & conciones sacras aspernantur. Fingunt illi quidem internum quoddam verbum & occultam spiritus suggestionem. Sed à spiritu dei alienissimos esse, uel hoc solo argumento colligi potest, quòd dei ordinationem insolenti fastidio explodunt. Ephes. 4.

Interim hoc loco, quæ nam sit ministrorum verbi conditio, elucet. Ioannes dei nuncius siue legatus dicitur. Et Christus eodem nomine suos discipulos ornauit, quos Euangelij prædicationi destinarat. Apostoli enim vox Græca, Latinis legatum sonat. Nominis huius ratio est, quòd per hos suam voluntatem deus mundo denunciat. Quò Paulus respexit, quando de ministrorum Euangelij functione loquens, inter alia inquit: Itaque nomine Christi legatione fungimur, &c. Nec est quòd legati nomen solis Apostolis conuenire putemus. Quia enim eiusdem doctrinæ cum illis ministri sunt qui hodie Euangelium prædicant, & Verbi sui ministerium Christus in ecclesia perpetuum esse vult, idem quoq; nomen retineri debet. Vt enim hoc ministris apud auditores authoritatem conciliat, ita illos ipsos officij admonet, ne vel perfidè cælent quod à deo in mandatis habent, vel aliquid de suo impia temeritate affingant. Deinde vox clamantis, siue clamans, Ioannes dicitur. Et deus verbi sui ministros clamare vult, id est, disertè & liberè prædicare quod illis mandatum est. Sic Isaiæ dicitur: Clama ex gutture, ne cesses, exalta instar tubæ uocem tuam, &c. In quam sententiam Apostolis Christus dicit: Quod dico uobis in tenebris, dicite in luce: & quod in aurem auditis, prædicate in tectis. Quibus omnibus diserta & perspicua dicendi libertas præcipitur: qua cumprimis opus est, tum quia mundi & carnis illecebris sopiti, vix dum ad nos pertinere putamus, quæ uel de cœlestis regni gaudio, vel peccatorum atrocitate dicuntur: tum quia peccatum altius in animis & carne nostra radices egit, quàm vt facilè euelli queat. Hinc est, quòd Baptista de Christo testificans, clamauisse dicitur. Et idem clamat quando singulis ordinibus sua officia disertè præscribit, & in peccata sic inuehitur, vt nec sacerdotibus nec Herodi parcat. Ita Christum & Apostolos clamauisse, id est, ingenuè & liberè prædicauisse legimus. Obseruent hæc quæso, qui ministros hodie hoc nomine infamant, quòd clamosos esse dicunt. Atqui canes muti dicuntur pseudoprophetæ. Meminerint tamen ministri, clamandum omnino esse, tum quia sic Dominus iubet, tum quia hoc extrema mundi corruptio postulat, quæ tanta est, vt si vel vndiq; ad arma & pugnam spiritualem conclametur, vix tamen pauculi sint, qui sese excitari patiantur. Cæterum totius functionis suæ hunc finem sibi propositum habeant ministri, vt dei gloria reueletur & propagetur. Fiet hoc, si quàm plurimos salutifera Christi cognitione illuminarint. Qui id facere negligunt, & suam modò gloriam quærunt, ij nec fide præditi sunt (sicuti Christus de Iudæorum scribis ait) nec unquam quod quærunt assequentur, imò infames tandem & inglorij neglectæ dei gloriæ pœnas exoluent, quod Eli sacerdoti euenturum propheta minatus est, & euenisse sacra historia testatur. Nostrum fuerit, dei bonitatem agnoscere, qui & salutis verbum indignis nobis offert, & vt illius capaces simus nos præparat. Accommodemus nos illius gratiæ, vt sub ipsius vmbra tutò degere possimus, & olim æternum viuamus cum Christo Iesu, cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Ministrorum Verbi conditio & officium.

1 2. Cor. 5.

2 Isa. 58. Matth. 10.

Ioan. 1. Luca 3.

Isaiæ 56.

3 Ioan. 5. 1. Sam. 2. 3. 4.

HOMILIA. III.

Baptizabat Ioannes in deserto, & prædicabat baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.

EXposuit diuus Marcus, Ioannem diuinitus prædestinatum fuisse, vt filij dei redemptoris nostri præcursor esset, & pœnitentiæ doctrina quosuis ad illum excipiendum præpararet. His in præsenti subijcit, vt ille suo officio sit functus. Estq; tota hæc tractatio memorabilis planè, & digna in cuius consyderatione diligenter versemur, ne carnis & mundi blanditijs decepti, E-

Argumentum præsentis loci, & usus.

uangelio ad effrenem peccandi licentiam abutamur, sicuti hodie vulgò fieri uidemus. Quia enim per hoc humanæ iustitiæ meritum euertitur, & gratuita in solo Christo docetur humani generis redemptio atque salus: facilè inueniuntur, qui doctrinam illam inimicam bonorum operum esse clamant, & ut suas calumnias tueantur, pseudoeuangelicorum corruptos mores nobis exprobrant. At calumnijs hisce & scandalis præsens remedium afferet, si Ioannis ministerium probè expendamus. Quorsum enim præcursorem præmitti oportuit, qui uias hominum complanaret, & singulorum mentes præpararet, si Christus, ut peccandi licentiam nobis faceret, in mundum uenerat? Nec est quòd fucatos Christianæ fidei professores nobis obijciant, quando homines pro ingenita sua corruptione alijs quoq; Dei donis, vtcunq; sanctis & saluberrimis, ad suam ipsorum perniciem turpißimè abutuntur. Sed omißis istis, præsentem locum inspiciamus, qui fidelißimi ministri Christi exemplum continet.

In deserto Ioannes baptizauit. Isa: 40.

Mundus instar deserti est.

Baptizabat (inquit) Ioannes in deserto, & prædicabat baptismum pœnitentiæ in remißionem peccatorum. Paucis uerbis rem maximam comprehendit: Nec temere loci circumstantia tam disertè exprimitur. Vt enim hæc Isaiæ oraculo pulchrè conuenit, ita quæ sub Christi aduentum totius mundi conditio fuerit, admonet. Deserta non modò sterilitate laborant, verumetiam inuia & perplexa, adhæc omnis generis periculorum plena sunt. Eadem planè est omnium hominum conditio, si quales ex Adamo nascamur, considyderes. Adeò enim non habitat in carne nostra bonum, vt ex nobis ipsis ne cogitare quidem poßimus quæ ad salutem nostram faciunt. Et quia homo animalis non percipit ea quæ sunt spiritus dei, infinitis errorum ambagibus nos ipsos intricamus, si quando de religione & salutis causa aliquid ex nobis ipsis statuimus. Accedunt his corrupti carnis affectus, quos secuti instar ouium erramus. Atque in isto corruptißimo statu, pericula paßim occurrunt. Nam vt ea quæ corporibus ex maledictione Dei imminent, omittamus, animarum salus undique hostilibus armis oppugnatur. Vt leo rugiens communis hostis, diabolus, obambulat, & quærit quem deuoret. Huic sponte manus tradit & contra nos ipsos opem fert Caro, cuius figmenta ab ineunte ætate praua sunt. Insurgit mundus, qui modò oculorum fastu & mellitis illecebris, atq; vulpina astutia, modò horribilibus minis & armis à salutis uia incautos & malè firmos abducit. Horũ omnium nos admonere uoluit spiritus sanctus, quando Ioannes iuxta prophetarum oracula Christo uiam in deserto præparare debuit.

Rom. 7. 2. Cor. 3. 1. Cor. 2. Rom. 1. Isa. 53. Gene. 3. 1. Pet. 5. Gene. 8. Galat. 5.

Bonitatis diuinæ argumentũ.

At magnam diuinæ bonitatis argumentum est, quòd in tam horribile desertum dei filius venire, & illud salutifero sui verbi simul & sanguinis fonte rigare, & in eodem errores omnes tollere, virtutis atq; salutis viam aperire, & per hoc ambulantes spiritalibus armis aduersus propriam carnem, mundum & mundi principem instruere debuit. Sunt tamen huius peculiaria exempla, in quibus illa luculentius cernitur: ut si eos populos inspicias, quibus Christus primis innotescere uoluit. Quàm enim horribile desertum Iudæam fuisse putabimus, quando Hierosolyma ipsa prophetarum sanguine maduit, & ipsum Domini templum latronum spelunca fuit? De gentibus quid dicere attinet, quando totas à deo alienatas & potestati tenebrarum subiectas fuisse scriptura docet? Nostro autem tempore quàm vastum plenumq; periculi desertum totus mundus fuerit, omnes norunt, qui inter horribiles superstitionum omnis generis tenebras oberrando, simul lupos, leones, harpyas, vulpesq; dolosus (personatos nimirum episcopos, monachos & sacrificos) suis fortunis & corporibus explere coacti fuerunt. Venit tamen ad nos quoq; Christus, vt Euangelij sui luce tristem hanc mundi senectam recrearet. Quòd si in semetipsos singuli descẽdant, & quales vel priuatim vel publicè fuerint consyderent, quando Euangelij lucerna deus ipsos inuisere dignatus est, perspicua huius gratiæ argumenta deprehendent, & verum esse fatebuntur illud Pauli: Vbi abundauit iniquitas, ibidem abundauit gratia. Nostrum fuerit, deo gratitudinis officium præstare, ne tantis bonis aliquando miserè excidamus.

Matth. 23. & 21. Ephes. 2. Col. 1. &c. Rom. 1.

Ioannes baptizat & prædicat. Marc. 16.

Sed redeamus ad Ioannem. Baptizauit ille, & prædicauit baptismũ pœnitentiæ, &c. Poterant ex verborum contextu Anabaptistæ confutari, qui neminem baptizandum esse contendunt, nisi qui prius credat, & fidem confiteatur, eò quòd alibi dicat Christus: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluabitur. Inde uerbi prædicationem & fidem, quæ ex verbi auditu oritur, necessariò præcedere debere contendunt, & eadem ratione infantibus baptismum negant. Atqui hoc loco baptismus verbi prædicationem præcedit. At omißis argutijs, loci sensum potius excutiamus. Ioannis ministerium

tiam Marcus exponere instituit. Quare communi Hebræorum more summam totius negotij præmittit, quam mox per suas partes explicat. Itaque baptizandi verbo vniuersum Ioannis ministerium complectitur, in quo baptismus peculiare quid & proprium fuit, adeò vt ex eo Baptistæ nomen acceperit. Expositionis loco subijcitur, quod prædicarit baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Dicitur autem baptismus pœnitentiæ, eò quòd vitæ emendationem ab ijs requireret, qui Baptismus pœnitentiæ.
Christo initiari volebant. Et in peccatorum remissionem conferebatur, non quòd illa vel baptismo connexa esset, vel nostræ pœnitentiæ meritum sequeretur: sed quia Christum Ioannes monstrabat, qui & ad veram pœnitentiam regenerat, & in se credentibus gratuitam peccatorum remissionem confert. Quotquot autem doctrinam hanc admittebant, eos per baptismum externè etiam Christo consecrabat. Ioannis igitur ministerio duo hæc tribuuntur, doctrina nimirum & Baptismus. Doctrinæ partes itidem duæ sunt, Pœnitentia & remissio peccatorum. Vt verò illas prædicarit, alij fusius tradiderunt, Lucas cumprimis & Ioannes, quorum ille quidem quæ singulis hominum ordinibus officia Luc. 3.
præscripserit, narrat: hic verò non pauca ipsius de Christo testimonia ex ordine recenset. Vtranq; Ioan. 1. & 3.
certè in vno Christo monstrauit, quem solum igne & spiritu baptizare, & agnum illum Dei esse testatus est, qui mundi peccatum tollat. Quare euangelium Ioannes prædicauit, cuius hasce partes ab ipso Christo constitui, in prima Homilia diximus, & quod ipsum alibi quoq; totum pœnitentiæ vocabulo comprehenditur. Ita enim in Actis discipuli dicunt: Igitur & gentibus Deus pœnitentiam Acto. 11.
concessit ad vitam. Quibus verbis Euangelium gentibus quoq; ex Dei beneficio innotuisse sentiunt. Et Paulus, se Iudæis simul & gentibus testificatũ fuisse dicit, eam quæ erga Deum est, pœnitentiam Acto. 20.
& fidem. Non est ergo, quòd Ioannis doctrinam, à Christi & Apostolorum doctrina aliam fuisse putemus, quando ipse Christus illi regni Dei prædicationem tribuit. Luc. 16.

Poterãt hic doctrinæ Euangelicæ partes pluribus explicari, sed quia de ijs nuper quædam dicta sunt, & de ijsdem dicendi nunquam non sese occasio offert, in præsenti de duobus tantùm agemus, quæ ad huius loci tractationem propriè faciunt.

Primum est, quæ sit ministerij ecclesiastici ratio. Quia enim Ioannes primus noui Testamenti Ministerij ecclesiastici ratio & partes.
minister est, in eodem haud dubiè absolutam ministerij formulam spiritus sanctus proposuit, quæ doceat, quibus rebus ecclesiæ opus sit. Atqui Ioannes prædicauisse & baptizauisse dicitur. Ad baptismum quæcunque sunt eius generis externi ritus siue Symbola referri debent, quæ veteres olim Sacramenta dixerunt. Circa doctrinam ergo & Sacramenta ecclesiæ ministerium uersatur. Doctrina Doctrina.
Dei promissiones, salutis rationem & vitæ Christianæ officia, quæq; ex his ducuntur institutiones, admonitiones, adhortationes, correptiones, & consolationes continet. Huic verò Sacramenta iungit Sacramenta.
Deus, quæ sacræ actiones sunt, quibus sua promissa nobis Deus obsignat, & totum salutis negotium externis quoq; sensibus exponit, nosq; nostri officij admonet. Coniunguntur hæc doctrinæ, eò quòd caro nostra & infirmior & tardior est, quam ut salutis promissiones & Christi mysteria suæ rationis intellectu apprehendere, aut fideliter retinere possit, si nuda & qualia in sese sunt proponantur. Vnde olim D. Chrysostomus scribebat: Si tu incorporeus esses, nuda tibi tradidisset hæc omnia dona: Homil. in
quia autem corpori coniuncta est anima tua, in rebus sensibilibus, ea quæ mente percipiuntur, tradidit, &c. Neque in nouo Testamento demum hoc cœpit, sed ab ipsa rerum origine verbi doctrinam Matth. 83.
cum sacramentis Deus cõiunxit. Adamum certè vtroq; instruxit, quando ab illo obedientiam postulauit, simul verò arbores scientiæ & vitæ proposuit, circa quas obedientiæ studium exerceret. Lapsis Gene. 2.
autem primis parentibus salutis doctrinam verbo tradidit, & ijsdem sacramenta nõ defuisse, Caini Gene. 4.
& Abelis sacrificia satis testantur, quæ illos non absque diuina traditione immolauisse credimus. Quòd si ad Abrahamum & illius progeniem transeas, manifestior res est, quàm vt multis euinci Gene. 17.
mereatur. Et in nouo Testamento vtraq; hæc Christus quoq; coniunxit, quando Euangelij doctrinã Baptisma & Cœna mystica obsignari voluit. Quorum consyderatio nos officij multiuariam admonet. Agnoscere enim debemus hanc Dei bonitatem, nec pro superuacaneis fastidire, quæ ille nobis tradidit. Vt enim qui ex Deo nati sunt, Dei verbum audiunt: Ita verbi et promissionum Dei sigilla Ioan. 8.
religiosè exosculari solent, per quæ omnes sensus in iucundissimam fidei contemplationem excitari sentiunt. Præterea, quia & doctrinæ & sacramentorum formula in scripturis exprimitur, nemo tantũ sibi iuris uendicet, vt in illis quicquam vel mutare, vel auferre, vel addere ausit. Paulus enim Gal. 1.

anathema eos esse dicit, qui aliud euangelium prædicant. Et quàm displiceat deo temerarius sacramentorum abusus & inordinaria administratio, non pauca tum ueteris tum noui Testamenti exempla docent. In quorum consyderatione si hodie diligentius uersaremur. doctrinam verbi procul dubio puriorem haberent ecclesiæ, & rariores essent de sacramentis concertationes, quibus iam annis aliquot ecclesiæ magno cum scandalo commissæ sunt.

II. Baptismi ratio. Alterum est, ut de Baptismo dicamus, cuius ratio omnibus qui per hunc Christo consecrati sunt, notissima esse debet. Dicemus autem non quæcunque hic afferri poterant, sed potissima tantum capita perstringemus. Quid nimirum sit Baptismus, quis ritus & ordo, qui baptizari debeant, quisque baptismi proprius usus sit.

1. Baptismus quid. Matth. 28. Tit. 3. Ioannes baptismum pœnitentiæ prædicauisse dicitur in remissionem peccatorum. Et Christus Euangelij ministerium Apostolis commendans, ait: Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomen patris, & filij, & spiritus sancti. Paulus item baptismum lauacrum regenerationis uocauit. Potest ex his plena & absoluta definitio colligi, quæ talis erit: Baptismus est actio sacra, diuinitus instituta, qua in ecclesiæ album publicè inscribimur, & qua Christus beneficium nostræ purgationis & regenerationis, remissionē item peccatorum, externo symbolo obsignat, nosque nostræ conditionis simul & officij admonet. Comprehendit definitio hæc quæcunque de Baptismo ad nostram institutionem verè & necessariò dici possunt.

2. Baptismus à deo institutus. Ioan. 1. Diuinitus institutum dicimus Baptismum, eò quod Ioannes, cuius ministerio primùm inductus est, dei uocationem habuit. Et ipse se ad baptizandū missum esse testatur. Nec credibile est, Christum ab Ioanne baptizari uoluisse, si baptismus absque dei mandato fuisset institutus.

3. Baptismi ritus. Ioan. 1. 3. Acto. 8. 10. 16. In ritu autem baptismi materia & forma consyderanda venit. Materia, aqua est, & quidem communi Ioannem & Apostolos usos fuisse constat. Formam Christus tradit, quando baptizari iubet in nomen patris, filij & spiritus sancti. Nec obstat, quod Apostoli alicubi simpliciter in nomen domini Iesu baptizauisse dicuntur. Tunc enim non de baptismi forma, sed fine & scopo agitur, ad quem illi respexerunt: nimirum vt homines Christo consecrarent. Quoties uerò cum adultis egerunt, doctrinā præmittere soliti sunt. Et Christum, interea dum baptizaretur, orauisse legimus. Constat

Matth. 3. ergo perfectus baptismi ritus prædicatione verbi dei, precibus, & aquæ aspersione, iuxta formam à Christo traditam. Arguit hoc Papistas, qui sputum, salem, oleum, exorcismos & multa alia præter Christi institutionem addiderunt. Simul & pseudoeuangelicos confutat, qui nec Dei verbo, nec precibus intenti, ambitione, fastu & ebrijs comessationibus baptismum impiè prophanant.

4. Qui baptizari debeant. Qui verò baptizandi sint, ex definitione facilè patet. Quia enim symbolum est siue sacramentū, per quod Christo & ecclesiæ nomen damus, ad omnes utique pertinet, qui ecclesiæ Christi membra censentur. Deinde, quia per hunc sua beneficia nobis Christus obsignat, baptizari debent quotquot Christi & beneficiorum ipsius consortes sunt. Tales uerò dicimus non adultos modò, qui dei verbum audiunt, & fidem profitentur, verumetiam eorundem infantes, ad quos regnum dei & Christi meritum pertinere tota scriptura docet. Abrahamo certè dicitur: Ero deus tuus & seminis tui. Qua

Gene. 17. causa est, quòd in veteri Testamento infantes deus circūcidi, & in suæ ecclesiæ consortium cooptari

Marc. 10. uoluit. Et Christus paruulos regni cœlorum hæredes esse testatur. Pudendus ergo est Anabaptistarum error, qui infantibus baptismum negant, eò quòd fidem profiteri nō possint. Quod enim ad solos adultos restringi debebat, illi ad infantes quoque extendunt. Quòd si uerò literam uerborum Christi (Quicunque crediderit & baptizatus fuerit, &c.) vrgere volunt, quid obsecro respondebunt, si Christum illic loci solius fidei mentionem facere, nec quicquam de illius professione adijcere dicamus? Ex illorum ergo verbis & Christi ore ita argumentabimur: Quicunque credunt, baptizari debent. Infantes verò credere in Christum, ipse disertis verbis testatur, vbi dicit: Qui offenderit vnum ex pusillis

Matth. 18. istis, qui in me credunt, &c. Ergo infantes baptismo tingi debent. Num verò minorem negabunt, & Christum mendacij arguent, eò quòd ipsi videre nequeunt, quæ nam sit fidei in infantibus ratio? Quid

1. Cor. 7. item Paulo respondebunt, qui infantes ex impari coniugio natos, propter alterutrum parentem Christianum sanctos esse scribit? At absque fide aliquem sanctum esse impossibile est, quando ex solo Christo sanctitas omnis manat, cui non aliter quàm per fidem inseri possumus. Quid, quòd idem

1. Cor. 10. Paulus veteres omnes in nube & mari baptizatos fuisse testatur? At quot milia infantum in tanta multi-

[illegible] fuisse putabimus, qui omnes baptismi typo comprehensi fuerunt? Quae ergò audacia est, deteriorem fingere eorum conditionem, qui sub nouo Testamento nascuntur, cum huius tempore uberiorem suae gratiae reuelationem Deus esse voluerit?

Usum & effectus baptismi ipsa etiam definitione comprehendimus. Vbi primum locum obtinet, quod in ecclesiae gremium recepti Christo nomen damus, vtpote sub Crucis signo aduersus satanam militaturi. Facit hoc ad fidei confessionem, qua Deus omnibus seculis suam ecclesiam à prophanis gentibus segregatam esse voluit. Deinde obsignatur nobis vniuersa nostrae redemptionis ratio, vt nobis tam certò constet animas nostras Christi sanguine purificatas, & eiusdem spiritu & verbo regeneratas esse, quàm certum est corpora nostra huius sacri fontis aqua tincta & aspersa esse. Baptismum ergo non minus, quam Paulus olim Circumcisionem, sigillum iustitiae fidei dicere possumus. Praeterea conditionis nostrae admonemur, quòd nimirum in peccatis concepti & nati, ablutione & purificatione opus habeamus. Quam vt in Christo nobis baptismus monstrat: Ita officij quoque admonet, quod in carnis nostrae mortificatione, spiritus innouatione, innocẽtiae & charitatis studio potissimum [illegible]. Vide Roman. 6. Gal. 3. &c. Horum itaq; memores, fidem Christo datam constanter [illegible], vt illius auspicijs huius vitae labores emensi, tandem cum illo viuamus in cœlis, cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in aeternum. Amen.

5. Baptismi finis, effectus & usus.
Ephes. 6.
Psal. 51.
Rom. 4.

HOMILIA IIII.

Et egrediebantur ad eum tota Iudaea regio & Hierosolymitae, & baptizabantur omnes ab illo in Iordane flumine, cõfitentes peccata sua.

Sicuti Deus salutis nostrae rationem nobis per Verbum & sacramenta offert: ita nos ijsdem rectè & legitimè vti vult. Nec desunt exempla, quibus docemur, quàm grauiter omnibus seculis in eos animaduerterit, qui vel verbum contemnere ausi sunt, vel sacramenta irreligiosius contrectarũt. Commodè ergò Marcus, postquam Ioannis ministerium exposuit, in praesenti, vt illum populus exceperit, docet. Ita enim exemplum proponit, in cuius imitatione nobis sedulò uersandũ est, si quando [illegible] nobis quoq; Deus annunciat, &c.

Argumentum & usus loci praesentis.

Egrediebantur (inquit) ad eum tota Iudaea regio, & Hierosolymitae, &c. Exprimit his ardens populi studium, cuius procul dubiò causae variae fuerunt. Alios enim serio salutis desyderio excitatos fuisse ex ijs constat, quae apud Lucam & Ioannem leguntur. Alios rursum curiositas & rerum nouarum studium excitauit, quorum ardor incertus fuit & inconstans. Et in Ioanne quaedam concurrebant, quae multos, vt illum audire & videre cuperent, excitare potuerunt. Prophetis enim ab instaurati templi temporibus per annos circiter quingentos caruerant, ita nimirum verbi sui contemptum [illegible] iusto domino, qui alibi famem hanc verbi sui minatus fuerat. Iam ergo ad Ioannem, quem prophetam esse suspicantur, maiori studio excurrunt. Deinde doctrinae genus nouum erat & insolitum, quando deo viam praeparabat, & regnum illud dei iam prae foribus esse docebat, quod prophetae diu praedixerant, quorum doctrina ob humanas traditiones omnibus ferè erat incognita. Accedebat huius vitae austeritas, quae multos adductos fuisse credibile est, vt doctorem hunc audire vellent. Porrò omnibus his deus ad excitandas hominum mentes vti voluit, vt electos suos in veritatis cognitionem perduceret, reliquos verò, qui oblatam salutis doctrinam aspernabãtur, faceret inexcusabiles. Nobis verò, priusquam populi exemplum inspiciamus, duo hic obseruanda veniunt.

Cur ad Ioãnem egressi sint.
Luc. 3.
Ioan. 1.
Amos 7.

Primum, quod ingentem hominum turbam ad Ioannem excurrisse, & ab eodem baptizatos esse audimus. Admonet hoc, Euangelij doctrinam nunquam absq; fructu praedicari, etsi in mundo hoc [illegible] sint. Habet enim ubique locorum aliquos ex suis deus, quorum mentes illustrat & efficit, vt pastoris veri vocem agnoscant & sequantur. Et licet inter seminandum aliud quidem cadat in viam & à volucribus deuoretur, aliud inter spinas praefocetur, aliud inter saxa [illegible] possit, est tamen semper quod bonam terram inuenit, in qua fructum fert uberrimum. Pertinet huc Isaiae locus, in quo deus hoc ipsum eleganti parabola explicat, cum ait: Perinde vt imber & niuis de cœlo descendit, & illò non redit, sed irrigat terram, & parere atque germinare

Euangelium nunquam frustra praedicatur.
Ioan. 10.
Matth. 13.
Luc. 8.
Isa. 55.

praegnan.

eam facit, vt det serenti semen, & panem ad edendum: Ita erit verbum meum, quod exit de ore meo, non redibit ad me vacuũ, sed faciet quæcunq; volo, & prosperabitur in his, ad quæ misi illud. Exempla huius generis in scripturis passim occurrunt. Elias certè docendo plus quàm ipse sperare auderet profecit, quando septem millia audit esse in Israele, qui genu Baali non flexerint. Idem de corruptissimo Ieremiæ seculo dicemus, si Danielem & reliquos inspiciamus, quorũ opera verus dei cultus per totum Orientem postea propagatus fuit. Sed stupendũ est quod hic proponitur, si qualis tunc temporis totius mundi, & imprimis Iudææ, conditio fuerit, consyderes. Orbis imperium tenebat Tiberius, libidine & tyrannide infamis. Galilææ rex erat Herodes, homo incestus & palàm impius. Sacerdotij dignitas penes Annam & Caiapham fuit, sub quorum dominio doctrinæ corruptionem sacrorum turpis nundinatio est subsecuta. Populum seditiosi quorundam spiritus quotidie exagitabant. Attamen Ioannes non absq; insigni fructu salutis doctrinam proposuit. Debet hoc ministris animum addere, ne unquam defuturos putent, qui ipsorum doctrinam audiant. Meminerint tamen iidem, non fidendum esse populi ad ipsos confluentis multitudini. Vt enim diuersis affectibus homines ducuntur: ita qui carnem sequi solent, mox vbi primus ille zelus deferbuit, & aduersa imminẽt, à recepta Veritatis doctrina turpiter deficere consueuerunt, quod Ioannes primùm, deinde ipse etiam Christus expertus est.

2.Reg.19. Rom.11. Luc.3.

Secundo loco Ioannes consyderandus venit. Veniunt ad hunc promiscuè omnis loci & ordinis homines. Alibi enim Sacerdotes, scribæ, pharisæi, publicani, & milites nominantur, qui ad illum confluxerunt. Hos verò omnes ille admittit, nec aliquem audacius & superciliosius reijcit siue condemnat, sed cum singulis agit, prout illorum mores & ingenia exigere videbantur. Iam tunc ergo rete illud Euangelicum omnis generis pisces attrahere cœpit, vt hinc colligamus, quæ semper in his terris ecclesiæ facies futura sit. Quod enim Ioannes fecit in præsenti, idipsum postea Christus etiam obseruauit, qui neminem ad se venientem foras eijcit. Nimium ergo audaces sunt & temerarij, qui hodie in hominum conscientias curiosius inquirunt, & superstitioso scrutinio multos à verbo simul et sacramentorum vsu absterrent. Quin potius Ioannis exemplo doctrina syncerè proponatur: Admoneantur singuli sui officij, vt intelligant religionem rem seriam esse, in qua nefas sit aliquid vel ludere vel simulare. Inde verò conscientiarum examen singulis relinquatur, vt ipsi sese probent, quando nos aliorum corda nouisse impossibile est. Sed præmissis istis, quid de populo Marcus dicat, videbimus.

Ioannes quosuis uenientes recipit. Matth.13. Ioan.6. 1.Cor.11. & 2.

Primò exiuisse dicuntur in desertum, vbi Ioannes prædicabat. Id verò ardens doctrinæ & salutis studium denotat, maximè si eos spectes, qui in remotioribus Iudææ locis habitabant. Illi enim absq; labore, sumptu, incommoditate & periculo ad Ioannem excurrere nequiuerunt. Imitemur hos, quando nihil in terris verbo salutis pretiosius habemus. Verè enim nobilis illa margarita est, cuius acquirendæ causa facultates omnes diuendere, adeoq; abijcere, conuenit. Imprimis autem videre oportet, vt ex mundo hoc exeamus, & illius studijs, vtcũq; carni magnificis & splendidis, ecclesiam, in qua Christi vox sonat, præferamus, etiamsi illa horribile & triste desertũ videatur. Potior enim est dies vnus in atrijs domini, quàm mille alij, & melior illorum conditio, qui ad limen domus dei desident, quàm qui inter huius mundi voluptates in tentorijs impiorum habitant. Sed ô detestabilem nostri seculi socordiam. Iudæi ex remotissimis locis per montes, per valles, per longas viarum ambages, perq; infinita pericula ad Ioannem contendunt. Ac nos, qui intra priuatos parietes ipsum Christum in scripturis loquentem audire poteramus, supina quadam oscitantia illum fastidimus. Quòd si uerò cœtus sacri adeundi sint, in quibus dei verbum prædicatur, quæ non effugia quærimus? Imò nulla tam leuis & turpis causa est, quæ non sufficiens esse videatur, cuius gratia conciones sacras negligamus. Olim quando superstitiosis cultibus conscientia grauabantur, nullis vel laboribus vel sumptibus parcebatur, nec aliqua mora nobis videbatur intolerabilis. At circa dei verbum de laboribus, sumptibus, temporis mora, & alijs eius generis rebus quiritari pudor neminem. Agnoscamus hanc carnis nostræ corruptionem, & tandem frequenti verbi studio corrigamus.

I. Exeunt in desertum. Matthæi 13. Psalm.84.

Secundò baptizantur in Iordane. Facit hoc ad fidei confessionem & memorabile est obedientiæ exemplum. Multa enim erant, quæ quò minus hoc facerent, illos absterrere poterant. Periculi plenum erat, fidem & religionem nouam amplecti & profiteri, quæ nondum publica authoritate recepta esset.

II. Baptizantur in Iordane.

pauisset. Præterea baptismi symbolum ijs leue & ridiculum videri poterat, qui ceremonijs magnificis & sumptuosis hucusq; assueuerant. Idem sanè obijcere licuisset, quod olim Naaman Syrus Eliæ 2. Reg. 5.
dicit, iubenti vt se Iordanis fluuio septies immergeret. Dicerent enim: Quid obsecro Iordanis aqua ad salutem vtilitatis conferat? Num aqua nos deo commendat? Vel, an non domi aquam inuenire licebat, qua tingeremur? Quin nos totos ipsi in flumina quæuis obuia immergimus? Sed omißis istis, ad dei mandatum respiciunt, quod & contra periculi metum animos illorum confirmauit, & humanis rationibus aditum præclusit omnem. Imitati sunt hos postea, quibus Petrus, vt in Christum baptizarentur, mandauit. Imitemur nos quoq;, neq; nos coram mundo prauo & adultero Christi & ver Actorum 2.
bi ipsius pudeat, nec quicquam eorum inutile putemus & superuacaneum, quæ ille nostræ fidei fouendæ & confirmandæ causa instituit.

Tertiò, peccata sua confeßi esse dicuntur. Quem locum ad auricularem confeßionem Papistæ III. Confitentur peccata sua.
detorquent. Sed facilis est ad illorum argumentum responsio. Primò enim, cui nam peccata confeßi sint, minimè exprimitur, nec vnquam euinci poterit, illos singulorum peccatorum curiosa enumeratione vsos fuisse, qualis in Papatu exigitur. Quòd si verò demus, illos Ioanni confessos fuisse, tamen ne hoc quidem aliquid ad auricularis Confeßionis defensionem faciet, cuius nullum in scripturis specimen vspiam habetur. Publica enim hæc fuit, & præsenti tantum negotio inseruiuit. Prædicabat siquidem Ioannes pœnitentiam, & diuini iudicij securim ad arboris radicem positam esse clamabat. Remißionem verò peccatorum in Christo monstrabat, vnico & vero Dei agno, qui solus mundi pec- Ioan. 1.
cata tollit. Huic per baptismum credentes consecrari & initiari volebat. Quotquot ergo illius consilium admiserunt, & baptizati sunt, hoc ipso facto se peccatores esse, & ablucione per Christum opus habere confitebantur. Nisi enim se peccatores esse agnouissent, nunquam vel baptismum admittere, vel ab Ioanne consilium vitæ in melius commutandæ petere voluissent, quod illos fecisse constat. Eadem ergo hæc confeßio fuit, qualis Hierosolymitanorum, qui ad Petri concionem animis com- Lucæ 3.
puncti, quid facerent interrogarunt: & Ephesiorum, qui libros magicos post auditam Pauli concio- Act. 2. & 19.
nem publicè combusserunt. Et horum quidem exempla nos quoq; imitari conuenit, nec pudeat peccata nostra tum disertis verbis, tum etiam publica emendatione siue resipiscentia confiteri.

Quia verò aduersarij loci huius literam pro Confeßione sua auriculari pertinaciter vrgent, nosq; Peccatorum cõfeßio in scripturis duplex traditur.
dum illam reijcimus, omni disciplina ecclesiæ sublata, vitijs fenestrã aperire clamant, paucula quædam de Confeßione uobis dicenda erant. Duplex traditur in scripturis peccatorum Confeßio, quarum altera Deo fit, altera proximo. Vtranq; verò Christianis hominibus vtilem, imò necessariam, esse testamur. Nisi enim peccata nostra agnoscamus, de eorundem remißione non multum soliciti erimus. Quòd si agnita dißimulare libeat, de Deo nos minus rectè sentire necesse est, quasi ille vel nostras res ignoret, vel minus propitius sit erga eos, qui illum peccando semel offenderunt. At si confiteamur peccata nostra (inquit Apostolus) fidelis est & iustus, vt remittat nobis peccata nostra, & 1. Ioan. 1.
emundet nos ab omni iniquitate. Atqui sola hæc Confeßio in salutis causa locum habet, quæ apud Deum peccatorum remißionem quærit. Exercent hanc priuatim pij omnes, & eandẽ publicè edunt, quando in cœtibus sacris congregati, coram Deo se peccatoros esse queruntur, & eiusdem misericordiam supplices implorant. Inseruiuit huic olim anniuersarium illud sacrum, de quo Leuitici 16. cap. habetur. Et frequentißimum semper illius in Ecclesia vsum fuisse, omnes historiæ docent.

At quæ apud proximum fit peccati Confeßio, reconciliationis causa fieri consueuit, & propter quotidianas offensas, quibus amicitiæ turbari solent, cumprimis necessaria est. Constat enim nec sacra nec preces nostras Deo gratas esse, nisi cum fratribus nobis probè conueniat. De hac Iacobus scri Matth. 5.
bens, ait: Confitemini alterutrum τὰ παραπτώματα, id est, delicta, offensas, siue errores vestros. Iacob. 5.
Quem locum Papistæ non minus ineptè quàm hunc præsentem pro sua Confeßione allegant. Videntibus enim oculis videre nolunt, mutuam illic Confeßionem delictorum requiri, propter quæ amicitiæ interdum rescindi solent. Sed apertior est illorum impudentia, quàm vt multis refutari debeat. Sufficiat modò, præter duo hæc Confeßionis peccatorum genera, nullum in scripturis vspiam tradi.

Porrò auricularis Confeßio ex veteri consuetudine, quæ & ipsa ab hominibus bono quidem zelo, sed præter Dei mandatum, introducta fuit, originem traxisse videtur. Nam cùm antiquitus ma- De Confeßione auriculari.

gistratus Christiani nulli essent, quorum authoritate peccantium licentia coherceretur, disciplinæ quædam publica forma instituta fuit, cuius metu in officio retinerentur, & per quam qui aliquid designassent, ecclesiæ solenniter reconciliarentur, cùm prius tempus aliquot à sacrorum communione abstinuissent. [Vide Sozomenum eccl. hist. lib. 7. cap. 16,] Erat ad eam rem destinatus presbyter quidam peculiaris, quem pœnitentiam acturi accedebant, peccata fatebantur, & quid ab ipsis fieri vellet discebant. At quia humana erat plantatio, durabilis non fuit, & eadem, si retineretur, maioris mali aliquando causam fore, inopinus & tristis casus docuit. Constantinopoli enim matrona nobilis, dum ex presbyteri iussu pœnitentiam in templo publicam agit, cum illius loci diacono scortari deprehensa est. Quod facinus in ecclesia turbas dedit graues, & multorum ora contra ecclesiæ ministros laxauit. Nectarius ergo Constantinopolitanus episcopus, non modò diaconum loco mouit, verumetiam suadentibus nonnullis, vt unicuiq; liberum permitteret, secundùm quod sibijpsi bene conscius esset, ad mysteriorum communionem accedere, munus illud presbyteri pœnitentiarij sustulit, & illius exemplum omnes ferè Episcopi apud Græcos secuti sunt. Non abrogasset autem propter vnius delictum consuetudinem illam Nectarius, si à Christo traditam esse credidisset. Abrogatam verò restituisset haud dubiè successor ipsius Chrysostomus, [1. Corinth. 11.] seuerissimus ecclesiasticæ disciplinæ vindex, si illam scripturis defendi posse nouisset. Sed ad Pauli consilium respexerunt, qui vt singuli seipsos probent præcipit, nec ministro in alterius conscientiam inquirendi ius facit. At in Græcorum ecclesijs abrogatam consuetudinem Romani constantissimè retinuerunt, quæ nouis quotidie (vt fieri solet) superstitionibus accedentibus tandem in auricularem Confessionem desijt: quam cum multi suspectam haberent, ab Innocentio III. circa annum à nato Christo 1213. publico Lateranensis Concilij decreto confirmata est. Extat decretum hoc in Gregorij [Can. Omnis utriusq; sexus de Confessione] noni decretalibus, OMNIS utriusque sexus fidelis, postquàm ad annos discretionis peruenerit, omnia sua, solus, peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio sacerdoti, & iniunctam sibi pœnitentiam proprijs viribus studeat adimplere, suscipiens reuerenter ad minus in pascha Eucharistiæ sacramentum. Nisi fortè de proprij sacerdotis consilio, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab huiusmodi perceptione duxerit abstinendum. Alioqui & viuens ab ingressu ecclesiæ arceatur, & moriens Christiana careat sepultura. Libuit decreti huius verba referre, vt ipsam bestiam loquentem omnes audiant, simulq; quot & quanta his absurda insint, penes semetipsos excutiant. Primò obstringuntur hîc omnes homines, nec quenquam pro virili custodita vitæ integritas defendet, quò minus arcanas quoque cordis sui cogitationes sacerdoti narrare cogatur. Nec id semel fecisse sufficiet, sed quotannis hoc ipsum fieri oportebit. Deinde solus hoc facere iubetur, ne quis pudori locus supersit. Tertiò omnia peccata fateri iubent. At quis obsecro est, qui hoc præstare queat, quando cor [Ieremiæ 17.] hominis prauum & inscrutabile esse constat? Et nota sunt illa Dauidis: Delicta quis intelligit, ab occultis meis purga me. Psalm. 19. Quartò, confessionem hanc apud sacerdotem fieri volunt, quasi idem ille peccata remittere possit, cùm horum remissionem penes solum Deum esse, scriptura do- [Isaiæ 43. Matthæi 9. 2. Corinth. 3. Lucæ 24. Actorum 5.] ceat. Quintò præcipiunt, vt iniunctam pœnitentiam proprijs viribus singuli adimpleant. Atqui ex nobis ipsis non sumus ad cogitandum idonei. Et Christus pœnitentiam in suo nomine prædicare iubet. Ipsum enim dedit pater, vt nobis pœnitentiam daret & peccatorum remissionem. Sextò cum Pauli doctrina pugnat, quòd ipsi sibi quosuis à sacrorum communione arcendi ius faciunt. Tandem pœnam sui decreti transgressoribus statuunt exemplo carentem, dum & viuos à templis arcent, & defunctos sepulturæ honore spoliant. At tolerabilis videri poterat decreti huius absurditas, nisi magis absurda essent & noxia, quæ inde promanarunt. Possent enim infinita exempla adduci, quæ per auricularem confessionem matronarum & puellarum pudicitiam expugnatam, multorum opes expilatas, principum consilia prodita, hypocrisim stabilitam, & Antichristi tyrannidem quàm maximè confirmatam esse docent. Constat ergo humani ingenij figmentum esse, nec sine publico scandalo prima illius initia in ecclesiam fuisse introducta. Nec est quòd vel disciplinæ vel priuatæ absolutionis ergò illam retinendam esse clament. Si enim ministri suum officium sedulò faciant, si magistratus morum disciplinam pro virili tueantur, si patresfamiliâs in suos probè intenti sint, & inter priuatos charitas valeat Christiana, mox deprehendemus periculosis hisce traditionibus minimè opus esse. Priuatam absolutionem Dominus nusquam instituit, sed credentibus omnibus gratuitam remissionem annunciare iussit. Licet tamen ijs, qui occulto aliquo conscientiæ pondere premuntur,

priuatim

priuatim apud ministros consilium & consolationem quaerere. Licet ministris peccatorum remissionem ad se venientibus polliceri, si serio poenitentiae & fidei studio affectos esse videant. Id verò vnicuiq; liberum relinquatur, ne aliqua necessitatis lege grauentur hominũ conscientiae. Singuli autem in ijs sese exerceant, quorum in praesenti Marcus meminit, Dei verbum audiant, sacramentis ritè vtantur, peccata sua confiteantur Deo, & remissionem inuenient per Iesum Christum, cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in aeternum, Amen.

HOMILIA V.

Erat autem Ioannes uestitus pilis cameli, & zona pellicea circa lumbos suos, uescebaturq; locustis & melle syluestri.

Dominus & Saluator noster, Iesus Christus, apud Matthaeum ait: Amen dico vobis, non exortus fuit inter eos, qui è mulieribus nascuntur, maior Ioanne Baptista. Praeclarum sanè encomium, & quidem verissimum, si rem ipsam aestimes. Is enim ipse est, quem prophetae venturũ praedixerũt, qui ab vtero matris spiritu sancto repletus, & à Deo missus fuit, vt Christo Saluatori viam prepararet. Huius verò encomij finis & vsus est, non vt in Ioanne haereamus, sed vt illius doctrina ad Christum ritè excipiendum praeparemur. Etsi enim Iudaeis olim praedicarit, eadem tamen doctrina ad omnium temporum & locorum homines pertinet, quando propter ingenitam corruptionem omnibus praeparatione opus est, qua salutis in Christo capaces reddantur. Quò Euangelistae respexisse videntur, dum Ioannis historiam tanta diligentia describunt. Et idem hîc praesentis loci finis & vsus est, quo Marcus Ioannis conuersationem & vitae genus comprehendit, & simul exemplum proponit, quo quae optima sit vitae instituendae ratio, admonemur. *Argumentum & usus praesentis loci.* *Matth.11.*

Priusquàm autem verba singula excutiamus, obseruandum est, Ioannem à pueris huic viuendi rationi & disciplinae assueuisse. Docet hoc Lucas, quando ait: Puer crescebat, & corroborabatur spiritu, ET ERAT IN DESERTIS, donec veniret dies, quo manifestandus erat apud Israelitas. Vt ergo predicandi munus non ante aggressus est, priusquàm à Domino vocaretur: Ita pueritiam & iuuentutem omnem ijs studijs consecrauit, quae ipsius vocationem aliquando iuuare, & in illa versanti authoritatem conciliare poterant. Est hoc memorabile institutionis & disciplinae liberorum exemplum, in quo Ioannem ne magis quàm ipsius parentes mireris, incertum est. Fuerunt enim hi generis sacerdotalis nobilitate, functionis publicae dignitate, & proinde opibus & honoribus insignes. Et cum ob sterilitatem diu liberis caruissent, tandem assiduis precibus filium hunc à Domino impetrauerunt, quem ob multas causas charissimum habere debebant. Praeter illud enim, quòd in senectute illis natus fuerat, & vix dum natus praeclara dederat virtutis specimina, illum rebus maximis & ad publicam salutem pertinentibus destinatum esse, ex angelo didicerant. Attamen & illi hunc disciplinae tam austerae consecrant, & ipse eandem non grauatim recipit. Causa vtrinq; fuit, fidei obedientia, quae illos, contemptis carnis rationibus in Dei voluntatem, quam angelus manifestarat, respicere docuit. Simile exemplum in Samuele & ipsius parentibus habes. Etsi verò non omnes ad eandem vitae rationem astringi debeant, parentum tamen fuerit, in liberorum institutione primam Dei & religionis curam habere. Nam & Dei donum sunt liberi, & religio praecipuus ille finis est, ad quem omnes conditi sumus. Quia autem ab illa ob ingenitam corruptae naturae peruersitatem abhorremus, à teneris nos institui & assuefieri necesse est. Obseruauit hoc, ipso Deo teste, pater credentium Abraham. Et eòdem pertinent, quae in lege de primogenitis Deo consecrandis, & liberis in Dei & operum ipsius cognitione instituendis traduntur. Sed ô infelicem nostri seculi conditionem. Qui liberos suos Deo & Ecclesiae consecrent, paucissimi sunt inter eos, quorum fortunis deus benedixit. Interim ijdem illi solis opibus & honoribus intenti, liberos quoad religionem facilè negligunt. Imò multi illos à teneris annis ad res leuissimas, fastum, luxum, gulam, imposturas & alia magis noxia assuefaciunt. Conferunt huc operam suam ludimagistri, qui impuris praelectionibus & Comedijs impudicis puerorum animos ad libidinem inflammant. Ita verò Christi iudicium incurrunt, quo ille horrendum illud Vae scandalorum authoribus denunciat. Vide Matth.18. *Ioannis conuersatio à pueris.* *Lucae 1.* *Institutionis liberorum exemplum.* *1.Sam.1.2.3.* *Gen.18.* *Exod.13.* *Deut.6.*

Sed ad Marci verba reuersi, quale illud vitae genus fuerit videamus, quod Ioannes secutus est.

Ioannis vestitus.

Totum hoc vestitu & victu comprehendit, quia in duobus hisce animorum affectiones quàm maximè elucent. Fuit ille ex camelorum pilis contextus, non pelle integra constans, qualem inepti pictores finxerunt. De forma nihil dicitur, quæ procul dubio vulgaris & vsitata fuit, sicuti materia quoque in deserto agentibus probè conueniebat. Vestem hanc zona astrinxit coriacea, quali Eliam quoque vsum fuisse legimus. Fuit enim apud veteres, eò quód vestibus laxioribus vterentur, plurimus zonarum vsus, & qui vel discincti vel malè cincti incedebant, pro effœminatis & luxu perditis notabantur. Notum enim est illud Sillæ dictatoris, quo Cæsarem puerum adhuc perstrinxit: Caue tibi Roma à puero malè cincto. Quia autem zona simul dignitatis tum regiæ tum militaris insigne erat, solebant ambitiosi & fastu turgidi zonis aut baltheis pretiosis & mollioribus vti. Ioannes ergo vt vestitu, ita zona quoque frugalitatis exemplum præbuit, seq; ab omni mollitie alienum, ad obeunda autem suæ functionis officia accinctum & paratum esse, testatus est, iuxta illud Christi: Sint lumbi vestri accincti, &c. Luc. 12.

2. Reg. 1.

Isaiæ 22. 45.
Iob 12.

Ioannis victus.

1. Sam. 14.

Similiter & victus loco, in quo versatus est, conueniens fuit. Et de melle mirum non est, quando Syriam totam, & quidem Iudæam imprimis, mellis feracißimam fuisse constat, quo nomine terra melle & lacte fluens dicitur. Et in Saulis historia syluæ mentio fit, in cuius superficie mel diffusum erat. Quoad locustas, Geographi tradunt, illud animantis genus apud Orientales maius, quàm in nostris regionibus soleat, & cibo idoneum inueniri. Parthis certè locustas in delicijs esse Plinius tradidit. Et Æthiopes quidam tantum locustis fumo & sale duratis victitare dicuntur. In lege etiam inter animalia munda, quibus vesci liceat. locustas vetus translatio recenset. Vt igitur vestitu desertis commodo Ioannes vti voluit, ita victu etiam vulgari & in illis locis parabili contentus fuit.

Plinius Lib. 6. cap. 30.
Item lib. 11. cap. 29.
Leuit. 11.

Causæ, propter quas Ioannes vitæ genus tale delegit.

Sed prodest, imò necesse est, causas inspicere, quibus Ioannes motus hoc tam austerum vitæ genus delegit. Sunt enim, qui dum has minus obseruant, se quoq; egregios Ioãnis imitatores esse putant, si & ipsi in desertis degant, & ab hominũ commercio segregati, vestitu & victu peculiari & insolito vtantur. Quæ persuasio heremitarum et Monachorũ superstitionem peperit, & inani proprij meriti fiducia multos dementauit. At nihil illis Ioannis exemplum patrocinatur. Primò enim non ipse hoc vitæ genus elegit, sed peculiarem Dei vocationem habuit, sicuti ex angeli verbis colligere licet, qui patri Zachariæ dixit: Magnus erit coram Domino, & vinum siceramq; non bibet, &c. Deinde non noua & insolita fuit hæc viuendi ratio, sed disciplinæ Nazaræorũ, quæ in lege præscribitur, conueniens, quã illi suscipiebant, qui vel religioni & cultibus diuinis liberius vacare, vel vita licentiosius transactæ pœnitentiã agere, & carnis licentiam cohercere cupiebant. Tertiò Ioannis vocationi hoc vitæ genus non parum seruiebat. Quia enim primus noui Testamenti minister fuit, qui nouo & inaudito docendi genere, olim promissum saluatorem, iam præsentem monstrare, & hominum mentes à legalium ceremoniarum fiducia auulsas ad Christum dirigere debuit: necesse omnino fuit, vt rudi populo seueriori vitæ genere cõmendaretur, & tali quidem, cuius ratio ex lege Mosis (quæ nondum abrogata erat) desumpta esset, ne legis aduersarius & omnis disciplinæ euersor esse putaretur. Postremò huic vitæ generi adeò nihil vel sanctitatis vel meriti tribuit Ioannes, vt ad sui exempli imitationem neminem obstrinxerit, sed omnes ad Christum ablegarit, cui se quoq; totum suumq; ministerium subiecit. Constat sanè Christum & Apostolos aliter vestitos incessisse, & victu vsos esse interdum lautiori, quod nunquam facturi fuissent, si in externis hisce sita esset vitæ Christianæ perfectio. Quod si ista cum Monachorum regulis conferas, planè diuersa inuenies. Primò enim Dei vocationem nullam habent, sed ipsi temeraria superstitione sese obstringunt, & sæpè quam habent Dei vocationem, deserunt. Deinde disciplinam instituunt nouam, & ab Euangelij doctrina alienam, quæ ab externis hisce Christianos liberatos esse tradit. Adhæc nulla causa est quæ ipsos, ut ista faciant, cogat. Postremò salutis meritum his tribuunt, & suam regulam professos necessitatis lege obstringunt, adeò vt hac ipsorum statuta violare maius nefas sit, quàm Dei leges transgredi. Omitto factiosa Dominicanorum, Franciscanorum, Benedictinorum, Bernardinorum, Ioannitarum, & alia eius generis nomina, quibus Ecclesiæ Christi unitatem, adeóque ipsum Christum, diuellunt. Desinant ergo ex sanctißimi viri, Ioannis, exemplo suis erroribus patrocinium quærere.

Luc. 1.

Numeri 6.

Ioannis exemplum non patrocinatur Monachis.
Colos. 2.
Rom. 14.

Etsi verò vestitus & victus nihil in sese vel sanctitatis vel meriti habeant, laudem tamen haud

vulgarem

vulgarem merentur frugalitas & temperantia, quas suo exemplo Ioannes nobis commendat. Est hoc nobis eò diligentius expendendum, quòd hodie illarum loco immanem luxum & belluinum gulæ studium apud omnes ordines regnare videmus. Et sanè operæpretium fuerit scire quam rationem in vestitu & victu eos, qui Christum profitentur, tenere conueniat.

Ioannes frugalitatis & temperantiæ exemplum.

Vestium origo ex peccato est. Nam primos parentes ante lapsum peccati nudos fuisse, nec ideò erubuisse, legimus. Quia enim ad Dei imaginem conditi erant, nihil in illis fuit, cuius ipsos pudere posset. At postquam in peccatum prolapsi, suam turpitudinem agnoscere cœperunt, vestitu opus fuit, qui & partes corporis inhonestiores tegeret, & corpus à cœli iniuria tueretur. Ideò Deus illos paradiso eiecturus, tunicis pelliceis vestiuit. Potißima igitur in vestitu honestatis & necessitatis ratio haberi debet: quam qui negligunt, multiuariàm peccant. Primò certè pudoris ingeniti leges violant, dum vel vsum vestium inuertunt, vel vestitu superbiunt, qui illos potius infelicis suæ conditionis admonere debebat. Quod perinde est, ac si facinorosus aliquis catenam aut laqueum quo vinctus ducitur, arrogantius ostentaret. Deinde latentem in carne nostra superbiam mirificè auget & quasi inflammat vestium luxus, facitq; vt nostræ conditionis obliti, quosuis alios præ nobis ipsis contemnamus. Ad hæc & nostræ ipsorum libidini seruit, & alijs turpia cogitandi & cupiendi occasionem præbet. Quò fit, vt & nobis ipsis & alijs offendiculo simus. Præterea animum prodit leuem, vanum, varium, mutabilem & peregrinitatis amantem, cuius studium nemo unquam bonus probauit. Postremò in Christi doctrinam simul & exemplum peccatur variè. Is enim de necessario vestitu solicitus esse vetat, ita abunde docens, quàm illi luxus & fastus immodicus displiceant. Idem nudus in cruce pendere voluit, vt innocentiæ ipsius merito vestiremur. Quæ ergo insania est, ipsius vestitus sesu nuditatis Christi meritum euacuare? Quæ item ingratitudo, Christum in membris suis algentem & nudum conspicere, nobis interea vestitu luxurioso turgentibus? Non temerè ergo in scripturis frequens fit vestium mentio, & de his certas leges olim deus ferre voluit. Deut. 6. & 22. In eundem luxum prophetæ grauiter inuehuntur. Et Apostoli eiusdem sæpius meminerũt. Quæ omnia etsi filijs huius seculi leuicula videantur, ipsa tamen experientia docet, immodicos vestium sumptus rem domesticam exhaurire, & multis causam esse, vt militiæ mercenariæ & infandis sceleribus sese mancipent. De dei iudicio quid attinet dicere, quando negari non potest, ab eo tempore, quando Germani vestibus peregrinis vti cœperunt, morbos quoque peregrinos inualuisse, & exterarũ gentium signa in Germania visa fuisse, & pristinam illam Germanorum virtutem & libertatem maxima ex parte fuisse imminutam.

Vestium ratio, usus et abusus.
Gen. 2. & 3.
Matth. 6.
Lucæ 12.
Isaiæ 3.
Soph. 1.
1. Corinth. 11.
1. Timoth. 2.
1. Pet. 3.

Eadem est victus ratio, cuius finis est, vt necessitati seruiat, quando sine hoc corpora nostra sustentari non possunt. Edendum ergo & bibendum, vt viuamus: non viuendum, vt edamus & bibamus. Imprimis autem obseruanda hic dei bonitas, qui singulis regionibus quoad victum, fidelißimè prospexit. Cur enim homines negligat, qui & iumentis pabulum suum producit, & coruorum pullos, se inuocantes, exaudit? Hanc bonitatem nos agnoscere decet, & diuinitus concessis donis temperanter cum gratiarum actione vti. Nam qui id facere negligunt, multiplici peccato sese polluunt. Et primò quidem manifestum dei contemptum habet, si quis proprio & patrio victu non contentus, exoticas & peregrinas delicias quærat. Deinde ingratitudo est turpißima, in ipsius dei conspectu ijs intemperanter abuti, quæ ex illius manu accepimus. Tertiò in deum simul & nosipsos peccamus, si & corporis & animæ vires intemperanti illorum abusu corrumpamus, quæ vt illis fouendis seruirent, deus condidit. Quartò iniustum & iniquum est, dei dona intemperantius dißipare, quæ pauperum necessitati impendi debebant, & quibus ipsum Christum in membris suis alere poteramus. Quintò non ipsa modò intemperantia per se peccatum est, verumetiam infinitis alijs peccatis fenestram aperit, sicuti de vino immodicè sumpto Solomon sapientißimè admonuit. Et sanè indies experimur, per ebrietatem in immanes belluas degenerare, & in quæuis vitia turpiter prolabi eos, qui cùm sobrij sensibus integris vtuntur, affectus suos facilè cohercere possunt. Quantum verò rei domesticæ simul & publicæ officiat gulæ studium, demonstrare non est opus, quando & olim potentißima regna luxu perijsse historiæ docent, & hodie hac ipsa via familiæ nobilißimæ ad infamem egestatem delabuntur. In omnium certè ore versatur, hanc nostri seculi præcipuam pestem esse, quàmuis interim paucos inuenire liceat, qui admonitionis Christi memores, sibi à crapula caueant. Diligenter ergo in

Victus ratio, vsus & abusus.
Psalm. 147.
Lucæ 12.
Prouerb. 23.
Lucæ 21.

Ioannis & huius similium exemplorum consyderatione versemur, & in hoc simus singuli, vt à primis annis temperantiæ & modestiæ addicti, Deo seruiamus, & tandē in cœlos translati, edamus & bibamus ad mensam Iesu Christi, cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternū. Amen.

HOMILIA VI.

Et prædicabat, dicens: Venit is, qui fortior est me, post me: cuius non sum idoneus ut procumbens soluam corrigiam calciamentorum. Ego quidem baptizaui uos aqua, ille uerò baptizabit uos spiritu sancto.

Argumentum & vsus præsentis loci.

QVoniam Ioannes, ut Christi Iesu præcursor esset, diuinitus missus fuit, duo potissimùm sunt, quæ inter docendum tractauit. Alterum est, quòd hominum mentes pænitentiæ doctrina ad Christum excipiendum præparauit. Alterum, quòd de Christo testatus est, qualis ille agnosci, quidq; in illo quæri debeat. De priori hactenus abundè dictum est. De secundo in præsenti Marcus agit, et Ioanis testimonium de Christo exponit. Qui locus eò diligentius consyderari meretur, quòd hæc ipsa ab omnibus quoque alijs Euangelistis commemorantur, hanc vnam nimirum ob causam, quòd & veram Iesu Christi cognitionem tradunt, & de eiusdem seruis & eorundem ministerio nos rectè iudicare docent.

Occasio præsentis de Christo testimonij. Lucæ 3. Ioannis 1.

Sed priusquam Ioannis verba excutiamus, quæ nam illi hæc dicendi occasio fuerit, videre oportet. Exprimit hanc Lucas hisce verbis: Expectante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus suis de Ioanne, num ipse esset ille Christus, respondit Ioannes, dicens vniuersis: Ego quidem aqua baptizo, &c. Et alibi ex Hierosolymis inquisitores, sacerdotes & Leuitas, missos fuisse legimus, qui quis esset sciscitarentur, quibus illo hisce verbis & sui ministerij rationem reddidit, & Christo testimonium tulit. Ergo peruersum populi Iudaici, augustius de ipso sentientis, iudicium, hæc illum dicere coegit. Elucet hîc, quæ nam sit eorum, qui in publico aliquo munere versantur, conditio. Vt enim qui in publico ædificant, diuersa vulgi iudicia subire & ferre coguntur: Ita omnibus euenit, qui vel in ecclesia vel republica versantur. Quòd adeò vulgare est, vt ne Christus quidem communem hanc sortem effugere potuerit. Id verò illos ad diligentiam excitare debet, ne cui iustam vel offendiculi, vel sinistri iudicij causam præbeant.

Matth. 16.

Vulgi iudicium de ministris ecclesiæ. Marc. 6.

Imprimis tamen obseruabis vulgi de Christi ministris iudicium, in quo nihil medij ferè reperies. Aut enim insano laudis & honoris studio ad Deos vsque euehit, quos homines esse scire debebat, aut odiose nimis eosdem insectatur & deijcit. Nunc Messiam esse suspicantur, quem paulò post Herodis tyranni & incestæ meretricis insidijs circumueniri & opprimi patiuntur. Ita Christum modò regem facere instituunt, modò in Pilati conspectu impijssimè abnegant. Experti sunt hoc ipsum Hierosolymis Apostoli, quos primùm ebrietatis insimulant, mox ob claudi sanati miraculum pro Dijs habere incipiunt. Eadem Pauli apud Lystrenses & Melitenses fuit conditio. Nec aliud expectent qui rempublicam administrant, quos populi præceps & stolida leuitas vel nimis euehendo superbiæ spiritu inebriat, & ex bonis principibus tyrannos facit: vel optimè de republica meritos leuissima quaq; occasione de gradu deijcit. Exempla habes in Saule & Dauide: sed infinita eius generis tum in sacris tum in prophanis historijs passim extant. Horum ita memores inter immodica vulgi studia auream mediocritatem seruent. Laudibus quas sibi tribui audiunt, non efferantur. Promissis magnificis non confidant. Nec item subitis commoti vulgi furoribus consternentur, sed in sua vocatione constantes, vni Deo se & suam functionem probare studeant, qui ijsdem præmium liberalissimè rependet.

Ioan. 6. & 19. Act. 2. 3. Act. 14. 18.

Verborum Ioannis sensus.

His præmissis, ad Ioannis verba transeamus, quorum scopus ex ijs, quæ paulò antè diximus, facilè patet. Nam falso de se conceptæ vulgi opinioni occurrere, & omnes Christo vendicare instituit, cuius præcursor esse debebat. Ita ergo dicere videtur: Video vos tum doctrinæ meæ nouitate, tum vitæ exemplo captos, aliquid de me sublimius cogitare, quasi promissus ille Saluator sim. Sed erratis ô boni. Quia enim aduersariæ potestatis expugnatio & publica hominum redemptio vires humanis fortiores requirit, nulli mortalium Messiæ nomen debet tribui. Is verò post me venit, etsi ab æterno

ab æterno cum patre existens, æternis temporum interuallis ante me fuerit. Christus is est verus Deus & homo, cui omnem potestatem Deus pater tribuit. Huic ergo omnem Messiæ gloriam transcribo, meq; illa adeò indignum agnosco, vt ne corrigijs quidem ipsius soluendis me sufficere fatear, si illius maiestas cum mea tenuitate conferatur. Ego etenim ex Dei mandato aqua baptizo, id est, externi signi minister sum, nec prætereà quicquam possum in animis hominum. Ille verò, de quo loquor, baptizabit vos spiritu sancto, id est, ipsum spiritum vobis conferet, & per hunc ea in vestris animis operabitur, quæ ad salutem vestram pertinent. Alibi ignem quoque nominat, nimirum ad illud respiciens, quòd Christus spiritum sub ignis specie contulit, per quem illius effectus adumbrabat, purgationem nimirum à peccatis, regenerationem, hominis totius innouationem, ardens rerum cælestium desyderium, industriam, agilitatem, & quæcunq; alia sunt eius generis, &c. *Ioanis 3.*

Ita verò inter se & Christum discernens Ioannes, quale nostrum de ecclesiæ ministerio iudicium esse debeat, docet. Ego quidem (inquit) baptizaui vos aqua, ille verò baptizabit vos spiritu sancto & igne. Vnde quidam inter Ioannis & Christi baptismum discernendi occasionem sumpserunt, quasi Ioannes non eiusdem baptismi cum Apostolis minister fuerit. Sed multis argumentis illorum error confutari potest, eò maximè, quòd Christus ipse non alio quàm Ioannis baptismo tingi voluit. Aut ergo Ioannis baptismum eundem cum Christi & Apostolorum baptismo esse fateantur, aut Christum non eodem nobiscum baptismo initiatum fuisse dicant. Ita verò ipsum Christum à nobis alienabunt, qui & circumcidi & baptizari uoluit, vt se verum hominem esse, & eodem nobiscum fœdere contineri doceret. Non igitur de externo Christi baptismo, sed illius effectu Ioannes hoc loco agit, interq; suum ministerium & Christum Iesum distinguit, sibi nimirum nihil præter externam verbi & sacramenti administrationem, Christo autem vniuersam gratiæ & spiritus sancti operationem tribuens. Ita verò generalem regulam præscribit, quam nos in ecclesiæ ministerio obseruare decet, vt nimirum externum ministerium ab interna operatione discernamus, & hanc quidem agnoscamus solius Dei esse, qui suo spiritu in hominum animis agit, illud verò solum ad ministrum referamus. Agnoscimus quidem scripturæ locutiones, quibus ministri parturire, generare, peccata abluere & fidem confirmare dicuntur. Sed in illis simul Dei gratiam agnoscimus, qui ista ministris tribuit, non quòd illa uerè faciant propria sua virtute, sed quia verbi & spiritus ministri sunt. Vidit hoc probè Paulus, qui etsi ministerium suum aduersus æmulos suos magnificè extollat, alibi tamen cum illis agens, qui ministris nimium addicti erant, hanc ipsam Ioannis sententiam alijs verbis & similibus illustrat, dicens: Ego plantaui, Apollo rigauit: sed neq; qui plantat, neq; qui rigat est aliquid, sed qui dat incrementum, deus. Quod igitur de verbi prædicatione Paulus, & de Baptismo Ioannes dixit, hoc ipsum ad Cœnam domini transferamus, in qua minister quidem domini panem & poculum distribuit, at ipse dominus in se credentes sui corporis & sanguinis merito pascit & recreat ad vitam æternam. Quam distinctionem si probè obseruemus, minus contentionum erit in Ecclesia, & sua manebit ministerio dignitas, nec tamen ministris & externis symbolis ita inhærebimus, ut quicquàm dei & spiritus operationi derogetur.

Quomodo de ministerio ecclesiæ iudicari debeat.

Galat.4.
1.Cor.4.
Acto.22.14.
1.Cor.3.

In his autem simul obseruanda venit Ioannis modestia, qua & se & ministerium suum omnino deprimit, & à vulgò oblatum sibi honorem reijcit, vt solius Christi gloria & authoritas emineat. Faciunt huc quæ de eodem apud Ioannem euangelistam cap.1. & 3. leguntur. Imitantur hunc quotquot Christi spiritu animati, & fideles illius ministri sunt. Idem certè Petrum & Ioannem in Actis fecisse traditur, quando claudum ipsorum virtute aut pietate restitutum esse vulgus suspicabatur. Et Cornelium ad pedes suos prolapsum idem Petrus diligenter admonet, ne quid maius homine sibi tribuat. Paulus uerò lapidari potius, quàm diuinos honores sibi impendi, voluit. Et idem Corinthiorum persuasionem, qua decepti à ministris quibusdam denominari volebat, grauiter omnino refellit, & ad Baptistæ exemplum ad ministros nihil præter externum ministerium pertinere, Deo autem omnem fidei & salutis gloriam tribui debere docet, vt qui solus incrementum dare possit, & in hominum mentes solus potestatem habeat. Possem multa alia eius generis exempla recensere, quæ breuitatis causa omitto. Interim tamen probè tenendum est, fideles Christi ministros, de quibus modò diximus, non inutili aut rustico pudore aut nimio modestiæ studio de seipsis humilius quàm par sit, esse locutos. Sed hæc ita sentire & dicere iussit sanctus spiritus, & ipsa rei veritas monuit.

I. Sanctorum modestia.
Acto.3.
Acto.10.
Acto.14.
1.Cor.1.3.

Tanta enim est humanæ naturæ corruptio, vt si hominem nudum spectes, nihil inuenias, quo vel seipsum vel alios saluare posit. Et vt in semetipso nil nisi peccatum reperit, ita Dei maledictio, quæ peccati pœna est, paßim occurrit, adeo vt siue cœlum, siue terram spectet, omnes creaturas humano generi iratas esse videat. Eiusmodi ergo est nostræ salutis negotium, vt humanas vires longè exuperet, quando quoad naturæ nostræ corruptionem, omnium hominum eadem est conditio, quam sanctißimi quiq; semper agnouerunt, & ingenuè confeßi sunt. Quare diuinam & infinitam esse oportet eius potestatem, qui saluator noster esse velit. Quam in nemine alio inuenire licebit, præterquam in Iesu Christo qui coæternus & consubstantialis Dei filius, iuxta æternum patris decretum, præfinito tempore homo factus, peccata nostra expiauit, & euerso satanæ regno omnem potestatem accepit in cœlo & in terris. Rectè ergo Ioannes solum hunc fortem illum agnoscit, qui Saluator haberi debeat, nec aliquam gloriæ, quæ ipsi debetur, partem sibi transcribi patitur. Hæc vtinam obseruarent, qui hodie Diuis ea tribuunt, quæ in Christo quærenda esse, omnes scripturæ docent, & nos Diuorum honori hostiliter inuidere clamant, quando vni & soli Christo omnem nostræ salutis gloriam uendicamus. Atqui Diuos pro electis Dei organis agnoscimus, quos illi demum rectè colunt, qui doctrinæ ipsorum fidem habent, & vitæ exemplum, quo illi nobis præluxerunt, imitantur. Nos verò Christi Iesu hostes dicere poteramus illos ipsos, qui illius gloriam in Creaturas transferunt, nec audiunt in propheta clamantem: Ego Dominus, hoc est nomen meum, & gloriam meam alteri non dabo, &c. Isa. 42.

Matth. 28.

II. Fidelium dignitas. Matth. 11.

Præterea elucet hoc loco, quanta sit fidelium dignitas, à quibus fidei & charitatis officia Christus exigit. Ioannes inter natos mulierum Christo teste maximus habetur. Idem tamen quoad ingenitam naturam indignus est, qui Christi corrigiam soluat. Vt enim nostris officijs Christus non opus habet, ita nostra ipsorum conditio longè inferior est, quàm vt coram illius maiestate comparere & subsistere posit. Idem tamen ille eos qui in se credunt, in eam dignitatem subuehit, vt illos non seruorum modò, sed amicorum loco habeat, & ab ijsdẽ ali, vestiri & visitari vult, imò regni sui & mysteriorum ipsius eosdem dispensatores constituit. O admirabilem bonitatem: in cuius consyderatione vtinam diligentius versarentur, qui hodie Christum turpiter negant, vt inter principum huius mundi aulicos aliquem dignitatis locum obtinere poßint. Qui etsi in mũdo eximij habeantur, ferè tamen infelicem sortiuntur exitum. At qui Christo seruiunt, mortalium quidem abiectißimi sunt in hoc seculo, tandem verò in beatorum sedes translati, æternum cum Christo regnant. Vide Ioan. 12. 14. 17. &c.

Ioan. 15. Matth. 25. 24. 1. Cor. 4.

III. Vnde ueri fideles agnoscantur.

Postremò communi omnium institutioni seruit, quod de Christo Ioannes dicit. Si enim ille spiritu & igne baptizat, soli illi vtiq; vera Christi membra & cultores erunt, qui ad hunc modum baptizati, id est, per spiritum regenerati, & eiusdem donis instructi, sancto illo zeli diuini igne flagrauerint. Nec enim spiritum suum in se credentibus Christus desieri patitur, quem nisi habeant homines, Christi non erunt. At efficax est Christi spiritus, nec suas uires cælare solet, quin totos zelo gloriæ Dei inflammat & in fidei obedientiam sibi vendicat, quorum animis semel infusus fuerit. Huius obsecro meminerint, qui Christum nunquam non in ore habent, cùm interim nulla in illis spiritus Christi scintilla luceat. Feruent quidem pleriq; in mundi & peccati studijs, at in ijs, quæ ad Dei gloriam & publicam ecclesiæ salutem faciunt, toti frigent, & ita se à Christo alienißimos esse testantur. Nostrum fuerit, Deum patrem aßiduis precibus solicitare, ut suo spiritu inflammatos in regni sui via dirigat, & eius hæredes faciat cum filio suo Iesu Christo, cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Roman. 8.

HOMILIA VII.

Et factum est in diebus illis, uenit Iesus à Nazareth Galilææ, & baptizatus est ab Ioanne in Iordane. Et confestim cum ascenderet ex aqua, uidit diffindi cœlos, & spiritum quasi columbam descendentem super illum. Et uox de cœlis facta est: Tu es filius meus, dilectus ille, in quo mihi bene complacitum est.

Postquam

POstquam Diuus Marcus res Ioannis Baptistæ descripsit, tandem ipsius Christi, cuius ille præcursor fuit, historiam aggreditur. Et quia antiquitus sacerdotes & reges publicè & solenniter inaugurari solebant, inde etiam narrandi initium facit, vt exponat, quomodo Iesus Christus, rex & sacerdos noster, interea dum baptizatus est, publico Dei patris & spiritus sancti testimonio orbi manifestatus, adeoq; consecratus fuerit. Qui locus paucis plenam & perfectam Christi cognitionem tradit, docens qualis ille tum quoad personæ ipsius essentiam, tum quoad officium, cui illum pater destinauit, agnosci debeat. *Argumentum & usus præsentis loci.*

Ante omnia verò obseruanda venit Dei bonitas, qui filium suum non modò incarnari, verum etiam publicè manifestari voluit, vt ipsius cognitione plures saluarentur. Facit huc quòd illa ipsa nocte, qua natus est, per angelum pastoribus prædicatur, quòd in die purgationis à Simeone sene per occultam spiritus suggestionem agnoscitur, quòd Magis in Oriente per stellæ apparitionem, & per eosdem toti Iudææ, adeoq; ipsi Herodi regi innotescit. Ita singulorum ingenijs & captui sese Deus accommodauit, vt propensam ipsius ad nos saluãdum voluntatem agnosceremus. At quia inter hæc omnia præsens historia facilè primas obtinet, operæpretium fuerit, singulas illius circumstantias ex ordine consyderare. *Dei bonitas in filio suo orbi manifestando. Lucæ 2. Matthæi 2.*

Et primò quidem à tempore Marcus orditur, dicens: Et factum est in diebus illis, venit Iesus, &c. Quibus inquam diebus? Quando nimirum Ioannes in deserto prædicauit pœnitentiam, & hominum mentes ad Christum excipiendum præparauit. Sed diligentius adhuc tempus istud Lucas annotat, qui hæc decimo quinto Tiberij Imperatoris anno accidisse scribit, quando Iudææ præses fuit Pontius Pilatus, vicina autem regna ab Herodis Magni posteris administrabantur, sacrorum verò cura penes Annam & Caiapham põtifices erat. Fuit is annus à Christo nato trigesimus. Nam hunc natum esse constat anno Augusti XLII. Regnauit is annis LVI. & proinde decimo quinto Christi nati anno è viuis decessit. Quibus si ex Tiberij successoris annis quindecim adijcias, ad trigesimum vsq; ætatis Christi annum peruenies. Non temere autem ista spiritus sanctus annotari voluit. Primò enim Dei bonitas commendatur, qui filium humani generis redemptorem tunc publicè manifestari voluit, quando in toto orbe tyrannis & impietas regnum obtinebant. Quis enim Tiberius fuerit, ex Romanorum historijs scimus. De Herode non opus est dicere, quando infra cap. 6. illius mores prolixè describentur. Pontificum verò inter Iudæos tanta erat conscieleratio, vt soli sufficere potuerint ad arcendam Dei gratiam. Hic verò rebus omnino collapsis præter omnem expectationem Deus salutem attulit, & eo exemplo nos de sua bonitate tunc optimè sperare iubet, quando in hominibus salutis spes nulla est reliqua. Deinde peculiarem considerationem meretur exemplum Christi, qui tanto tempore vocationem patris expectare voluit, etsi interea ipsi in obscuro & ignobili loco sub parentum pauperum imperio victus manuum labore parãdus esset, sicuti ex alijs euangelistarum locis facilè colligitur. Simile quid in Ioanne cernitur, qui & ipse hoc demum anno concionari cœpit, ne Dei vocationem temerè præueniret, licet iam inde ab vtero matris spiritu sancto fuisset repletus. Ita prophetas & Apostolos Dei vocationem expectauisse constat. Et Dauid, quãuis se diuinitus electum sciret, & à Samuele vnctus esset, regnum tamen non antè inuasit, quàm Saule sublato, sibi ad hoc legitimè aditum factum esse videret. Imitentur exempla hæc quicunque vel in Ecclesia vel in repub. cum laude versari volunt. Detestabilis enim est illorum præceps festinantia, qui priuato carnis affectu moti ad publicas functiones temerè aspirant. Ita enim abundè testantur, se ignorare quid affectent, & proinde illud ipsum dignè administrare non posse. *I. Quando Christus publicè manifestatus sit. Lucæ 3. Luc. 2. Marc. 6.*

Præterea nec illud prætereundum est, quòd Christus manifestari noluit, priusquam populus per pœnitentiæ prædicationem præparatus esset. Ita enim admonemur, illos demum salutis in Christo capaces esse, qui peccatorum cognitione territi, & salutis desyderio incensi, Christum sitire incipiunt. Nec enim fieri potest, vt hunc dignè excipiant, qui illum sibi necessarium esse, nondum intelligunt. Frustra igitur Christum iactitant, qui peccatis addicti, ab ijsdem liberari nolunt.

At pergens in cœpta narratione Marcus, vnde Christus ad Ioannem venerit docet. E Nazareth Galileæ, vbi Mariam virginem & putatitium Christi patrem, vel nutritium potius, Iosephũ, habitauisse, alibi traditur. Fuit hoc vile & ignobile oppidum, sicuti verba Nathanaelis apud Ioannem testantur. Nam Philippo dicenti: Inuenimus Iesum, filium Ioseph, Nazaræum, de quo scripse- *II. Vnde Christus uenerit ad Ioannem. Luc. 1. Ioan. 1.*

runt Moses & prophetæ: respondet: Num ex Nazareth potest aliquid esse boni? Voluit autem Christus patris vocationem in loco obscuro expectare, vt suo exemplo doceret, loci ignobilitatem nihil obstare, quò minus curæ simus Domino, qui olim quoque Abrahamum inter Chaldæos idololatras, Mosem inter oues sui soceri, Dauidem apud patris gregem, Helisæum ad aratrum, Amos inter pastores, & Apostolos inter retia inuenire, & vocare potuit. Imprimis autem præsenti causæ seruit diligens hæc loci notatio. Clarissimè enim testatur, nihil inter Ioannem & Christum ex pacto & collusione fraudulenta fieri potuisse, quando hic in Galilæa educatus, ille verò in desertis Iudææ vitam agens, ante hunc diem Christum nunquam vidit, sed de illo, qui facie ipsi hucusq; incognitus erat, ex occulta spiritus suggestione testimonium tulit. Faciunt huc ipsius Ioannis verba: Vidi spiritum descendentem specie columbæ de cœlo, & mansit super eum. ET EGO NON NOVERAM EVM. Sed qui misit me vt baptizarem aqua, is mihi dixit: Super quem videris spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est qui baptizat spiritu sancto, &c. Horum usus est, vt Christi & salutis mysteria omni dolo carere intelligamus, nec illorum admittamus calumnias, qui maligno spiritu agitati, illa in dubium vocare audent.

Ioan. 1.

III. Christus ab Ioanne baptizari uoluit. Homil. 3.

Quid verò causæ fuit, vt Ioannem Christus accederet? Non alia, quàm quòd ab illo baptizari voluit: quod & factum esse, Euangelistæ docent. Atqui baptismo Christus minimè opus habebat, quod luce clarius patebit: si cum illo conferas, quæ supra de baptismo diximus: & hoc ipsum Ioannes fatetur. Cum enim ad se venientem & baptizari volentem Iesum occulta spiritus suggestione agnosceret, mox ait: Mihi opus est, vt abs te baptizer, & tu venis ad me? Quare huius facti causam inquirere oportet, ne quid temere factum putemus. Exprimit hanc Christus, quando Ioanni ad hunc modum respondet: Sine nunc, sic enim decet, vt compleamus omnem iustitiam. Iustitiæ autem vocabulo Saluatoris officium, cui illum pater destinarat, intelligit. Ergo verborum sensus est: Omissis nunc ijs quæ de tua & mea persona dici poterãt, in hoc simus, vt quod vtriq; diuinitus mandatũ est, exequamur. Tu vt mihi hoc officij præstes, missus es. Ego vt assumpta serui forma, humani generis redemptor sim. Nefas ergo fuerit, hic aliquid istorum intermittere. At qui huc cum primis pertinebat, vt eodem nobiscum baptismo Christus tingeretur. Ex eo enim patet, ipsum verè hominem factum esse, & eodem nobiscum fœdere siue testamento contineri. Deinde nostrum baptismum ita sanctificari oportuit, vt constaret, nos illi consepultos, cum eodem ad vitæ nouitatem & cœlestis hereditatis possessionem resurrecturos esse. Adhæc suo exemplo ecclesiæ ministerium & sacramẽtorum vsum nobis commendare voluit. Vt ergo nostram dignitatem in Christi baptismo videre licet: Ita eiusdem exemplo arguuntur sacramentorum contemptores, qui illa vel pro inutilibus & superuacaneis negligunt, vel ideo illis abstinent, quòd indignos & sæpe palàm impios illis communicare uident. Atqui Christus, cum baptismo minimè opus haberet, baptizari tamen voluit, vt patri cœlesti morem gereret. Quæ ergo impudentia est, homines carni & affectibus deditos ea negligere, quæ Deus nostræ infirmitatis causa tradidit? Nec est quòd isti fidem suam & perfectam Christi cognitionem nobis obijciant, quando Apostolus constat ijs quoque baptismum adhibuisse, quos & fide & spiritu sancto donatos esse sciebant. Vide eunuchi Æthiopis, & Pauli & Cornelij Centurionis historiam. Impudentior tamen est ea temeritas, qua propter peccatores Sacramenta negligunt, ne illorum socij & consortes reddantur. Quasi verò illic scelerum communicatio fiat, & Christus militum, publicanorum & pharisæorum consors factus sit, quando eodem cum ipsis baptismo tinctus est.

Matth. 3.

Roman. 6.

Acto. 8. 9. 10.

Quid Christus dum baptizatus est, fecerit? Lucæ 3.

Sed valeat illorum temeritas, indigna quæ pluribus confutetur. Videamus potius, quid interea fecerit Christus, dum baptizatus est. Et Lucas quidem illum orauisse, Matthæus autem & Marcus confestim ex aqua ascendisse, tradunt. Docet exemplum hoc, in sacramentis religionem & preces requiri, quando illa per se non saluant, nec iuuant, nisi spiritus sancti operatio accedat. Quare nec ijsdem inhærere, sed animis per fidem altius ascendere oportet, vt in Christo ea percipiamus, quæ externis symbolis figurantur. Sed vtrobiq; peccatur hodie. Nec enim desunt, qui inter baptismi actionem vanissimis colloquijs tempus terunt, & inde compotationum occasiones venantur. Pleriq; verò alij externis signis atq; ceremonijs ita addicti sunt, vt sibi sufficere putent, si baptismo aspersi sint, & Cœnæ dominicæ aliquoties communicent, nihil interim aut parum de eo soliciti, vt vera fide Christo inserantur, & in illo vitam viuant, quæ filios dei decere possit.

Restat

Restat vltima huius loci pars, quæ publicã & solennem Christi inaugurationẽ continet: qua opus fuit, tum vt omnes hunc sibi saluatorem datum esse scirent, tum vt ipse quoad humanam naturam, suæ vocationis certior esset. Quare multa concurrũt, quæ singula diligentẽ consyderationẽ merentur.

IIII. Publica & solennis Christi inauguratio.

Primò scinduntur cœli, quod nouum & insolitum spectaculum fuit. Ita verò adumbrabatur, cœleste & diuinum negotium hic peragi, ad cuius contemplationem nos quoq; corda nostra aperire, & omnes animi facultates proferre debeamus. Simul etiam incarnationis Christi fructus figuratur, cuius merito cœli nobis patefacti sunt, quos primorum parentum lapsus præcluserat. Exponit mysterium hoc ipse Dominus Ioan. 1. Amen dico vobis, ab hoc tempore videbitis cœlum apertum, & angelos Dei ascendentes & descendentes super filium hominis. Pertinent huc insuper quæ Ioannis 14. cap. & Philip. 3. habentur.

1. Cœli scinduntur.

Secundò spiritus instar columbæ descendit, eò quòd visibili signo, tum propter Ioannem, tum propter astantes spectatores opus erat, ne incertum esset, ad quem nam patris vox, quæ mox secuta est, referri deberet. Cur verò columbæ speciem in præsenti assumpsit spiritus, qui alibi per ignẽ & aerem adumbrari voluit? Docet hæc quis ex Christo ad nos fructus redeat, & qualis à nobis debeat agnosci. Nam si ad veteris Testamenti typos respiciamus, columba olim ex arca dimissa, sub vesperam oleæ ramum attulit, quem veteribus pacis symbolum fuisse constat. Super Christum ergo in specie columbæ descendit spiritus, vt illum pacis nostræ cum Deo authorem, adhæc mitem & benignum esse doceat, qui neminem rigidè reiecturus, sed quosuis ad se venientes amicè amplexurus sit. Interim hoc ipsum officij nos admonet, vt nimirum sub hoc Saluatore nostro columbas imitemur, nimirum simplicitatis, puritatis, mansuetudinis & fidei coniugalis (qua Christo vnico animarum sponso obstricti sumus) studio. Hæc enim in Christi membris spiritus ipsius operatur, à quibus quicũq; alieni fuerint, næ illi Christi nomine sese indignos esse testantur.

2. Spiritus descendit instar columbæ.
Actorum 2.
Ioannis 3.
Genesis 8.
Ephes. 2.
Ioannis 6.
Matth. 11. 10.

Tertiò vox Dei patris cœlo demittitur, qua nulla unquàm lætior audita fuit. Olim enim tristes illæ & terroris plenæ voces audiebantur: Non disceptabit spiritus meus perpetuò cum homine, eò quòd caro est. Item: Pœnitet me, quòd fecerim hominem. Rursum: Maledictus, qui non manserit in omnibus quæ scripta sunt in libro Legis huius, &c. Nunc verò idem ille Deus, quasi priorũ simultatum oblitus, de Christo homine ait: Tu es filius meus, dilectus ille, in quo mihi complacitum est. Vt verò visibili præsentiæ spiritus signo, pro suo more, verbum quoq; deus adhibet: Ita hoc ipsum ex veteris scripturæ libris desumit, in quibus hæc ipsa disertè leguntur. Per Dauidem enim Christo pater dicit: Tu es filius meus, ego hodie te genui. Et apud Isaiam: Ecce seruus meus, cui innitar, in quo placata est anima mea. Facit hoc ad asserendam scripturarum authoritatem, & eos confutat, qui è cœlis noua quædam, & hactenus incognita, audire vellent. Hæc ipsa verò cœlitus detonare Deus voluit, vt filij ipsius cognitionem nobis non aliunde, quàm diuinitus obtingere sciremus, iuxta illud. Nemo nouit filium nisi pater, nec patrem quisquam nouit nisi filius, & cui filius voluerit reuelare. Sed præstat singulas huius sententiæ voces excutere.

3. Vox Dei patris.
Genesis 6.
Deute. 27.
Psal. 2.
Isa. 42.
Matth. 11.

Primùm, Tu es (inquit) filius meus. Δεικτικῶς ergo ista pronunciat, ne incertum esset, de quo nam loqueretur. Filium verò vocat, non adoptionis gratia, secundum quam & nos Dei filij censemur, sed verum & sibi coæternum atq; consubstantialem filium esse testatur: cuius sententiæ infinita passim in scripturis testimonia habentur. Talem verò in carne declarat, ut nostræ adoptionis certiores reddat, ne fortè ob ingenitam carni corruptionem de illa dubitemus.

Filius.
Rom. 8.
Ioan. 1. 10. 14.
Rom. 1. 9.

Deinde dilectum dicit, quod vili ipsius speciei opponere videtur, ne propter hanc Deo inuisum putaremus. Id verò & consolationi & institutioni nostræ plurimùm seruit. Per dilectum enim hunc nos quoq; (vti Paulus monet) charos reddidit. Quis ergo de Dei dilectione dubitet, cuius radix atq; origo in vnigenito ipsius filio nobis ab ipso patre monstratur? Rursum, quis non Deum redamare velit, qui dilectum filium suum pro nobis tradere dignatus est?

Dilectus.
Ephes. 1.
Rom. 5. 8.

His postremò adijcit, In quo mihi bene complacitum est. Quibus verbis Christi officium exprimitur. Propter peccatum enim omnibus nobis irascebatur Deus, & passim in creaturis omnibus iræ diuinæ signa conspiciebantur. At in filio complacitum est patri vniuersam plenitudinem inhabitare, & in eo reconciliare cuncta erga se, pacificatis per sanguinem crucis eius, per eundem, siue quæ in terra sunt, siue quæ in cœlis. Hæc vt in tentationibus consolationi seruiunt, ita uno Christo

In quo mihi cõplacitum est.
Rom. 1. 3. &c.
Col. 1.

contentos esse docent, & in illo solo quærere, quæ ad nostram salutem faciunt. Consentit enim huic loco quicquid vspiam in propheticis & Apostolicis scriptis de Christo habetur. Ipse certè laborantes, oneratos & sitibundos ad se solum inuitat. Et Apostoli non aliud nomen sub cœlo hominibus datum esse clamant, per quod saluari poßint, præter quam Iesum hunc, cui hoc testimonij ipse pater dare dignatur. Enormis ergo illorum error est, quicunq; alijs medijs, quæ humana superstitio adinuenit, cum patre reconciliari, & salutem aßequi conantur. Mendacem enim faciunt Deum, quia non credunt in testimonium quod testificatus est Deus de filio suo, &c. Vide 1. Ioan. 5.

Matth. 11. Ioan. 4. 7. Isa. 55. Acto. 4.

Trinitatis mysterium.

Conclusurus eram sermonem, sed in portum festinanti sacrosanctum adorandæ Trinitatis mysterium occurrit, quod non verbis modò describitur, verumetiam ipsis sensibus quodammodo percipiendum proponitur. Baptizatur ab Ioanne filius. Descendit super hunc in visibili specie spiritus sanctus. At patris vox cœlitus auditur, Tu es filius meus, &c. At cum alibi Deus dicat: Audi Israel, Dominus Deus noster, Deus vnus est, teneamus, Deum hunc in trinitate vnum, et in vnitate trinum esse: vnum essentia, trinum personis, in quibus nulla inæqualitas, nihil maius aut minus, nihil prius aut posterius est, certa tamen & ab omni confusione aliena distinctio, quæ singulis personis suas proprietates tribuit. Pater enim ab æterno filium generat, & hic generatur, & ab vtroq; procedit sanctus spiritus. Abstrusa sunt carnis rationi hæc mysteria. Sed scripturis insistamus, memores, nos dum in carne sumus, ex parte duntaxat cognoscere, & ex parte prophetare. Ast vbi venerit quod perfectum est, tunc quod ex parte est, abolebitur. Cernimus nunc per speculum in ænigmate, tūc autem facie ad faciem. Quare omißis curiosis quæstionibus in hoc potius simus, vt Christo Iesu, regi & sacerdoti nostro, per veram fidem inserti, in ipso uiuamus & saluemur, cui vnà cum patre & spiritu sancto, debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Deut. 6.

1. Cor. 13.

HOMILIA. VIII.

Et continuò spiritus illum expellit in desertum, & erat illic in deserto diebus quadraginta, & tentabatur à Satana, eratq; cum feris, & angeli ministrabant illi.

Argumentum & usus præsentis loci.

AVdiuimus Ioannis Baptistæ de Christo Iesu testimonia, & vt eundem Deus pater publico cœlesti oraculo humani generis saluatorem esse declarauit. Sequitur, vt Christus ea aggredi cœperit, quæ ad nostræ redemptionis negotium pertinebant. Inter quæ primùm tentationes narrantur, quas cum communi hoste satana congressus sustinuit. Qui locus & Christum satanæ regniq; ipsius euersorem esse docet, & veram contra hunc hostem nostrum pugnandi rationem tradit.

Tentare quid, & quomodo tentatio accipi debeat.

Priusquam verò historiam ipsam aggrediamur, de tentationibus quædam dicenda erunt, vt ex ijs pateat, cur Christus tentari voluerit. Tentare propriè idem est quod de re aliqua siue persona periculum facere, vt qualis nam ea sit, intelligamus. At quando de homine agitur, bifariam fere istud verbum scripturæ vsurpant. Primùm in bonam partem, quando nos Deus explorat, non quòd is quales simus ignoret, sed vt nos tam nobis ipsis quàm alijs cognoscendos proponat, & tentationibus probatos fidei & pietatis exempla faciat. Exemplum eius rei in Abrahamo extat, quando filium Isaacum immolare iussus est. Ita per pseudoprophetas tentare dicitur, vt fidei nostræ constantia omnibus conspicua fiat. Tentat etiam per crucē et omnis generis afflictiones, quò illustrior sit fides nostra, quando inter has nihilominus ab illo intrepidi & firmi pendemus. De hoc tentationis genere illud Apostoli intelligi debet: Beatus vir, qui suffert tentationem: quoniam cum probatus erit, accipiet coronam vitæ. Item illud Pauli ad Roman. 5. Gloriamur in afflictionibus, scientes quòd afflictio patientiam efficiat, patientia verò experientiā, experientia autem spem: Porrò spes non pudefacit, &c. Secundò in malam partem sumitur, quando per diabolum ad ea solicitamur & impellimur, quæ cum Dei voluntate pugnant, & damnationi æternæ subijciunt. Cuius generis tētationes tum in pijs, tum in impijs, iusto iudicio Deus permittit, dum illorum quidem saluti & gloriæ consultum cupit (sicuti Iobis historia docet) hos verò, vbi impietatis mensurā impleuerunt, punire instituit. Quò illud Pauli de efficacia erroris pertinet, quo Antichristus eos decepturus sit, qui veritatē amplecti noluēt. Vt ergo impijs tentationes exitio sunt, ita pijs eædem (sicut & reliqua omnia) in bonum cooperantur.

Gene. 22. Deute. 13. Iacob 1.

Roma. 8.

Quod

Quòd si hæc ad Christum transferas, illum tentari minimè opus fuit, nisi quatenus id nobis seruie- Quare Christus tentari oportuerit.
bat, quorum gratia homo factus est. Et primò quidem hoc exigèbat Saluatoris officium, cui illum
pater destinauerat. Quia enim à tentatione nostra perditio cœperat, ab eadem quoq; salutis initium
fieri conueniebat, Christum, qui vt opera diaboli dissolueret, in mũdum venerat. Deinde ipsius ex- 1. Ioan. 3.
emplo nos in nostris tentationibus confirmari oportuit. Ita enim constat, nos non primos esse qui tenta-
mur, nec tentationes irati Dei argumentum esse, quando illis non sanctos modò sui nominis cultores,
verumetiam dilectum suum filium exerceri voluit. Et huc facit, quòd ipse spiritus Christum in de-
sertum expulisse dicitur: bonus nimirum ille & sanctus spiritus, quo repletum fuisse Lucas scribit. Luce 4.
Cui consolationi alia quoq; accidit, quòd nimirum diaboli conatus ab homine vinci posse videmus. Philip. 4.
Nobis enim illũ vicit Christus homo, in quo se quoq; omnia posse Paulus testatur. Mirificè verò & Hebr. 2. & 4.
hoc consolatur, quòd hinc scimus, Christũ ijs qui tentantur succurrere posse, vt qui nostrarũ infirmi-
tatum sensu, instar fidelis Pontificis afficiatur. Præterea Christi exemplum nostræ institutioni ser-
uit, & quibus armis ipsi quoque cum diabolo congredi debeamus, docet. Magnus ergo & multiplex
huius historiæ vsus est, quam modò per singulas circumstantias excutiemus.

Primùm de tempore & loco Marcus agit, & Christum continuò vt baptizatus & de sua voca- Quando & ubi tentatus Christus.
tione certior factus fuit, in desertum, spiritu duce, exiuisse scribit. Exprimit his obedientiam ipsius,
quando nec ad suos redire, nec quicquam tergiuersari, sed absq; omni mora iniunctum sibi officium
aggredi voluit. Quo exemplo admonemur, nullam in Dei vocatione moram admitti, nec vllas car-
nis rationes audiri debere, quæ nos reuocare possint. Vt primùm enim illæ admittũtur, mox laqueos
nectit satan, quibus sub pietatis etiam prætextu retinet, ne Deo obedientiæ officium præstemus.
Non temere ergo Christus alibi cuidam discipulorũ dicenti: Domine, permitte mihi prius vt abeam, Matth. 8.
& sepeliam patrem meum, respondet: Sequere me, & sine vt mortui sepeliant mortuos suos. Et rur-
sum alteri domesticis suis prius valedicturo ait: Nemo, qui manu sua aratro admota, respexerit à Luc. 9.
tergo, aptus est regno Dei. In quorum meditatione singulos priuatim & publicè multùm versari
conuenit, quando quotidie experimur, quàm multa sint, quæ in Dei vocatione nos remorari consue-
uerunt, quibus omnibus expressum Dei mandatum meritò anteponi debet.

Simul verò nostræ nos sortis & conditionis Christus suo exemplo admonet. Vt enim ille à baptis- Christiani tentationibus exerceantur.
mo mox ad tentationum palæstram egreditur: ita quicunq; in baptismo Christo nomen dant, sibi in-
defessas pugnas incumbere cogitent, quæ ipsis (vt Paulus ait) non aduersus carnem & sanguinem,
sed aduersus principatus, aduersus potestates, aduersus mundi dominos, rectores tenebrarum huius Ephes. 6.
seculi, aduersus spirituales astutias sustinendæ erunt. Nec enim quiescit communis hostis satan, sed 1. Pet. 5.
instar rugientis leonis obambulans quærit quem deuoret. Facit huc & loci circumstantia. In deser-
tum enim Christus abit, ita docens, mundum hunc totum, quantus est, desertum esse, in quo vndique
nobis pericula instent, à peccatis nimirum & diabolicis suggestionibus, tyrannis item & fidei hosti-
bus, qui omnibus feris truculentiores sunt. Horum itaque memores, vigilemus ô fratres. Stulti enim
nimium sunt, qui securi omnia sibijpsis tuta pollicentur. At execrabilis illorum est perfidia, qui ubi
Christo nomen dederunt, vel per impias artes, vel effrenem peccandi licentiam diaboli seruitio sese
subijciunt, contra quem Christi auspicijs indesinenter pugnare debebant.

Sed personas huius certaminis, siue antagonistas videamus. Inter quos primus introducitur sa- Satan tẽtator.
tan, quem Matthæus absolutè Tentatorem vocat, eò quòd ab ipsa mundi origine hominum saluti Matth. 4.
insidiari solitus sit, sicuti primorum parentum lapsus abundè docet. In hoc autem duo obseruanda Gene. 3.
veniunt: alterum, quando tentare cœperit: alterum quibus modis & rationibus in Christo tentando
sit vsus: Ad primum refertur, quòd alibi Christus, postquam dies quadraginta ieiunauit, esuriuisse,
& tunc diabolum ad illum tentandum accessisse scribitur. Patet in eo hostis nostri astutia, qua occa- Satan tentandi occasiones ex nobis captat.
siones ex nobis venatur, quando vel diutinis aduersis debilitatos esse, vel alioqui prauis desyderijs
inflammatos, peccata esurire & sitire videt. Tunc enim peccandi occasiones suggerit, & stimulos ad-
dit, quibus vt peccati cupiditatibus indulgeamus, impellit. Exempla huius astutiæ non hîc modò, ve-
rum etiam in primis parentibus, in Dauide multisq; alijs habemus, & in nobis ipsis quotidie experi- 1. Sam. 11.
mur. Et hoc est, quòd nos à propria cupiditate tentari, Apostolus dicit, eò quòd ex illa nos circum- Iacob 1.
ueniendi occasionem satan arripit. Id verò nos officij admonet, ne peccatorum blanditijs & prauis

cogitationibus locum demus, siquidem hostis nostri insidias cupimus effugere.

Tres Christi tentationes.

1. Diffidentia.

Cæterum in alterius membri expositione diligentiores sunt Matthæus & Lucas, qui tres tentationes ex ordine cõmemorant: non quòd has solas Christus senserit, sed quòd hæ præcipuæ sunt, & ex illis reliquas omnes facilè æstimare liceat. Prima diffidentia est. Ait enim: Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. Quibus verbis etsi hoc velle videatur, vt Christus suæ diuinitatis argumentum exerat, potissimè tamen huc tendit, vt fidem illius euertat, & patris testimonium, quod nuper audiuimus, in dubium vocet. Quasi dicat: Audiui etiam ipse vocem, quæ te dilectum illum Dei filium esse pronuntiauit, & si illa Dei vox esset, de illa minimè dubitari debere, libenter faterer. At si præsentem tuam conditionem aspicio, non potest non mihi dubia & suspecta esse istius oraculi fides. Si enim Dei filius es, cur inter loca inculta & feras vitã degis? Cur pater, qui & pullis coruorum prospicit, & syluestribus feris pabulum producit, te tot iam diebus esurire patitur? Vel num aliquem tam vecordem fore existimas, qui te famelicum & miserum, Dei filium esse credat? Nisi ergo perire & omnem apud homines authoritatem perdere vis, præsenti aliquo miraculo te Dei filium esse testare. At nullũ huic loco & tempori conuenientius erit, quàm si ex lapidibus hisce panẽ facias, &c. Atqui huc tendunt ista omnia, vt Christus de patris testimonio dubitare incipiat, & illius fidẽ inutili & superuacaneo miraculo cõfirmet: quasi verò non maius miraculũ sit, hominẽ verum absq; cibo naturali totis diebus quadraginta viuere, quàm lapides in panes mutare.

Psalm. 147. Lucæ 12.

2. Confidentia.

At ubi Christum in fide inuictum videt, mox aliam tentationem priori contrariã profert. Nam subductũ in vrbem sanctã (quò minus suspectus sit illius conatus) supra templi pinnam cõstituit, & dicit illi: Si filius Dei es, præcipita te deorsum. Et quia postulationem hanc absurdam & iniquam esse sciebat, scripturas profert, quibus dolum suum occultet. Nam scriptum est, inquit: Angelis suis mandabit de te, et manibus suis tollent te, ne impingas ad lapidem pedem tuum. Quis verò illi huius tentationis scopus fuerit, ex Christi responsione patet. Hic nimirum, vt patris sui prouidentiã & paternam erga se curam periculo minimè necessario, & solius ostentationis causa suscepto, exploret. Sensus ergo verborũ est: Video te Dei verbo credere, & tuam hanc fidem maximopere probo. At quid credidisse proderit, nisi fidem tuam alij quoq; agnoscant, & quis nam sis intelligãt? Id verò fiet, si in vrbe hac sancta temetipsum ex hac templi pinna præcipites. Nec est quòd aliquid periculi metuas, quando ex scripturis nouisti, angelos iam olim ex Dei mandato tui curam suscepisse. Ita verò per confidentiam Christum perdere conatur, cuius fidem euertere non potuerat.

Psalm. 91.

3. Concupiscentia & fastus mundi.

Sed vincit etiam hoc telum Christus. Quare omnes suas vires simul in vnum colligens, quicquid vspiam in mundo est excellentiæ, dignitatis, gloriæ, splendoris atq; voluptatis, illius oculis subijcit, vt horum illecebris ad turpem apostasiam & manifestam impietatem perducat. Nam ex alto monte omnia mundi regna & eorundem gloriam illi cõmonstrans, ait: Hæc omnia tibi dabo, si prostratus adoraueris me. Ita verò impudentissimè & mundi imperium sibi vendicat, qui ne in porcos quidẽ ius habet, & Christum, in cuius nomine omnia cælestium, terrestriũ & inferorum genua flectuntur, ad seruilem sui adorationem inuitat. Posset multis verbis huius postulationis indignitas exagitari. Sed præstat, vt potius in nos ipsos descendamus, & vt nos quoq; satan tentet expendamus. Nam iisdẽ vijs & rationibus nos etiam hodie aggreditur. Nouit ille salutẽ nostrã ex fide pendere, quæ solo Dei verbo nititur. Totus ergo in hoc est, vt verbi veritatẽ in dubiũ vocet, & illius promissionibus fidẽ deroget: quod aduersis vrgentibus facilè efficit, nisi animos probè obfirmemus. Tunc enim cogitationes eiusmodi in animis nostris excitat: Tu ne deo propitio vteris, qui perpetuam cum egestate, fame, exilio, morbis & calamitatibus vndiq; incumbentibus luctã sustines? Tu ne fidem hanc illi probari putas, cuius cultores tot malis subiacent? Accedunt his impiorum voces: Iam ne experimini quæ sit illa fides vestra? Hæc non est euangelicarũ promissionum veritas? Num tandem vos miseros esse, & turpiter deceptos esse sentitis? Quid si verò illud adhuc negatis, agedum ostendite nobis fidei vestræ veritatem & ipsi vobis succurrite, aut apud vestros illos doctores efficite, vt aliquo miraculo liberemini, &c. Hæc (inquam) frequenter hodie satan obijcit, vt fidẽ nostram labefactet. Quòd si verò se minus proficere videt, confidentes reddere conatur, vt salutis nostræ securi, ardens illud studium, quod passim à nobis exigitur, omittamus. Vbi ferè doctrina prouidentiæ & prædestinationis abutitur. At si nec illic cedamus, mox mundum hunc omnem contra nos armat, vt vel huius illecebris capti, vel potentia & armis territi, fidem abnegemus, & illicitis atque

Matth. 8. Philip. 2. Rom. 10.

prophanis

prophanis cultibus omniq; scelerum genere (quorum seruitus illi gratissimus cultus est) polluamur. Et quantum in his omnibus possit, quotidiana exempla docent. Multi enim aduersis superati, desperant, & ad illicita media conuertuntur. Multi confidentia & securitate pereunt. Innumeri verò mundi illecebris, vt Circæo poculo inebriati, fidem & religionem abnegant.

Quare ex altera parte Christum videamus, suo exemplo docentem, vt in tentationibus superiores fieri possimus. Vbi etiã duo potiss. cousyderanda veniunt. Primò ieiunauit Christus, non vt quadragesimale ieiuniũ institueret, vt quidam ineptissimè fabulantur, sed vt partim typis veteribus responderet, in quibus Moses & Elias totidem diebus ieiunauisse scribuntur: partim suo exemplo sobrietatem cõmendaret, cuius studiũ tum semper aliâs, tum tempore tentationum cumprimis necessariũ est. Resistit enim spiritui caro, & quo hæc ferocior est, eò minus in nobis spiritus potest. At cibi nimiq; abundantia & delicijs carnẽ ferociorẽ reddi, notius est, quàm vt multis probari debeat. Hinc tam crebræ admonitiones, vt à crapula & luxu caueamus, quas exemplo etiam proprio Dei filius cõfirmare voluit. Deinde in omnibus congressibus solũ Dei verbũ profert, & fidem qua huic nititur, instar clypei ignitis bisce satanæ telis obijcit. Nam dicenti diabolo: Si filius Dei es, dic vt hi lapides panes fiant. Respondet: Scriptum est, Non solo pane viuet homo, sed omni verbo quod egreditur per os Dei. Rursum dicenti: Si filius Dei es, præcipita te deorsum: & scripturas perperã alleganti, obijcit: Rursum scriptum est, Non tentabis Dominũ Deum tuum. Tandem mundi regna pollicenti, & adorationis cultum petenti, dicit: Abi satana. Scriptũ est enim: Dominũ Deum tuum adorabis, & illũ solũ coles. Ita verò nobis quoq; pugnandũ fuerit. Habemus quidẽ galeam salutis, Christũ, sub cuius vmbra tutò degimus, quando contra illũ princeps huius mundi nihil potest. At quia idẽ ille nihilominus non quiescit, ad pugnam præparemur oportet. Arma verò saluberrima erunt (sicuti Paulus monet) clypeus fidei, quæ sola diaboli tela restinguere potest, & gladius spiritus, quod est verbũ Dei. Huius ergo oracula diaboli suggestionibus opponamus, & quàm friuolæ sint illæ, mox patebit. Cõiungamus his preces assiduas, & facilè omnes hostis nostri insidias atq; conatus superabimus. Poterat hîc copiosa exemplorum enumeratione in longum extendi oratio, sed si verbi studium precibus assiduis coniungamus, spiritus in ipsa pugna eos locos suggeret, quibus potissimùm satan deuinci poterit.

Vt Christus in tentationibus se gesserit. — Exod. 34. 1. Reg. 19. Galat. 5. Lucæ 21. Ephes. 5. Deut. 8. Deut. 6. Ioannis 12. Ephes. 6.

Restat tentationũ Christi finis & exitus, quẽ lætissimũ fuisse Euãgelistæ docent. Lucas enim diabolũ ad tẽpus à Christo recessisse scribit. Quia enim fictitijs armis pugnat, & falsã potentiæ cuiusdam specie sese venditat, mox loco cedit, vt primùm se agnosci intelligit. Vbi tamen obseruabis, quòd ad tempus modò recessisse dicitur. Nam etsi se victum sentiat, non tamen quiescit, sed leuissima quaque occasione oblata pugnam instaurat, & hoc unicè quærit, vt eò reuertatur, vnde prius eiectus est. Quod si hominem securum & oscitantem reperiat, assumptis septem alijs spiritibus peioribus illuc diuertit, & fiunt postrema illius hominis peiora primis. Nemo igitur post vnam & alteram victoriã securus sit, & sibijpsi pacem perpetuam polliceatur.

Tentationũ Christi lætus exitus. — Matthæi 12.

Sed hîc consoletur nos, quòd angelos Christo victori ministrauisse audimus. Etsi enim hoc officij Dei filio, Domino & creatori suo debeant, certum tamen est, illos nobis quoq; ministros & custodes diuinitus datos esse. Paulus enim ministratorios spiritus esse dicit, qui in ministeriũ emittantur propter eos, qui hæredes erunt salutis. Et in Psalmis scribitur: Angelus Domini castrametatur circum eos, qui ipsum timent, & eripit eos. Nec exempla desunt eorum, qui visibili angelorũ ministerio adiuti & defensi sunt. Lotum è Sodomis eripiunt angeli. Iidem Iacobum ab auunculo Labani & Esaui fratris armis defendunt. Ægyptum egressis, & terram Chanaan petentibis itinerum simul & belli dux est angelus Domini. Omitto quæ de Elisæo, Daniele & socijs, Apostolis item & infinitis alijs passim traduntur. Quorum omnium consyderatione nos in fide confirmari conuenit, vt huius nostræ dignitatis memores, aduersus diaboli conatus fortiter pugnemus, ne angelorum ministerio nosmetipsos spoliemus, sed potius victores in Christo, cum eodem in cœlis regnemus, cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

Angeli Christo ministrant. — Hebr. 1. Psalm. 34. Gen. 19. & 32. Exod. 14. 32. 2. Reg. 6. Daniel. 3. 5. Act. 5. 12. &c.

HOMILIA IX.

Postquam uerò traditus esset Ioannes, uenit Iesus in Galilæam, prædicans Euangelium regni Dei, & dicens: Impletũ est tempus, & appropinquauit regnum Dei, Pœnitentiam agite, & credite in Euangelio.

CAPVT I.

Argumentum & vsus praesentis loci.

QVoniam Deus pater filium suum humano generi Sacerdotem & regem constituit, eundem priusquam munus suum publicè subiret, praeparari voluit, quò facilius ab omnibus agnosceretur. In qua praeparatione primum locum habet publica inauguratio, in qua spiritus sanctus super illum visibiliter descendit, & eundem pater coelitus filium suum & humani generis mediatorem esse pronuntiauit. Mox tentationes secutae sunt, quibus diabolum deuicit, & simul eo argumento probauit, se fidelem Pontificem esse, qui nostras infirmitates expertus, iisdem condolere possit. Sequitur, vt commissum à patre munus obire coeperit, à doctrina nimirum exorsus, quae inter Sacerdotis officia primas tenet. Quo loco admonemur, quae nam doctrinae Christi ratio sit, & qualis hodie etiã in Ecclesiis doctrina seruari, quomodo item audiri & recipi debeat, si eã nobis salutare esse velimus. Et quia in his salus nostra potissimum consistit, singulae huius negotii circumstantiae excutiendae erunt.

I. Quando Christus docere coeperit. Ioan. 1. & 3. Luc. 4.

Primò tempus notatur, postquam traditus fuit Ioannes, de quo pluribus sexto cap. agitur. At qui Christum priusquam Ioannes caperetur, aliquos discipulos collegisse constat, quos priuatim instituit. At hîc de publica praedicatione agitur, qua (ut Lucas tradit) in synagogis palàm & promiscuè omnibus regnum Dei annuntiauit. Nec temerè improbanda videtur Chrysostomi sentẽtia, qui Christum ideò serius coepisse ait, vt & maior esset doctrinae ipsius authoritas, & schismatis occasio vitaretur, quod paulò ante inter Ioannis discipulos ex praua aemulatione coeperat. Vide Ioan. 3.

Sors & conditio ministrorũ.

Hîc verò obseruanda venit ministrorum Christi conditio. Fuit Ioannes electum Dei organum, & sanctissimus inter natos mulierum, qui hucusq; tum doctrina tum vitae conuersatione, totũ se pro populi salute impendit. Is nunc traditus esse dicitur, nimirum in Herodis, crudelissimi & impurissimi tyranni, manus. Et credibile est, sanctissimum virum, tum Herodis ipsius, tum perfidorum quorundam insidiis circumuentum fuisse, quando illum traditum fuisse, Marcus scribit. At propter liberam verbi praedicationem, & quòd tyranni incestum deprehenderet, hoc illi accidisse, Lucas perspicuè testatur. Est haec perpetua ministrorum verbi sors, sicuti Prophetarum & Apostolorum exempla docent. Quia enim mundus totus in malo constitutus est, veritatis lucem odisse, & eos qui hanc afferunt pertinaciter insectari consueuit. In cuius consyderatione nos diligentes & crebros esse oportet, quò minus offendamur, si quid simile hodie etiam iis contingit, qui ob fidele publicae salutis studium, honore & amore digni erant.

Luc. 3.

Ioanni capto succedit Christus.

At hic non tam obseruatione quàm admiratione dignum est, quòd Ioanni ob veritatis doctrinã periclitanti Christus succedit, qui eandem doctrinam plenius & maiori cum profectu praedicat. Est hoc magnum & euidens diuinae bonitatis argumentum, quae nec ingratitudine huius mundi, nec tyrannorum saeuitia sese superari patitur, quò minus salutem omnibus offerat. Impletur hic quod sub vineae parabola alibi Christus docet. Nam post prophetas indignissimè tractatos ab iis, quos suae ecclesiae agricolas Deus constituerat, Ioannes missus fuit, qui poenitentiae fructus exigeret. Hunccaptum & vinctũ Christus ipse insequitur. Imò cùm illũ etiam Iudaei reiicerent, Apostoli successerunt, & ita ab eo tempore ecclesiae suae Christus prospexit, vt omnibus seculis ministros dederit, per quos veritatis cognitio propagaretur. Non est ergo quòd hodie ministrorũ caedibus vel impii gaudeant, vel pii terreantur. Nec enim ecclesiam suam Christus vnquam negliget, quam propria vita chariorem habuit.

Matthaei 21. Lucae 20.

Ministri antecessorum suorum cruce non terreantur.

Interim suo exemplo ministros fortitudinem & constantiam Christus docet. Etsi enim docendi munus Ioanni, quoad carnis iudicium, infelicius cesserit, non tamen idcirco illud ipsum subire detrectat: veteres nimirum prophetas secutus, quos simili cõstantia animatos fuisse legimus. Discant ergo Dei vocationem similiter sequi, qui hodie in ecclesiae ministerio sunt, nec carnis rationes audiant, quae proxima quaeq; pericula cauere, nec vnquam ad Dei praecepta respicere consueuit, &c.

II. Vbi Christus praedicarit. Matth. 4.9. Isaiae 8.

Secundò loci etiam meminit Marcus, ubi Christus praedicare coepit. Venit Iesus, inquit, in Galilaeam. Matthaeus verò, illum mox relicta Nazareth, in Capernaum venisse. & ibi habitauisse ait, quam idcirco alibi Christi ciuitatem vocat. Cõuenit hoc prophetiis, quae (ut Isaias monuit) illam regionem Christi luce primam omnium illustrandam praedixerunt. Fuit inter eius oppida celeberrimum Capernaum: quod ideò primum delegit, vt eum doctrinae tum miraculorum ipsius fama citius & latius ad finitimos quosq; vulgaretur. Etsi enim locos ignobiliores non fastidiat Christus, qui & Bethlehem suo natali, & Nazarethum sua educatione nobilitare dignatus est: maiorum tamen & celebrio-

celebriorum vrbium rationem habet, vt ea occasione veritatis cognitio ad plures disseminetur. Ideò postea diebus festis Hierosolymam ascendit, & Apostolis ibidem spiritum sanctum eo tempore misit, quando ex vniuersis pene totius orbis regionibus maxima hominum multitudo illuc confluxerat. Hic rursum patet Dei bonitas, qui salutem, cuius author nobis Christus est, nemini inuidit.

Hic tamen meminisse oportet, prærogatiuam hanc nec Capernao, nec alijs Galilææ ciuitatibus profuisse, sed Christum easdem alibi diris & horrendis execrationibus deuouisse, cum ingratas & contumaces experiretur. Matth. 11. Idem Hierosolymis etiam accidisse, ex historijs notum est. Frustra ergo hodie Romani suis episcopis gloriantur, qui olim magna cum laude fidem Christi illic plantarunt, quando nulla iam Romæ veteris illius ecclesiæ vestigia restant. Meminerint etiam horũ, quos hodie Deus Euangelij luce primos illustrare dignatus est. Nisi enim Dei beneficium agnoscant, fidei fructus ferant, & vni Christo viuant, graues & horribiles suæ ingratitudinis pœnas exoluent, iuxta illud: Et multi primi erunt nouißimi.

Christi lux ingratis nihil prodest.

Tertiò, ne quid Christus docuerit incertum esset, illum Euangelium regni Dei prædicauisse scribit. At per Dei regnum non immensa illa Dei potestas, qua omnibus imperat, sed nostræ salutis ratio intelligitur, quæ propter suum finem & effectum regnum Dei dici consueuit. Huc enim tota tendit, vt qui sub tenebrarum potestate tenebamur, transferamur in libertatem filiorum Dei, in quibus ille, quoad hîc viuimus, per verbum & spiritum suum regnet, & tandem huius seculi miserijs exemptos cælestis & æterni sui regni consortes faciat. Huius regni consequendi rationem Christus tradidit, quæ tota Euangelio continetur, quod & pœnitentiæ & remißionis peccatorum authorem Christum offert, & in eodem omnes salutis thesauros propinat. Faciunt hæc ad asserendam Euangelij dignitatem, qua omnes alias scientias longè vincit. Commendantur hæ ab authore, subiecto siue materia, & tradendi ratione, quam Methodum dixêre. At Euangelij author Deus est, qui illud ipsum, non modò selectißimorum hominum ministerio, sed per filium suum mundo reuelare dignatus est. Agit autem de vera & æterna hominum salute, cuius ratio nisi probè nobis constet, non inutilia modò, sed exitialia sunt, quæcunq; in mundo habemus. Tradendi ratio tam simplex & facilis est, vt etiam pueris perspicua esse poßit, & ad illam percipiendam ij demum idonei sint, qui suppresso rationis & ingenij acumine, Dei verbo simpliciter credere assueuerunt. Vtinam horum meminissent, qui hodie Euangelij doctrinam obscuritatis accusant, & eandem ab hominibus confictam, & rebus publicis perniciosam esse dicunt. Merentur, quicunq; ita sentiunt, vt eiecti ex Dei regno, sub horribili tenebrarum potestate æternum pereant.

III. Quid Christus prædicarit.

Euangelij dignitas.

Matth. 11.

Restat, vt quomodo Euangelium istud prædicarit, videamus. Impletum est (inquit) tempus, & appropinquauit regnum Dei. Pœnitentiam agite, &c. Vbi nemo putauerit, Christum instar phanatici cuiusdam hinc inde discurrentem, hæc duntaxat verba ingeminauisse. Sed Euãgelista summam eorum proponit, quæ ab illo pro auditorum captu fusius tractata sunt. Potest autẽ tota Christi concio, duabus partibus comprehendi. Prima, regnum Dei in foribus esse, probat. Secũda modum tradit, quo eius consortes fieri poßint. Quare singulas ex ordine inspiciemus.

IIII. Quomodo Christus prædicarit.

Regnum Dei iam appropinquauisse docet, argumento ducto à tempore, quo illos ad ipsum ritè excipiendum hortari instituit, ne de re post multa demum secula euentura agi putarent. Ita verò argumentatur. Prophetæ Dei regnum & humani generis redemptionem tunc venturam prædixerunt, quãdo tempus illud præfinitum elapsum fuerit. At tempus illud impletum est. Ergo Dei quoq; regnum appropinquauit. His verò ad veteres promißiones & oracula relegat, vt illa cum præsenti rerum conditione conferentes, promissam salutem iam adesse intelligerent, seq; ad illam excipiendam totis animis præpararent. Habebant enim certa quædam oracula, quæ illos de tempore venturi Messiæ admonebant. Nam Iacob moriturus dixerat: Non recedet sceptrum de Iuda, & legislator de pedibus eius, donec veniat Schilo (id est Saluator aut Sospitator) & ad illum gentes confluent. Cuius vaticinij sensus est, Meßiæ temporibus Iudæos & regnum & sacerdotium amissuros esse. Daniel rursus, Meßiæ regnum, quod per lapidem absque hominis manu reuulsum figuratur, sub quarta, id est, Romana Monarchia, exoriturum prædixit. Et eidem angelus Gabriel certum annorum numerum indicat, post quos elapsos promissus ille Saluator regnum Dei instaurare debeat. Septuaginta hebdomades (inquit) præfinitæ sunt populo tuo & vrbi tuæ ad consummandum

Regni Dei tempus præfinitũ.

Genesis 49.

Danielis 2.

Daniel. 9.

scelus, & perficiendum peccata, & expiandum iniquitatem, & ad iustitiam sempiternam reducendum, & ad obsignandum visionem & prophetas, & vngendum supremam Sanctitatem, &c. At hebdomades hæ, non dierum, sed annorum sunt, quales in lege etiam habentur, vbi de anno Iubileo agitur. Annos ergo constituunt quadringentos nonaginta. Initium verò annorum istorum idem angelus, vrbis Hierosolymorum instaurationem siue restitutionem, indicat. Quam tunc factam iudicamus, quando Ezras à Dario Longimano missus, ex regis mandato iudices ordinauit, & reipublicæ formam constituit. Factum hoc anno Darij septimo, qui in annum tertium Olympiadis octuagesimæ incidit. A quo si ad annum Olympiadis ducentesimæ secundæ quartum (quo Christus in crucem suffixus, peccatum omne expiauit, & sempiternam iustitiam reduxit, &c.) annumeres, annos habebis quadringentos nonaginta & vnum. Itaque in proximum post elapsas septuaginta hebdomades annum, Christi passio incidit. At illo ipso tempore Romana Monarchia florebat, & Iudei sceptrum simul & sacerdotium amiserant, cùm Romani præsides rerum dominarentur, & sacerdotium venale haberent. Erant hæc vulgò notissima, & multi iam tum animos in spem Messiæ venturi erectos habebant, sicuti de Simeone, Iosepho Arimathæo, & multis alijs legimus. Horum igitur reliquos etiam omnes admonere vult Christus, quando tempus iam impletum esse, & regnum Dei appropinquauisse, dicit. Ista verò Euangelicæ doctrinæ veritatē, & nostræ salutis, quæ hac traditur, certitudinem asserunt, simulq; monent, vt ipsi etiam veterum scripturarum collatione fidem nostram confirmemus.

Leuit. 25. — Ezræ 7. — Lucæ 2. — Marci 15.

Vt regnū Dei recipi debeat?

Porrò ad alteram concionis Christi partem transeamus, qua quid ipsos facere conueniat, docet, si regni Dei hæredes esse velint, dicens: Pœnitentiam agite, & credite in Euangelio. Duo requirit. Et primò quidem omne id comprehendit, quod de pœnitentia dici potest. Vult enim vt ad Deum conuertantur cum in fidei negotio, tum in ijs quæ ad vitæ conuersationem faciunt. Opus hîc errorum & peccatorum agnitione, eorundem confessione, animi contritione, & emendatione omnium quæ in Dei voluntatem peccauimus. Poterat de his copiosè disseri, sed si in seipsos singuli descendant, facilè quid ipsis faciundum sit, intelligent. Ad ista verò fides exigitur, quæ Euangelio haberi, & intra illius limites sese continere debet, ne humanæ rationis delirijs seducta, incertis opinionibus vagetur. Debet autem fides hæc ad vtramque Euangelij partem, pœnitentiam nimirum & peccatorum remissionem referri. Nisi enim ijs credamus, quæ de peccatorum atrocitate in Dei verbo traduntur, nunquam pœnitebimus. Rursum frustra agnoscemus peccata, nisi de eorundem remissione, quæ nobis in Christo parta est, probè simus persuasi.

Quæ doctrina in Exlesijs debeat retineri.

Ex his patet, quæ hodie etiam in ecclesijs doctrina retineri debeat, & quæ vera sit felicitatis consequendæ ratio. In peccatorum cognitionem homines adduci debent, vt sibi emendatione simul & remissione gratuita opus esse intelligant. Vtraque autem iuxta Euangelij doctrinam in vno Christo monstretur, quem in hoc Deus constituit, vt nobis pœnitentiam simul & remissionem afferret. Quicunque ergo aliud Euangelium docent, audiri nō merentur, sed anathema conferi debent, etiamsi angeli de cœlo sint. Interim meminerimus, regnum Dei, quod Euangelio prædicatur, (vt Paulus suos Corinthios probè admonet) non in sermone consistere, sed in virtute. Præstemus ergo quæ Christus exigit. Agamus pœnitentiam ex animo, & in Christi merito fiduciæ nostræ fundamentum collocemus, vt illius spiritu ducti cum illo olim in cœlis regnemus, cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Actorum 5. — Galat. 1. — 1. Corinth. 4.

HOMILIA X.

Cum ambularet autem iuxta mare Galilææ, uidit Simonem & Andream fratrem eius, iacientes retia in mare (erant enim piscatores) & dixit eis Iesus: Sequimini me, & faciam ut efficiamini piscatores hominum. Ac protinus relictis retibus suis, secuti sunt eum. Et progressus illinc pusillum, uidit Iacobum filium Zebedæi, & Ioannē fratrem eius, qui & ipsi in naui reconcinnabāt retia, statimq; uocauit illos. Et illi relicto patre suo Zebedæo in naui cum mercenarijs, sequuti sunt illum.

QVia homines non modò peccatores, verumetiam per peccati noxam ita corrupti sunt, ut spiritus Dei & regni ipsius capaces non sint: illos non tantum à peccatis liberari, verumetiam per æternum verbi semen in Dei filios regenerari oportuit. Vtriq. igitur muneri filium suum, Iesum Christum, Deus destinauit, qui & ipse quando in terris versatus est, salutis verbum prædicauit fideliter, & delectos quosdam vocauit, quos postea veritatis cognitione & spiritus sui donis instructos, rerum suarum testes, & Euangelij sui præcones, atque cœlestis huius regenerationis ministros constitueret. Quorum vocationem idcirco Euangelistæ describunt, vt illorum exemplo edocti, de ecclesia & verbi ministerio rectius iudicare possimus. Argumentum & usus loci præsentis.

Priusquam verò historiam hanc excutiamus, obseruanda est Dei bonitas, qui in nobis erudiendis & regenerandis hominum ministerio vti dignatur: Nimirum ita nostræ infirmitati sese accommodans, quæ tremendam illam suæ maiestatis vocem sustinere nequit, sicut Israelitarum exemplo olim probatum est. Mauult ergo thesaurum hunc, quo nullus pretiosior est, fictilibus potius vasis committere, quàm illo nos fraudare. Turpis itaque illorum error est, qui cum diuite epulone doctores ex alio seculo sibi dari petunt, & Dei verbum eo nomine aspernari solent, quòd hominum ministerio prædicetur, cum potius admirabilem Dei bonitatem exosculari & amplecti deberent. Sed omissis istis Apostolorum vocationem, quam in præsenti Marcus describit, cum suis circumstantijs consyderemus. Deus hominum ministerio in nobis instituendis utitur. Exod. 19. et 20. 2. Corinth. 4.

Vbi primùm omnium occurrit, quod ab ipso Christo Apostoli vocantur, non ullo alicuius hominis ministerio intercedente. Ita olim Mosem, Aaronem & plerosq. prophetarũ, immediatè ab ipso Deo vocatos fuisse legimus. Quod ideò fieri oportuit, vt verbi ministerium, non humanum inuentum, sed diuinitus institutum esse, omnibus certò constaret. Postea canones dati, & Ecclesiæ permissum fuit, vt hos secuta, adhibitis simul sanctis precibus, ministros ordinaret, sicuti Apostolorum scripta simul & Acta testãtur. Nec minus pro Dei ministris haberi debent, qui ita vocati fuerint, quàm qui olim immediatè à Deo vocati sunt: quando legitimè fieri, & Deo placere cõstat, quicquid iuxta ipsius uerbum atq. institutum fit. Quare illis etiam Christi sententia seruit. Qui vos audit, me audit, &c. Et qui recipit quemcunq. misero, me recipit. Luc. 10. Ioan. 13. I. Christus uocat Apostolos. 1. Timoth. 3. Tit. 1. Acto. 1. 13.

Porrò hîc obseruabis, ad ecclesiæ ministerium neminem, nisi diuinitus vocetur, accedere debere. Cùm enim homo animalis non capiat ea quæ sunt spiritus Dei, nemo vtique ad munus hoc idoneus fuerit, nisi quem Deus idoneum fecerit, sicuti Paulus docet. At non solet Deus dona sua ijs largiri, qui propria temeritate, & ambitione vel priuati commodi cupiditate ducti sese ingerunt: sed ijs quos ipse iam olim ab vtero matris segregauit, quiq. ipsius vocationem expectant, & eandem fideliter sequuntur. Hinc illud Pauli: Quomodo prædicabunt, nisi missi fuerint? Et apud Ieremiam pseudoprophetarum nota est, quòd non missi cucurrerint. Atqui tales non modò Dei ordinem perturbant, verumetiam sibijpsis maximorum malorum authores sunt. Nam & sanguinis alieni reatu sese polluunt, & si quando pericula incidunt, (quæ multa & grauia ministris accidere solent) propriæ etiam conscientiæ terroribus, simul exagitantur, nec Deum sibi auxiliatorem fore sperare possunt, cuius vocationem expectare noluerunt. Ministri uocationem suam expectent. 1. Corinth. 2. 2. Cor. 2. & 3. Rom. 10. Ierem. 23.

Secundo, quos & quales vocarit, videre oportet. Nominantur hic primum Simeon Petrus, & Andreas, deinde Ioannes & Iacobus, duo nimirum fratrum paria: quorum priores iam antea Christi cognitionem & familiaritatem quæsiuisse constat ex ijs, quæ de illis Ioannes refert. Fuerunt omnes isti piscatores, viles quidem & ignobiles quoad huius seculi conditionem, tales tamen in quibus non obscura pietatis & virtutis argumenta eluxerunt. Nam & salutis veræ desyderio (vt modò diximus) flagrarunt, & parentibus morigeri fraternam inter se charitatem fouerunt, & à turpi ocio alieni honesto manuum labore victum sibi suisq. pararunt. II. Quos & quales uocarit Christus. Ioan. 1.

Hinc patet, regnum Christi non esse de hoc mundo, nec ea ratione, qua huius mundi regna solent, administrari. Quia enim mundi principes & reges per se infirmi sunt, nec ipsi quenquam necessarijs vel animi vel corporis dotibus instruere possunt, eos sibi consiliarios & ministros deligant oportet, quos iam ante instructos esse vident. At Christus, cuius regnum, non humana, sed diuina sapientia administratur, cùm in ipsas hominum mentes ius habeat, & pro suo arbitrio ex indoctis doctos, ex insipientibus sapientes, ex timidis fortes, ex rudibus et imperitis exercitatissimos reddere possit: ferè Regnum Christi non est de hoc mundo, nec humana sapientia propagatur.

1.Cor.1. viles & nullius coram mundo authoritatis homines, imò (vt Paulus ait) qui iuxta mundum stulti habentur, diligit. Causa eius consilij est, ne coram ipso glorietur vlla caro: sed qui gloriatur, in Domino glorietur. Acto.4. Facit huc, quod in Actis legimus, sacerdotes & seniores Petri & aliorum Apostolorum libertate hoc potissimùm nomine obstupuisse, quòd homines illiteratos & idiotas fuisse scirent. Ita verò fieri oportuit, ne quis Euangelium humana sapientia aut potentia tam longè lateq; propagatum putaret. Habes ergo quod hodie illis respondeas, quos tum ministrorum tum sectatorum Euangelij vilis conditio offendit, & nobis principum atq; regum potentiam, pontificum maiestatem, scholarum superbos titulos, aliaq; eius generis infinita obijciunt. Nos cum Christo Iesu Deo patri gratias agimus, quòd absconderit hæc à sapientibus, & prudentibus & reuelarit ea paruulis. Vide Matth.11.

Quales ad ecclesiæ ministerium uocari debeant? Interim quales ad ecclesiæ ministerium vocari debeant, præsenti exemplo admonemur. Tribuitur enim hisce pietatis studium, vitæ honestas & fraterna charitas, qua coniuncti vnanimes operi suo intenti fuerunt. Iisdem ergo virtutibus ministros instructos esse oportet, si cum laude suum officium obire velint. Quomodo enim pietatem alijs suadebit, qui ipse ab illa alienus fuerit? Aut quid docendo proficiet, qui vitæ licentia & prauo exemplo ministerium suum rerum adhuc ignaris suspectum & inuisum reddit? Rursum cùm vndiq; labores, insidiæ & pericula incumbant, fraterna animorum coniunctione opus erit, ne dum zelo prauo inter sese ministri dissident, communi causæ officiant. 2.Timoth.2. Matth.24. His omnibus rerum peritia & dicendi agendiq; dexteritas accedant oportet, vt verbum Dei ritè secare, & opportunitatem omnem prudenter obseruare possint. Quæ omnia scripturæ sacræ cognitionem & veram sapientiam exigunt. Nec enim eos audimus, qui Apostolorum exemplo abutentes, vel ipsi imparati ad docendum excurrunt, vel alios rudes & imperitos vocant. Etsi enim indoctos Christus vocarit, eosdem tamen non antea orbis doctores constituit, quàm spiritu sancto & scripturarum linguarumq; cognitione instructissimi omnibus admirationi essent. Huc pertinent, quæ 1.Tim.3. Tit.1.cap. habentur.

III. Ad quid uocati Apostoli? Tertiò ad quid & in quem finem illos vocarit, videndum erit. Faciam (inquit) ut efficiamini piscatores hominum. Lucæ 5. Et apud Lucam Petro ait: Posthac homines viuos capies. Vt verò ista debeant intelligi, ipse alibi parabola exponit, Matth.13. qua Euangelium reti confert, quod in mare proiectum omnis generis pisces, tam bonos quàm malos attrahit. Comprehenditur his totius ministerij Euangelici ratio. Per mare enim mundus hic figuratur, qui maris instar incertis vicibus fremit atq; sæuit, adhæc bonos & malos continet innumeros. Rete verò Euangelium est, quod promiscuè omnibus prædicari vult Christus. Marc.6. Quod vbi fit, tam boni quàm mali trahuntur. Ioan.10. Nam qui ex ouium Christi numero sunt, pastoris sui vocem mox agnoscũt, & agnitam sequuntur. Mali verò & impij interdum vel commodi priuati spe, vel alijs rationibus moti, ecclesiæ Christi sese coniungunt, atq; fidem ore simulant. Interim hos omnes sibi capi vult Christus, & viuos quidem, vt nimirum sibi viuant, qui antehac carni & mundo vixerunt. Obseruarunt hoc diligenter admodum Apostoli, & vt nihil laboris atq; industriæ omiserunt, vt quàm plurimos Christo lucrifacerent: Ita diligenter admodum cauerũt, ne quid ipsis tribueretur, sed vniuersa salutis nostræ gloria vni soliq; Christo cederet. Imitentur hos, quicunq; hodie Christi & ecclesiæ ipsius ministri haberi volunt, ne vel otio turpi sese dedant, vel suam potius ipsorum, quàm Christi gloriam quærãt. Nec enim otio locus erit, quando non minus negotij est, homines, natura malos & corruptos, inter huius mundi syrtes Christo vendicare, quàm grandia cœte & lubrica maris monstra ex profundissimis oceani vorticibus in littus educere, Quomodo autem in hoc munere ambitioni indulgeat aliquis, quando ad illud nemo idoneus est, nisi qui Dei honorem & gloriam, non mundo tantum, verumetiam propriæ vitæ anteponere didicit?

Romanus Pontifex. Conferamus cum his Romanũ illum piscatorem, qui Petri nauiculam, retia, hamos, anulum & totum patrimonium sibi vendicat, & facilè patebit, quis & qualis censeri debeat. Piscatur quidem in hoc mundo, sed sibi, non Christo. Nam eos qui in baptismo Christo nomen dederunt, sibi vendicat, eorum vnitatem in varias sectas scindit, & ad salutem hoc necessarium esse docet, vt omnes homines Romanæ sedi subijciantur. Deinde non tam homines piscatur, quàm illorum fortunas, nisi quatenus homines suæ libidini inseruire posse videt. Nec viuos Christo adducit quos capit, sed sibi totos mancipat, vt Christo mortui, peccatis & superstitioni viuant. Porrò vnicum illud & salutare Euãgelij

rete

rem per humanarum traditionū figmenta ita discidit, totumq́ peruertit, vt præter inane & nudum nomen nihil ex illo reliquum esse videatur. Frustra ergo Petri titulum nobis obijciunt, nosq́ illius nauiculam deseruisse clamant, quando eos omnino sese præstant, quos Petrus venturos prædixit, & ut à pijs caueantur, admonuit. 2. Pet. 2.

Postremò, vt vocati se gesserint, consyderemus. Relinquunt retia & cum his quæstum suum omnem, adhæc patrem quoq, cum mercenarijs, & Christum sequuntur. Atqui præter rem domesticam multa quoq, alia obstare poterant, quò minus hoc facerent: inter quæ non parum momenti habuit pietatis prætextus, quam se patri Zebedæo debere sciebāt. Poterat item periculi metus terrere, cùm Ioannem ob veritatis doctrinam occisum videret. Adhæc propriæ infirmitatis & ignobilitatis conscientia remorari potuit, ne quid viribus suis excellentius tentarent. At quia fidei semen penes se habent, omnes carnis rationes facilè reijciunt. — IIII. Vt sese gesserint Apostoli.

Videndum tamen qua ratione sua omnia Apostoli reliquerint? Nimirum ad Christi mandatum, vt huic inseruirent. Interim quotiescunq, per negotia licuit, ad sua redierunt, donec in orbem dimissi, suis omnibus renunciare coacti sunt. Nil ergo Apostolorum exemplum vel Monachis vel Anabaptistis patrocinatur, qui cùm nullam Dei vocationem habeant, sua relinquūt, vagi hinc inde oberrant, & ignaui ventres ex alieno viuunt. Interim cogitemus, Apostolorum vocationem propter nos describi, quò maior sit apud nos doctrinæ ipsorum authoritas. Simul verò officij memores, ipsi quoq, Christum vocantem sequamur, & huic tum nos ipsos, tum alios homines (quoad fert nostræ vocationis ratio) capere & adducere studeamus, ab illo ipso laboris & studij nostri retributionem accepturi, cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen. — Quomodo Apostoli omnia reliquerint. Matth. 8. 9. Ioan. 21.

HOMILIA XI.

Et ingrediuntur Capernaum, & statim sabbatis ingressus in synagogam docebat. Et stupebant super doctrina eius. Erat enim docens eos, tanquam authoritate præditus, & non sicut scribæ.

QVoniam primus parens noster Adam per peccati lapsum non modò à salute exciderat, verumetiam diuinum illud intellectus sui lumen amiserat, Deus filium suum, Iesum Christum, humano generi & redemptorem & doctorem constituit, sicuti veteres promissiones & prophetarum oracula testantur. Quæ causa est, quòd Euangelistæ, non modò redemptionem, quæ per hunc facta est, describunt, verumetiam vt simul doctoris officio functus sit, diligenter commemorant. In qua parte præ alijs sedulus est Marcus, dum Christum docuisse & prædicauisse, subinde inculcat. Et supra quidem, quæ doctrinæ ipsius summa fuerit audiuimus. Cui mox discipulorum vocationem subiunxit, quorum ministerio veritatis doctrina propagari debuit. In præsenti verò, quam in docendo rationem secutus sit Christus, ex ordine describit. Vsus loci totius est, vt hinc & fidem Christi agnoscamus, qua docendi munus obiuit, & simul discamus, quæ docendi ratio hodie etiam in ecclesijs retineri debeat. Quò cumprimis facit circumstantiarum omnium expositio, quas singulatim inspicere operæpretium fuerit. — Argumentum & usus præsentis loci.

Et primò quidem cum discipulis Capernaum ingressus est, & illius loci ciuibus siue incolis prædicauit. Atqui nuper diximus, Christum inter Galilææ ciuitates Capernaum cumprimis delegisse, in quam sese, ceu peculiare domicilium reciperet. Factū hoc, tum vt salutis doctrina ex vrbe celebri & frequenti citius longè lateq́ propagaretur, tum quòd vrbs multis modis corruptissima, institutione & reformatione præ alijs indigeret. Nam præter vulgaria peccata, quæ in celebrioribus & opulentis vrbibus dominari solent, belluina quadam stupiditate erga Christi & salutis mysteria laborabant: sicuti ex ijs conijcere licet, quæ cum Christus de vero animarum cibo & salutifera carnis & sanguinis sui manducatione apud illos disseruisset, acciderunt. Quanta verò eorundem in Christum ingratitudo fuerit, horribiles Christi execrationes, quibus illos deuouit, abunde docent. Vbi nobis obseruanda venit Dei bonitas, qui peccatores adeò non fastidit, vt illis potissimum salutis doctrinam per filium offerat, qui & ipse propter peccatores se in mundum venisse fatetur. Et sanè si huma — I. Quibus prædicarit Christus. Ioan. 6. Matth. 11. Dei bonitas erga peccatores.

1. Tim. 1.

ni generis historiam ab ipsa rerum origine repetamus, luce clarius patebit, Deum nunquam vel in sceleratißimos quosq; suo iure vsum fuisse, sed iudiciorum suorum executioni fidas admonitiones præmisisse, quibus ad interitum ruentes in viam reuocaret. Facit hoc ipsum nostro etiam seculo, & quidem fidelißimè: dum non modò per verbum suum admonet, verumetiam signis ad diligentiorem eorum, quæ ad nostram salutem faciunt, consyderationem excitat. Cometas certè nullum seculum plures & frequentiores vidit, vt de innumeris alijs prodigijs dicere omittamus. Vbi nos meminisse oportet, quanta seueritate Deus suæ longanimitatis & suarum admonitionum contemptores puniat, vt simul aliorum exemplis edocti, imminens Dei iudicium subterfugere poßimus.

Cum hic Sermo haberetur, Cometes apparuit, mense Augusto, 1558.

II. Quando prædicarit Christus.

Luc. 4.

Sabbati religio.

Gene. 2.

Num. 15.

Secundò tempus quoq; denotans Marcus, Christum sabbatis prædicauisse ait, quod illum iuxta consuetudinem suam fecisse, Lucas testatur. Atqui huius consuetudinis rationem ex lege desumpsit. Etsi enim verbi Dei & pietatis studium nunquam intermitti debeat, quia tamen ad laborem homo conditus est, & negotijs necessarijs subinde distrahimur, Deus suo cultui dies aliquot proprios consecrauit, sabbatum imprimis, cuius religionem in ipsa rerum origine proprio exemplo sanciuit, & in Lege sub capitis pœna confirmauit. Neque id absq; causa aut iniustè fecit. Quis enim iniquum putet, Deum septimum quemq; diem sibi & suo cultui vendicare, cum nos totos illi debeamus? Quin potius Dei bonitatem exosculemur, qui quietem, qua nobis ad corporum recreationem opus est, suo cultui consecrat, ne in turpe & exitiale otium degeneret. Vt interim de eo nihil dicamus, quòd eiusmodi vocationem à laboribus ipsa salutis ratio requirit: quando constat, animos in Dei & operum ipsius contemplationem erigi non posse, nisi externarum & terrenarum rerum curam deponant. Hæc quicunq; nō expendunt, se & in Deum iniquos, & propriæ salutis negligentes esse, testantur. Nō temere ergo prophetæ sabbatorum violationem inter grauißima scelera, adeoq; inter Babylonicæ captiuitatis & excidij Iudaici causas connumerant. Et Christus, ne quis libertatis Christianæ prætextu in hac causa abuteretur, suo exemplo sabbatorum religionem stabiliuit. Neq; hic aliquis obijciat, hoc illum debuisse facere, eò quòd Lex nondum abrogata esset. Nam post huius abrogationem Apostolos Christi exemplum secutos esse legimus. Et licet Ecclesia sacram hanc quietem in diem, qui Iudæorum sabbatum proximus sequitur, propter resurrectionis Christi memoriam transtulerit, nunquam tamen eò audaciæ progressa est, vt omnino abrogandam putaret. Eandem ergo ipsi quoq; religiosè seruemus, & diem hunc ijs studijs consecremus, quibus illum Deus consecrauit. Audiamus verbum Domini, & eius studio excitati, opera illius diligenter meditemur. Feriemur à carnis operibus & totos nos bonis operibus dedicemus, precibus nimirum & beneficentiæ in pauperes. Sed ô incurabilem nostri seculi peruersitatem, quæ tanta est, vt qui Dominicis diebus opus faciunt, sancti haberi poßint, si cum alijs conferatur, qui illos totos vel superstitioni, vel libidini, ebrietati, superbiæ, aleæ & alijs nefandißimis sceleribus impendunt.

Ierem. 17. Thren. 1. Ezech. 20. 22. 23.

III. Vbi Christus prædicarit. Synagogæ.

Porrò in Synagoga docuit Christus. Erant Synagogæ domus publicæ, in quibus populus ad verbum Dei audiendum & ad preces conueniebat. Etsi enim apud summum illud templum duntaxat, quod Hierosolymis erat, sacrificare deberent, propter Christi typum, qui illic sui corporis & sanguinis sacrificio mundi peccata erat expiaturus: ne tamē religionis exercitium frigeret, in singulis vrbibus & castellis celebrioribus domus certæ erant, in quibus diebus sabbatis populo Lex Domini exponebatur, sicuti ex Actis Apostolorum patet. In ijsdem preces etiam publicæ fiebant, & eleemosynæ in pauperum subuentionem colligebantur. Synagogas istas Christus paßim ingreditur, tum ne exemplo suo cœtus sacros, quibus vix aliud in externa religione magis necessarium Deoq; acceptius est, damnare videatur, tum ne in angulis inter rudes tantummodo docendo, doctrinam suam suspectam reddat, & in populo Dei schismatis alicuius author habeatur. Est hoc probè obseruandum ijs, qui Veritatis ministri haberi volunt. Et arguuntur Christi exemplo Anabaptistæ, qui cœtus sacros eo nomine deuitant, quòd in illis peccatores quoq; & interdum flagitiosi homines cum alijs congregentur, quorum communione ipsi pollui nolint. Quasi verò in eiusmodi cœtibus scelerum, & non potius religionis, communio fiat. Vel num Dei filium alicuius sceleris contagio aut communione pollutum fuisse dicent, quando peßimorum hominum cœtus ingressus est? At sub plausibili sanctitatis prætextu hoc vnum quærunt isti homines, vt sua somnia apud imperitos liberius proferre, atq; incautos in suas partes pertrahere poßint.

Acto. 13. & 16.

Anabaptistæ.

Interim

Interim admonemur, externam religionem locos certos exigere, vbi exerceatur. Etsi enim nulli loco salus alligata sit, tamen ordinem obseruari conuenit, ne qua ridicula, aut etiam periculosa confusio fiat, quæ nunquam cauebitur, nisi externo cultui certum tempus & certus locus deputentur. Vbi simul cauendum ne loci eiusmodi prophanis vsibus polluantur. Illud enim & religionem ipsam contemptibilem reddit, & ijs qui ab eius cognitione alieni sunt, calumniãdi occasionem præbet. Huc Christi exemplum referri debet, qui cùm Hierosolymitanum templum, eiectis numularijs, emptoribus, simul & venditoribus repurgasset, nemini permisit, vt vel vas aliquod per templum deferret. At hodie non verentur quidam scurrilibus colloquijs & alijs vanißimis rebus templorum religionem prophanare: ita nimirum sese prodentes, quo animo in religionem præditi sint.

Templorum usus. 1. Cor. 14. Marc. 11.

Restat vt quis doctrinæ Christi effectus fuerit, uideamus. Obstupuisse dicuntur, qui docentem audiuerunt. Atqui Christum paulò ante à Nazarethanis suis contumeliosè eiectum fuisse Lucas tradit. Sed nunquam deest Dominus ijs, qui vocationem suam fideliter sequuntur. Nec unquam absq; fructu prædicatur Dei verbum, sicuti Isaias per pluuiæ similitudinem docet. Etsi enim multi illud fastidiant, non desunt tamen, qui illud magni faciunt, & ardentibus animis amplexantur. Huc facit, quòd Christus oues suas vocem ipsius agnoscere, & illam sequi ait. Nam qui ex harum numero sunt, ijs non modò verbum externum Deus offert, verumetiam eorundem corda tangit (sicuti de Lydia in Actis traditur) quò fit, vt verbo prædicato credant, quotquot prædestinati sunt ad salutem. Quin ne in impijs quidem suo effectu verbum Dei caret. Nam illorum quoq; animos Dei verbum penetrat, & ijdem animo perculsi obstupescunt, quando quæ latére putabant, argui & in lucem protrahi, seq; in conscientijs suis conuinci sentiunt. In hoc verò à pijs differunt, quòd vbi animos colleperunt, verbum illud vel scurriliter contemnunt, & ministros insaniæ accusant, vt Festus quando Paulum è vinculis concionantem audiuit: vel hostiliter insectantur, vt Iudæi, quando Christum lapidare voluerunt, qui etiam Stephani oratione exacerbati dentibus frendere cœperunt, & vrbe eiectum lapidibus obruerunt. Hic ergo nos officij nostri meminisse oportet, ne de verbo Dei ex nostris affectibus iudicemus, sed altius in nosmetipsos descendamus, vt in cognitionem delictorum nostrorum adducti, eorundem emendationi studeamus. Atqui hic ferè impingimus, dum eos imitamur, de quibus apud Ezechielem Dominus conqueritur. Nam Dei verbum instar cantilenæ alicuius audimus, quæ aut oblectat auditores, aut aliquo motu afficit illorum mentes: At domum digreßi, securi omnia negligimus, nec audita in mentem reuocamus, vt nostræ vel institutioni vel consolationi seruiant.

IIII. Effectus doctrinæ Christi. Lucæ 4. Isa. 55. Ioannis 10. Act. 16. & 13. Actorum 26. Ioan. 8. Actorum 7. Ezech. 33.

Imprimis verò causam, ob quam isti obstupuerunt, obseruare oportet. Exprimit hanc Marcus, dicens: Docebat enim tanquam authoritate præditus, non vt scribæ. Est hic consyderatu digna antithesis ista, qua scribis Iudæorum Christus opponitur, & vnde hæc Christo fuerit authoritas, facilè patebit. Docebat Christus Dei verbum, & verè dicere poterat: Doctrina mea non est mea, sed eius qui misit me. At scribæ humanis traditionibus ad quæstum institutis, simplices inescabant. Christus non suam, sed patris Dei gloriam quærebat: Illi in hoc toti erant, vt hominibus conspicui essent. Christus ardebat totus, & auditorum salutem ex animo sitiebat: Illi languebant frigidi, nisi si quæ priuati commodi spes affulgeret. Christus simul spiritu suo in hominum animis operabatur: At illorum doctrina nudis verbis constans, inani sono aures duntaxat feriebat. Accedebant ad Christi doctrinam miracula & vitæ exemplum: Illi solo fastu & inanibus titulis turgidi, exemplo malo quosuis offendebant. Facilè ergò quiuis inter Christum & illos discernere poterat.

Christus cum authoritate docuit. Ioan. 7. Matth. 15. Ioan. 5. Matth. 6. 23.

Patet hinc vnde sua sit ministris verbi authoritas, quam hodie collapsam esse multi queruntur. Christi exemplum sibi imitandum proponant, & mox se apud bonos in precio, malis autem formidabiles fore videbunt. Quod ipsum magistratibus quoque obseruandum est, & omnibus alijs, quorum magna debet esse in suo munere authoritas. Vocationem suam diligenter sectentur, nec suum quæstum, sed Dei gloriam quærant, & sese non absque fructu laborare sentient. Et vbi Christo probati fuerint, cum eodem cœleste regnum poßidebunt, cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Vnde sua ministris authoritas

HOMILIA XII.

Et erat in synagoga eorum homo, obnoxius spiritui immundo, qui exclamauit, dicens: Ah, quid rei nobis tecum est Iesu Nazarene? Venisti ad perdendum nos. Noui te quis sis: nimirum ille sanctus Dei. Et increpauit illum Iesus, dicens: Obmutesce, & exi ab homine. Et cum laniasset illũ spiritus immundus, & exclamasset uoce magna, exijt ab eo. Et obstupuerunt omnes, adeò ut rogitarent, inter se, dicentes: Quid est hoc? Quæ doctrina noua hæc? Quia cum authoritate etiam spiritibus immundis imperat, & obediunt ei? Emanauit autem fama eius statim in totam undique regionem Galilææ finitimam.

Argumentum & usus præsentis loci.

Vidimus hucusq; vt Christus Iesus docendi munus obierit, cui illum pater destinauerat. Doctrinæ ipsius summa fuit, Impletum esse tempus illud præfinitum, & Dei regnum in foribus esse, vt nimirum deuicto satanæ regno, humanum genus in libertatem filiorum Dei asseratur: Decere ergo omnes homines, vt ad illud ritè excipiendum per veram pœnitentiam præparentur. At ne incertus & ignotus esset tantus humani generis vindex atq; assertor, mox se illum esse, Christus miraculosis operibus docere cœpit. Inter quæ præsens hoc Marcus primum narrare voluit: cuius præcipuus finis & usus est, vt Christum intelligamus promissum illud mulieris semen esse, quod serpentis antiqui caput contriuit. Et quia in hac cognitione tota salutis nostræ ratio potißimùm versatur, historiam hanc cum suis circumstantijs diligentißimè exponit Euangelista, ita nos quoq; ad eamdem consyderationem excitans.

Gen. 3.

I. Dæmoniacus typus humani generis.

Et primò quidem dæmoniacus producitur, qui docente Christo in synagoga fuit, & clamoribus intempestiuis ipsius sermonem interturbauit. Is verò totius generis humani typum gerit. Ex quo enim Adam diaboli suggestionem secutus, in peccatum prolapsus est, ille inter homines, ex corrupto Adami semine natos, imperium obtinuit. Quò fit, vt quoad animam eadem sit omnium nostrum conditio, quæ eorum est quoad corpus, qui à satana corporaliter poßidētur. Amisso enim diuino illo rationis lumine, quo primum parentem Deus donarat, animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei. At rationem corruptam necessariò voluntas praua & affectus corruptißimi sequuntur. Gignunt hi studia non mala modò, verumetiam noxia, quibus contra suam ipsius salutem, instar mente captorum, homo indomitum fuerit. Nec vllæ hominis vires sunt, quibus semetipsum liberare poßit: nec etiam liberari vult, cùm peccatis vnicè delectetur. Prodest autem in huius nostræ conditionis consyderatione crebrò versari, vt salutẽ cuius nobis author est Christus, ardẽtius amplectamur.

1. Cor. 2. Rom. 7.

Diaboli ingenium quale sit.

Interim diaboli ingenium nobis obseruandum venit, quod ipsius dæmoniaci verbis probe exprimitur. Clamat ad Christi conspectum, vtpote quòd illum ad dissoluendum ipsius opera in mundum venisse sciret. Ita verò suam impotentiam testatur, quodq; aduersus Christum regnum suum defendere nequeat. Quid ergo inanibus minis sese ostentantem metuimus? Deinde sibi à Christo iniuriam fieri queritur, quod extremæ impudentiæ argumentum est. Quid (inquit) nobis tecũ rei est? Quasi dicat: Cur nos eiectos vis, cùm nihil nobis tecum negotij sit? Atqui diabolum Christi ditionem inuasisse constat, quando inter gentes omnes regnum sibi usurpauit, quas Christo pro hæreditate sua deus aßignauit. Addit: Venisti ad perdendum nos. Cui querelæ alibi hoc addit, quòd ante tempus Christus venerit. Adeò nullius mendacij diabolum pudet, vt istud dicere palàm ausit, etsi non ignoraret fatale illud tempus, quod à Iacobo patriarcha & Daniele prædictum erat, iam impletum esse. Istis verò blanditias interserit: Scio qui sis, Nimirum ille sanctus Dei, quem pater humani generis redemptioni destinauit, vt per te ipsi consecrentur, qui ab illo hactenus alieni fuerunt. Cum itaq; talem te agnoscamus, quid nos præterea torquere & vexare iuuat? Quin vt nostro etiam regno fruamur, permittis? Sunt hæc diligenter obseruanda ô fratres, eò quod nostræ cum consolationi tum institutioni multiuariam seruiunt.

1. Ioan. 3.

Psalm. 2.

Matthæi 8.

Impij ingenium diaboli referũt.

Primò enim diaboli ingenium atq; sophisticen agnoscere discimus, qua hodie etiam in impijs aduersus veritatem vtitur. Est hoc illis proprium, quòd nihil perinde atq; Christum metuunt atq; exo-

sum habent. Quia enim opera illorum mala sunt, & fucata iustitia sese venditant, veritatis lucem ferre non possunt. Interim impietatem suam mirabili artificio celare norunt, dum priores Christi & ministrorum ipsius accusationē instituunt, atq; sibi ab illis iniuriam fieri queruntur. Iniquum enim esse clamant, quòd ab ijs arguantur, quibus cum nihil commune habeant, nec etiam habere velint. Adhæc importunitatis accusant, quasi hoc seculo controuersiæ eiusmodi excitentur, quando illas potius sopori præstaret. Quid quòd indignis modis secum agi clamant, quando ipsorum tyrannis, qua ecclesiam hucusque oppresserunt, euertitur? Ne tamen palàm impij dicantur, quædam satis magnificè de Christo profiteri solent. Nam & Dei filium & mundi saluatorem agnoscunt, & fidei articulos se admittere dicunt, cùm tamen quod ore fatentur, factis negent, & superstitiosis traditionibus Christi meritum oppugnent, eosq; ferro & igne persequantur, qui vno Christo contenti, huic omnem suæ redemptionis gloriam tribuunt. Quòd si omnino sibi loco cedendum vident, ad blanditias humiliter conuersi petunt, vt in religione libertas constituatur, & ipsis sua quoque sacra peragere liceat. Quod etsi non semper negari possit illis, pijs tamen prudentia necessaria est: quando constat illos non aliud quàm occasionem quærere, qua nouas turbas dent, & Christum eiusq; doctrinam aliquando eijciant. Tunc ergo præsentis exempli meminisse oportet, ne nobis imponi patiamur.

Deinde diligenter tenere conuenit, diabolum palàm profiteri, sibi nil cum Christo commune esse. Diabolus nihil cum Christo cōmune habet. Quæ enim iustitiæ communio esse possit cum iniustitia? aut luci cum tenebris? aut Christo cum Belial? 2. Cor. 6. Diabolus certè in veritate nunquam perstitit, sed initiò statim mendax & homicida factus, ab eo tempore Christi regnum oppugnare nunquam desijt, sicuti in ipsius primogenito, Caino parricida, Ioan. 8. videre licet. Gen. 4. Nec est, quòd aliud speremus hodie. Non tamen nos ideò terreri conuenit. Quin potius gaudeamus, cum hinc constet, nihil diabolo iuris esse in nos, qui Christò inserti sumus. Interim illorum artes & fraudes caueamus, qui hodie (vt paulò ante diximus) Christum cum diabolo coniungere student, dum vel superstitiones & hominum traditiones cum Euangelij doctrina, vel effrenem peccandi licentiam cum fidei professione simul consistere posse arbitrantur. Vide 2. Cor. 6.

Docet præterea locus hic nudam Christi confessionem, quæ verbis & ore fit, saluare non posse. Confeßio fidei nuda nō saluat. Hanc enim diabolus quoque edit, & Iacobus dæmones credere & contremiscere testatur, de historica Iacob 2. nimirum fide loquens, qua Dei iustitiam & maiestatem, quodq; ipsis decretum est supplicium agnoscunt. At non iuuant ista, eò quòd nec saluificam in Christo virtutem ad se pertinere credunt, nec eius cognitione ad fidei obedientiam excitantur. Similis planè eorum quoq; est ratio, qui hodie Christi nomine gloriantur, cum interim à fide alienißimi sint, quod ex eo colligi potest, quòd salutis fiduciam alibi collocant, & vitæ impuritate Christi atq; Euangelij profeßionem infamant.

Sed ad Christum transeamus, qui diabolum mox ægreditur & eijcit. Primò autem increpat & tacere iubet: partim vt ostendat, nihil sibi cum illo commercij esse, nec illius testimonio indigere: partim vt suo exemplo doceat illius blanditias, promißiones, minas, responsa denique omnia spernere. II. Christus diabolum suo regno pellit. Cum enim mendacij pater & homicida sit, aut palàm mentitur semper, aut verum dicendo nostrum exitium & interitum quærit. Cur ergo illi credant, qui Christum doctorem & saluatorē agnoscunt? Huius meminerint, qui artes illicitas secuti, in rebus dubijs & futuris ad illius responsa confugiunt, Deut. 18. ariolos & magos consulunt: aut in morbis alijsq; periculis constituti, ab illo auxilium petunt. Excusant illi suum istud facinus, nec se diabolo fidem habere protestantur, hæc tamen facere, quia multis Isaiæ 8. &c. alijs successisse viderint. Ita verò semetipsos mendacij conuincunt. Si enim diabolo non fidem habent vllam, cur illum consulunt? cur ab illo beneficium expectant? cur illius opem implorant? cur circa artes diuinitus prohibitas tam multū occupantur? Nos Christum imitemur, qui vera dicentem audire non vult, quando illum non aliud quærere nouit, quàm vt omnem nostræ salutis causam suo testimonio suspectam reddat. Pertinet huc Pauli exemplum, quod Act. 16. habetur.

Deinde exire iubet immundum spiritum ab homine: nec mora, & exire cogitur. Est hoc diuinæ potentiæ euidens argumentum. Christi verbo diabolus eijcitur. Constat enim diaboli potentiam viribus humanis multò superiorē esse, quando nemo est, qui semetipsum, nedum alios ex illius tyrannide proprijs viribus liberare possit. At illum verbo suo Christus eijcit. Verus ergò Deus est, & angelorum omnium, tam bonorum quàm malorum, dominus. At potentia sua ad nostram salutem vtitur. Quod enim in isto homine fecit, idipsum in toto hominum genere præstitit, quando expiato peccato, per quod nobis satan dominabatur, il-

1.Cor.15. Ephes.6. Hebr.4.

lius regnum funditus euertit, nosq; ex illius tyrannide asseruit. Obseruabis autem, Christi verbo diabolum vinci. Est enim acutissimus ille gladius spiritus, qui si per fidem veram in hostem illum vibretur, mox omnes illius vires frangit, insidias detegit, & conatus omnes eludit. Assiduo igitur illius studio opus est, vt quoties cum hoste nobis res est, ipsi quoq; eodem pugnare possimus.

III. Diabolus inuitus, nec absque malo dato, cedit.

Porrò ad diabolum redire oportet, vt quomodo cesserit videamus. Laniat hominem, & Lucastè in medium proijcit. Horrendum item clamat. Quæ non obscura impatientiæ magnæ signa sunt. Vt enim hominum interitu gaudet: ita nihil illi intolerabilius videtur, quàm imperium suum in homines amittere. Quòd si illud omnino fieri oportere videt, tum demum vires omnes exerit, indomitũ furit, & iam discessurus malum aliquod dare cupit. Vides ergo quanta diligentia illius, seruitiũ cauendum sit, à quo vix vnquam discedere datur, quin aliquid damni sentias. Simul verò hinc consolationem petamus, si quando satanas immani furori pugnare, & extrema queq; nobis minitari videtur. Hæc enim eius postrema lucta est, & quia sibi cedendum esse videt, ideò quicquid habet virium profert.

IIII. Miraculi huius effectus.

Quis verò tanti miraculi effectus fuit? Obstupescunt omnes, & tum de ipso Christo, tum de illius doctrina, admirabundi quærũt. Elucet hic humani ingenij tarditas, qua fit vt sæpè ea miremur, quorum ratio facilè pateret, si ad Dei verbum respiceremus. Cur enim non veterem promissionẽ in animum reuocant, quæ Messiam diaboli victorem fore testatur? Deinde fama Christi ad omnem viciniam emanat, & passim illius miracula celebrantur, quem Nazarethani paulò ante contumeliosissimè eiecerant. Nulla ergo hominum vel malitia vel ingratitudine Christi gloria obfuscari potest: quin palmæ instar inter onera & aduersa eluctari & emergere consueuit. Discamus autem & ipsi Christum agnoscere, & iuxta ipsius exemplum aduersus satanam fortiter pugnare. Quod vt semper fieri debet, ita proprium sabbati opus est. Excusso igitur illius iugo, verbum Dei audiamus, preces faciamus, beneficentiæ studeamus, & mox diaboli regnum corruet, regnabit autem in nobis Christus Iesus, cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

Genesis 3. Psal.91. Luce 4.

HOMILIA XIII.

Et protinus è Synagoga egressi, uenerunt in domũ Simonis & Andreæ, cum Iacobo & Ioanne. Socrus autẽ Simonis decumbebat febricitans & continuò dicunt ei de illa. Et accedens erexit eã, apprehensa manu eius: & reliquit eam febris illicò, ac ministrabat eis.

Argumentum & usus præsentis loci.

OMnium quæ ab Euangelistis scripta sunt, hic finis & scopus est, vt credamus Iesum esse Christum, & vt credentes vitam habeamus per nomen eius. Quare cum res omnes ex suis siue operationibus siue effectis optimè cognoscantur, in miraculosis Christi operibus describendis cumprimis diligentes sunt. Ex his primùm commemorauit Marcus liberationẽ hominis dæmoniaci, qua docetur, Christũ promissum illud mulieris semen esse, quod solũ antiqui serpentis caput cõtriuit, atq; humanum genus ex illius tyrannide asseruit. Huic commodè præsens hoc subijcitur, quo admonemur, eundem corruptæ etiam naturæ & latenti in nobis peccati noxæ mederi, quæ ad malũ quidem procliues, ad bonum verò, non tardos modò, verumetiam ineptos reddit. Cuius typum febris, à cuius æstu Petri socrum Christus liberauit, pulchrè refert. Febris enim in interioribus corporis partibus accensa, immodico & nimio ardore corpus totum inflammat, sitim excitat inextinguibilem, quæ non nisi noxia appetit, & languore graui omnia membra debilitat, vt vix vllum suo officio verè fungi possit. Eadem omnino hæreditarij siue Originalis peccati in nobis natura est. Nam in membris nostris (ut Paulus Rom.7. loquitur) residens desyderijs nocentissimis omnes tum corporis tum animæ facultates inflãmat. Quò fit, vt aures turpia audire, oculi noxia videre, manus aliena tãgere, pedes illicita sectari, totus deniq; homo peccatis seruire cupiat. Simul uerò rationẽ excæcat, ut nõ percipiat ea quæ sunt spiritus dei, animæ vires debilitat, volũtatẽ captiuã ducit, et nisi præsenti aliquo remedio coherceatur, morti æternæ mãcipat. At tanti mali medicus unus & solus Christus est, qui incarnationis suæ contactu nobis quasi manus porrigit, verbo suo peccatum increpat, spiritu aũt innouatos excitat, & ad omne opus bonum idoneos reddit. Quæ causa est, quòd alibi se medicum profitetur, qui ægris

Genesis.3. Matth.9.

sanandis

sanandis in mundum venerit. Quia tamen multa alia huic historiæ insunt, singulas illius partes ex ordine inspiciemus.

Primò Christus occurrit, qui in domũ Petri & Andreæ diuertere voluit, quos iam ante ad Apostolatum vocatos fuisse audiuimus, quiq; alibi propter Christum omnia reliquisse dicuntur. Apparet hinc, quomodo sua Apostoli reliquerint. Nõ quòd temere deseruerint uxores, liberos, familiã & quæ ad huius conseruationẽ faciunt: sed quatenus illorũ vocatio postulabat. Quando enim per hanc licuit, ad sua redierunt, nec eos damnarũt, quibus hoc concessum esse videbant, vt suis honestè prospicerent. Habet ergo Petrus domum, vxorem, familiam, nauim, retia, ad quæ post Christi quoq; resurrectionem redijsse legitur. Frustra ergo Apostolorum exempla nobis Monachi & Anabaptistæ obijciunt, quorũ illi sub paupertatis voluntariæ prætextu ditissimi sunt, hi verò temere deserta vocatione sua, rebus nihil ad se pertinentibus sese implicant. Quin potius in sua vocatione maneant singuli, & mundo hoc ita vti discant, ne eodem abutantur, sicuti Paulus ad Corinth. monuit. 1. Corinth. 7. — Quomodo Apostoli sua reliquerint. Matth. 19. Ioannis 21.

Imprimis verò obseruabis quod de Petri socru dicitur. Inde enim patet, eundẽ vxorem quoq; habuisse. Quod ipsum de omnibus Apostolis, excepto solo Ioanne, quidam non absq; ratione affirmarunt. Habent enim Pauli testimoniũ, dicentis: An non habemus potestatẽ sororem mulierem circũducendi, quemadmodũ & cæteri Apostoli & fratres Domini & Cephas? Neq; hîc Hieronymi interpretationẽ admittimus, quem ille (ut pace tanti viri dixerim) parum prudenter confinxit, vt cœlibatũ, cui semel patrocinari instituerat, assereret. De Christianis enim mulieribus locũ intelligit, quæ Apostolos officij ergò secutæ sint, vt illis ministrarent, quorũ tamen vxores non fuerint. Ita verò Apostolos vxoribus abstinuisse cõtendit, ut eosdẽ interea scortationis suspectos reddat. Quis enim nõ videat, quàm turpè, quàm iniquum, quàm plenũ offendiculi hoc fuisset, si relictis proprijs vxoribus, mulieres alienas & nihil ad se pertinentes circũduxissent? Non minus friuolum est, quod Apostolorũ coniugia ad vetus testamentum relegat, & illa cessasse scribit, postquàm ad Euangeliũ vocati sunt. Quasi verò nesciamus Paulum à noui testamenti episcopo exigere, vt vxorem & liberos atq; familiã honestè institutã habeat. Et Philippũ Cæsareæ habitauisse, & quatuor filias prophetantes habuisse legimus, quas ex scortatione natas esse dicat, si quis adeò perfrictæ frontis est, vt honestius esse putet, Apostolos virosq; Apostolicos scortatores quàm cõiugatos dicere. Ego Philippũ vxori legitimæ con iunxisse, & ex illa liberos genuisse dico, nec vnquam crediderim, Paulum in scortatoris domũ diuertere voluisse, cùm scortatores idem à Dei regno alienos esse doceat. At ecclesiarũ ministris à coniugio abstinendum esse clamant, quia illorum conuersationem perfectissimam esse conueniat. Atqui matrimonium Christianæ perfectioni nihil derogat. Nam & Apostolorũ statum perfectissimũ, & matrimonium in paradiso priusquàm à perfectione illa prima Adã excidisset, diuinitus institutũ fuisse constat. Et Paulus coniugatorũ cubile impollutum esse ait. Scimus quidem eundẽ alibi dixisse: Bonum est homini vxorẽ non attingere. At illud propter curas & molestias, quæ coniugiũ comitantur dicit, non quòd illud per se malum esse sentiat. Quin mox subdit: Attamen propter stupra vitanda suam quisq; vxorẽ habeat, & suum quæq; virum habeat. Arguunt hæc Pontificũ tyrannidẽ, qui ministris coniugij vsum prohibuerunt, & ita grauissimi in ecclesia scandali authores fuere, quando factũ est, ut impudenter scortati fuerint, qui publica Christianæ honestatis & puritatis exempla esse debebant. Cœperat hanc Camerinam iam olim satan mouere, quando in Nicæa Synodo, quidam aduersus ministrorum coniugia disputarunt, quos Paphnutij authoritas repressit. At non quieuit mysteriũ iniquitatis agitare malignus ille spiritus, donec effectum dedit quod voluit. Quàm nulla verò apud nos esse debeat eiusmodi decretorum authoritas, vnus Pauli locus abundè docet, qui illa ad dæmoniorũ doctrinas refert. Vide 1. Timoth. 4. — Apostoli vxores habuerunt. 1. Corinth. 9. Lib. 1. aduersus Iouinianum. 1. Timoth. 3. Tit. 1. Acto. 21. 1. Cor. 6. Gen. 2. Hebr. 13. 1. Corinth. 7. Socrates lib. 1. cap. 11.

Sed ad historiam reuersi, qualis huius domus familia fuerit, videamus: Plena nimirum fidei atque charitatis. Fidei argumenta sunt, quòd Christum sequuntur, excipiunt & sua in illum libenter conferunt. Charitatis autem est, quòd duo fratres in vna eademq; domo cohabitant, quòd socrus ægrotantis curam habent diligentẽ, & vix domum ingressum Christum pro illa rogant, & quòd plures simul cum illo aduenientes absq; murmure excipiunt. Admonemur exemplo hoc, quales esse deceat Christianorũ familias. Prima in illis fidei atq; religionis cura esse debet. Quia nisi dominus domum ædificet, & nostris laboribus atq; industriæ benedicat, ipsi nihil proficiemus. Hinc illa de li- — Qualis fuerit Petri familia, & quales esse deceat familias Christianorũ. Psalm. 127. Exod. 13.

Psalm.78. Deute.6,28. Leuit.26. Psalm.133.

beris in Dei cognitione probè instituendis præcepta, promissiones itē & minæ, quæ in lege proponuntur. Deinde charitatis & concordiæ studium seruetur, quando solos illos diuinæ benedictionis capaces esse constat, qui ab odio, inuidia, æmulatione & contentionibus liberi, fraterno amore coniuncti simul cohabitant. Tertiò parentes, & quicunq; horum loco sunt, in pretio haberi & amari conuenit: tum quòd longo rerum vsu multa edocti prudentia & consilio valent, tum quòd in longæua senecta peculiare gratiæ Dei specimen & veneranda canitiei maiestas elucet, ad quam omnes vnanimi consensu aspirare solent. Quam quicunq; in alijs contemnunt, næ indigni sunt, qui ad illam aliquando perueniant. Postremò Christi hospitia sint domus nostræ, nec pigeat illius membra excipere, quando scimus illum in suas rationes ascribere, quicquid in suos confertur. Talis olim Abrahæ domus fuit. Talis Lazari Bethaniensis, & aliorum, quorum exempla in scripturis nobis imitanda proponuntur. At si plerosq; consyderes, qui nostro seculo Christiani dici & haberi volunt, illos in omnibus hisce plurimùm peccare fateberis. Religionem enim ita negligunt, vt in quæstuosis artibus potius quàm in Dei cognitione & pietatis studio liberos suos institui velint: vt de ijs nihil dicamus, qui vitiorum semina teneris animis instillant. Inter domesticos rixæ quotidianæ sunt. à quibus coniuges etiam frequenter ad verbera deueniunt. Seniorū nulla ferè authoritas est, & illos pleriq; mortuos quàm viuos mallent. Quòd si in Christum & illius membra sumptus aliquis faciendus sit, mox tenacissimos videbis, quibus in vsu est sua omnia in vestium luxum, aleam, pocula, scortationē & turpissima quæuis flagitia profundere. Quid mirum ergo fuerit, si veteres & nobiles familias interire, & irati Dei manum vndique nobis imminere videamus?

Matth.25. Gene.18. Ioan.11.12.

Quò confugere debeamus in aduersis. Matthæi 3, 17. Hebr.4.

Docet præterea huius familiæ exemplum, quò confugere debeant, qui vel morbis vel alijs aduersis premuntur. Ad Deum scilicet, qui solus ista immittēdi & auferendi ius habet. Huius verò opem Christi nomine implorare oportet, in quo pater nobis reconciliatus est, & per quem aditum habemus liberū ad thronum gratiæ. Licet quidem medicina & medicorum opera uti, quādoquidem herbas & infinita alia in hominis usum Deus procreauit. Sed illic meminisse oportet, pharmacorum vires nullas fore, nisi Deus illa nobis salutaria esse velit. Ita ergo illis vtendum, ne fiduciā, quæ vni Deo debetur, in illis collocemus. Qua in re Asa rex olim peccauit. Imprimis verò locus iste eos arguit, qui Diuis vota nūcupant, & eos inuocandos esse arbitrantur, quod ipsi quoq; olim ijsdē periculis impliciti, & mirabiliter liberati fuerint. Quin potius ad Deum recurrunt, qui olim in illis liberandis suā tum bonitatem tum potentiam declarauit, quiq; in Psalmis ait: In die tribulationis tuæ inuocato me, & liberabo te, &c. Aut scripturis euincant, Deum suam hanc potestatem in Diuos transtulisse, id quod illis tam facilè factu erit, quàm digito cælum attingere.

1.Par.16.

Psalm.50.

Christus febricitanti medetur. Luce 4.

Porrò Christū videamus, qui piæ familiæ precibus mox acquiescens, febricitantis anus manū apprehendit, febrim (vt Lucas habet) increpat, & in pedes erectā pristinæ valetudini restituit. Elucet hic magna Christi bonitas, qui miseros & peccatis grauatos salutifero incarnationis suæ contactu dignatur. Et simul eiusdem potentiā videre licet, quæ & morbis, & ventis, & dæmonibus & creaturis omnibus magna cum authoritate præcipit, & illis pro suo arbitrio utitur. Solentur nos ista in omni tentationum genere, ne vel nos propter infirmitates nostras à Christo contemni, vel illas incurabiles esse putemus. Non fastidit enim miseros, qui carnem assumere dignatus est. Et idem facilè omnibus vitijs mederi potest, cuius increpatio ad morbos & dæmones profligandos sufficit. Quòd si verò ille in ira sua impios hostes increpet, mox in fumum abibunt illorum conatus, qui paulò ante insuperabiles esse videbantur. Stemus ergo intrepidi, & salutis fiduciam in hoc vno collocatam habeamus. Est enim ingens & inexcusabilis illorum error, quicunq; non uno hoc medico contenti, salutem alibi quærunt: Ita enim & bonitatem illius aspernantur, & potentiam in dubium vocant, seq; ipsos lesæ maiestatis diuinæ reatu implicant.

Officium eorū quos liberauit Christus. Ioan,5.

Cæterum à febri liberata surgit Petri socrus, & ministrat illis. Officij hic admonentur, quos Christus siue anima siue corpore restituit. Debent illi è peccatorum luto surgere, & amplius non peccare, sicuti paralytico curato ad piscinam, Christus dicit. Christo autem per fidem & charitatem ministrare debent, vt non verbis modò, verumetiam factis, animorum gratitudinē testentur. Fit hoc si ad Dei gloriam ea conuertant, quæ illis prius iniustitiæ instrumenta fuerunt. Interim docemur hoc exemplo, pijs infirmitates quoq; suas ad Dei gloriam cedere. Quia enim in illis Dei gratiam experiuntur,

periuntur, eò alacriores ad officium redeunt, vt ardentiori studio id compensent, quod abs se peccatū fuisse sentiunt. Oremus ergo Deum patrem, vt in nobis quoq; per filij sui meritum æstuantes corruptæ naturæ affectus restinguere dignetur, vt lætifero illo corpore liberati Christo seruiamus, cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA XIIII.

Vesperi uerò, cum occidisset sol, afferebāt ad eum omnes malè habentes, & qui à dæmonijs agitabantur. Et ciuitas tota congregata erat ad ostium, & sanauit multos qui ægrotabant uarijs morbis, & dæmonia multa eijciebat, & non sinebat loqui dæmonia, quòd ipsum nossent. Et manè multa adhuc nocte, cum surrexisset egressus est, & abijt Iesus in desertum locū, ibiq; orabat. Et prosequutus est eum Simon, & qui cū illo erant, & cum inuenissent eum, dicūt ei: Omnes te quærunt. Et ait illis: Eamus in proximos uicos, ut & ibi prædicem: in hoc enim egressus sum, Et prædicabat in synagogis eorum per totam Galilæam, & dæmonia eijciebat.

Argumentum & usus præsentis loci.

QVàmuis Euangelij doctrina, quæ in vno Christo salutē monstrat, nullis testimonijs opus habeat, eò quòd ipsissimū Dei patris verbū sit: Christus tamē nostræ infirmitatis causa illā miraculis confirmare voluit, quæ illū reipsa talē esse testantur, qualis verbo prædicatur. Quæ causa est, quòd miracula illa Euāgelistæ diligēter describunt, in quorum cōsyderatione nos ita versari conuenit, vt Christū in animabus nostris hæc ipsa operari credamus, quæ olim in sanandis hominū corporibus præstitit. Et huc imprimis facit præsens hic locus, in quo præcipua Christi opera ita describūtur, vt luculentissimè pateat, in illo nobis diuinitus proponi, quæcunq; ad nostrā salutē faciunt, & hunc illum Regem atq; Sacerdotem esse, quem præfinito tempore venturum prophetæ prædixerunt.

Capernaitæ ad Christum confluunt, sed studio præpostero.

Cæterū priusquā Christi facta siue opera excutiamus, qua occasione illa fecerit, indicatur. Præbuerunt hanc Capernaitæ, quos miraculi in synagoga æditi fama excitauit, vt sub solis occasum omnes cateruatim ad Petri ostium cōfluant, & ad Christū deferant quoscunq; vel morbis malè affectos, vel immundis spiritibus obnoxios habebant. Vbi laudem sanè merētur, quòd corporalia Christi beneficia tanti faciunt, & suos illius ope curari cupiunt. Interim minimè probari debet, quòd de sola corporū salute soliciti, interea animarū salutem, quam Christus cumprimis offerebat, securi negligūt. Quot enim inter illos fuisse putas, quos auaritiæ sitis, quauis hydropisi ardentior, inflammabat, qui item libidinis æstu ardebant, superbiæ vento intumescebant, intemperantia præfocabantur, odio & inuidia attenuabantur, quiq; sese totis animis diaboli seruitio addixerant? Atqui nullus horū Christi opem quæsiuisse legitur, nec aliquis pro alio hisce vitijs laborante intercessit. Ita apud Ioannē, Christum auidè sectantur, & regem facere volunt, quando miraculose ab illo pasti sunt: at animarum cibum offerenti improbè oggànniunt. Atqui vtinam cùm istis vitium hoc totum intercidisset, & non hodie etiā eiusmodi Capernaitæ inter Papistas simul & Euangelicæ doctrinæ professores inuenirentur. Quid enim aliud faciunt, qui Diuorū cultores dici volunt, ab illis autem nil nisi corporum sanitatem & temporalia beneficia petunt, doctrinam verò & fidei exemplum, quod in illis proponitur, omnino negligunt? Nos qui Euangelicæ doctrinæ studium profitemur, opibus & honoribus intenti, vitæ Christianæ officia facilè negligimus, tamq; abest, vt de fratrum emēdatione seriò cogitemus, vt nec nostra ipsorum salus nobis satis cordi sit. Quid autem præposteros eiusmodi Christi sectatores maneat, ex ijs æstimare licet, quæ Christus Capernaitis alibi interminatur. Horum tamē imprimis memores sint, quorum tanta ingratitudo est, vt temporalia quoq; beneficia, quæ ex Euangelio ad ipsos redeunt, improbè dissimulent. Quæramus autem in Christo quæ animarum saluti seruiunt, & mox in temporalibus etiam Dei benedictionem nobis non defuturam esse experiemur. Vide Matth. 6.

Capernaitæ nostri seculi.

Matth. 11.

Christus quosuis amicè excipit.

Transeamus nunc ad Christum Dominū, in quo eximium & quotidiana meditatione dignum diuinæ bonitatis atq; mansuetudinis exemplū elucet. Etsi enim non satis magnificè de ipso sentiant, & postea ingratissimos hominum fore non ignoret, adhæc importuni nimis tempore importuno veniant: adeò tamen non reijcit ad se venientes, vt potius amicè exceptos attactu dignetur. Nam Lu-

Luc. 4.

cas illum singulis manus imposuisse scribit. Atqui manuum impositione non opus erat, cùm pro im-
Matth. 8. perio morbis mandare, & in absentes occulta diuinitatis virtute operari posset, vt in sanato Centu-
rionis famulo est videre. Sed ita suam bonitatem testari, & afflictis omnibus animos addere voluit,
ne illius maiestate consternarentur, cuius mansuetudo tot exemplis cognita atq; perspecta est. Ser-
uiat ergo hoc fidei nostræ confirmandæ, ne nos Christò vel indigniores vel importuniores videri posse
Matth. 11. putemus, Inuitat ille ad se omnes. qui laborant & onerati sunt. Vocat sitibundos & famelicos. Veni-
Ioan. 7. entes ergo ad se reijcere non potest. Idem verò infirmitates nostras expertus est, & omnis generis ten
Isaiæ 55. tationes subijt. Cur ergo infirmos & tentationibus obnoxios fastidiat? Nec aliquod tēpus illi intem
Hebr. 2. 4. pestiuum & incōmodum uideri potest, cuius prompta semper ad iuuandū uoluntas est, quiq; nobis dor
Ieremiæ 11. mientibus manè surgit, omnes saluandi occasiones quærit, & manus suas erga rebellē quoq; populum
Isa. 65. semper extensas habet. Quin potius dies & noctes inuocari vult, & aßiduis ad se confugientium cla-
Lucæ 18. moribus delectatur, sicuti ipse in parabola viduæ & iniqui iudicis docet. Interim Christi exemplum
Christi mansuetudo imitanda. ad nostram institutionem transferamus, vt eadem mansuetudine ipsi etiam vtamur erga eos, qui no
stra ope indigent. Hîc enim plurimùm peccari consueuit. Quia enim ex ingenito philautiæ malo no-
stris commodis intenti, à beneficentiæ studio autem natura alieni sumus, vndiq; causas venamur, sub
quarū prætextu charitatis officia quibusuis negare liceat. Hinc est, quòd nostra ope indigis aut vi-
tam anteactam, aut ab illis acceptas iniurias, aut opem postulantibus improbitatem exprobramus,
& nostras causamur occupationes, & infinita alia cōminiscimur, quæ ingeniosa priuati cōmodi cu-
piditas suggerit. At si Christi exemplum nobis ob oculos ponamus, & quales ipsi in Dei conspectu si-
mus, probè expendamus, facilè patebit, iniquißimas esse eas rationes, quæ primo intuitu carni iustis-
Matth. 5. simæ videntur. Imitemur ergo Deum patrem, qui solem suum super iustos & iniustos oriri patitur,
& iuxta Christi doctrinam proximos nobis esse putemus, quicunq; nostra ope indigent, & in illos con-
feramus, quæ à nobis exiguntur, charitatis officia. Vide Samaritani parabolam Luc. 10.

Opera Christi, Regis & Sacerdotis nostri. Restat vt Christi opera inspiciamus, quæ præcipua huius loci pars est. Verā enim illius cognitio-
nem tradit, & verè Vnctū illum Dei, id est, Regē & Sacerdotē esse demonstrat, quē pater ab æterno
humani generis redemptorē constituit. Et primò quidem multos curauisse dicitur, qui varijs morbis
1. Medetur morbis & à diadoli tyrannide liberat. ægrotabant, & spiritus immūdos ex obseßis verbo eiecisse. Interpretatur hoc Matthæus per Isaiæ lo
cum, quo Christū nostras infirmitates & morbos portaturū prædicit. Patet ergo, hunc humani gene-
ris vindicē & assertorem esse. Per morbos enim omnis generis ingenita nobis corruptio, & quæcunq;
Matth. 8. ex hac enasci solent, peccata figurātur. Corruptioni autē nostræ Christus medetur, dum ex verbi sui
Isa. 53. semine per spiritū nos in filios Dei regenerat, et ad omne opus bonū idoneos reddit. At peccata simul
1. Pet. 1. omnia suæ mortis merito expiat, & ita diaboli tyrannidem euertit, qua ille propter peccatū miseros
1. Ioan. 3. 15. mortales premebat. Et ista quidē per incarnationē suam nobis contulit, quæ illi contactus loco fuit, à
nobis autē sola fide percipiuntur, quæ ideò nos iustificare atq; saluare dicitur. Quia enim ex nobis car
nem assumpsit Christus, adeoq; frater noster factus est, causam nostrā suscipere, & debita nostra ex-
oluere potuit. Nos verò meriti ipsius & totius Christi consortes reddimur, quando illū fide amplexi,
illi inserimur, sic vt illius membra censeamur. Ita verò Regis officio fungitur, dum suos ex peccati
& diaboli tyrannide assertos sibi vendicat, & eosdē secum in æterni & cœlestis regni sui possesionem
transfert. Simul hîc nostri etiā nos officij admonet. Dum enim verbo suo dæmones eijcit, nec eosdem
Ephes. 6. loqui patitur, docet, nobis quoq; gladio spiritus, id est, verbo suo, aduersus communē hunc hostē assiduè
pugnandū esse, nec vllū nobis cū illo cōmerciū esse debere, adeò vt nec magnifica illius de nostra fide
testimonia admittamus, quando constat, illa ab eo non in aliū finē proferri, quàm vt per illa vniuer-
sam fidei Christianæ causam suspectā reddat, sicuti supra in dæmoniaci liberati historia diximus.

2. Orat in deserto. Secundò multa adhuc nocte in desertū locum egressus, orat. Atqui Christum precibus ad patrem
minimè opus habuisse constat. Est enim verus, coæternus & consubstantialis Dei filius, eiusdem cum
Ioan. 10. 14. patre maiestatis & potentiæ consors. Orat autem, vt Sacerdotis officium impleat, cui illum pater
destinauerat, & ita se apud patrem pro nobis intercessorem esse testatur. Talis ergo à nobis agnosci
Ioan. 14. debet, nec audiendi sunt, qui Diuos intercessores fingunt, quando ipse ait: Nemo venit ad patrem,
1. Timoth. 2. nisi per me. Et Paulus, Vnus (inquit) est Deus, & vnus mediator Dei & hominum, homo Christus
Iesus. Nec ideò vel Diuis vel Virgini Mariæ quicquam derogamus, sed electa Dei organa olim
fuisse,

fuisse, nunc autem in cœlis æterno gaudio frui fatemur: quoad verò intercessionem, qua nobis apud patrem opus est, Ioannis Apostoli consilium sequimur, dicentis: Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem, Iesum Christum iustum, &c. Interim suo exemplo Christus in precibus sedulitatem & animorum deuotionem commendat, dum & summo mane ad orandum surgit, & in locum desertum exit, ne vel hominum superuenientium multitudo, vel alia oculorum obiecta precantis animum turbarent. Idem alibi nos indesinenter orare, & oraturos secessum quærere iubet, docens fore, vt orantes pater exaudiat. Et hæc quidem ad priuatas preces pertinent, quæ publicas minimè abrogant, de quibus suo loco & tempore dicemus.

1. Ioan. 2.
Preces sedulos & deuotos esse uolunt.
Luc. 18.
Matthæi 6.

Tertiò per totam Galilæam Christus prædicat, & illum Capernaũ retrahere volentibus, se ideò à patre egressum, & in mundum venisse respondet, vt Euangelium hinc inde doceat. Pertinet hoc quoq; ad Sacerdotis munus, quo Christum in hac etiam parte functurũ esse, olim Moses & prophetæ prædixerunt. Et ipse pater idem innuit, cùm cœlitus ait: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi cõplacitum est, ipsum audite. Atqui magna hîc elucet Dei bonitas, qui corruptissimo hominũ generi filium suum doctorem dare voluit, qui vt olim ipse doctoris officio functus est, ita à dextra patris nunquam non spiritus sui dona largitur, & alios quidem dat Apostolos, alios doctores, alios prophetas, alios Euangelistas, ad instaurationem sanctorum. Et hîc quidem Euangelicæ doctrinæ dignitas & authoritas asseritur, quando huius minister & præco ipse Christus, Dei filius, esse voluit: cuius contemptores & hostes meritò censentur, qui illam hodie oppressam volũt. Nostrum fuerit, Iesum Christum humani generis vindicem, mediatorem, saluatorem & doctorem catholicum agnoscere, illi credere, eiusdemq; doctrinæ & exemplo insistere, cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

3. Prædicat Euangelium.
Deut. 18.
Isaiæ 2. 50. 61 &c.
Matth. 17.
Ephes. 4.
Euangelij dignitas.

HOMILIA. XV.

Et uenit ad eum leprosus, deprecans eum, eiq; ad genua procidens, ac dicens illi: Si uis, potes me mundare. Iesus autem misertus, protensa manu tetigit illum, & dicit ei: Volo, mundus esto. Et cùm dixisset, statim discessit ab eo lepra, & mundatus est. Et comminatus ei, statim emisit illum, dicitq; ei: Vide, ne cui quicquam dicas: sed abi, ostende te ipsum sacerdoti, & offer pro emundatione tui, quæ præcepit Moses, in testimonium illis. At ille egressus cœpit prædicare multa, & diuulgare sermonem, ita ut iam non posset Iesus manifestè introire in ciuitatem, sed foris in desertis locis erat, & ueniebant ad eum undique.

Qvemadmodum Dei filium, Iesum Christum, iuxta æternum patris decretum, hominem fieri & nostræ redemptionis ergò in mundum venire oportuit: ita eiusdem potentiam & maiestatem multis miraculis reuelari & commendari necesse fuit. Causa est, nostri ingenij corruptio, quod vili & ignobili Christi specie, & crucis ignominia offenditur. Debent ergo miracula hæc non obiter legi, sed ita consyderari, vt & Christum ex illis agnoscamus, & nostri officij admoneamur, quod illis præstandum est, qui salutis per Christum partæ consortes fieri cupiunt. Eodem & præsens hoc referri debet, quo & totius humani generis conditio, & Christi saluifica virtus, & saluatorum officia luculentissimè adumbrantur.

Argumentum & usus præsentis loci.

Primò enim leprosus producitur, in quo nostræ naturæ infelix corruptio elucet. Lepra siquidem ex adusto & corrupto sanguine exorta, omnia membra exitiali planè contagio depascitur, faciem totumq; reliquum corpus turpiter defœdat, & apertis notis conspicua, infectos ab hominum commercio excludit, nec vlla ope aut arte humana curari potest. Atqui eadem est omnium hominum, quoad animas nostras, conditio. Nam ex primo parente peccatum hæreditario iure, ceu contagio quodam in nos deriuatur, quod intra viscera nostra incensum noxijs cupiditatibus inflammat, operibus prauis palàm erumpit, & miseros nos tum à Dei conspectu, tum ab ecclesiæ Dei consortio excludit. Adhæc incurabile malum est, quod nullis nostris vel viribus vel meritis pellitur. Nisi ergo aliunde nobis medicina veniat, necessariò pereundum erit.

Leprosus humani generis typus.
Leuit. 13. & 14.

Leprosus, quid nobis faciendũ sit, suo exemplo docet.

Hic verò quid leprosus iste fecerit, videndum est, & mox quæ nostræ etiam sit salutis ratio intelligemus. Primò agnoscit is morbum suum, quæ causa est, quòd mundari cupit. Est hoc salutis principium. Vt enim qui morbum suum ignorant, de medico & medicina non multùm soliciti sunt: Ita quicunq; se peccatores esse non agnoscunt, nec quanta sit peccati atrocitas intelligunt, nunquam de salute sua seriò cogitare solent. Frequenti igitur Legis studio opus est, quæ speculi instar nostram fœditatem atq; corruptionem arguit, & peccati blanditias, quibus sese in animos nostros insinuat, longißimè arcet. Quòd si qui nec ipsi suam corruptionem agnoscere, nec ab alijs argui volunt, illorum sanè incurabilis & deplorata est conditio. Deinde unum Christum accedit noster hic, nec ullos alios uel medicos, uel intercessores quærit. Idem nobis quoq; sufficere debet, quãdo constat, nullum nobis aliud sub cælo nomen datum esse, in quo nos saluari oportet, præter unum hunc, qui nobis à patre factus est sapientia, iustitia, sanctificatio & redemptio. Idem se ægrotantibus medicum uenisse profitetur, & laborantes omnes amicißimè ad sese inuitat. Quare nec intercessore aliquo nobis apud illum opus est, cum illum pater apud se pro nobis intercessorem atque mediatorem constituerit. Vbi verò in Christi conspectum venit leprosus, ad genua illius procidit. Quo gestu animi contritio & humilitas adumbratur, quæ ex nostri ipsius & peccati agnitione enasci solet. Opus hac nobis est quam maximè. Vt enim Deo exosa est superbia & insolens propriæ iustitiæ fiducia: ita idem ille cor humiliatum & contritum benignus suscipit. Adhæc plena fidei est leprosi oratio. Si vis (inquit) potes me mundare. Potentiam ergo in Christo agnoscit absolutam & liberam, nec quicquam de illa dubitat. Voluntatem verò eidem liberam facit, nec illi aliquid impudentius præscribit, quin huic sese totum subijcit. Est hæc fidei obedientia, quam Paulus prædicationis Euangelicæ & cognitionis Christi finem atq; scopum facit. Imitemur itaq; leprosi huius exemplum, & de potentia Christi atq; meriti ipsius virtute nihil dubitemus, quando vnum illud expiandis omnibus totius mundi peccatis sufficit, & eidem omnis potestas data est in cælo & in terra. Nec minus certa nobis esse debet eiusdem voluntas, quæ ad saluandum semper propensa est, cum bonus ille pastor sit, qui animam suam pro ouium redemptione dedit, nec quenquam ad se venientẽ foras eijcit. Quod verò externa & quæ corpus spectant, siue tentationes, quibus in hoc seculo exercemur, illius quidem auxilium petere, nihil autem illi audacius præscribere, sed totos nos ipsius arbitrio subijcere debemus, quod ipsum proprio exemplo docet, quando mortem aditurus ad montem Oliueti in hunc modum orat: Pater, si vis transfer poculum hoc à me. Veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat. Ita verò orantes, etsi non semper voti cõpotes reddat, exaudit tamen & consolationis spiritu instruit & inuictos reddit.

Psal. 1.

Acto. 4.
1. Corinth. 1.
Matth. 9. 11.

1. Pet. 5.
Luc. 18.
Psal. 51.

Rom. 1. 16.
2. Cor. 10.

Christus medicus, qui animæ lepram solus curat.

Porrò Christum videamus, quid ille cum leproso opem petenti egerit. Primò illius misertus esse dicitur, vbi ea voce vtitur Marcus, quæ ipsis visceribus motum fuisse significat, eum nimirum affectum Christo tribuens, quem natura parẽtibus erga suos liberos inseuit. Deinde extensa manu illum attingit, quod lex facere prohibebat. At charitati cedunt omnia, nec displicet Deo, si eiusmodi habeamus cum peccatoribus commercia, quæ ad illorum emendationem faciunt. Interim nostræ salutis mysterium hic latet, & nos per incarnationis Christi meritum à peccatis mundari docemur. Per hanc enim nos quoq;, quasi manu extensa, Christus attingit, & sibi insitos suæ mortis, quam in carne sustinuit, merito nos abluit, & peccati noxa liberat. Addit his verba, quibus & voluntatem suam & potentiam saluificam testatur. Volo (inquit) mundus esto. Et quod illi dicitur, nobis quoq; dici putemus. Nam & nos mundatos vult Christus, cùm non alia de causa in mundum venerit, quàm vt à peccatis simul & peccatorum pœna humanum genus liberaret. Magnum verò potentiæ Christi argumentum est, quòd ad illius mandatum lepra toto corpore recedit, & è vestigio mundus apparet, qui illa ante infectus fuerat. Multa eius generis in alijs quoq; Christi miraculis occurrunt, quorum omnium finis est, vt salutiferam illius virtutem agnoscamus, nec terreamur peccatorum nostrorum atrocitate, quando Christum omnibus illis diluendis sufficere, tam multis tum scripturæ testimonijs, tum exemplis, constat. Eius enim voces sunt apud prophetam: Ego ego ille ipse sum, qui deleo transgreßiones tuas, idq; propter me, & peccatorum tuorum non amplius recordabor. Item: Ego delebo transgreßiones tuas, vt densas nebulas, & vt nubem peccata tua. Quare cum Dauide nobis constanti animorum fiducia orandum erit: Expia me hysopo, & mundus ero: laua me, & niue ero candidior.

1. Tim. 1.

Isa. 43. 44.
Psalm. 51.

didior. Obseruabis tamen mundationem hanc per verbum nobis offerri, quod à nobis per fidem excipi oportet, qua de re non semel diximus. Et huc illud Christi pertinet: Iam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis. Ioan. 15.

Cæterum diligenti consyderatione dignum est, quomodo mundatum iam abs se Christus dimiserit. Prohibet, ne quid alicui mortalium dicat, sed abi (inquit) ostende teipsum sacerdoti, & offer pro emundatione tui, quæ præcepit Moses, in testimonium illis. Quæ verba papisticæ tyrannidis assertores pro confessione auriculari allegant. Sed adeò ridiculus & ineptus illorum error est, vt multis confutari non mereatur. Nec enim ad sacerdotes ablegatur leprosus, vt ab illis mundetur, sed iam mundatum illuc ire iubet. Quare etsi allegoriam ipsorum admittamus, non tamen inde aliud sequetur, quàm quòd ij demum sese ministris ecclesiarum sistere debeant, qui à Christo remissionem peccatorum iam impetrarunt. Quid verò ista ad auricularem confessionem faciunt, in qua miseri & peccatis onerati à sacrificulis remissionem petunt? Hanc certè apud vnum Deum inueniri, catholicus scripturæ consensus docet, & pharisæi, obstinatissimi aliàs propriæ iustitiæ ostentatores, non dissimularunt. Ministris autem remissionis peccatorum & gratiæ Dei prædicatio commissa est, quam veram & ratam experientur, quicunq; illi firmiter crediderint. Vide Matth. 16. Mar. 16.

Vt mundatum abs se Christus dimittat.

Matth. 9.

Alias ergo huius mandati causas inquiramus oportet, quæ duæ potissimùm occurrunt. Altera ex lege est, cuius vsus nondum abolitus erat. Hæc autem lepræ censuram sacerdotibus iniunxerat, adeò vt illorum esset, lepra infectos ab ecclesia & populi consortio excludere, & mundatos demùm admittere. Ne quid ergo legibus contrarium faciat Christus, hunc ad sacerdotem abire iubet, vt illius indicio & testimonio ad hominum commercia rursum admittatur. Ita verò Christus suo exemplo eos arguit, qui sub Euāgelij prætextu leges politicas turbant, quales omnibus seculis multi fuerunt, & quorum vestigijs Anabaptistæ hodie insistunt, genus hominum, quod ad ecclesiarum & rerumpub. euersionem natum esse dixeris. Altera huius mandati causa est, quòd calumniatoribus occurrere vult, & ipsos sacerdotes proprio ipsorum testimonio conuincere, qui omnia illius miracula improbè cauillari solebat. Cùm enim hunc verè mundatum esse pronunciarent, & suo suffragio ad hominum commercia rursus admitterent, palàm certè Christo diuinitatis testimonium deferebant contra seipsos, adeoq; proprio ore sese damnabant cùm eum reijcerent, cuius opera planè diuina & salutaria esse fatebantur. Ideo hoc illum ipsis in testimonium facere iubet, ne scilicet posthac aliquam suis operibus contradicendi occasionem habeant. Atqui hoc ipsum nobis quoq; dici putemus, quibus Euangelium tam multis tamq; præclaris Christi miraculis confirmatum prædicatur. Est enim etiam hoc Christi Iesu testimonium, quo nomine Apostoli testes Christi dicuntur. Idem verò ijs, qui credunt salutis testimonium est: non credentibus autem & improbè reluctantibus damnationis testimonium præbet, & illos in Dei conspectu omnino inexcusabiles fore docet. Imò contra seipsos simul testimonium ferunt, quotquot hodie Euangelij præclara effecta vident, & licet illa fateri cogantur, pergunt tamen in pertinacia sua, qua illud persequuntur & extinctum volunt. Ingerit præterea illorum oculis Christus infinita testimonia, quæ velint nolint agnoscere coguntur, quando superstitiones corruere, errorum tenebras discuti, peccatorum laqueos abrumpi, mores hominum publicè & priuatim in melius mutari, deniq; multos sanctè & inculpatè viuere, & iam verè mundos esse vident, qui prius corruptæ naturæ lepram in omnibus suis dictis & factis apertè prodebant. At cùm hæc omnia illi contemnant, nec se quoque mundari patiantur, digni profectò sunt, qui in sua lepra æternum pereant.

Quare mundatus ad sacerdotes mittatur.

Leuit. 13.

Apoc. 1.
Ioan. 15.
Actorum 1.

Sed ad leprosum redeamus, qui mox digressus, Christi bonitatem atque potentiam prædicat, & rem omnem diuulgat. Atqui ad sacerdotem quoque illum abijsse credibile est, nec immorigerum fuisse Christo, à quo tantum beneficium acceperat. Admonemur illius exemplo, nos Christo gratiarum actionem debere, qua ipsius nomen passim celebremus. Est hæc gratissimi sacrificij instar apud Deum, sicuti Dauid testatur Psalm. 69. Et Christus in ceremoniarum legalium locum Cœnam eucharisticam instituit, cuius præcipuus finis est, vt beneficium, quod sua morte nobis contulit, pia & grata commemoratione celebretur. Vide Paulum in priori ad Corinth. cap. 11.

Leprosi gratitudo.

Quoad populum verò, hic miraculi effectus fuit, vt vndiq; multi eius fama excitati confluerent, adeò vt ne vrbem quidem Christo palàm ingredi liceret. Et alios quidem doctrinæ Christi studio,

Miraculi effectus.

alios verò carnalium beneficiorum desyderio excitatos fuisse, ex alijs similibus locis facilè conijcitur. Docemur autem nunquam omni in vniuersum fructu carere qualemcunq; Christi cognitionem. Nec enim desunt, qui etsi primò spe temporalium bonorum excitentur, mox tamen degustato Euangelicæ doctrinæ fructu ingentes progressus faciunt. Quòd si verò tantum apud istos potuit mundati leprosi miraculum, multò magis nos vniuersali humanæ redemptionis beneficio excitari conuenit, vt Christum Iesum amplexi, illum vnum sectemur, & colamus: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

CAPVT II.

HOMILIA XVI.

Et iterum intrauit Capernaum post dies aliquot, & auditũ est quòd in domo esset: & protinus congregati sunt multi, adeò ut iam non caperent eos nec ea quæ circa ianuam erant loca, & loquebatur eis sermonem. Et ueniunt ad eum ferentes paralyticum, qui à quatuor portabatur. Et cum nõ possent appropinquare illi præ turba, nudauerunt tectum ædium, in quibus erat, perfossoq; tecto demittunt grabbatum, in quo paralyticus iacebat. Cum autem uidisset Iesus fidem illorum, ait paralytico: Fili, remittuntur tibi peccata tua.

Argumentum & usus præsentis loci.

Etsi vniuersa scriptura vnanimi consensu omnem nostræ salutis rationem in vno & solo Iesu Christo monstret, ea tamen est nostræ carnis tarditas atque corruptio, vt illum difficulter admodum Saluatorem agnoscat, maximè si quando aduersa & tentationes incidunt. Non temere ergo tam multis miraculis se eum esse declarat Christus, qui in scripturis prædicatur. Vidimus ex his quædam hucusq;, quæ illum animabus nostris & corruptæ naturæ mederi docent. Subiungit his Marcus nouum & insolens planè, quo hoc ipsum plenius illustratur. Nam paralytico, qui propter peccata omnibus membris captus decumbebat, primò quidem peccatorum remissionem offert, deinde verò corporis quoq; valetudinem & integrum membrorum vsum restituit: Ita nimirum re ipsa demonstrans, se animarum simul & corporum saluatorem esse, qui homines ita restituat, vt ad omne opus bonum & ad salutem capessendam idonei sint, qui ex ingenita corruptione alioqui nihil aliud quàm peccare possunt. At quia simul multa alia concurrunt obseruatu dignißima, singulas totius historiæ partes ex ordine tractabimus.

Christus redit Capernaum cum fœnore.

Orditur à temporis & loci notatione Marcus, quando Christum in vrbem Capernaum post aliquot dies redijsse scribit, vnde antea digressus erat, tum vt alijs quoq; ciuitatibus prædicaret, tum vt liberius precationibus vacare posset. At aduentus illius fama excitati ciues turmatim ad illius hospitium confluunt, & inter hos nonnulli etiam ex pharisæorum & scribarum ordine, sicuti ex sequentibus patet. Hinc igitur arrepta occasione illis verbum salutis prædicat, & simul sanandi virtutem exerit, vt Lucas testatur. Ita verò non absq; fœnore eò redit Christus, vnde ad tempus discesserat. Est hoc illi perpetuum. Nam à mortuis quoq; gloriosior ad suos discipulos redijt, & olim in nouissimo die illustrißimus gloriosißimusq; in nubibus cœli veniet, vt suos plenè asserat, quos interdum inter huius seculi tribulationes omnino deseruisse videtur. Horum nos meminisse conuenit, si quando aduersis preßi & tentationibus obruti, Christum nostri curam deposuisse putamus. Ita enim nos exercere solet, vt carnis socordiam excutiamus, & maiori gratiæ & salutis suæ desyderio inflammemur, cuius iucundißima simul & saluberrima illuminatione tandem suos exhilarare consueuit.

Lucæ 5.

Christus docet, & inter docendum sanat ægrotos.

Imprimis autem obseruabis, quòd reuersus in vrbem mox docet, & inter docendum virtutem sanandi exerit. Admonet hoc, quanta sit doctrinæ Euangelicæ dignitas, & quàm ea nobis ad salutem consequendam necessaria sit. Constat enim hominem ex ingenita corruptione nihil eorum sapere, quæ sunt spiritus Dei, nec modò ad malum procliuem, verumetiam infirmiorẽ esse, quàm vt peccati desyderijs

desyderijs & corruptis affectibus resistere possit: cuius rei exemplum in semetipso Paulus alicubi proponit. At omnibus hisce vitijs Euangelium Christi medetur. Est etenim lux illa cœlestis, quæ salutifera Dei & regni cœlorum cognitione miseros nos inter mundi tenebras versantes illuminat. Vitæ regulam præscribit, & in eadem seu fræno quodam dirigit. Ingenitam corruptionem aufert & eluit, sicuti ipse Christus testatur, quando discipulis ait: Iam vos mundi estis propter verbum meum, quod locutus sum vobis. Idem instar gladij corda penetrat, & superfluas cupiditates rescindit. Confortat item debiles, & infirmis atq; desperabundis animum addit. Deniq; certum & efficax salutis nuncium est, à qua omnes illi excidunt, qui verbum istud audire dedignantur. Magna igitur est eorum corruptio, qui hominū traditionibus incertis & noxijs potius quàm Euangelio aures præbēt. 1.Cor.2. Rom.7. Psalm.119. Ioan.15. Hebr.4. Acto.11.

Porrò non minus obseruandum est, quòd præsentibus pharisæis, hostibus acerrimis, Christus docet. Non pudet ergo illum verbi Dei patris sui, & suo exemplo nos quoque instituit, ne nos coram mundo hoc adultero & impio Euangelij pudeat, cum illud constet potentiam Dei esse ad salutem omni credenti. Quemcunq; enim Christi & verbi ipsius puduerit, illius pudebit etiam filium hominis, cùm venerit in gloria patris sui cum sanctis angelis. Interim eos arguit Christi exemplum, quibus religio videtur apud eas ecclesias subsistere, quibus aliquot palàm impios & flagitiosos intermixtos vident, & mox se discessuros minatur, vbi non omnes illorum monitis & placitis subscribūt. Quorum Zelus quidem probari meretur, modò ambitione & contumacia careat: at probari non potest præceps & inconsultus animi affectus, quo abrepti propter paucos aliquot ecclesias totas deserunt, in quibus non desunt, qui vero salutis studio flagrant, quos illi, quantum in ipsis est, sua secessione lupis diripiendos propinant. Tale quid olim Paulus quoque Corinthi, in vrbe corruptissima cogitauisse videtur. Sed illius cogitationibus occurrit Dominus, cùm se in illa ipsa vrbe multum populum habere testatur. Quò etiam Heliæ historia referri debet, cui eandem ob causam fugam paranti respondet Deus, sibi adhuc septem millia esse hominum, quos pro veris cultoribus agnoscat, eò quòd Baali genua sua nunquam adhuc flexerint. Quæ exempla à ministris obseruari debent, vt maiorem credentium quàm impiorum rationem habendam esse intelligant. Christus docet præsentibus pharisæis. Roman.1. Marci 8. 1.Cor.2. Actorum 18. 1.Reg.19.

Transeamus nunc ad miraculum, quod in paralytico Christus ædidit: in cuius descriptione primum locum tenent, qui illum in grabbato iacentem ad Christum attulerunt. Non potuêre autem præ turba populi per ianuam ad illum ingredi, mox ergo tectum conscendunt, & illo perfosso ægrotum vnà cum lecto funibus ad Christum demittunt. Nam ea fuit apud veteres, imprimus Orientales, ædificiorum ratio, vt hoc facilè fieri potuerit. Sola enim inferior domuum pars inhabitabatur, nec pluribus contignationibus domus in altum conscendebant. Tecta autem plana erant, & deambulationibus alijsq; eius generis vsibus seruiebant. Ideo tecta cancellis sepire in lege iubentur, ne quis ex illis delapsus domum sanguinis reatu polluat. Et Dauid supra tectum palatij deambulans Bathsabam lauantem vidit. Ochosias item rex per cancellos cœnaculi aut solarij delapsus fuisse legitur. Quod propter eos monemus, qui omnis vetustatis atq; peregrinitatis ignari, absurdum & vix possibile existimant, quòd baiuli isti fecerunt. Paralytici ad Christum deportati historia Deute.22. 2.Sam.11. 2.Reg.1.

Habemus in his fidei admirandæ exemplum, quæ multis argumentis elucet. Etsi enim morbum humana arte incurabilem esse norint, à Christo tamen illum curari posse confidunt. Diuinam ergo in illo potentiam agnoscunt, & Messiam esse credunt, quem omnis generis morbos mirabiliter curaturum Isaias prædixerat. Ita verò simul ipsius verbis fidem adhibent, quibus ille omnes, qui laborant & onerati sunt, ad se inuitat, & ad se venientibus refocillationem pollicetur. Deinde etsi circumstantium turbis impediantur, viam tamen per labores & pericula inueniunt, qua ad Christum penetrare possint, & paralytico medeantur. Sunt hæc propria fidei, quibus studere conuenit omnes eos, quicunq; pro fidelibus haberi volunt. Et primò quidem Deo firmiter credere oportet, etiamsi ea accidant, quæ humanis viribus confici non possunt. Vt enim Deo nihil impossibile est, ita nec ijs qui Deo confidunt, eò quòd fides Deo sic nos coniungit, vt illius spiritu animemur & sustentemur in grauissimis tentationibus & eius auxilio perficiamus quæ humanas vires longè superant. Exempla huius rei infinita Paulus ad Hebræos producit. Deinde charitatis igne fides inflammat, quò fit vt nullos labores nullaq; pericula subterfugere libeat, dummodo fratres iuuare, & perituros iam Christo lucrifacere possimus. Qui istis operibus conspicui sunt, fidem habent, qualem Iacobus Apostolus Exemplum fidei. Isaiæ 35. Matth.11. Lucæ 1. Marc.9.11. Hebr.11. Galat.5. Iacob.2.

docet, & scripturæ passim exigunt. Quòd si qui ignaui torpent, fide quidem gloriari poterunt, sed pro suis Christus nunquam agnoscet. Vide Matth. 7. circa finem.

Christus fidem ad se uenientiũ respicit.

Quid verò Christus? Num sermonem suum, quem haud dubiè de rebus grauissimis instituerat, horum importunitate interrumpi, indignatur? Num illos accusat, quòd priuatam vnius hominis causam publicæ multorum saluti præferant? Minimè, quin potius amicè excipit, & eos voti sui compotes reddit, qui præ loci incommoditate ipsum nec coràm conuenire nec alloqui poterant. Quæ verò tantæ benignitatis causa est. Fidem illorum dicitur respexisse, quam singularem fuisse modò diximus. Et disertè fidem nominant Euangelistæ, non opera, eò quòd illa, licet præstantissima sint, ab hypocritis etiam fieri possunt, & si absque fide fiant, peccata potius quàm bona opera censeri merentur. Animos enim nostros requirit Christus, nec eos probat, qui ore appropinquant, & labijs illum honorant, corde autem longè ab illo absunt. Et absq; fide quenquam ad Deum accedere posse negat Apostolus. Quæ causa est, quòd fidem passim exigit, fidem solam respicit, & sibi fidentibus salutis donum pollicetur. Ibi verò non inanem opinionem aut persuasionem incertam nos intelligere oportet, sed firmum certumq; animi assensum, qui nos totos in Christi obedientiam vendicat, & proinde operibus sese exerit, & ijs quidem, quæ non inani ostentationi seruiunt, sed ad Dei gloriam & proximi salutem faciunt.

Rom. 14.
Isa. 29.
Hebr. 11.

Aliena fides quatenus iuuet.
Habac. 2.
Ezech. 18.
Gene. 17.
1. Corinth. 7.

Interim peculiare quiddam est hoc loco, quòd eorum fidem Christus respexit, qui paralyticum adduxerunt, adeò vt aliena fide salutem consecutus fuisse videri posit. At iustum sua ipsius fide viuere propheta testatur, nec filijs impijs & defectoribus parentum fidem & pietatem prodesse, Ezechiel multis docet. Aliquis tamen ad nos ex aliorum fide fructus redit. Primò enim propter fœdus Dei parentum fides liberis ipsorum imputatur, quoad isti non manifesti defectores fuerint. Sic Israelitas propter fœdus & promissionem Abrahamo datam pro suo populo Deus agnouit. Sic liberos, qui ex impari coniugio nascuntur, sanctos vocat Paulus, eò quòd alterum ex parẽtibus Christianum habeant. Deinde quia fideles pro omnibus orare solent, vt & ipsi salutis cognitione illuminentur, Deus autem illorum preces exaudit, multus ex illis fructus ad alios quoq; redire consueuit. Constat denique Deum propter electos suos mũdum vniuersum seruare, & propter eosdem impijs interdum parcere, & sua iudicia differre, sicuti Lothi historia multiuariam testatur. Quoad verò præsentem caussam, paralyticum quoq; fide præditum fuisse dicimus cùm illum pro filio agnoscat Christus, & eidem peccatorum remissionem denunciet, quæ non nisi per fidem percipi potest. Attamen baiulorum fidem potissimum Euangelistæ commendant, vt & illos ornent, & exemplo isto doceant, quanti fieri debeat bonorum & piorum conuersatio. Vt enim propter rebelles aliquot, nisi publica authoritate coherceantur, publicæ calamitates veniunt: Ita in paucorum piorum gratiam multis etiam indignis Deus benefacit. Magni ergo faciamus veros Christi fideles, & illum aliquando remuneratorem liberalissimum experiemur.

Gen. 14. 18. 19

Paralytico peccata remittit Christus.

Porrò ad paralyticum conuersus, illum solatur, & de salute ipsius agere incipit. Fili (inquit) bono animo esto, remittũtur tibi peccata tua. Poterat hæc intempestiua admodum promissio, & consolatio inepta videri. Sed ad ipsam morbi causam penetrat Christus, vt solida esse posit miseri istius salus, & plus largitur quàm ipse sperare auderet. Quin credibile est, ægrotum non tam corporis doloribus quàm peccatorum suorum conscientia excruciatum, de reconciliatione cum Deo cumprimis solicitum fuisse, id quod Christum, qui cordium scrutator est, minimè latere potuit.

Causæ morborum peccata.
Deute. 28.
Rom. 5.
Ioan. 5.
1. Corinth. 11.

Quo loco admonemur, morborum causas ex peccatis oriri. In lege enim impijs transgressoribus illos Deus minatur, & morbos vnà cum morte per peccatum in mundum introiuisse constat. Facit huc quod alibi paralytico abs se curato Christus dicit: Ecce, sanus factus es, ne posthac pecces, ne quid deterius tibi contigat. Et Corinthios propter Cœnæ dominicæ abusum peste afflictos fuisse, Paulus testatur. Prodest hæc nouisse & frequenter meditari, vt in morbis de peccatorũ remissione & reconciliatione cum Deo ante omnia soliciti, non corporum modò, verumetiam animarum salutem consequamur. Vidit hoc Dauides, quando in grauissimis morbis de Dei ira, quam ex peccatorum conscientia sentiebat, maximè conqueritur. At hodie pleriq; à medicina initium faciunt, nec quicquam de peccatis & illorũ expiatione cogitant, nec ad Deum conuertuntur, nec illius opem ex animo implorant, Asam rege imitantes, quẽ hoc nomine scriptura reprehendit. Ita verò testantur, quàm securè Deum

Psal. 6. 38. 39.
2. Par. 16.

negligant,

negligant, dum prospera valetudine vtuntur, quando ne morbis quidem, vt illius fauorem inquirāt, excitari possunt. Liberantur sanè interdum ex morbis & afflictionibus, sed ita liberantur, vt grauiora pericula incurrant, dum Dei beneficium non agnoscunt, & illo turpiter abutuntur.

Peccatorem pro filio agnoscit Christus. Lucæ 15.

Cæterùm singularem consyderationem Christi verba merentur, quibus ægrum cōsolatur. Primò filium vocat, & ita grauissimæ tentationi medetur. Dum enim peccatorum conscientia & eorundem pœnis excruciamur, hoc potissimum nos angit, quòd nos indignos esse scimus, qui filij Dei dicamur. At peccata non obstare docet Christus, dummodo apud ipsum remissionem quæramus. Facit hoc quòd in dominica oratione Deum patrem nostrum dicimus, licet paulò post nos debitores esse fateamur, & pro debitorum remissione anxiè oremus. Deinde bono animo esse iubet, vti apud Matthæum habetur. Ita verò fidem exigit, sine qua inter conscientiæ æstus nemo bono animo esse potest, & simul peccatorum remissionem nobis ex fide obtingere docet. Addit enim: Remittuntur tibi peccata tua. Remittendi verbo gratuitam condonationem exprimit, & omnem tollit de proprijs meritis & satisfactionibus gloriandi occasionem. Multa enim hic concurrunt, quæ salutem vel operum meritis deberi, vel peccata morbis & afflictionibus expiari, incautis & oscitantibus persuadere possunt. At gratuitæ remissionis meminit, vt nos nō ex operibus nostris, sed mera Dei gratia per ipsius meritum ex fide iustificari intelligamus. In cuius dogmatis assertione Apostoli passim versantur, & ita omnes eos confutant, qui hominum viribus & meritis quicquàm tribuunt. Nostrum est, Dei bonitatem agnoscere, & in Christo quærere quæcunq; nostræ saluti seruiunt: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Matth. 9.

Remißio peccatorū gratuita.

Ephes. 2. Rom. 3, 11, etc.

HOMILIA XVII.

Erant autem illic quidam ex scribis sedentes, & cogitantes in cordibus suis: Quid hic sic loquitur blasphemias? Quis potest remittere peccata nisi solus Deus? Et protinus ubi cognouisset Iesus spiritu suo, quòd sic cogitarent intra sese, dicit illis: Quid ista cogitatis in cordibus uestris? Vtrum est facilius dicere paralytico, Remittuntnr tibi peccata tua: an dicere, Surge, & tolle grabbatum tuum, & ambula? Vt autem sciatis, quòd filius hominis habet potestatem in terra remittendi peccata, ait paralytico: Tibi dico, surge ac tolle grabbatum tuum, & abi in domum tuam. Et statim surrexit, sublatoq; grabbato egressus est in conspectu omnium, adeò ut stupescerent omnes, & glorificarent Deum, dicentes: Nunquàm sic uidimus.

Argumentum & vsus præsentis loci.

Sicuti Dominus noster Iesus Christus miraculosis operibus se saluatorem nostrum esse declarat: Ita in ijsdem non absq; Dei prouidentia multa occurrunt, quæ quid nobis faciendum sit, docent, si salutis, quam ille nobis acquisiuit, consortes fieri velimus. Est hoc videre in præsentis miraculi historia. Nuper enim in ijs, qui paralyticum Christo adduxerunt, veræ fidei exemplum habuimus. In Christo autem singularis bonitas elucet, qua ad se venientes amicè excepit, & ægrotanti peccatorum remissionem liberaliter promisit, vt ita sublatis mòrbi causis, illum quoque cedere necesse esset. At quod verbo promisit, nunc re ipsa præstat, seq; verum tum corporis tum animæ medicum & saluatorem esse, aduersus hostium suorum calumnias euidentissimo miraculo probat. Cuius hic nobis vsus esse debet, vt hoc vno nitentes, illorum calumnias minimè audiamus, qui hodie adhuc illius saluificam virtutem negare non verentur.

Scribæ aduersus gratuitam peccatorū remißionem murmurant.

Principiò scribæ producuntur, qui Christo de his agendi occasionem præbuerunt. Displicet illis tam liberalis & gratuita remissionis peccatorum promissio, & licet intra conscientias suas conuicti, illi palàm obloqui non ausint, in cordibus tamē suis pessimè de illo sentiunt, & blasphemiæ accusant: eo nimirum nomine, quòd absolutam remittendi peccata potestatem sibi vendicaret. Et sanè nec ineptè nec præter rationem colligunt. Constat enim blasphemos esse, quotquot quæ solius Dei sunt sibiipsis tribuunt. Ita enim Deo sese æquales faciunt, & illius gloriæ derogant, quando illam in miseras & corruptioni obnoxias creaturas cadere posse existimant. At peccatorum remissionem penes

Quicunq; sibi tribuunt quod solius dei est proprium, est blasphemus
Jesus ille sibi tribuit quod est dei proprium.
Ergo ille Jesus est blasphemus.

Ioan. 3. Matth. 28. Psal. 110.

solum Deum esse, vnanimis scripturæ consensus testatur, Iure ergo blasphemus dicetur, quicunque hanc sibijpsi vendicare ausus fuerit. Falluntur tamen scribæ isti, quòd argumentum hoc in Christum torquent, in quo locum minimè habebat. Primò enim cùm Deus sit verus, patri consubstantialis & coæternus, rectè & summo iure sibi diuinam potestatem & gloriam vendicat. Deinde idem hic etiam quoad filium hominis omnem à patre suo potestatem accepit. Illi enim dixit Deus: Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Nec obscura erant miracula, quæ illi virtutem humana maiorem inesse, testabantur. Non vident autem ista scribæ, tum quia scripturas ingnorabant (quod alibi illis Christus exprobrat) tum quia religionem omnem sibijpsis quæstum fecerant, & humanis traditionibus populum inescabant, vt peccatorum expiationem in sacrificijs & oblationibus legalibus consistere putarent, quod illis aucupium fuit longe quæstuosissimum. Ita verò in illis typum habes eorum, qui hoc ipsum nostro seculo faciunt. Postquam enim in Papatu humanæ satisfactiones & indulgentiarum nundinationes obtinuerunt, intolerabilis planè doctrina Euangelij videtur Monachis atque sacrificulis, eò quòd in Christo gratuitam peccatorum remissionem monstret, quæ si semel admittatur, mox euersa iacet illorum tyrannis, quam cum incredibili lucro in hominum conscientias hactenus exercuerunt. Dolendum verò est, nostros illos Iudæorum scribis multò deteriores esse. Etsi enim quoad rem ipsam non multùm differant, ea tamen fuit scribarum modestia, vt saltem verbis suum honorem Deo saluum & integrum esse voluerint, & solum Deum peccata remittere ingenuè fatentur. At nostri se illa remittendi & miserorum mortalium animas vel in cælum collocandi vel ad inferos detrudendi potestatem habere, impudenter clamitant: & hoc nomine sibi peccatorum confeßionem fieri, & abs se eorundem absolutionem peti volunt. Est hæc horribilis blasphemia, quam Iudæorum scribæ agnoscere potuerunt. Vtinam hanc etiam isti agnoscerent, aut saltem ad Euangelij lucem oculos aperiret mundus, nec sese illorum artibus atque imposturis seduci pateretur.

Scribæ & Pharisæi nostri seculi

Sed omißis cæcis & cæcorum ducibus ad Christum transeamus. Videt ille & intelligit cogitationes ipsorum, & hoc ipso illorum calumniam arguit atq; confutat. Nam occultas hominum cogitationes videre & cordiũ renumq; arcana scrutari, solius Dei opus est. Id verò cùm Christus præstet tum hic tum alijs multis in locis, verus Deus sit oportet. Cur ergo blasphemus dicetur, si quod Dei est sibi tribuat? Interim seruit hoc consolationi simul & institutioni nostræ. Videt Christus hostiũ suorum conatus, consilia, cogitationes, & quæcunq; illi aduersus se suamq; ecclesiam loquuntur & faciunt. Facilè ergo illa, si velit, impediet: imò volet, cum suorum vindex atq; patronus sit. At cum idem omnium hominum cogitationes videat, nostrum fuerit, occultos quoq; sensus cohercere, ne vanis & impudicis cogitationibus nobisipsis peßimorum affectuum & scelerum authores simus, & sanctißimus Christi oculos auresq; ipsius castißimas offendamus, quibus ille, quæcunq; in animis nostris loquimur atq; facimus, perinde videt & audit, ac si palàm in omnium conspectu fierent.

Christus cogitationes hostiũ suorum uidet. 1. Reg. 8. 1. Par. 28. Psal. 7. &c. Psalm. 2.

Cæterum quia stupidiores erant scribæ, quàm vt Christi diuinitatem hoc argumento deprehendere possent, ad ipsum opus accingitur, & reipsa, se Deum & humani generis saluatorem esse probat: & quò magis illorum calumnias retundat, ipsosmet causæ suæ iudices cõstituit. Vtrum facilius est (inquit) dicere paralytico, Remittuntur tibi peccata tua: an dicere, Surge, & tolle grabbatum tuum, & ambula. Sensus horum est: Non minus diuinæ virtutis est, morbis verbo mederi, & illis pro imperio præcipere, quàm peccata remittere. Quia enim morbi ex peccatis oriuntur nunquã, nisi istis sublatis, pelli poterunt. Quare cùm mihi in morbos ius esse & imperiũ, hactenus plurimis miraculis probauerim, non minus imperij mihi in peccata quoque esse, agnoscere debebatis. Quia tamen adhuc cæci estis, agedum hoc quoq; addam, ne quid mihijpsi præter rationem arrogare putetis. Et mox pro imperio paralyticum compellans, ait: Tibi dico, surge, &c. Nec mora, audito Christi mandato ille surgit, & nemine ipsi opem ferente grabbatum in humeros tollit (quod integræ valetudinis & euidens totius corporis restituti argumentum est) lætus deniq; & Deum laudibus vehens, domum abit. Nec habent amplius quod cauillentur scribæ, vt iam omnibus constet, Christo in animas quoq; hominum ius esse, & illum solidam peccata remittendi potestatem habere.

Christus diuinam suam potestatem miraculo probat.

Porrò exactius hic cõsyderanda uenit uniuersa remißionis peccatorũ ratio, qui præcipuus historiæ istius locus est, & cognitu maximè necessarius, eò quòd omnes natura peccatores sumus, & propter

De remißione peccatorum.

peccatum

peccatum damnari meremur. Potest autem totum negotium quinque aut potius sex capitibus comprehendi, quæ ex ordine inspiciemus.

1. Author remißionis Deus

Primò firmiter tenere oportet, solum Deum peccata remittere posse, sicuti scribæ supra dixerunt. Peccatum enim est quicquid cum Dei lege pugnat, cuius cùm ipse solus Dominus sit, solus etiam ea condonare potest, quæ aduersus illam committuntur. Deinde cùm peccata instar debitorum sint, quæ nos Deo obstringunt, nemo vtique illa remittendi ius habet, nisi eidem in ipsum quoque Deum ius sit & imperium. Adhæc ita in carne nostra & intimis sensibus hoc malum delitescit, vt nemo hominum, vel sua ipsius peccata omnia & singula nouisse, nedum aliorum remittere poßit. Quò David respiciens orat: Errores quis animaduertat? ab occultis meis repurga me. Falluntur itaq; quotquot peccatorum remißionem alibi quærunt, & imprimis qui illam ad auricularem confeßionem astringunt, in qua singulorum peccatorum diserta & ordinaria enumeratio exigitur. At quomodo omnia & singula ex ordine narrabit, qui illa ipse ignorat? Vanum ergo est quod illi fingunt. Nam etsi demus, absolutionem ad ea peccata tantum referri, quorum confeßio fit, maior tamen adhuc illorum numerus restabit, quæ nos ipsos latent, quorum remißionem vni et soli Deo tribuant oportet, nisi homines in desperatione perire velint. Psalm. 19.

2. Causa remißionis, gratia Dei.

Secundò causam nouisse decet, propter quam peccata Deus remittit, quæ pro iustitia sua potius punire debebat. At hæc non alia est, quàm mera ipsius bonitas siue gratia. In nobis enim nil nisi peccatum inuenias, in quo & concipimur & nascimur. Vires autem adeò nobis nullæ sunt, vt ne ad cogitandum quidem idonei simus. Quare etsi quid interdum à nobis bene fit, id non nostrum, sed Dei per nos operantis, opus est: qui cùm nostra ope minimè indigeat, pro sua bonitate nos suæ gratiæ & gloriæ vasa facit, quos alioqui facilè negligere poterat. Quis enim prior dedit illi, & Deum sibi debitorem constituit? Aut quid habes, quod non accepisti? Longè ergo profligari debet illorum error, qui in remißionis peccatorum causa homines ad liberum arbitrium, ad suas ipsorum vires & suorum operum merita relegant. Ita enim & Dei gratiam oppugnant, & nostræ salutis fundaměta conuellunt, cuius certitudo in hoc potißimùm sita est, quòd illam non à miseris nobis, sed à Dei gratia & misericordia dependere scimus, quæ infinita & æterna est, nec vllis aduersariæ potestatis viribus labefactari potest. Vide Psal. 103. 130. 136. 145. &c. Psalm. 51. 2. Corinth. 3. Rom. 11. 1. Cor. 4.

3. Mediator remißionis, Christus.

At quia iustus quoque est Deus & seuerus admodum peccatorum vindex, mediatorem aliquem inter nos & illum intercedere oportuit, cuius interceßione dißidium nostrum cum Deo, cuius causa erat peccatum, componeretur. Monstrant ergo etiam hunc sacræ lireræ, & quidem vnicum, videlicet filium Dei Iesum Christum, quem priusquam mundus conderetur à Deo ad hoc munus præordinatum fuisse Petrus testatur. Hic vt mediator noster esse posset, homo factus est, & nostra peccata in se transferens, illa sui corporis & sanguinis sacrificio in ara crucis expiauit, quo nomine nostra iustitia, nostra redemptio & satisfactio dicitur. Idem pro nobis, quoties peccamus, apud patrem intercedit, sicut per illum liber nobis sit ad thronum gratiæ Dei accessus. Hunc nobis ipse pater suo testimonio cælitus commendauit, quando hunc suum dilectum filium esse ait, in quo placatus sit. Sed & ipse apud Isaiam clamat: Ego Dominus, hoc est nomen meum, & gloriam meam alteri non dabo. Minimè ergo audiendi sunt, qui Diuos mediatores & intercessores fingunt, quibus nihil eiusmodi scriptura tribuit. Quin potius Dei bonitatem agnoscamus, qui ne aliqua ex parte incerta esset nostræ salutis ratio, in vno Christo dedit omnia, quæ ad nostram cum Deo reconciliationem faciunt. Eius ergo vocem audiamus, in Euangelio dicentis: Ego sum via, & veritas, & vita. Nemo venit ad patrẽ nisi per me. Vide Ioan. 14. &c. 1. Pet. 1. Isaiæ 53. 1. Corinth. 1. 1. Ioan. 2. Hebr. 4. &c. Marc. 1. 9.

4. Remißio peccatorũ plena et perfecta.

Ne quid tamen dubij restet, qualis ea peccatorum remißio sit inquirendum est, quæ nobis ex Dei gratia per Christum obtingit. Hanc nos plenam, perfectam, & omnibus numeris absolutam esse dicimus, vt quæ non peccata modò, verumetiam peccatorum pœnam tollat. Perfecta enim sunt Dei opera, qui non alia de causa peccatis nostris ignoscit, quàm ne illorum pœnas exigere ipsum oporteat. Typus huius rei in præsenti historia euidentißimus habetur. Hunc enim peccatorem fuisse, & propter peccata paralysi debilitatum fuisse, Christi verba abundè testantur. At Christus primò quidem peccatorum remißionem illi denunciat, deinde eidem pristinam valetudinem restituit, & morbum pellit, quem peccando meruerat. Vt ergo perfectam corporis salutem ei contulit, ita perfecta

Luc.23. fuerit oportet peccatorum remißio, quæ salutis istius causa fuit. Eòdem latronis cum Christo crucifixi exemplum referri debet, quem ut primùm in gratiam recepit, mox hoc ipso die in paradiso secum fore testatur. Facit huc remittendi vox, quæ metaphoram à creditoribus sumptam continet, & quam ipse Dominus apud Matthæum cap.18. copiose illustrat. Hi cùm debita remittunt suis debitoribus, nihil præterea ab illis exigunt. Habemus præterea promißiones vniuersales, quæ ad omnes pertinere docent, quod modò de paralytico & latrone diximus. Apud Isaiam clamat Deus: Ego ego ille ipse sum, qui deleo transgreßiones tuas, idq; propter me, & peccatorum tuorum non recordabor. Ac quomodo non recordari dicetur, qui pœnas adhuc exigit? Item: Ego delebo transgreßiones tuas, vt densas nebulas, & vt nubẽ peccata tua. Et Christi vox est: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego refocillabo vos. Et rursum: Qui biberit ex aqua quam ego illi dabo, nõ sitiet in æternũ. Possent infinita huius generis testimonia adduci, quæ breuitatis causa omittimus. Diligentius aũt ista monemus propter nostri seculi pharisæos, qui vt suas pro peccatis satisfactiones stabiliant, dogma nouum & desperationis plenũ confinxère: Deũ scilicet culpam quidẽ peccati, non autem pœnam remittere. Quæ doctrina operum merita constituit, satisfactionum genera infinita excogitauit, Monachorum ordines inuexit, Eremitas fecit, & tandem purgatorium incendit, quo animas corporibus solutas à peccatorum sordibus excoqui tradiderunt, denique noua pro defunctis sacrificia excogitauit, quibus purgatorij pœnæ mitigari & accelerari posse, infelici vulgo persuaserunt. Quæ res vt illis quæstuosissima fuit: ita horribilis fuit conscientiarum carnificina, quam multi vestrûm experti sunt, qui olim in Papatus tyrannidem incidistis. At quam vana sint hæc omnia, ex ijs patet quæ modò diximus. Quibus si Christi oraculum adijcias, quod Ioannis 5. habetur, nihil puto habebunt isti Alchymistæ & pharisæi, quo suam sententiam tueantur, nisi omnem pudorem absterserint. Sic enim ait Christus: Amen amen dico uobis, qui sermonem meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam, & in iudicium non veniet, sed transiuit à morte in vitam, &c. Nec est, quod hic nobis illorum exempla obijciant, quos post denuntiatam ipsis peccatorum remißionem varijs afflictionibus exercitatos fuisse legimus. Afflictiones enim eiusmodi nec pœnarum nec satisfactionum loco sunt, sed castigationes censeri debent, quibus Deus ingenitam carnis corruptionem in electis suis coheret, & illos ad vitæ emendationem instituit. Vide Hebr.12. Psal.94. Beatus vir, quem tu ô Domine castigaueris, &c.

Isaiæ 43. Isaiæ 44. Matthæi 11. Ioan.4. Cõtra hominũ satisfactiones.

5. Remißio offertur per Euagelium. Interim obseruabis, peccatorum remißionem nobis per Euangelium offerri, quãdo non aliud medium est, quo regni cœlorum mysteria nobis communicari poßint. Ideò in præsenti Christus paralytico hanc primùm per verbum suum communicat, & mox eiusdem miraculosa restitutione promißionem suam veram & ratam esse docet. Quod autẽ exemplo hoc adumbrauit, postea lege perpetua sanciuit, quando Apostolis mandat, vt in suo nomine pœnitentiam & remißionem peccatorũ prædicent. Quæ causa est, quòd Apostoli claues regni cœlorum habere, & homines in terris vel soluere vel ligare dicuntur: non quòd hæc absoluta potestate pro suo arbitrio faciant, sed quòd per Euangelij prædicationem pijs Dei gratiam, impijs verò damnationem & interitum sempiternum denuntiant. Vnde constat, peccatorum remißionem nullam apud eos esse, qui Euangelij prædicationi locum dare nolunt. Cur enim Dei gratiam perciperent, qui gratiæ nuntium impiè fastidiunt?

Luce 24. Matth.16. Ioan.20.

6. Remißio peccatorum fide apprehenditur. Marc.16. Medium verò siue instrumentum, quo remißionem hanc apprehendimus, fides est, quam hic quoq; Christum respexisse, nuper diximus, & quam alibi etiam respicit, & in Euangelio paßim requirit, & vniuersali promißione omnibus qui Euangelio credunt, vitam æternam pollicetur. Porrò fides hæc non inani modò persuasione aut professione inflat, verùm Christo insitos illius spiritu animat, & in illo ad omne opus bonum idoneos reddit, facit deniq;, ut in omnibus dictis & factis nostris Christi uerbum & spiritus eluceant. Quare doctrina hæc gratuitæ remißionis peccatorum nostrorum, superbam quidem & insolentem operum nostriq; meriti fiduciam euertit, minimè autem ijs patrocinatur, qui sub fidei prætextu effrenem peccandi licentiam sectari solent. Quales multi hodie cernuntur, qui vt Euangelij doctrinam vulgò suspectam & exosam reddunt, ita Christi iudicium nunquam effugient, de quo vide Matth. 7. & 25. Est hæc simplex & euidens remißionis peccatorum doctrina, quam prophetæ & Apostoli ex spiritus Christi suggestione tradiderunt: cuius summa est, Solum Deum nostris peccatis ignoscere, ex mera gratia, propter meritum filij sui Iesu Christi, gratiam verò hanc

rò hanc nobis per Euangelij prædicationem offerre, cui quotquot credunt, salutis huius consortes redduntur.

Porrò ad historiam redeamus, quæ totius negotij exitũ paucis comprehendit. Paralyticus vires recipit, surgit, tollit lectum suum, domum ad suos reuertitur, & Deum glorificat. Populus verò rei nouitate attonitus, ipse etiam Dei potentiam & bonitatem celebrat, nec scribarum authoritate mouentur, quos hoc Christi factum calumniari audiuerant. Quo exemplo docemur, quid eos facere deceat, qui vel semetipsos per Christum restitutos sentiunt, vel illius bonitate & salutifica virtute alios restitui vident. Surgant è lectis peccatorum, & vitæ inutiliter vel etiam malè transactæ pœnitentiã agant. Quia enim nox progressa est, & Christus sua luce diem mundo intulit, lucis filios se esse meminerint, in luce decenter & compositè ambulent, nec turpia tenebrarũ opera sectentur. Interim Deum glorificent, & huic omnem suæ restitutionis atq; salutis laudem tribuant, nec illos Christũ profiteri pudeat coram mundo hoc corrupto & adultero. Poterant hæc copiosius tractari, sed quia sæpius occurrunt, hæc modò obiter attigisse sufficiat. Oremus autẽ Deum patrem misericordiæ, vt nobis etiam per filij sui Iesu Christi meritum mederi dignetur, vt vera gloriæ ipsius vasa facti, in illo & cum illo perpetuò viuamus: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Effectus & fructus miraculi. Luc. 5.

Roman. 13. Ephes. 5.

HOMILIA XVIII.

Et egressus est rursum ad mare, omnisq; turba ueniebat ad eũ, ac docebat eos. Et cùm præteriret Iesus, uidit Leui, Alphæi filium, sedentem ad telonium, & ait illi: Sequere me. Isq; surgens secutus est eum. Et factum est, cùm accumberet in domo illius, multi etiam publicani & peccatores simul discumbebant cum Iesu & discipulis ipsius. Erant enim multi, qui secuti fuerant eum.

Paulus Apostolus ad Timotheum suum scribens, magna cum authoritate pronuntiat: Certus sermo, & dignus quem omni studio amplectamur, quòd Christus Iesus venit in mundum, vt peccatores saluos faceret. Consentiunt his, quæ passim in scripturis de exhibita nobis in Christo Dei gratia dicuntur, & quòd ipse Christus peccatores ad se vocat, & ad se venientibus refocillationẽ pollicetur. At quia peccatorum cõscientia grauior est, quàm vt verbis facilè leniri possit, promissiones istas exemplis haud obscuris confirmari oportuit. Multa ergo eius generis in Euangelio proponuntur, inter quæ non postremo loco censeri debent, quæ apud Capernaitas ædita sunt. Nam ijs, etsi corruptissimi & ingratissimi essent Christus familiariter conuersari voluit, miracula inter illos ædidit plurima, quibus & suam potentiam & Dei erga ipsos bonitatem declarauit, paralytico qui propter peccata sua cruciabatur, remissionem peccatorum magna liberalitate obtulit, & nunc populo ad se concurrenti salutis doctrinam sedulò proponit, neminem illorum fastidiens, licet causas multas & graues haberet. At memorabile cumprimis est, quod in Matthæi (quam Marcus Leui nominat) uocatione proponitur: in cuius consyderatione nobis eò diligentius uersandum erit, quòd illud à tribus Euangelistis spiritus sanctus describi voluit: nimirum quòd nostræ tum consolationi tum institutioni plurimum seruiturum sciret.

Argumentum & vsus præsentis loci. 1. Timoth. 1. Matth. 11. 18 Ioan. 7.

Matth. 9. Luce 5.

Primò omnium autem Matthæus hic, siue Leui, consyderandus venit, qui ad telonium sedisse, & illinc à Christo vocatus esse dicitur. Fuit ergo ex publicanorum ordine, & (sicut ex circumstantijs conijcere licet) ex eo quæstu opulentissimus factus erat. Solebant enim publicani vectigalia publica redimere, quæ postquam in suam potestatem redegissent, nouis indies artibus augebãt, conniuentibus interim Romanis, qui inde vectigalia pluris locandi occasionem arripiebant. Etsi verò apud Romanos maxima esset illius ordinis dignitas, adeò vt florem Romanorum equitum, ornamentum ciuitatis & reipublicæ firmamentum illo contineri Cicero testetur: apud Iudæos tamen multis nominibus inuisi & infames erant, maximè si qui ex illorum gente oriundi essent, qualem Matthæũ hunc fuisse ex nomine & patris denominatione patet. Erant enim Romanæ tyrannidis ministri, quæ Iudæis indigna & iniquissima videbatur, cùm illi Dei populus & peculium censeri vellent. Et vt modò mo-

Matthæus publicanus.

In Oratione pro Plancio.

nuimus, nouis atque insolitis exactionibus miseram plebem grauabant, quæ sub illis suæ erga Deum inobedientiæ atque ingratitudinis pœnas luebat. Interim insatiabilem illorum auaritiam & mentes ab omni humanitate alienißimas esse oportuit, qui suam operam contra gentiles suos, imò contra Dei populum, prophanis & impuris Romanorum imperatoribus locabant, & ab his impositum iugum suis vsurarijs artibus grauius & acerbius reddebant. Quòd si cum nostri seculi hominibus eos conferre libeat, eadem ferè fuit publicanorum conditio, quæ eorum hodie, qui patria ab hostibus deuicta & oppressa, præsides in ea fiunt, & priuati quæstus causa in conciues suos tyrãnidem exercent: Vel etiam monopolarum, qui ubi omnes alicuius generis merces coemerunt, illarum pretium pro suo arbitrio augere solent: qui & ipsi Regibus quidem ob pecunias gratißimi, miseris verò eorundem subditis molestißimi sunt, & planè intolerabiles. Ex horum (inquam) ordine Matthæus fuit, quem tamen Christus in ipsa auaritiæ & iniquitatis officina sedentem vocare voluit.

Christus peccatores non fastidit.

Patet hinc quod initiò diximus, Christum peccatores non fastidire, sed illos saluos velle. At quòd publicis peccatis infames in illorum ordinem asciscit, quos Euangelij & salutis doctores constituit, ideò factum putabimus, vt eò certior nobis esse posset gratiæ & misericordiæ Dei fiducia, quando singularia eius exempla in ipsis Euangelij præconibus habentur. Ita Paulus suam ipsius vocationem exponit, quando se peccatorem omnium maximum esse fatetur, gratiam verò consecutum, vt publicum esset gratiæ in Christo credentibus exemplar. Quin ipse Christus cum iniquis reputari, & medius inter latrones crucifigi voluit, vt ipsius meritum ad peccatores pertinere sciremus. Hinc nobis in tentationibus consolationis argumenta petenda sunt. Interim meminerimus, nobis quoque ex mera gratia salutem obtingere, nec aliquid in nobis meriti esse, propter quod nobis salutem deberi dicamus. Eadem enim omnium nostrûm, quæ Matthæi, conditio est, quando per Euangelij prædicationem ad regni Dei commercium uocamur. Sedemus siquidem omnes in peccatorum officina, dum alius libidini, alius vindictæ cupiditati, alius auaritiæ, alius ambitioni, alius intemperantiæ indulget, & ita tenebrarum principi diabolo gratißimum seruitium præstamus, de animarum salute nihil aut parum soliciti. Nec alia illorum ratio est, qui circa salutis studium quidem occupati sunt, interim verò suis ipsorum aut aliorum meritis confidunt, & vndique corradunt, quod in diuini iudicij conspectum afferant. Quos longè superant, qui opera supererogationis commenti sua merita alijs diuendunt, vel nugas potius, quæ non alio quam humanarum traditionum fulcro nituntur. Ii certè ad telonium sedent omnum impijssimum, cum Dei regnum vel nostrum operum meritis, vel auro & argento redimi posse arbitrantur. Magna ergo est Dei bonitas, qui talibus regnum suum & salutem offerre dignatur, quam nos eò ardentius complecti decet, quò illa nos indigniores esse sentimus.

1.Timoth.1.
Isa.53.

Matthæus Christum uocantem sequitur.

Atqui huius quoq; exemplum in Matthæo proponitur. Is mox relictis omnibus (ut Lucas habet) surgit, & Christũ sequitur. Quod haud vulgare factum esse patebit, si quàm multa causari potuerit consyderes. Erat enim reliquendus quæstus longè vberrimus, nec vspiam aliqua sese offerebat ratio, qua se cõmodè, aut saltem tolerabiliter viuere posse videret. Deinde Christum sequitur, qui quò nam abiturus esset, incertum erat. Nec magnum quid sperare licebat ex eo, quem magnatibus inuisum & exosum esse nouerat. Metuenda item erat Romanorũ præsidũ indignatio, quibus ille seruiebat, sociorum inuidia, odium, conuitia, & quæcunq; mundus hic aduersus eos tentat, quos abs se deficere videt. Quas ergo quamq; varias cogitationes in ipsius animo obortas fuisse putabimus? At explosis & contemptis illis omnibus absq; mora surgit, & Christum sequitur. Imitentur hunc quotquot per Euangelij prædicationem sese à Christo vocari sentiunt. Surgant ex peccatorum officina, & pristina carnis studia, quæstuosißima licet, relinquant. Non blanditijs peccatorum, non mundi exemplo, non futuræ infamiæ aut paupertatis metu, nec vllis alijs rationibus quas cæca & suijpsius amans caro suggerit, sese impediri aut retineri patiantur. Sed hoc fidei proprium esse meminerint, quòd omnem sensum atque intellectum sub verbi diuini obedientiam captiuum ducit. Cur enim carnis rationes audiat, qui Christum sibi à Deo sapientiam factum esse credit? Cur aliqua incommoda metuat, qui Deum diligentibus omnia ad bonũ cooperari nouit, & Christi promissionibus instructus, pilos etiã suos à Deo numeratos esse, nec sibi quicquã defuturũ intelligit? Talẽ certè Abrahamũ quoq; scriptura proponit, qui ad Dei vocationem absq; mora patrios lares & cognationem suam vniuersam reliquit, etsi quò nam

1.Cor.1.
Rom 8.
Matth.10.
Luce 12.
Gene.12.

terrarum

terrarum peruenturus esset, ignoraret. Tales sectatores & discipulos Christus requirit, qui nec domesticis prius valedicant, nec parentes sepeliant, sed vno ipso contenti, ab ipsius nutu & voluntate toti pendeant. At ô infælices nos, qui hic potissimùm, quantum nobis desit, experimur. Audimus quidem vocantem nos Dominum, & quid eidem debeamus, certò scimus: cunctamur tamen, eò quòd carnis rationes admittimus, & cum absque consilio & ratione agamus ferè omnia, hic consilio & prudentia vti consueuimus, vbi illa minimè locum habent, sed nuda & simplex fidei obedientia requiritur. Lucæ 9.

Interim elucet hic simul, quanta diuinæ vocationis virtus sit. Nam si carnem audias, nunquam sequetur illa vocantem Dominum, sed semper quod causetur inueniet, maximè si diuitiæ accedant, quarum vt possessio periculi plena est, ita ad retinendos hominum animos, ne Christum pauperem & egenum sequantur, efficacissimæ sunt, & plusquam adamantinis vinculis constrictos tenent. At facile omnia vincit Deus, & quæ huic solidè innititur fides. Potest hæc in Christo omnia, & eadem victoria nostra est, qua mundum vincimus, & quæcunq; in mundo sunt. Minimè ergo de ijs desperandum est, quos magnis & multis remoris impediri videmus. Nam & Christus diuites quidem difficulter regnum cœlorum ingredi ait, sed idem apud Deum possibile esse testatur, quod hominibus factu impossibile est. Et Isaias propheta lupos, leones, vrsos, aspides & basiliscos, id est, homines indomitos planè & à Dei regno alienissimos per Christi verbum & spiritum cicurandos fore prædixit, vt ouibus ipsius mites & pacifici aggregentur. Nec exempla desunt tum vetera tum noua, quæ si obseruemus, multum ex ijs consolationis habebimus. Virtus diuinæ vocationis. Philip. 4. 1. Ioan. 5. Matth. 19. Isaiæ 11.

Porrò Matthæus Christum vnà cum suis discipulis domum suam deducit, & illic conuiuio excipit, ad quod plurimi publicani & peccatores confluxerunt. Atqui idem ille prius omnia reliquisse dicitur. Rursum ergo patet, quomodo sua omnia Apostoli reliquerint: Animo nimirum, & quatenus vocatio ipsorum postulabat, non quòd nefas ducerent illis vti, si quando hoc salua pietate fieri poterat: sicut alibi non semel monuimus. Præstat autem hic singulas personas ex ordine inspicere. Matthæus Christum conuiuio excipit.

In Matthæo gratitudinis exemplum habetur, quæ fidei perpetuò coniuncta esse solet, & externis quoq; officijs sese exerit. Cur enim non Christum in domus suas recipiant, & eidem sua omnia offerant, qui illum iam animis totis complexi sunt, seq; totos illi consecrarunt? Gratitudinem certè deberi benefactoribus gentes intellexerunt, inter quas Persæ ingratis pœnam capitalem constituerũt. Apud Athenienses verò libertus à patrono ingratitudinis conuictus, iure libertatis exuebatur. Supersedeo te (dicebat iudex) habere ciuem tanti muneris impium æstimatorem. Nec adduci possum, vt credam vrbi vtilem, quem domi scelestum cerno. Abi igitur & esto seruus, quoniam liber esse nescisti. Quod exemplum vtinam expenderent, qui Christi beneficio è peccati seruitute manumissi, se illi ingratissimos præbent, dum pro illo nec labores aut sumptus sustinere, nec vlla pericula subire volunt. Indigni sunt libertate filiorum Dei, quam tanto pretio nobis ille acquisiuit. Longè alia mẽs est verè fidelibus qui cum Christo intelligant se omnia debere, ipsos nullorum vel sumptuum vel laborum pœnitet, modò illi officium gratum præstare possint. Hinc est, quòd Lazarus quoq; & Simon, Bethanienses ciues, Christum crebrò excipisse leguntur. Nobis autem illorum exempla imitanda sunt, vt ipsi quoq; Christum, licet corpore in cœlis agat, hospitem & conuiuam habere studeamus. Id primum per fidem fit, qua nos ipsos Christo cibum suauissimum propinamus, dum nos illi totos addicimus. Nam meus cibus (inquit) est, vt faciam quod vult is qui misit me, & perficiam opus eius. At vt homines saluos faceret, missus est. Ergo qui salutem, quam nobis offert, fide amplexantur, illum cibant & conuiuio excipiunt omnium lautissimo. Ita enim sua corpora simul & animas, studia deniq; & actiones omnes illi offerunt, & ipsius voluntati accommodant. Deinde Christum excipiũt, qui membra ipsius, fideles nimirum egenos & inopes, hospitio & mensa dignantur. Hos enim ita sibi substituit, vt in illos conferamus charitatis officia, quæ in ipsum collaturi eramus, si in terris ageret, & quod illis conferimus, in suas rationes se ascripturum pollicetur. Matth. 25. & 26. Gratitudinis exemplum. Luc. 10. Ioan. 11. 12. Ioannis 4.

Præterea charitatis est, quòd salutis in Christo socios habere cupit Matthæus, qui illi hactenus auaritiæ & scelerum socij fuerant. Solet autem fides per charitatem operari, tum quòd hominũ mentes totas in Dei amorem rapit, tum quòd credentes omnes in Christo vnius & eiusdem corporis membra facit. Quia ergo Dei amore fideles flagrãt, quàm plurimos in Dei cognitionem venire & saluari Charitatis officium. Galat. 5.

Argumentatio a ... argumento
Paul: 1 Cor: 9

uellent, eò quòd hoc ad Dei gloriam facere intelligunt. Est hoc euidens regenerationis argumentū. Ea enim carnis nostræ philautia est, vt solis nobis bene esse cupiamus, aliorū verò fœlicitate inuidi ringamur. Quotquot ergo omnes homines salutis & supremæ fœlicitatis in Christo socios habere cupiunt, næ illi ingenitam carnis corruptionem exuerunt, seq; omnino renatos & alios factos esse testantur. Arguitur igitur hoc exemplo illorum socordia, qui cùm Christiani haberi velint, susq; deq; ferunt, quæ nam sit aliorum hominum conditio, quin securi omnium aliorum salutem negligunt, modo ipsis sub Euangelij prætextu voluptuari liceat.

Publicani Mattheo conuersantur.
Matth. 21.

Non minorem verò laudem publicani reliqui merentur, qui illum accedere dignantur, quem abs se defecisse vident. Fuit ergo in illis quoq; salutis studium, à quo procul aberant pharisæi, eò quòd sua ipsorum iustitiæ confiderent. Et impletur Christi dictum, quo publicanos & peccatores facilius & citius quàm pharisæos regnum Dei ingressuros esse ait. Longè item alieni sunt publicani isti ab illorum moribus qui scelerum socios, si qui pœnitentiam agant, odisse & defectionis accusare solent. Quod deploratæ impietatis indicium est, quando ne in alijs quidem pœnitentiam æquo animo ferre possunt.

Christus peccatores plenè in gratiā recipit.

Postremò Christus obseruandus est, qui publicanorum conuiuio interesse dignatur. Vt enim hoc euidens bonitatis ipsius argumentum est, ita se nobiscum solidè in gratiam redire testatur. Antiquitus enim conuiuia amicitiæ & beneuolentiæ indicia fuerunt, nec hodie probantur, qui cùm ad mensam suam aliquos inuitant, interim odij scintillas sub pectore fouent. Id quod in Christo locum habere nequit, qui ipsissima est veritas. Faciunt huc promissiones, quibus ad se conuersis salutem solidam & peccatorum siue offensarum ἀμνηστείαν pollicetur. Errant ergo, qui territas conscientias ad noua quædam expiationum & satisfactionum genera ablegant, ex quibus maiores terrores concipiunt. Agnoscamus nos Dei bonitatem, & ad salutis consortium vocantem constanti fide sequamur, vt cœlestis mensæ olim conuiuæ esse possimus cum Domino & saluatore nostro Iesu Christo, cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Isaiæ 43.
Ezech. 18.

HOMILIA. XIX.

Et scribæ ac pharisæi cùm uidissent eum capientem cibū cum publicanis & peccatoribus, dicebant discipulis eius: Quid est, quòd cum publicanis & peccatoribus edit ac bibit? Hoc audito Iesus ait illis: Non opus habent qui ualent medico, sed qui malè habent. Non ueni ad uocandum iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.

Argumentum & usus præsentis loci.

QVemadmodum scriptura passim Dei gratiam commendat: sic multorum exempla proponit, qui à peccatis conuersi, hanc gratiam sibi salutarem experti sunt. Inter hos non postremo loco Matthæus censeri debet, qui cum publicanus & ob peccata infamis esset, non modò peccatorum remissionem inuenit, verumetiam in Apostolorum & præconum gratiæ Dei ordinem cooptatus est, idemq; mox suo exemplo docuit, quid eos facere deceat, qui similiter ad salutem vocantur. Porrò vt plus consolationis afferret exemplum hoc, in præsenti ab ipso Christo plenius illustratur: cuius loci hic nobis vsus esse debet, vt ex eo consolationes petamus, non modò cùm conscientiæ terrores sentimus, verumetiam aduersus hypocritas iustitiarios & pharisaicos doctores, qui infirmas conscientias satisfactionum humanarum doctrina magis terrere consueuerunt. Deinde ut Christi exemplo discamus, quales nos erga fratres, qui peccatis obnoxij sunt, esse conueniat.

Occasio præsentis tractationis ex pharisæis est.
Lucæ 5.

Occasionem huic tractationi præbuerunt pharisæi, quibus scribas quoq; Lucas adnumerat. Vident hi Christum cum publicanis ad eandem mensam assidere, & mox aduersus discipulos illius murmurant, & apud illos tanquam socium flagitiosorum hominum traducunt. Finis autem hic illis propositus est, vt tum apostolis, tum reliquo vulgo Christum suspectum & inuisum reddant, ad quem indies quàm plurimos deficere videbant. Quid est (inquiunt) quòd cum publicanis & peccatoribus edit atq; bibit? Quasi dicant: Iamne videtis, quàm stultè relictis veris & legitimis doctoribus hunc vobis magistrum elegeritis, socium nimirum perditissimorum hominum, & honestatis atque disciplinæ sanctioris hostem? Si enim talis non est, cur nobis aduersatur, quorum innocentia satis

nota est, hos autem manifestis sceleribus infames sibi socios deligit? Atqui vulgò constat, vnumquemque talem censeri debere, quales sunt, quorum commercijs gaudet. Quòd si ergo illum sequi pergatis, an non idem de vobis etiam erit totius populi iudicium? Et num Deo vos placere putabitis, si relictis illis, qui meliores sunt, talium commercia sectemini? Quàm chara ergo vobis vestra fama & vita est, illo relicto in viam redite, & pristinis patrum vestigijs insistite, &c.

Hic verò obseruabis, pharisæos & scribas tum præsens hoc Christi factum calumniari, tum passim aliâs eiusdem hostes esse acerrimos. Erant scribæ populi & doctrinæ antistites, & antiquitus Legis Dei interpretes fuerant. Iidem annalium custodes erant, & vt publici notarij ea penes se habebant, quæ ad genealogias, regias imprimis, & ad promissi Meßiæ cognitionem spectabant. Sic Esdras scriba doctus & expeditus dicitur in lege Mosis. Et quia horum collegium ad Christum usque durauerat, Herodes etiam ex illis potißimùm quærit, vbi Meßiam nasci oporteat. At Christi temporibus maius illis erat humanarum traditionum, quàm scripturæ sacræ studium, quod illis Christus non semel exprobrat. Interim apud rude vulgus summam eruditionis & sapientiæ existimationem sustinebant. Pharisæi autem externam vitæ honestatem sectabantur, nec modò coram hominibus iustitiæ laudem sibi vendicabant, verumetiã in ipsius Dei conspectu sua ipsorum iustitia gloriari consueuerant. At quia vtrumque ordinem Christus sua doctrina arguebat, & proinde illorum authoritati nonnihil decederet, illum ferre non possunt, sed hostiliter oppugnant. Et hæc omnibus sæculis Christi sors futura est, vt eos sibi aduersarios & hostes experiatur, qui humanæ sapientiæ & iustitiæ titulo insignes, & præclari habentur. Etsi enim illi subinde impingant, hi verò non pauca ædant latentis in ipsis & ingenitæ corruptionis specimina, meliora tamen edoceri & argui nolunt, ne errasse videantur. Cumprimis autem illos malè habet, si Dei gratiam peccatoribus benignè & gratuitò offerri videant, eò quòd hoc illorum doctrinæ ad quæstum institutæ, adhæc eorundem existimationi plurimùm derogat. Non est ergo quòd Euangelij doctrinam à monachis & sacrificulis oppugnari miremur, quando illos Iudæorum scribis & pharisæis simillimos esse constat.

Pharisæi & scribæ hostes Christi.

Ezr. 7.
Matth. 2.
Matth. 15. 23.
Matth. 6. 23.
Lucæ 18.

Deinde hostium veritatis ingenium & artes obseruare prodest, quæ in pharisæis hisce elucent. Primò non ipsum Christum aggrediuntur, quem responsurum sciebant, sed aduersus discipulos ipsius rudes & imperitos murmurant. Ita olim satan, non virum, sed mulierem aggressus est, quam insidijs ipsius magis expositam esse videbat. Et horum similes sunt, qui hodie Euangelij ministros apud populum diffamant, & fictis criminibus suspectos & inuisos reddunt: imò studiosè cum illis potißimum colloquia de fide & disputationes instituunt, quos minus instructos esse sperant & ad respondendum idoneos. Qui si quid vel absurdius vel incautius dixerint, mirum quos illi risus & cachinnos excitent, & quàm insolenter triumphos agant, perinde ac si Turcarum Imperatorem tota Europa & Asia eiecerint. Deinde illud calumniantur, quod per se malum non erat, sed commoda aliqua interpretatione mitigari poterat. Nec enim statim peccat, qui cum impijs edit & bibit, modò ad illorum impietatem non conniueat, sed potius illos emendare cupiat. Interim atrocia illa, quæ in ipsis Christus accusabat, securi negligunt. Peccabant enim hypocrisi, fastu & ambitione, auaritia, Legis Dei prophanatione, imposturis, spoliatione viduarum, et infinitis alijs, sicuti Euangelica historia testatur, de quibus emendandis ne cogitabant quidem. Est hoc proprium calumniatoribus vt alienis peccatis sua palliare conentur: imò vitium hoc mundo vulgare est. Fit enim ex ingenita nobis philautia, vt aliorum honori inuideamus, & proinde alios reprehendendi occasiones vndique venemur. Quòd si verò nullum manifestum crimen occurrit, impudenter ea calumniamur, de quibus defendendis potius cogitare decebat. Est autem vitium hoc execrabile & nulla excusatione dignum. Nam vt verum sit, quod in proximi infamiam dicimus, quis inde ad nos ipsos, vel ad proximum, quem traducimus, vel ad auditores fructus redit? At si vel inscij fallimur, aut scientes atque volentes mentimur, nõ tam proximo nocemus, quàm nobis ipsis. Solet enim suorum famam tandem Deus asserere, nos verò diaboli membra effecti sumus, cui ab ipso scelere calumniandi siue obtrectandi nomen inditum est. Hinc tam graues in scripturis aduersus linguas mendaces & maledicas sententiæ repeririuntur. Nobis verò illa eò patientius ferendæ sunt, quod ijsdem Christum quoque petitum fuisse videmus. Vide Matth. 11. cap.

Ingenium & artes hostium Veritatis.
Gene. 3.

Psalm. 5. 12. 57. 64. 140.
Prouerb. 6, 10.

CAPUT II.

Christus pharisæorum calumnijs respondet.

Porrò transeamus ad Christum, qui mox pharisæorum calumniam excipit, etsi probè sciret, illos nihilò meliores futuros. Sed discipulorum ratio habenda fuit, ne illis aliqua sinistra suspicio oboriretur. Nec enim permitti debet, vt impunè grassentur calumniæ, ex quibus publica scandala enasci possunt. Sunt autem duo membra apologiæ Christi, quæ singula ex ordine videbimus.

Primùm prouerbiali sententia vtitur, quæ similitudinem vulgò notam continet. Non opus habent (inquit) qui valent medico, sed qui malè habent. Sensus est: Medicus ægrotis conuersari debet, & illorum curam agere. Ego medicus in mūdum veni. Ergo ægrotis conuersari debeo. Et sicuti iniustè accusatur medicus, si ægrotis sese familiarem præbeat: ita à vobis me quoq; iniustè accusari dico. Ne verò ad animas minus rectè transferri dicerent, quod in corporum morbis curādis rectè fit, apud Matthæum prophetico testimonio probat, se misericordiæ potius quàm ullius alterius rei studium sectari debere. Nec sine ignorātiæ turpis exprobratione scribis dicit: Quin potius ite & discite quid sit illud: Misericordiam volo, & nō sacrificium. Ita verò præposterum illorum studium arguit, quo circa ceremonias externas occupati, officia charitatis negligebant, nec ipsum illis intentum æquo animo ferre poterant.

Matthæi 9.
Hos. 6.

Peccatores ægrotis conferuntur.

At hic diligentem consyderationem meretur, quòd peccatores ægrotis confert, & quidem talibus qui medico opus habeant. Qua parabola rursum pharisæos arguit, qui peccatores insolenter potius damnare, quàm ad salutem lucrifacere solebant, & simul quo loco nobis peccata esse debeant, admonet. Sunt hæc morborum instar. Vt enim morbi intra corpus enati, illud debilitant, & tandem mortem afferunt: Ita peccatum ex natiuitate nobis inhærens, & occultis intra nos suggestionibus sese exerens, omnes animæ vires debilitare consueuit. Per hoc enim fit, vt homo animalis non capiat ea, quæ sunt spiritus Dei. Hoc ipsum voluntatem & cordis figmenta ad malum inclinat, omnemq; faciendi bonum facultatem adimit, adeoq; ea nos facere cogit, quæ vetita & noxia esse scimus, sicuti de semetipso Paulus fatetur. Et sicuti qui per morbos membris capti sunt, seipsos iuuare non possunt: ita nec nos, qui natura peccatores sumus, quicquam ad nostram ipsorum salutem conferre possumus. Nisi ergo aliunde medicus & remedium accedant, in peccatis pereamus oportet, quando illorum stipendium mors est, vt passim scripturæ docent.

1. Corinth. 2.
Gen. 8.
Rom. 7.
2. Cor. 3.

Christus medicus.

Ita verò laborantibus medicum sese prebet Dei filius, Iesus Christus, qui mundum hunc non alio nomine ingressus est, quàm vt de vita & æterna salute periclitantibus succurreret. Præstat autem quæcunq; à fido & perfecto medico expectari solent. Huius est, vt ægrotos sibi cordi esse patiatur, & ijsdem medicinam lubēs volensq; adhibeat. Deinde, vt morbos agnoscat, & quibus remedijs pelli possint intelligat. Vtrumq; Christus habet. Voluntatis enim promptissimæ argumentum est, quòd non vocatus à nobis venit, & sponte inuisens miseros, salutem nobis gratuitò offert, & nos ad illam amplexandam hortatur. Est enim (vt propheta ait) vir sciens dolorum, & cum nostras infirmitates expertus sit, miseris condolere potest. Idem saluandi facultatem habet instructissimam. Nam peccata nostra in se transfert, illa mortis suæ merito expiat, & ne morbus rediēs maius periculum afferat, suo verbo et spiritu regeneratos per omnia innouat, vt posito veteri homine, in ipso noua creatura reddamur. Hinc vera & perfecta salus oritur, quæ nouas quoq; vires sufficit, & ad omne bonum idoneos & instructos reddit. Et hic nobis obseruanda venit magna Dei bonitas, qui in vno Christo omnia dedit, quibus ad salutem nobis opus erat. Is enim in tenebris agentibus lux, captiuis redemptor, esurientibus panis, sitientibus fons aquæ viuentis, peccatoribus iustitia, stultis sapientia, errantibus via & veritas, ægrotis medicus, mortuis deniq; vita & salus à Deo patre datus est. Quis ergo non Dei gratiam exosculetur? Quis non Christum hunc amplectatur, seq; totum illi consecret? Sed ô deploratam hominum cæcitatem & ingratitudinem, qui cùm ista scripturæ passim de Christo prædicent, & exemplis innumeris probata sint, adhuc tamen de Dei gratia dubitant, & neglecto Christo, nouos sibiipsis saluatores comminisci solent.

Isa. 53.
Hebræorum 4.
Ioannis 3.
Galat. 3. 5.
Isa. 9. 42.
49. 61.
Ioan. 6. 4. 7.
1. Corinth. 1.
Ioan. 14. &c.

Christus uenit saluandum peccatores.

Sed omissis hisce ingratis gratiæ Dei contemptoribus alterum responsionis Christi membrum excutiamus, quo ad se transfert & clarius exponit quod per parabolam adumbrauerat. Ait enim: Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Iustorum hic meminit, non quòd aliqui reperiantur, qui in Dei conspectu iusti comparere possint, (omnes enim peccauerunt, & destituuntur gloria Dei: item conclusit Deus omnia sub incredulitatem, vt omnibus misereatur) sed ipsorum sen-

Rom. 3. 11.

tentia

[ue]ritia loquitur, & hypocritas perstringit, qui iusti habere volebant, & ipsius meritum, quoad hac insolenti propriæ iustitiæ fiducia inflentur, nihil ad illos pertinere docet. Ita verò paucis verbis omnem salutis nostræ rationem comprehendit, cuius potissima capita ex ordine inspexisse proderit.

Primum propter quos venerit docet. Et hic quidem simpliciter peccatores nominat, ne quis aliquod fingat discrimen, & se exclusum suspicetur. Ita Paulus, Christum in mundum venisse scribit, vt peccatores saluos faceret. At peccatores sunt omnes homines. Omnibus ergo saluandis Christi meritum sufficere poterit. Et exempla sunt eorum, qui haud vulgarium peccatorum remissionem in Christo inuenerũt: quorum omnium vsus est, ne quis peccatorum atrocitate Dei gratiam & Christi meritum superari posse existimet. Agnoscamus modò peccata nostra, & oblatam in Christo salutem non fucata fide amplectamur, & mox illum nobis salutarem experiemur.

Peccatores. 1. Timoth. 1.

Deinde vocandi verbo vtitur, quo rursum Dei gratiam nobis commendat. Nostrum siquidem erat, Deum vocare in auxilium, & illius gratiam implorare. At quia ea est nostra conditio, vt vel securi in peccatis salutem nostram negligamus, vel illorum conscientia territi, Dei conspectum exhorreamus, à Deo vocemur necesse est. Patres ergo fidos ille imitatur, qui liberos suos vel ex puerili inscitia, vel etiam improba petulantia vagantes, ipsi quærunt, & periculo alicui appropinquantes alto clamore reuocant. Factum hoc in ipso mundi exordio, quando post Adamum fugientem & latebras quærentem clamauit Deus: Adam vbi es? Vocauit idem per Mosem & prophetas omnibus seculis, quoscunq; ad salutis & regni sui consortium ab æterno elegerat. Et ministerium siue verbum reconciliationis postea Apostolis horumq; successoribus credidit, qui hodie etiam per Euangelium omnes vocant, vt Deo reconcilientur. Hic ergo officij memores nos esse decet, vt Deum vocantem sequamur. Quicunq; enim ad nuptias inuitati & vocati venire detrectant, næ illi indigni sunt, qui gaudij illius cœlestis consortes fiant. Vocabunt & pulsabunt etiam illi aliquando, sed idem ipsis, quod fatuis virginibus respondebitur: Amen dico vobis, non noui vos. Matth. 25.

Christus peccatores uocat.

Genesis 3.

2. Corinth. 5.

Matth. 22.

Postremò finem vocationis nostræ Christus exprimit, quando pœnitentiæ meminit. Est hæc totius hominis ad Deum conuersio, quæ ex nostriipsius & gratiæ Dei cognitione enata, dignos fructus profert, & totum hominem Deo vendicat per fidei obedientiam. Dictum de hac iam ante, quare eadem in præsenti repetere superuacaneum foret. Sufficiat hic monuisse, gratuitæ salutis in Christo prædicationem minimè ijs patrocinari, qui impunem carnis licentiam vel peccandi impunitatem quærunt. Ad pœnitentiam nos vocat Christus, & eandem tanti beneficij consyderatio requirit. Agnoscamus ergo Dei gratiam, & Christi merito saluati, vitam nouam & inculpatã agamus, vt olim nobis cũ illo in cœlis viuere detur: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Finis uocationis nostræ pœnitentia.

HOMILIA XX.

Et discipuli Ioannis ac pharisæorum ieiunabant, ueniuntq; ac dicunt illi: Quare discipuli Ioannis ac pharisæorum ieiunãt, tui autem discipuli non ieiunant? Et ait illis Iesus: Num possunt filij thalami nuptialis, in quo cum illis sponsus est, ieiunare? Veniẽt autem dies, cùm auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt in illis diebus.

Dauid rex & propheta de Christi regno vaticinans, inter alia ait: Dominabitur in medio inimicorum ipsius. Et illum quidem inimicos semper habiturũ docet, ne in illo nobis securitatem & otij promittamus, simul verò eundem inter inimicos suos regnaturũ testatur, ne illorum insidijs & conatibus territi, de regni ipsius & salutis nostræ perpetuitate dubitemus. Vt verò certior nobis sit hæc fiducia, exemplis plurimis Christi sapientiam & potentiam, qua hostes suos eludere solet, probari oportuit. Quò cumprimis præsens historia referri debet. Audiuimus enim Christum à pharisæis & scribis accusatum fuisse, quasi hominum flagitiosorum socius & patronus esset. Ad quam calumniam sic respondit, vt non sine magna consolatione vniuersum nostræ salutis mysterium tradiderit. Sequitur nouus congressus, in quo non modò se & suos discipulos tuetur, verumetiam ieiuniorum rationem luculenter exponit, atq; hostium suorum hypocrisim validissimè confutat.

Argumentum & usus præsentis loci.

Psalm. 110.

Pharisæi et Ioannis discipuli simul Christo aduersantur. Matth. 9.

Vbi primum aduersarij Christi consyderandi veniunt. Fuerunt hi ex pharisæorum ordine, sed in suas partes pertraxerunt aliquos ex Ioannis discipulis, quos ita subornarunt, vt ipsi quæstionem, de qua agitur, proponant, sicuti Matthæus tradit. Patet hîc, quo ingenio præditi sint veritatis hostes, & quibus artibus pugnare soleant. Etsi enim Ioannes Christi minister & amicus esset, & illum non minus quàm Christum pharisæi odissent, tamen ex illius discipulis nonnullos aduersus Christum armare possunt, eos nimirum, quos vel incautiores, vel externis nimium addictos esse, & proinde præpostero zelo pro sui magistri gloria certare videbant: quales non paucos fuisse, Euangelica historia docet. Hoc ipsum Paulus expertus est, quando Galatæ, qui illum oculis suis chariorem habuerant, impostorum artibus ab ipsius doctrina alienati fuerunt. Quin in Actis legimus, ex credentium numero eos prodijsse, qui iustificationem fidei oppugnarunt & ecclesias propè omnes nocentissima controuersia de Circumcisione & Legis operibus turbarunt. Et hodie qui à pharisæorum instituto non multum distant, fucata externæ iustitiæ & sanctimoniæ ostentatione Euangelij doctrinam apud eos suspectam & exosam reddũt, quos præ alijs quidem externæ honestatis & disciplinæ amantes, sed tamen incautiores esse vident, quàm vt ipsorum artes depræhendere poßint. Quos in huius exempli consyderatione diligentes esse oportebat, ne quibusuis temere aures præberent, qui veritatis ministros accusant, ne (quod Ioannitis hisce accidit) Christi hostes efficiantur, dum pro veritate & religione totis animis pugnare instituunt. Elucet præterea quæ in hoc mundo veritatis sors sit. Etsi enim mundus diuersißimis peccatorum studijs scindatur, nec unquam satis conuenire poßint, qui suis affectibus indulgere instituerunt: tamen in veritate oppugnanda idem omnibus animus & voluntas omnino est eadem. Ita alibi Pharisæos cum Saducæis & Herodianis conuenire potuisse legimus, quando de Christo opprimendo agebatur. Sic Pilatus & Herodes, cùm antea dißiderent, subitò amici facti sunt. Et hodie cùm potentißimi monarchæ bellis mutuis sese indesinenter vexent, vnanimi tamen studio ad veritatis oppreßionem feruntur. Falluntur ergo quotquot in impiorum dißidijs aliquid spei collocant. In Christo enim sperandum est, qui impiorum consilia facilè turbare potest, nec eos unquam deseret, qui in ipsius doctrina verè consentiunt.

Ioan. 3. — Galat. 4. — Veritatis sors. — Matthæi 22. — Lucæ 23.

Quæstio de ieiunijs Christo proponitur. Leuit. 16. 23. Isa. 58. Zach. 7. 8. Matth. 6. Luc. 18. &c.

Secundò quæstionem videamus, qua Christum exagitare conantur. Est ea de ieiunijs, ijs nimirum, quæ iuxta hominum traditiones agi consueuerant. Vnicum siquidem in Lege ieiunium Deus instituerat, quod mense septimo in festo expiationum publicè agebatur. At hoc non contenti superstitiosi homines, iam olim temporibus prophetarum ex semetipsis plura alia, certis siue statis temporibus peragenda excogitarant. Tandem qui reliquis sanctiores haberi volebant, rursum alia adiecerant, quibus publice pietatis & sanctimoniæ laudem venabantur, sicuti de pharisæis ipse Christus aliquoties testatur. Accommodauerat sese illorum moribus nonnihil Ioannes, cuius vita (vt initiò vidimus) perpetuum quoddam ieiunium dici potest, eò quòd illius functio disciplinam vitæ paulo austeriorem, & quæ ad Legis statuta propius accederet, exigebat, quò facilius admitteretur ipsius de Christo testimonium. Christus verò, cùm externis ceremonijs assuetos in sublimiorem regni Dei consyderationem subuehere deberet, illa minus obseruabat, nec ad illorum obseruationẽ discipulos suos obstringebat. Hinc ergo calumniandi occasionem aduersarij arripiunt, qua crimen, quod prius illi intentarunt, probare conantur, quando (vt Lucas habet) non sine stomacho dicunt: Quare discipuli Ioannis ieiunant frequenter, & obsecrationes faciunt, similiter & pharisæorum, tui verò edunt & bibunt? Non ergo simpliciter ieiuniorum intermißionem, verumetiam gulæ & crapulæ studium illis exprobrant. Hic enim verborum sensus esse videtur: Publicanorum & peccatorum socius siue patronus haberi non vis, & quam cum illis habes conuersationem hoc nomine excusas, quòd instar medici ad saluandum peccatores veneris, & simul Dei verbum allegas, qui nos misericordiæ potius quàm externis ceremonijs studere iubet. Sed age demus hoc tibi, nunquam tamẽ hoc abs te rectè fieri dicemus, quòd discipulos tuos, quos iam lucratus es, non melius instituis, nec disciplina seueriori coherces. Si nostros spectes, illi frequenter ieiunant, & aßidui sunt in precibus. Tui verò non modò intermittunt ista, sed etiam conuiuantur cum dissolutæ vitæ hominibus. Nec est quòd nobis pharisaismũ obijcias, aut nos hypocrisis insimules. Nam quod nos facimus, hoc ipsum Ioannes quoq; imitatur, cuius discipuli tuos illos, quoad disciplinam & vitæ honestatem, longè excellunt. Aut ergo Ioannem errare dicemus, aut te, qui ab illius exemplo tam procul abes: At Ioannẽ errare haud est verisimile,

Lucæ 5.

cùm

cùm ieiunia & preces in scripturis passim commendentur. Te ergo in errore versari constat, & talem esse, qualem modo diximus.

Admonemur hoc exemplo, de quibus ferè accusetur veritatis doctrina. Nimirum quòd contra patrum consuetudinem & receptos mores schismata inducat, quòd faciliorem pollicendo salutis rationem securos & negligentes faciat, quòd precibus, ieiunijs & bonis operibus obstet. Hæc enim Christo non hic modò, verumetiam sæpe aliàs obijci videmus. De ijsdem accusati etiam olim sunt Apostoli. Et hodie hæc ipsa passim audiuntur. Imò religionis euersores, bonorum & Diuorum hostes dicimur, dum vni Christo omnem redemptionis & salutis nostræ gloriam vendicamus. Et facilè admittit eiusmodi calumnias mundus hic, qui totus ab externis pendet, nec Dei verbum respicit, quo vera tum salutis tum religionis ratio absolutissimè traditur. At nos eorum, quæ olim Christo & suis acciderunt, memores, Dei verbo insistamus, cuius regulam secuti nunquam à vero aberrabimus. *Veritas de quibus ferè accusetur.* *Matth. 11.*

Sed Christi responsionem audiamus, cuius partes duæ sunt. Prima discipulos excusat, & argumento à temporis ratione desumpto docet illis minimè conuenire, vt more pharisæorum aut discipulorum Ioannis ieiunent. Filij thalami nuptialis, id est, qui ad nuptias inuitati & sponsi affines siue amici sunt, ieiunare non possunt, quoad sponsus cum ipsis est, & nuptiæ durant. At mei discipuli sponsum sibi præsentem habent, me scilicet qui animarum sponsus sum, & quem vester ille Ioannes pro sponso agnouit. Absurdum igitur foret ab illis ieiunia exigere. Nec est quod hoc gaudium, quo modò fruuntur, illis inuideatis. Veniet enim tempus, nec procul abest, quando ad patrem reuersus, ipsis non amplius corporaliter conuersabor. Tunc varijs persecutionum periculis vndiq; oppugnati ieiunare cogentur. Ideò autem sponsi & nuptiarum parabola vti voluit, vt illis nimiam oscitantiã exprobraret, qui Ioannis authoritatem prætexebant, interim eorum immemores, quæ Ioannes de Christo tradiderat. Faciunt ergo ad huius loci explicationem, quæ ille discipulis suis zelo præpostero accensis Ioan. 3. sic dicit: Qui habet sponsam, sponsus est: amicus autem sponsi, qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi. Hoc ergo gaudium meum impletum est. *Christus discipulos defendit.* *Ioan. 3.*

Nobis autem parabola hæc aliquantò diligentius inspicienda erit, cùm vix alia tum in veteris tum noui testamenti libris frequentius occurrat. Comprehendit ea vniuersum nostræ cum Deo reconciliationis & salutis mysterium. Vt enim principes bellis, quæ diu inter sese gesserunt, per noua coniugia finem imponere consueuerunt, quò certior & firmior sit pacis futuræ spes, & vtrinque acceptæ iniuriæ facilius in obliuionem veniant: Ita nobiscum Deus facere voluit, quando filium suum Iesum Christum cœlitus ad nos misit, qui humanam naturam in sua persona diuinæ indissolubili & æterno vinculo coniunxit, dum ipse nostra caro fieri dignatus est, eos autem suo spiritu & verbo regeneratos, Dei filios & regni cœlestis hæredes fecit. Docet hoc quanta sit nostræ conditionis dignitas, quæ nobis in Christo obtigit, & in tentationibus mirificè consolatur. Quia enim nos sibiypsi despondit Christus, nobiscum vtique communia habere vult sua omnia. Deinde firmissimum sit oportet hoc vinculum, quando illud Christus tueri vult simul atque potest, nec sibi suos eripi patitur. Si enim coniuges legitimè coniunctos abs se inuicem diuellere nefas est: Num Dei filium passurum putabimus, vt ab ipso separentur, quos ille sibi perpetuò salutis fœdere despondit? Rursum hæc ipsa nos officij admonent. Sponsæ est obliuisci parentum domusq; paternæ, & vni sponso adhærere, illum suum caput agnoscere, colere, amare, eidem fidem suam seruare illibatam, nec vllas vel promissiones vel minas ad impudicitiam solicitantes admittere. Hæc ipsa nos quoque Christo debemus, cuius gratia parentes, liberos, fratres & fortunas omnes relinquere conuenit, nec vllis vel blanditijs mundi vel tyrannorum minis cedere, sed illi firmiter adhærere, unum illum colere, obseruare, sequi, & vnicum redemptorem agnoscere. Hoc qui faciunt, Ecclesia sunt vera, quæ Christi sponsa dicitur, & cum illo æternum regnabunt. *Sponsi & nuptiarum parabola explicatur.* *Ioannis 1.* *Ephes. 5.* *Ioan. 10.* *Psal. 45.* *Matth. 19.* *Ephes. 5.* *Matthæi 10.* *Marc. 10.*

Præterea veram ieiuniorum rationem Christus hisce verbis comprehendit, quæ eò diligentiorem consyderationem meretur, quòd circa hæc superstitiosi homines omnibus seculis errarunt, & ea sit nostra conditio, vt illa in vniuersum intermittere parum vtile sit. Est enim ieiunium (de quo in scripturis agitur) disciplina siue castigatio quædam pro necessitate præsenti sponte suscepta, qua caro cohercetur, quò minus aduersus spiritum ferociat. Species huius duæ sunt, publica scilicet & priuata. Publica enim ieiunia olim suscipiebantur, quãdo Dei ira toti alicui genti imminebat, nec aliud *Ieiuniorum ratio.*

illa erant, quàm luctus quidam publicus, in quo pœnitentiæ, precibus & abstinentiæ omnes unanimi consensu studebant. Exempla huius apud Ioelem & Ionam prophetas habentur. Priuatim verò ieiunant pij, quando carnem insolescere & spiritui minus obtemperare sentiunt: ita vt periculum sit, ne si ita pergat caro, Christum amittant, qui vnicus animarum sponsus est, nec alius ipsis finis in hoc exercitio propositus est, quàm vt ardentius pietati operam dare possint. Quæ causa est, quòd nec modum excedunt, nec ieiunia certis temporibus astringunt, nec etiam illa in ciborum discrimine consistere arbitrantur: sed quoties ita necessitas postulat, omnia ea carni subducunt, quibus illa ferocior fieri consueuit, siue illud cibus sit & potus, siue vestium luxus, siue thori coniugalis vsus, siue aliud quiddam huius generis. Ita ergo singuli sibijpsis regula sunt, nec aliorum placitis gubernari opus habent. Solet itaq; bifariàm errari hodie. Papistæ enim cum Iudæis & pharisæis peccant, dum ex semetipsis ieiuniorum formulam præscribunt, eadem ad certos dies astringunt, ciborum discrimina (reclamantibus Christo & Apostolis) constituunt, & ieiuniorum merito Dei gratiam atq; salutem tribuunt. Rursum qui Euangelium profitentur, Papisticos quidem abusus damnare, & Christianam libertatem iactare solent, sed eadem ad carnis licentiam abutuntur, & spreta omni ieiuniorum doctrina voluptatibus assiduè indulgent. Et licet vel publicis malis ecclesias vastari, vel Christum ab ipsis quasi discedere videant, dum verbi & fidei zelus paulatim in illis intermoritur, nunquam tamen de carne cohercenda cogitant. Est hæc non postrema malorum nostri seculi causa. Digni enim sunt, aduersus quos Dei ira magis exardescat, qui nec publicis neq; priuatis periculis ad pœnitentiam & serium salutis studium excitari possunt, quin potius Deo ad hoc illos vocanti quasi in faciem insultant. Teneamus ergo Christi Iesu regulam, & temperantiæ studio assueti, carnis petulantiam coherceamus. Ita enim fiet, vt dum hic viuimus, suo spiritu nobis cohabitet, tandem verò ad cœlestes nuptias secum inducat, vt æterno gaudio fruamur. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria, & potestas in æternum. Amen.

Ioel. 2. Ion. 3. — Papistæ. — Matth. 15. 1. Timoth. 4. Rom. 14. — Pseudoeuangelici.

HOMILIA XXI.

Et nemo assumentum panni rudis assuit uestimento ueteri, alioqui aufert supplementũ eius nouum à ueteri & peior scissura fit. Et nemo mittit uinum mustum in utres ueteres, alioqui disrumpit uinum mustum utres, & uinum effunditur, & utres pereunt; sed uinum mustum in utres nouos mitti debet.

Argumentum & vsus præsentis loci.

EXposuit Marcus Christi Iesu cum pharisæis concertationes, quarum altera de ipsius cum peccatoribus conuersatione, altera de ieiunijs instituta fuit. In vtraq; verò ita respondit Christus, vt quod illi præterea obijcerent, non habuerint. At quia mirum videri potest, illum responsionibus tam cordatis tamq; solidis nihil apud eos profecisse, penes quos summa erat apud Iudæos sanctitatis & eruditionis existimatio, nec aliud grauius sit scandalum, quàm si tales Christo & Euangelij doctrinæ aduersari videamus: In præsenti causas exponit, quibus illi impediantur, quò minus ipsius doctrinam recipiant, simulq; ipsorum incurabilem superstitionem & hypocrisim arguit. Vnde discemus, quæ remoræ etiam nostro sæculo Euangelio cumprimis obstare soleant, & quales eos esse conueniat, qui illud aliquo cum fructu audire cupiunt. Est ergo locus hic consyderatione diligenti dignissimus, imò necessarius, qui nunquam nobis non ob oculos versetur. Quæ causa est, quòd similibus rem omnem Christus complecti voluit, & clarius à nobis perspici posset, & eiusdem recordatio facilius in animos nostros recurreret.

I. Simile ex re vestiaria.

Primum ex re vestiaria petit, dicens: Nemo assumentnm panni rudis assuit vestimento veteri, &c. Per vetus autem vestimentum inueteratam & longo vsu stabilitam superstitionem, adeoq; ipsos pharisæos atq; scribas intelligit, qui in patrum traditionibus ita consenuerant, vt illis renuntiare nec vellent nec possent. Nouum verò assumentum dicit Euangelij doctrinam, quæ ipsis quidem noua videbatur, cum per se vetustissima, nec alia sit, quàm quæ primis promissionibus de semine benedicto,

[in]dicto, ex muliebri sexu & Abrahami posteritate nascendo, continetur. Sensus ergo verborum est: Non mirum videri debet, Ioannem quoad ieiunio & totam vita conuersationem aliquid vobis condonasse, & vos à mea doctrina tam vehementer abhorrere. Ea enim instar panni noui & rudis est, si vobiscum conferatur, qui patrum traditionibus assueti, religionem simul & vniuersum salutis rationem in externis consistere arbitramini. Nisi ergo veteres illos animos, & doctrinam cui assueuistis reijciatis, nihil apud vos mea doctrina vnquam proficiet. Gene. 3. 22. 26. 28. &c.

Obseruabis autem, quòd superstitiosas hominum traditiones, & iustitiam quæ in harum obseruatione consistit, veteri & laceræ vesti confert, ita nimirum docens, quàm inanes sint atque inutiles. Habet enim illa quidem nomen vestis, sed quod vestis præstare debebat, minimè præstat, quando nec tegit, nec ornat, nec calefacit. Ita quæ ex humanis traditionibus dependet iustitia, apud homines quidem iustitiæ nomen obtinet, coram Deo autem minimè præstat ea, quibus nobis opus erat. Externo enim fuco sese venditans, ingenitam nobis corruptionē & quæ ex illa promanant peccata, tegere non potest, quò minus illa Dei oculis pateant, qui cordium & renum arcana scrutatur. Similiter nec ornatum affert, qui diuinæ maiestatis oculis placere possit, cùm illa hominum traditiones iam olim damnauerit, & se frustra ab illis coli testetur, qui hominum doctrinas tradunt. Exemplum eius rei in primo parente nostro scriptura proponit, qui etsi nuditatem suam ficuum folijs tegere instituisset, ea tamen Deum latere non potuit, imò nec latebras quæsiuisse profuit, cùm in conspectū suum Deus illum protrahere vellet. Accedit his necessariò, quòd totus iste humanæ iustitiæ apparatus, nec mentes hominum Dei amore inflammare, nec conscientiæ horrores profligare potest. Frigent enim in cælestium consyderatione animi nostri, quàm diu externis solis occupantur. Nec quicquam est quod conscientiæ terroribus mederi, & consternatas ex peccatorum cognitione mentes recreare possit, præter solam Dei gratiam, cuius cognitio atque gustus non ex hominum traditionibus, sed ex Euangelij doctrina percipitur, quo Christum Iesum nobis ex gratia datum esse, & in eodem nobis omnia exhiberi docet, quæcunque saluti nostræ inseruiunt. Verissimè enim à Christo dictum est: Omnis qui bibit ex aqua hac (quam ipse nimirū proprijs viribus haurit) sitiet iterum: quisquis autem biberit ex aqua, quam ego ei dabo, non sitiet in æternum, &c. Probant hoc omnium seculorum exempla, quando constat nullum vnquam superstitionum finem eos inuenire potuisse, quicunque circa hominum traditiones occupati fuerunt. Nec exemplis longè petitis est opus, quando singuli quid non ita pridem in Papatu passi sint, satis meminerunt. De nuptiali ergo veste cogitemus: Christo nimirum, qui suæ iustitiæ merito omnes in se credentes vestire consueuit, & in ijsdem verum diuinæ iustitie studium spiritus sui operatione incendit. Nec vnquam illud Christi excidat: Nisi abundauerit iustitia vestra plus quàm scribarum & pharisæorum, non poteritis ingredi in regnum cælorum. Matth. 5.

Humanæ traditiones et superstitiones laceræ vesti conferuntur.

Psalm. 7. Isa. 29. Matth. 15.

Ioannis 4.

Matth. 22. Galat. 3.

Præterea obseruandum erit, hominum traditiones cum Euangelio coniungi aut conciliari non posse, & qui id conatur, non aliud efficere, quàm quòd omnem religionem paulatim euertunt. Nam quemadmodum qui laceras & attritas vestes pannis nouis sarciunt, rupturas mox maiores reddunt: Ita qui Euangelij doctrinam & veræ fidei professionem cum superstitionibus coniungunt, illam quidem turpiter prophanant, has verò augent atque confirmant, adeoq; incurabiles reddunt, dum eas ementito Euangelicæ doctrinæ ornatu vestiunt. Est itaque summa inter hæc dissensio, nec vlla extra Christum ratio apparet, quæ diuina cum humanis conciliare possit. At vbi Christus admittitur, qui nobis à Deo sapientia factus est, humana sapientia cum suis traditionibus procul cedat oportet. Christus enim oues suas non aliam quàm suam vocem, quæ in Euangelio sonat, audire vult, & ab eisdem fidei obedientiam exigit, quæ omnem carnis intellectum Dei verbo subijcere consueuit. At humanæ traditiones carnis zelum probant, & quæ bona intentione fiunt, Deo placere docet, sicq; Dei verbo omnem authoritatem adimunt. Quis enim illius vsus est amplius, si nostrorum animorum intentio sufficit? Quòd si vero ipsam Dei legem inspicias, in illius quoque sensu nunquam conuenire potest cum Christo humanæ sapientiæ. Hæc enim externam modò iustitiam exigit, & illam nostris viribus præstari posse sentit. Christus verò in ipsos hominum animos penetrans, illos totos sub fidei obedientiam vendicat, & nobis vires esse negat, quibus illam præstemus. Rursum, humanæ traditiones nostrorum operum meritis peccatorum remissionem tribuunt.

Traditiones hominū cum Euangelio coniungi non possunt.

1. Corinth. 1. Ioan. 10. 2. Cor. 10. Rom. 1. 16.

Matth. 5.

Act.4. *Euangelium verò vnum Christum monstrat, extra quem nullum aliud nomen esse docet, per*
Galat.3. *quod saluari poßimus, simulq; anathema pronunciat eos, quicunque aliam salutis rationem prædicant. Longè ergo falluntur, qui nostri seculi controuersias de religione non adeò graues esse, sed facilè conciliari posse existimant, modò solitum rigorem & austeritatem deponant qui Euangelij præcones sunt. Quorum consilia si admittantur, hoc vnum efficient, quòd incurabilis fiet omnium religionum confusio, & tandem hominum mentes ab omni prorsus religione alienos reddent. Vt enim in agricultura spinas prius extirpari conuenit, si semen germinare & fructum facere velis. Ita nisi è medio tollantur semel omnia, quæcunqne cum Euangelij doctrina pugnant, nunquam illa fructus dignos proferet. Ex paruulis enim reliquijs ingentes errorum cumulos pullulare videbimus.*
Deut.7. *Hinc illa de altaribus diruendis, & idolis confringendis præcepta extant, quæ adeò diligenter obseruari voluit Deus, vt aurum quoque abijcere & exurere iubeat, quod idolis aliquando consecratum fuit. Et non semel notantur Reges, qui in reformanda quidem doctrina & religione non malam omnino operam nauauerunt, sed excelsa reliquerunt, quæ olim falsi cultus officinæ fuerant. Et vtinam non extarent nostri seculi exempla, quæ abundè docent, quàm periculosum sit aliquas extare veteris superstitionis reliquias siue instrumenta. Hinc enim peccandi occasionem petunt, qui sub Euangelij prætextu sua quærunt, & simul restitutionis spes datur superstitiosis, qui ecclesiarum reformationi reluctantur: præterea antecessorum præ iudicijs grauantur successores, vt minor sit eorum in illis oppugnandis authoritas. Est ergo omnibus tum ministris tum magistratibus probè obseruanda hæc Christi sententia, ne nouum & rudem Euangelij pannum superstitionibus, quæ reuera vestis vetus & lacera sunt, assuere conemur, sed in illis euertendis industria & zelo indefesso vtamur.*

II. Simile ex re vinaria.

Alterum simile ex re vinaria petit, ad veterum morem respiciens, qui vinum vtribus ex corio aut pellibus factis condebant, quod ipsum hodie etiam apud nonnullas gentes fieri consueuit. Sensus autem omnino idem est, nisi quòd damnum siue iactura salutis clarius exprimitur. Vt enim vinum mustum, si vtribus vetustis committatur, & vtres rumpit, & ipsum effunditur: Ita si Euangelij doctrinam animis veteri superstitione adhuc imbutis committas, mox & ipsos homines perire, & Euangelium ipsum grauem iacturam pati senties. Paulatim enim omnem religionem dediscunt, & Epicuræi fiunt, quos prius aliquis saltem religionis sensus in officio continebat. Euangelium verò apud tales diffluit, & Christus planè inutilis redditur, quando illi nec cum superstitionibus nec cum impia peccandi licentia quicquam commune esse potest. Cæterum hic nobis tria occurrunt, quorum consyderatio hodie cumprimis necessaria est.

1. Euangelium vino cõfertur.

Primò Christus Euangelium vino confert, & quidem nouo siue musto. Quæ similitudo omnem Euangelicæ doctrinæ rationem comprehendit. Vt enim vinum, sicut & alij terræ prouentus, Dei
Ephes.4. *donum est: Ita Euangelium ex singulari Dei gratia datur, qui solus ministros dat & messores*
Matth.9. *in messem suam extrudit. Et Christus ait: Doctrina mea non est mea, sed eius qui misit me. Vt vi-*
Ioan.7. *num nouum acorem habet, & gustum acutius penetrat: Ita Euangelij doctrina carni acerbior vi-*
Hebr.4. *detur, & mox intimos quoque cordis recessus penetrare consueuit, quo nomine Apostolus illud gladio ancipiti confert, qui rectè vibratus ad medullas & intimas vsque compages descendat. Vt verò*
1.Pet.1. *vinum, si ritè bibas, vires recreat & mentem exhilarat: Ita Euangelium læto partæ salutis nuntio conscientijs gaudium affert, & animos ad pietatis studium efficacißimè excitat. Vt denique vinum totum hominem quasi immutat: Ita Euangelium, cum æternum illud regenerationis semen sit, vniuersam hominis naturam innouat, & insolitum in nobis diuini amoris ignem incendit.*

2. Vnde nostri seculi corruptio.

Vnde ergo publica hæc & quasi generalis nostri seculi corruptio, de qua hodie in tam manifesta Euangelij luce omnes bonos paßim conqueri audimus? Hinc nimirum, quòd salutare illud Euangelij vinum plerique in veteres recondunt, dum animos vel Papistica superstitione adhuc imbutos, vel ad effrenem peccandi libidinem procliues afferunt. Etsi enim priores illi manifestos errores & abusus, qui in Papatu sunt, negare non poßint, & quoad illos Euangelio non grauatim accedant, quia tamen regenerationis mysterium non intelligunt, nec ad salutis rationem, quæ in Christo habetur, attendunt, Papatum quidem odisse solent, Euangelium verò non ex animo amplexantur,

& ita

& ita tandem omnis religionis expertes fiunt. Alteri verò Papatũ propter Confessionis auricularis & ieiunij quadragesimalis disciplinam & sacrificulorum tyrannidem oderunt, Euangelio verò ad carnis licentiam abutuntur. Vtriq; ergo professione tantum Euangelici sunt, vt primum verò acrius punguntur & liberius sui officij admonentur, Papatum Euangelio praeferunt, & tritum illud de vino dictum sonant: Vetus melius est. Ita & ipsi pereunt, & Euangelium apud eosdem effunditur, dum sua leuitate illud impijs deridendum propinant. Luca 5.

Itaque de remedio cogitandum erit seriò, quod ipsum in praesenti Christus monstrat, dum vinum nouum in vtres nouos mitti debere ait. Animos ergo ab omni superstitione & peccandi licentia repurgatos requirit. Vt verò tales habeantur, primò publica authoritate tollantur oportet, quaecunq; cum Euangelij doctrina pugnant. Et hic sanctissimorum Regum exempla imitari conuenit, qualis Iosias fuit, & Ezechias, qui ne serpenti quidem aeneo parcendum putauit, cùm illo ad idololatriam Iudaei abuterentur. Deinde non minus publicis legibus cohercenda erit peccandi licentia, ne propter aliquorum improbitatem Euangelium malè audiat. Praeterea diligentissimam iuuentutis curã habere conueniet, vt illa à teneris annis puriori religioni assuescat, & superstitionem odisse discat: qua de re singularia Dei praecepta in scripturis habentur. At negliguntur hodie, proh dolor, ista omnia. Relinquuntur quaecunq; aliquam quaestus spem praebere possunt, imò ea quoq;, quae carnis licentiam fouent, & illicitis voluptatibus occasionem praebent aliquam. Impunè grassantur vitia. Iuuentutis cura neglecta iacet. Nisi ergo de hisce emendandis seriò cogitetur, peribunt tandem veteres illi & inutiles vtres, diffluet verò Euangelium, & transferetur regnum Dei ad gentem, quae fructus dignos faciet. Oremus ergo Deum patrem misericordiae, vt animos nostros ipse innouare dignetur, vt in Christo Iesu noua creatura simus. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas. Amen. 3. Corruptionis nostri seculi remedium. 2. Reg. 18. 22. 23. &c. Deut. 6. Exod. 13. Psal. 78. Matth. 21.

HOMILIA XXII.

Et accidit ut transiret sabbatis per segetes, & cœperũt discipuli eius inter eundum uellere spicas, & pharisaei dicebant illi: Ecce, cur faciunt sabbatis quod non licet? Et ipse ait illis: Nunquam legistis quid fecerit Dauid, cùm opus haberet, & esuriret ipse, & qui cum eo erant? Quomodo ingressus sit in domum Dei sub Abiathar principe sacerdotum, & panes propositionis comederit, quos non licet edere nisi sacerdotibus? & dederit etiam ijs qui secum erant? Et dicebat illis: Sabbatũ propter hominem factum est, non homo propter sabbatũ. Itaq; Dominus est filius hominis etiam sabbati.

QVoniam Dei filius humani generis doctor & saluator in mundum venit, omnibus ijs mederi debuit, quae verae salutis cognitioni obstant. Inter haec potissima sunt, humanarum traditionum obseruatio, & superstitiosa ceremoniarum, diuinitus licet traditarum, fiducia. De illa nuper egit contra inanem ieiuniorum obseruationem disputans: vbi ostendit, hoc potissimum Iudaeis obstare, quò minus in veritatis cognitione proficiant, quòd veteres pannos & vtres deponere nolint. Sequitur de superstitiosa fiducia externorum, quae diuinitus instituta sunt, de quibus occasione ex sabbati religione desumpta disputat: ita nimirum rem proponens, vt non sabbati modò rationem veram edisserat, sed simul quis verus omnium externorum vsus, quisue abusus sit, declaret. Ordo historiae hic est. Argumentum & usus praesentis loci.

Primò factum discipulorum Christi describitur, quod praesenti tractationi occasionem praebuit. Sabbatis vnà cum Christo segetes transeunt, & quia esuriunt, spicas auulsas & manibus contritas edunt, quod illis aliâs per legem facere licebat. Quae causa est, quòd non furti aut rapinae, sed duntaxat sabbati violati accusantur. Vbi primùm Christus occurrit inspiciendus, qui discipulos suos esurire patitur, quod facilè prohibere poterat, sicuti ex multis ipsius miraculis abundè patet. Sed partim praesenti disputationi occasionem praebere, partim suos ad inopiam & quaeuis aduersa ferenda praeparare voluit. Manebant enim illos post Christi discessum omnis generis tribulationes, paupertas, I. Occasio praesentis tractationis. Matth. 12. Deute. 23. Christus suos esurire patitur.

fames, nuditas, contemptus & persecutiones aßiduæ. Quæ ne illis insolita viderentur, paulatim hos eos assuescere oportuit, vt (quod Paulus de seipso scribit) saturari scirent & esurire, abundare & penuriam pati. Et sanè debebant hoc singuli in exemplum trahere, vt quando abundant & pace alta fruuntur, sese aduersis ferendis assuefacerent, & discerent paucis contenti viuere. Hoc enim & præsenti vitæ conducit, dum multis curis & solicitudinibus nos liberat, & simul regno Dei magis idoneos reddit, quod ab illis nunquam percipi poterit, qui vel ethnicorum more de victu & amictu soliciti sunt, vel carnis voluptatibus se totos immergunt. At quia hodie contra Christi præceptum intemperanter helluamur, ipsi nobis inopiæ & egestatis authores sumus, quam dum ferre non possumus, fidem quoq; abnegamus, & pecuniæ causa quiduis à nobis impetrari patimur.

Philip. 4.

Matthæi 6.
Luc. 21.
Ephes. 5.

Zelus & studium Apostolorum erga Christum.
Lucæ 22.

Præterea Apostoli nobis obseruandi veniunt, in quibus admirabile salutis studium cernitur. Reliquerant illi propter Christum sua omnia, & qui domi habebant vnde viuerent (sicuti supra in Petri & Matthæi historia patuit) nunc famem sustinent, nec tamen ideò Christum deserunt. Quia in vltima Cœna interrogati, nunquid illis vnquam defuerit, nihil sibi defuisse testantur. Causa tanti ardoris fuit, quòd iustitiam esurierunt, & regnum Dei sibi ante omnia quærendum esse putarunt. Non ergo senserunt quæcunq; corpori accidebant incommoda, dummodò Christo Iesu, qui panis vitæ & fons aquæ viuentis est, frui & saturari possent. Hos itaq; ipsi quoq; imitemur, siquidem non falsi sectatores Christi haberi volumus. Renuntiemus ijs quæ in mundo sunt, quando in hoc nihil est, quod animas nostras saturare & tranquillas reddere poßit. In vnum verò Christum intenti, illum per quæuis aduersa sequamur, & pro excrementis, imò nocentißimis rebus ducamus ea omnia, quæ nos ab illo abstrahere solent. Vide Paulum Philip. 3. cap.

II. Pharisæi factum discipulorum Christo exprobrant.
Genesis 2.
Exod. 20.
Num. 15.

Exod. 16.

Secundo loco pharisæi producuntur, qui non modò discipulos accusant, verumetiam illorum factum (vt Matthæus habet) Christo, tanquam dissolutioris disciplinæ authori, exprobrant. Ecce (aiunt) tui discipuli faciunt, quod non licet facere in sabbato. Ita verò ipsum vulgo suspectum & inuisum facere conantur, seq; causam planè plausibilem sustinere putant, quando sabbati religio non humanis traditionibus nitebatur, sed à Deo in ipsa mundi origine instituta, deinde in lege confirmata & sub capitalis supplicij comminatione mandata erat. Nec mirum est, pharisæos ob spicas manibus contritas violati sabbati accusare Christi discipulos, quando eò superstitionis Iudæorũ Rabbini progreßi sunt, vt scelus vix venia dignum putent, si quis sabbato vel pomum igni admoueat, vel herbã calcando euellat, vel arborem scandendo ramum frangat, vel etiam salientem pulicem capiat. Qui in præsenti causa Dei exemplum imitari velle videntur, qui ne diebus sabbati Manna colligeretur vetuit. At nimis rigidè in Christi discipulos torquent, quod à Deo ad coercendam gulam & indefessum ventris studium olim mandatum fuerat.

Hypocritarum ingenium & mores.

Matth. 15.
23. &c.

2. Cor. 2.

Ioan. 3.

Cæterum in pharisæis hisce probè exprimitur hypocritarum ingenium, qui perpetui veritatis hostes esse consueuerunt. Sequuntur paßim Christum, vt nimirum videri poßit, homines qui tanto illius odio flagrabant, tam rarò ab illo digressos fuisse, vel tantum potuisse in illo sequendo vel molestiæ vel temporis consumere. Sequuntur autem, non vt discant & in pietatis studio proficiant, sed vt calumniandi occasiones inueniant. Deinde res minimas & quæ nullius momenti sunt, malignè notant, nihil interim de ijs soliciti, sine quibus nec religio nec salus hominis consistere potest: quod ipsum non semel in illis Christus reprehendit, quando ab illis culicem colari, camelum verò deglutiri ait. Et ne quid prætermittant, Christo non sine dente obijciunt, quod ab ipsius discipulis fiebat. Imitantur hos nostro seculo, qui cùm Euangelicæ veritatis acerrimi hostes sint, tamen sacros cœtus frequentant, conciones audiunt, & fidelium commercijs sese insinuant: id verò omne non alio fine aut instituto faciunt, quàm vt calũnientur, si quid in speciem cum charitate aut honestate aut fide vera pugnare videtur. Quò fit, quòd in solis externis hæreant, & quicquid vspiam fit ab ijs, qui Euangelium profitentur, id vel illius ministris, vel etiam ipsi Euangelio impingunt. Ita verò Euangelij odor illis exitialis est, qui electis & Dei timentibus salutifer esse consueuit. Porrò nostrum est, hostium nostrorum malignitate bene vti, vt eò cautius atque diligentius vocationem nostram tueamur, quò magis nos totius mundi oculis expositos esse scimus. Vt enim veritatis lucem mundus hic odit: ita acutißimè obseruat quicquid in huius ignominiam detorqueri potest, nec ea quæ per Euangeliũ docemus, sed quæ à nobis contra Euangelij præscriptum fiunt, notare consueuit. At horrendum scelus est, si peccandi

si peccandi licentiam eò vsque progredi patiamur, vt propter nos Christi doctrina malè audiat. Respexit huc Dominus, quando nos ciuitati in monte sitæ confert, quæ abscondi non poteſt, ſimulq́; monet, vt opera nostra luceant coram hominibus, quò per ea pater noster cœlestis glorificetur. Vide Matthæi quinto.

Tertiò Christus inducitur, qui nec suæ nec discipulorum suorum causæ unquam deeſt, & proinde argumentis validißimis aduersarios suos confutat. At quia hic breuitati studet Marcus, quædam nobis ex Matthæo interserenda erunt, qui quatuor argumētis Christum suos defendisse scribit. III. Christi apologia.

Primùm à Dauidis exemplo argumentatur, quo interim discipulos quoq; consolari videtur, dum veterem typum illis in mentem reuocat. Constabat enim Dauidem Christi typum fuisse, qui propterea Dauidis filius & ipse Dauid dicitur. Quid ergo mirum erat, Christum pauperem oberrare, & ipsius sectatores interdum esurire, quando hoc ipsum olim Dauidi accidit, qui postea ad summum regni fastigium euectus eſt? Quoad verò pharisæos, non absq; morsu exemplum allegat, cùm ait: Nunquam legistis? Sensus enim eſt: Aut nunquam legistis Dauidis historiam, aut legistis. Si nunquam legistis, ne inexcusabilis eſt vestra negligentia, cùm doctores & magistri ecclesiæ haberi velitis. Si verò legistis, & nihilominus discipulorum meorum factum reprehenditis, maligni omninò & inuidi nimis calumniatores estis, cùm hoc ipsorum factum eadē ratione, qua olim Dauidis, excusari poßit. Nam panes propositionis edere non minus prohibitum fuit laicis, quàm sabbatum violare. At Dauid esuriens illos comedit, & socijs similiter esurientibus comedendos dedit, nec hoc illi vitio datur. Cur ergo meos hosce reprehenditis, quos eadem famis neceßitas excusat? Vbi obiter hoc quoq; obseruandum venit, Dauidem nec promißi regni dignitate aut priuilegio, nec sacerdotis dispensatione, sed sola neceßitate excusari. Nisi enim hæc vrgeat, & quidem ineuitabilis, nulla eſt tanta alicuius hominis authoritas, sub cuius prætextu diuinæ leges violari debeant. Arguit hoc nostri seculi tyrannidem, quando in principum & opulentiorum gratiam de omnibus penè tam diuinis quàm humanis legibus Episcopi & Pontifices dispensant, pauperiores verò, etsi adamantina neceßitate premantur, magis constringunt. Similiter & illi confutantur, qui illustribus personis quiduis licere putant, & nunquam non illud in ore habent: Augustus & Augusta non tenentur legibus. At aliter Deus statuit, qui librum legis à Rege nunquam deponi vult, & Saulis aliorumq́; regum sui populi inobedientiam grauißimè puniuit.

1. Exemplum Dauidis. 1. Sam. 21. Ierem. 23. Ezech. 34. &c. Leuit. 24. Dauidis factum sola neceßitate excusatur. Deut. 17.

Porrò ne Dauidis exemplum nihil ad præsentem causam facere dicerent, eò quòd alia sit panum propositionis quàm sabbati ratio, aliud exemplum ab ipsis sacerdotibus desumptum adducit. Annon legistis (inquit) in lege, quòd sabbatis sacerdotes in templo sabbatum profanant, & crimine vacant? Quasi dicat: Si Dauidis exemplum reijcitis, agedum aliud proferam, sacerdotum scilicet, qui die sabbati pecudes mactant, excoriant, dißecant, ligna scindunt, & infinita alia faciunt, quæ absque labore fieri non poßunt. Vnde facilè patet minimè admitti debere rigidam illam præcepti de sabbato expositionem, quæ superstitiosa potius quàm religiosa & pia censeri debet. Quòd si sacerdotes templi religione excusari dicatis, & quod cultui diuino seruiant quæcunq; ab illis fiunt: rursum potior erit meorum discipulorum causa, quando illi mecum versantur, & famem patiuntur ne abs me discedant, qui templo maior sum, adeoq; ille ipse sum, qui per templum & sacra illius omnia figuratur. 2. Exemplum sacerdotum.

Tertio loco prophetæ testimonium affert, quo etiam alibi vsus eſt, dicens: Quòd si sciretis quid sit, Misericordiam volo, & non sacrificium, nequaquam condemnaßetis insontes. Si enim misericordiæ & charitatis opera ipsis quoque sacrificijs Deus præfert, quibus nihil in toto illo cultu externo augustius & sanctius habetur, num illum velle putabitis, vt propter sabbati religionem aliquis hominum pereat? 3. Prophetæ testimonium. Hos. 6. Matth. 9.

Quartò ab hominis dignitate & fine sabbati argumentatur. Vt reliqua omnia propter hominem condita sunt, vt illius vsibus & conseruationi inseruiant: Ita sabbati quoque otium hominis causa Deus instituit, non vt huius superstitiosæ obseruationi homo seruiliter subiectus esse debeat. Nam & sabbati dominus eſt filius hominis. Id verò tam de Christo, quàm quouis homine Christiano intelligi poteſt, iuxta illud Pauli: Omnia vestra sunt, siue Paulus, siue Apollos, siue Cephas, siue mundus, siue vita, siue mors, siue præsentia, siue futura: omnia, inquam, vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei. 1. Corinth. 3. 4. Ab hominis dignitate & fine sabbati. Gene. 1. 2. Psalm. 8. &c.

Quomodo homo sabbati & externorum omnium sit dominus.

Cæterum ista non sic accipi debent, quasi homini in his pro suo arbitrio quiduis statuere & agere liceat: sed verum omnium externorum vsum Christus tradit, ne illis per superstitionem ad nostrum siue aliorum hominum interitum abutamur, quæ nostræ salutis causa Deus instituit. Et de vera sabbati obseruatione in sequenti historia plenius dicetur. Nunc obseruasse sufficiat, externa omnia charitati cedere debere, ne laqueus ijs injiciatur, quos necessitas ineuitabilis aliò vocat. Quòd si quæ diuinitus instituta sunt, charitati cedere debent, quantò magis humanas traditiones illis cedere conuenit? Quo argumento totius Papatus tyrannis arguitur, quando in hoc omnia charitati aduersantur, & quæ parentibus, liberis, magistratibus, coniugibus, vniuersis denique & singulis debentur officia, securè negliguntur, dummodò monachorum regulæ & patrum traditiones in pretio habeantur. Nos itaque Dei gloriam & proximi vtilitatem in omnibus spectemus. Ita fiet, vt Christi exemplum secuti in eodem viuamus, cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

CAPVT III.

HOMILIA XXIII.

ET ingressus est iterum synagogam, & erat ibi homo arefactam habens manum, & obseruabāt eum, an sabbatis esset eum sanaturus, ut accusarent illum. Et ait homini habenti manum arefactam: Surge in medium. Et dicit illis: Vtrum licet sabbatis benefacere, an malefacere? animam seruare, an occidere? At illi tacebant. Et cùm circumspexisset eos cum iracundia, condolescens super cæcitate cordis eorum, dicit homini: Extende manum tuam. Et extendit, & restituta est manus illius sana ut altera.

Argumentum & usus præsentis loci.

VT homo pro corrupto carnis ingenio in errores facilè prolabitur: Ita ex ijsdem difficulter in viam redire potest. Quare in corrigendis erroribus non modò diligenti, verumetiā frequenti doctrina & admonitione opus est. Obseruat hoc in sabbati reformatione Christus. Huius religionem omnem in corporis otio Iudæi consistere putabant, & eò usq; erant progressi, vt non tam superstitiosi quàm ridiculi censeri possent, sicuti nuper dictum est. Quin (vt Ioannes vno & altero exemplo probat) Christum propter opera, quæ diebus sabbati sanctissima simul & saluberrima ædebat, damnare & fastidire solebant. Frequenter ergo Christus hanc illorum superstitionem refellit, & vt maior sit doctrinæ ipsius authoritas, eandem factis miraculosis illustrat. Et nuper quidem ostendit, sabbatum propter hominem institutum esse, & proinde illos vehementer falli, qui propter hoc suam ipsorum salutem negligunt. In præsenti verò, ne proximi quidem salutem negligi debere docet, & quibus potissimùm operibus sabbatum sanctificari soleat. Interim in genere admonemur, externa omnia tum nostræ tum proximi saluti seruire, & turpiter errare eos, qui ita illis addicti sunt, vt propter illa fidei & charitatis officia negligant. Sed præstat ipsam historiam inspicere.

Ioā. 5. 7. 9. &c.

Christus synagogam ingressus docendi occasionē captat. Matth. 12

Christus Iesus, vt de hac re agendi occasionem inueniat, ipso die sabbati synagogam ingreditur, & quidem illorum (vt Matthæus scribit) qui paulò ante illum inuidiosè nimis calumniati fuerant. Et mox occasio offertur, quando illic est, qui manum arefactam habens, illius ope indigebat. Hic autem non obseruatione modò, verum etiam admiratione dignum est ardens illud Christi studium, quo in hominum salute procuranda vtitur. Etsi enim nusquam non ipsi insidientur acerrimi hostes, qui omnia ipsius odiose carpunt, & se hucusq; nihil aut parum profecisse videat: non cessat tamen, & salutis doctrinam indignis quoque, imò inuitis & reluctantibus offert, nec eas synagogas ingredi dedignatur, in quibus pharisæi, hostes ipsius acerrimi, dominabantur. Est hoc diuinæ naturæ argumentum euidens. Dei enim proprium est, perpetuò saluandi studio teneri, nec hominum indignitate

Christi studium in procuranda salute nostra.

à benefaciendo absterreri. Vult enim omnes homines saluos fieri (Paulo teste) & in veritatis cognitionem peruenire. Cur enim aliud vellet, qui vniuersam hanc mundi fabricam & ipsos homines, qui nulli erant, nō aliam ob causam creauit, quam vt essent, in quos suæ bonitatis thesauros effunderet? Hinc est, quod Adamum ipse prior quæsiuit, vocauit, & miserè territum lætissima salutis per Christum instaurandæ promissione consolatus est: quam promissionem postea multoties repetijt, quò certior esset & indubitata salutis fiducia. Hinc est, quòd populum duræ ceruicis, & diuturna Ægyptiorum consuetudine corruptissimum, ex domo seruitutis eduxit, eundem lege & cultu externo, mysteriorum pleno, instruxit, & postea prophetas dedit innumeros, qui docendo, monendo, hortando, consolando & increpando exorbitantes in viam reducerent, & in officio continerent. Eadem ergo bonitate Christus, verus Dei filius & patri consubstantialis, vtitur. Nec erga Iudæos modò illa vsus, quando in carne nostra inter homines versatus est, verumetiam erga omnes gentes, quibus cùm corruptissimæ essent, per Apostolos salutis verbum prædicauit. Experimur hanc illius bonitatem hodie etiam, quando per Euangelij prædicationem similiter quærit, & ad æternæ salutis consortium colligit eos, qui vel peccandi licentiæ dediti, vel superstitionibus immersi, tam ipsum quàm salutē omnem fastidiunt. Agnoscamus ergo hoc ipsius studium, & grati simus. Quàm graue enim & atrox scelus sit, saluiferum illud gratiæ Dei & visitationis tempus aspernari, Iudaicæ gentis horribile excidiū, & eiusdem repudium abundè docet. Vide Luc. 19. Matth. 21. 23. &c.

1. Tim. 2.
Gen. 3. 22. 26. 28. &c.
Deute. 9.
Isaiæ 65.
Iere. 7. 11. &c.
Ephes. 2.
Tit. 3.

Obseruabis præterea, mox occasionem offerri Christo agendi quod volebat. Vt enim ijs qui malè agere cupiunt, occasiones semper ad manum sunt, quas illis satan & mundus suggerit: Ita Deus electis suis & virtutum studiosis bene agendi occasiones deesse non patitur. Exemplò est Moses, qui mox vt fratres suos inuisit, occasionem inuenit, qua se illorum vindicem fore declaret. Et infinita eius generis exempla occurrunt passim in historijs, quibus recensendis immorari non est opus, quando experientia quotidiana illud ipsum satis probat. Si enim vel Dei gloriam promouere, vel vitijs obstare, vel beneficentiam exercere libeat, non deerunt, in quibus hoc facias, cùm passim habeantur, qui vitijs plus æquo indulgent, & qui Dei honorem proculcant, vel qui nostram opem requirunt. Quotquot ergo se ignorare dicunt quid agant, & ne beneficia malè collocent, à benefaciendo in vniuersum abstinent, ij satis testantur, sibi voluntatem potius & animum, quàm occasionem & facultatem deesse.

Bene agere uolentibus nō desunt occasiones.
Exod. 2.

Porrò Christum suo officio intentum pharisæi insidiosè obseruant, & dum ille cunctatur (sicuti Matthæus habet) priores quæstionem mouent, num sabbatis curare liceat? Ita verò illum accusandi occasionem quærunt. Vbi incurabilis & detestanda planè illorum improbitas elucet. Toties enim iam conuicti adhuc cum illo congredi non verentur, nec illum odisse desinunt, quem dies & noctes ipsorū saluti inuigilare videbant. Quin nec miseri illius sorte mouentur, pro quo potius intercedere quàm aliud quicquam moliri debebant: sed tanta in illis odij vis regnat, vt & illum perire, & simul cum illo Christum perdere cupiant. Causa odij huius est, quia propter Christi doctrinam illorum quæstui & authoritati plurimum decedebat, vt aliàs diximus.

Pharisæi Christum insidiosè obseruant.

Quo exemplo admonemur, quanta sit affectuum vis, maximè ambitionis & auaritiæ. Ita enim illis occæcatur hominum mentes, vt nec verum videre, nec de sua ipsorum salute cogitare possint. Quare quoad illis homo regitur, salutis spes nulla esse potest. Et vtinam non extarent nostri seculi exempla, quæ hoc verum esse testantur. Qua enim alia causa ad Euangelium oppugnandum mouentur Papæ & horum creaturæ, nimirum vnctorum & rasorum cohortes, quàm quòd per hoc suam authoritatem imminui, & quæstum simul omnem euerti vident? Eadem est in externis quoq; ratio. Ambitione profectò & auaritia excæcatus Pharao, sciens volensq́; quis ille Hebræorum Deus sit ignorat, cuius vltrices manus quotidie sentiebat. Eodem æstro Saul exagitatus Deo repugnat, dum Dauidem persequitur, cui regnum diuinitus promissum esse sciebat. Sed & ipsum Dauidem perdidisset ambitio, quando vt adulterium suum cælaret, scelus sceleri accumulauit, nisi Dei verbum admisisset, quo illustratus ad mentem redijt. Cuius virtutem expertus, postea toties petit, vt per hoc Deus ipsum de vijs suis edocere dignetur. Huius ergo exemplum imitati, fugiamus pestem hanc nocentissimam, nec indignè feramus per Dei verbum nostra peccata argui, quando hoc verum est nostræ salutis principium.

Ambitiones & auaritiæ uis.
Exod. 5.
2. Sam. 11. & 12.
Psalm. 25. 51. 119. &c.

Christus hostium insidias nouit, & eludit.

Sed ad Christum redeamus, qui cùm illorum cogitationes (vt Lucas ait) probè nouisset, vicissim illos quoq; interrogat, dicens: Vtrum licet sabbatis benefacere, an malefacere? animam seruare, an occidere? At illi tacent, ne aut nimium impudentes sese præbeant, aut anxiè captatam ipsum accusandi occasionem amittant. Facilè enim vident, quorsum res euasura esset, si quid respondissent. Irascitur ergo Christus illorum improbitati, & simul condolet, quòd tam obstinatis animis contra veritatem & propriam salutem luctari videat. Mox verò hominem, cuius dextera arefacta erat, surgere, in medium progredi, & manum extendere iubet, & eidem occulta diuinitatis suæ virtute medetur: Ita nimirum re ipsa docens, sabbato beneficentiæ officia, sicubi necessitas vrgeat, minimè negligi vel differri debere, nec permittendum, vt ob huius religionem præposteram homo pereat, aut in periculo constitutus deseratur.

De sabbato, quid sit & quis eius usus. Genesis.2. Exod.20.

Nobis autem in præsenti quæ nam sabbati ratio sit, consyderandum erit. Sabbatum propriè quietem & vacationem ab opere seruili significat, & simul pro die septimo vsurpatur, quem Deus in ipsa mundi origine quieti sanctæ consecrauit, & postea in Lege singulari præcepto confirmauit. Et licet primitiua ecclesia sabbatum, quatenus vmbra legalis fuit, abrogarit, ne aliqua in re Iudaismum saperet, quietem tamen & otium illud sacrum non aboleuit, sed illius obseruationem in diem proximum transtulit, quem Dominicum vocare placuit, eò quòd Christus Dominus illo à mortuis resurrexit. Eius ergo idem usus est, qui olim apud veros Dei cultores sabbati fuit. Potest is duobus capitibus comprehendi. Primò fidei & religioni seruit, quo nomine Domini sabbatum dicitur in scripturis, eò quòd Deo consecratus est dies hic, & ijs studijs quæ ad Dei honorem spectant. Et huc pertinet vniuersum religionis externæ exercitium, & qui sabbato, quoad hanc partem, ritè vtuntur, cœtus sacros adeunt, Dei verbum audiunt, voluntatem illius sedulò inquirunt, in operum & beneficiorum ipsius consyderatione versantur, precibus vacant, deniq; omissis omnibus, quæ carni seruiunt, sese totos ad æterni illius sabbati consyderationem componunt, quo olim in cœlis fruemur. Procul ergo abijciunt impura carnis opera & insanum voluptuandi studium. Quò illud Augustini referri debet: Intus est, in corde est sabbatum nostrum. Deinde charitati seruit, quam & nobis ipsis & proximo debemus. Quia enim durabile non est quod requie caret, otium quoddam sanctum Deus præcepit, vt insatiabilem hominum cupiditatem frænaret, qui tam seipsos quàm seruos suos nimijs laboribus exhauriunt, modò lucrum faciant. Quæ causa est, quòd in sabbati præcepto non seruorum modò, verumetiam iumentorum mentionem facit. Hic ergo requiritur, ne vel nosipsos vel nostros vllis laboribus grauemus, quæ fidei & religionis exercitium impedire, aut corpus defatigare possunt, neue proximo nostro alicuius molestiæ authores simus, sed potius charitatis memores beneficentiam hoc die potissimùm exerceamus, vt simul nobiscum gaudere possint, quos alioqui rerum inopia & egestas contristare solet. Huc facit, quòd peregrinos & pauperes diebus festis Deus nobis commendatissimos esse vult. Nehemias quoq; huius meminit, de verbo & legitimo festorum vsu disserens. Et Paulus Apostolus diebus sabbati vel Dominicis collectas fieri iubet, quibus egentium fratrum inopiæ succurratur.

Exod.20.16. Leuit.19.26. Hebr.4. Deut.16. Nehem.8. 1.Corinth.16.

Abusus Sabbati multiplex.

Atqui ex his simul patet, quis nam & quàm multiplex sabbati vel dominici diei abusus sit. Peccant enim qui ferias nouas ex suo capite contra Dei præceptum (qui non minus sex diebus opus facere, quàm septimo feriari iussit) instituunt, & easdem diuis consecrant, cùm omnis quies Deo sacra & Domini sabbatum esse debeat. Peccant etiam, qui in sabbato nihil præter inane otium spectant, interim verò fidei & religionis exercitia negligunt. Peccant item, qui diem hunc superbiæ, fastui, aleæ, poculis & impuro voluptatum studio tribuunt, quos D. Augustinus notauit, dicens: Quantò melius est arare, quàm saltare? Peccant præterea, qui charitatis immemores, auaritia autem inflammati laborant, & simul seruos atq; ancillas operibus faciundis exercent, vel omisso religionis studio, merces vendunt, rationes subducunt, & debita exigunt non absq; graui miserorum debitorum molestia. Sunt peccata hæc vulgaria hodie, sed horrenda, & quæ olim Deus seuerissimè vltus est, imò totius gentis Iudaicæ misera captiuitate in Babylone puniuit, sicuti prophetæ testantur. Et notus est Ieremiæ locus, in quo sabbati obseruatoribus amplissima præmia Deus promittit, eiusdem verò transgressoribus horribiles pœnas minatur. In quorum consyderatione, non ministros verbi modò, verumetiam patres familias, & imprimis magistratus versari decebat: ad quos curam

In enarratione Psal.91. Thren.1. Ezech. 20. 22. 23. &c. Ierem.17.

hanc

huc pertinere Nehemiæ exemplum docet, quod Imperatores Christianos olim secutos fuisse legimus. Extat enim Leonis & Anthemij lex, cuius hæc verba sunt: Dies festos, maiestati altissimi dedicatos, nullis voluptatibus occupari, neq; vllis exactionum vexationibus prophanari. Dominicum item diem semper honorabilem decernimus venerãdum, vt à cunctis executionibus excusetur, nulla quenquam vrgeat admonitio, nulla fideiussionis flagitetur exactio, taceat apparitio, aduocatio delitescat, sit ille dies à cognitionibus alienus. Item: Nec huius tamen religiosi diei otia relaxantes obscœnis quibuslibet patimur voluptatibus detineri. Nihil eodem die vindicet sibi scena theatralis, aut Circense certamen, aut ferarum lachrymosa spectacula, etiamsi in nostro ortu aut natali celebranda solennitas inciderit, differatur. Amissionem militiæ proscriptionemq; patrimonij sustinebit, si quis unquam hoc die festo spectaculis interesse, vel cuiuscũq; iudicis apparitor prætextu negotij publici seu priuati hæc, quæ lege hac statuta sunt, crediderit temerãda. Hæc olim Christiani principes curarunt. At hodie ista vix episcopis curæ sunt. Regnat ergo peccandi libido & auaritiæ studium, quò fit, vt Deus immanem sui numinis contemptum horrendis pœnis vlciscatur. Nehem. 13. Lex imperatoria de die dominico.

Porrò priusquam dicendi finis fiat, nostræ restitutionis mysterium consyderari debet, quod præsenti miraculo adumbratur. Est enim homo iste typus omnium nostrum, quorum dexteræ, id est, vires & facultates bene operandi, ex ingenita corruptione exaruerunt & ita mutilatæ sunt, vt ex nobis ipsis non simus idonei, ne ad cogitandum quidem. Acerbior tamen adhuc & miserior illorum conditio est, qui humanis traditionibus ligati, in libertatem spiritus eluctari non possunt. Hisce omnibus Christus medetur, qui verbi sui gladio humanarum traditionum vincula soluit & abscindit, & cuius verbũ simul cœlestis illius regenerationis semen est, ex quo renati nouas vires concipimus, vt in Christo possimus omnia, & eidem insiti in illo fructus dignos feramus. Hũc ergo amplectamur, & æterno fruemur sabbato, quando in cœlos translati cum illo viuemus & regnabimus: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen. Typus nostræ restitutionis in Christo. 2. Corinth. 3. 1. Pet. 1. Philip. 4. Ioan. 15.

HOMILIA XXIIII.

Egressi autem pharisæi, statim unà cum Herodianis consilium inibant aduersus eum, ut illum perderent. Iesus autem cum discipulis suis secessit ad mare, & ingens multitudo à Galilæa secuta est eum, & ab Iudæa, & ab Hierosolymis, & ab Idumæa, & trans Iordanem, & qui circa Tyrum habitabant & Sidonem, hominum multitudo magna: qui cùm audissent quæ faciebat, uenerunt ad eum. Et iussit Iesus discipulis suis, ut nauicula sibi deseruiret propter turbam, ne ipsum premerẽt. Multos enim sanauit, ita ut irruerent in eum, quò illum tangerent, quotquot flagellis tenebantur. Et spiritus immundi, cùm illum uiderent, procidebant ei, & clamabant, dicentes: Tu es filius Dei. Et ualde interminabatur eis, ne se manifestum facerent.

QVemadmodum Christi Iesu erga nos studium & immensa beneficia Euangelistæ diligenter commemorant: Ita mundi quoq; ingratitudinem describunt, qui (vt Ioannes ait) in sua venientem recipere noluit. Nobis verò hic omnium illorum vsus est, ne offendamur, quando eadem ingratitudine mundum hodie etiam aduersus Christi doctrinam pugnare videmus. Quò cumprimis referri debet præsens historia. Postquam enim narrauit Marcus, vt veram sabbati rationem Christus tradiderit, & doctrinam suam miraculo confirmarit: modò quid aduersus illum pharisæi tentarint prædicat, docens simul quid præterea ille fecerit, quamq; vani fuerint hostium ipsius conatus. Quæ si per singulas partes consyderentur, nostræ cum institutioni tum consolationi plurimum seruient. Argumentum & usus præsentis loci.

Principiò pharisæi producuntur, qui (vt Lucas ait) amentia repleti, vnà cum Herodianis de Christo occidendo consultarunt. Est hoc execrabilis impietatis exemplum, quando illum occisum uolunt, qui de re omnibus cognitu necessaria amicissimè disputarat, nec quicquam in illos dixerat contumeliosius, & insuper homini misero & calamitoso maximi beneficij author fuerat. Sed vulgò re- I. Pharisæi de Christo occidendo consultant.

Luc. 6.

gnat ingratitudo hæc inter eos, qui suis potius affectibus indulgere, quàm Dei gloriæ et proximorum saluti studere solent, & vtinam non hodie multa eius generis fierent ab illis, quibus omne suum meritum, & vniuersos salutis thesauros Christus per Euangelij sui prædicationem offert. Constat sanè eòusq; progressam esse multorum impietatem, vt cùm scelera quæuis & sceleratos impunè grassari permittant, solos Christi professores ferro & igne persequantur.

Qui & quales ferè Christi hostes sint.
Matth. 6. 23.
Lucæ 18.
Lib. 2. de bello Iud. cap. 7.

At probè obseruandum est, qui & quales aduersus Christum cõsultauerint. Primas hic tenent pharisæi, qui (vt alibi diximus) propriæ iustitiæ fiducia turgebant, & sese inani externæ sanctimoniæ fuco venditabant. Consultant autem cum Herodianis, quos veterum nonnulli sic dictos putant, quod Herodem Messiam & olimpromissum saluatorem esse crederent. At cùm nullam eius sectæ mentionem faciat Iosephus, qui alias omnes diligētissimè descripsit, verisimilior mihi videtur eorum sententia, qui illos Herodis regis aulicos siue publicos ministros & officiales (vt vocant) fuisse tradunt: homines nimirum carnales, versipelles, & iuxta regis sui exemplum libidini & voluptatibus dediti, & quorum præcipuum studium erat, vt cum Cæsaris tum Herodis tyrannidem, oppressa populi Dei libertate, tuerentur. Quare non dubium est, illos pharisæis exosos & inuisos fuisse, eò quòd illi tam diuini cultus quàm populi assertores acerrimi haberi vellent. Nunc tamen cum ijs consilia sua communicant ad opprimendum Christum, cuius doctrinam magis quàm tyrannos crudelissimos oderãt. Patet hinc, qui nam semper veritatis hostes futuri sint: hypocritæ nimirum iustitiarij, & qui mundo seruire in animum induxerunt. Vt enim priores illi hypocrisim suam argui & manifestari nolunt, ita alteri disciplinam nullam ferre possunt, qua in officio contineantur. Simile exemplum in

Acto. 17.

Actis habetur, vbi Iudæi, quos præposterus legis zelus vrebat, hominum pessimorum & venalium opera aduersus Paulum Thessalonicæ vsi sunt.

Hostium Christi ingenium et artes.

Sed imprimis prodest, videre, vt se in præsenti gesserint pharisæi. Primùm amentia replentur, quando non habent quod Christo respondeant. Deinde exeunt, quasi aliud acturi. Mox sibi socios iungunt, quorum operam sibi profuturam putant, etsi illos cane & angue peius oderint. Exprimunt hæc pulchrè hostium veritatis ingenium & artes. Amentes & insani fiunt illi, si quando lucem hāc verbi Dei præualere vident, quæ tenebras, quibus suam nequitiam occultare solent, discutit. Astutè tamen hunc suum furorem dissimulare norunt, & quasi aliud agendo veritatis opprimendæ occasionem quærere. Et tanta est huius illorum odij vis, vt facilè cum omnibus alijs conuenire possint,

Matth. 22.
Lucæ 22.

quos aliâs quàm maximè odiunt, modò in hac causa illos sibi auxilio fore sperare possint. Sic alibi quoq; cum Saducæis & Herodianis pharisæi colludunt. Et quando Christus captus fuit, aduersus illum sacerdotes, scribas, seruos, milites & pseudapostolum Iudam conuenisse legimus, quamuis inter sese non modò vitæ conditione, verumetiam gente, doctrina, studijs & fidei professione siue religione differrent. Huic simile est, quòd hodie episcopi & monachi, cum mundo mortui & planè spirituales haberi velint, cum principibus & militibus conspirant, & sæpe in medijs castris agūt, interq; acies iamiam dimicaturas volitãt, modò Christi prædicationem opprimere possint. Sunt hæc nobis crebrò meditanda, non vt ipsi quoq; odio mutuo cum nostræ fidei aduersarijs certemus, sed vt cautiores facti, illorum insidijs minus capiamur. Nec enim blanditijs aut fucatis promissionibus credere, nec contentionibus quibus interdum scinduntur fidere conuenit: quando constat illos implacabilis odij virus alta mente repostum alere, & si qua se offerat occasio, facilè cum quibusuis posse conuenire, modò veritatis causam opprimant. Interim verbi Dei diligenti meditatione & precibus crebris nos exerceamus, & sanctæ in Christo concordiæ studeamus, cuius finis & scopus sit indefessum propagandi regni Christi studium, ne in hac parte ab infelici filiorum huius seculi generatione superemur.

II. Discedit Christus ab ingratis.
Matth. 10.

Quid verò Christus interea agit? Secedit vnà cum suis discipulis ad mare, nec ullum ex illorum consultationibus malum accipit. Ita verò impiorum furoribus interdum cedere, & ex vna ciuitate in alteram fugere, suo exemplo docet: quando nimirum fuga nostra nec Dei gloriæ officit, nec alicuius offendiculi causa est apud eos, qui à nostra authoritate dependent. Pertinent huc non pauca prophetarum & Apostolorum exempla, quos hoc olim factitasse legimus. Interim consolationis plenum est, quòd impios suis consultationibus nihil aduersum Christum proficere videmus, sicuti David in Psalmo secundo prædixit. Vt enim hic incolumis euadit, ita illum alibi quoq; non semel per medios hostes euasisse cõstat. Quid, quòd ne mortuū quidem in sepulchro detinere potuerunt milites,

Impij aduersus Christum nihil proficiunt.
Luc. 4.
Ioan. 8. &c.
Matthæi 28.

sed

sed primi gloriosæ resurrectionis ipsius præcones fiunt? Quid ergo hostium consilijs & conatibus terremur? quid viso aliquo periculo trepidamus? Quin meminerimus potius eandem verbi quoque & ecclesiæ Christi conditionem esse. Nam & illud æternum durat, & hæc Dei manibus insculpta, illius præsidio tuta erit, sicuti prophetarum & ipsius Christi oracula testantur. Vide Isa. 40. 49. Ioan. 16. Matth. 28. &c.

Porrò subijcitur his noua historia, quæ hoc ipsum plenius illustrat. Christum enim ad mare digressum ingens hominũ multitudo sequitur, vndiq; ad illum confluentium, non ex Galilæa modò & Iudæa, verumetiam Idumæa, & ex Tyri atque Sidonis finibus. Ita verò gentium vocationi prælusum voluit Christus, & Iudæis ceu digito monstrare imminens Dei iudicium, quòd nimirum ipsis propter inobedientiam reiectis, gentes in populi Dei consortium ingressuræ essent: quod fore olim prophetæ non semel denuntiarant. At quod Iudæis accidit, hoc ipsum expectent quotquot Christũ ipsis per Euangelium appropinquantem reijciunt. Discedet ille, & simul regnum Dei ab illis auferet, nec propterea ecclesia carebit, sed mox innumeros inueniet, qui occulto spiritus motu excitati vndiq; ad illum concurrant. Ea enim regni Christi sors est, vt persecutionibus potius propagari et augeri, quàm vel opprimi vel in arctum redigi soleat. Et sicuti per Christi sanguinem ecclesia plantata est: sic eadem martyrum Christi sanguine rigatur, & qui prius in vna vel gente vel vrbe Christum profitebantur, persecutionis procella dispersi, illius fidem & doctrinam longè lateq; diuulgant. Exemplum eius rei in prima persecutione Hierosolymis aduersus Apostolos excitata habemus. Lapidatur Stephanus, in carcerem trahuntur viri & mulieres, multi vrbe discedunt: sed ea occasione vniuersa Iudea simul & Samaria Euangelij doctrina illustrantur. Factum est idem, quando Romani Imperatores suis edictis contra ecclesiam fulminarũt, & omnes prouinciarum præsides in Christianorũ perniciem armarunt. Tunc enim alij quidem dispersi, doctrinam fidei apud exteros prædicauerunt, quibus illa nondum innotuerat: alij verò comprehensi & diris enecati supplicijs, exemplo suo multos ad diligentiorem doctrinæ huius considerationem excitarunt: multi item, qui persecutionis metu in deserta secedebant, illic assidua scripturarum lectione instructiores facti, postea maiori cum alacritate fidem & docuerunt & confeßi sunt. Neminem ergo terreant minæ & conatus tyrannorum, quando non desunt nostri seculi exempla quibus hoc verum esse, abundè probatur.

III. Turbæ multæ Christũ sequuntur. Gentium uocationi & Iudæorum repudio preluditur. Deut. 32. Hos. 1. 2. &c. Acto. 7. & 8.

Est autem hic cumprimis memorabile populi ad Christum concurrentis studium. Poterant enim illos multa absterrere & remorari, vtpote labor, sumptus & quòd propter pharisæorum insidias res cum periculo coniuncta esse videretur. Sed omnia vincit veritatis amor, vbi ille semel animo conceptus fuerit. Et tales sectatores requirit Christus, qui contempta hominum authoritate quantacunq; & anni simul periculorum metu deposito, ipsum omnibus, quæ in mũdo habent, anteponant. Quid verò nostri illi in Christo quæsierunt? Vt illum audirent (inquit Lucas) & à morbis suis sanarentur. In Christo igitur veritatis doctrina quæri debet, quæ simul veram & perfectam salutem nobis offert. Habet is solus (vt Petrus ait, Ioan. 6.) verba vitæ æternæ: & hunc nobis à Deo doctorem esse datum, omnes scripturæ docent, & quidem non vulgarem, qui inani tantùm verborum sono aures hominum feriat, aut humanis traditionibus circunducat: sed qui verba vitæ æternæ habens, in ipsas hominum mentes penetret, et veritatis cognitione illustratas sibi sub fidei obedientiam vendicet, simulq; salutis suæ certos reddat omnes, quotquot ipsum vera fide amplexantur. Vide Christi verba Ioan. 5. Amen dico vobis, omnis qui audit verba mea, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam, &c. Et Cornelio Centurioni angelus dicebat: Mitte aliquos Ioppen, & accerse Simonem, qui cognominatur Petrus, qui tibi dicet verba, per quæ serueris & tu & tota domus Dei. Quò Paulus quoq; respiciens, Euangelium dicebat esse potentiam Dei ad salutem omni credenti.

Studium uere piorum in Christo sequendo. Luc. 14. Matth. 10. Luc. 6. Deut. 18. Isa. 61. Matth. 17. Ioan. 6.

Nec minus obseruandum est, quòd illos votorum compotes factos esse ostenditur. Etsi enim importunè nimis in Christum irruant, adeò vt nauiculam sibi deseruire velit, qua paulùm à littore subuectus irruentis turbæ impetum declinet: amicè tamen excipit, & omnibus medetur, quotquot morbis flagellabantur, & à spiritibus immundis diuexabantur. Quod ne quis aliena virtute effectum fuisse putet, Lucas salutiferam illam virtutem ex ipso egressam fuisse scribit. Elucent ergo hic simul bonitas Christi & eiusdem immensa potentia. Vt enim ad se inuitat omnes qui laborant & onerati sunt, ita neminem ad se venientem reijcit. Idem verò salutem conferre potest perfectißimam. Quia

Christus ad se uenietes amicè excipit. Matth. 11. Ioan. 6.

Ioan. 1. enim morbos pellit, quorum origo ex peccato est, & quibus peccatricem carnem flagellat & castigat Deus, peccata quoque tollat oportet. At idem spiritibus quoque immundis imperat, qui seruiliter coram illo procidunt, & cum tremore Dei filium agnoscunt. Ergo is ipse est, qui serpentis caput conculcare debuit, sicuti primis parentibus olim Deus promiserat. In praesenti tamen spiritus immundos loqui non patitur, cùm quia tempus manifestationis ipsius inter gentes nondum aderat, tum quòd indignum est, diaboli mendaciorum patris testimonio eum commendari, qui aeterna est Dei patris veritas. Nec admittendum fuit, vt diaboli testimonium Christi & vniuersam nostrae salutis causam suspectam faceret, sicuti alibi copiosius à nobis dictum est. Nostrum fuerit, simili studio Christum sectari, & curare vt per fidei contactum ipsi vniamur. Ita enim fiet, vt ipsius merito à peccatis simul & diaboli tyrannide liberati, in ipso & cum ipso aeternum viuamus. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in aeternum. Amen.

Gen. 3.

HOMILIA XXV.

Et ascendit in montem, ac uocat ad se quos uoluit ipse, & uenerunt ad eum. Et fecit duodecim, ut essent secum, & ut emitteret eos ad praedicandum, utque haberent potestatem sanandi morbos & eijciendi daemonia. Et imposuit Simoni nomen Petrus: & Iacobum filiũ Zebedaei, & Ioannem fratrem Iacobi, & imposuit eis nomina Boanerges, quod est, filij tonitrui: & Andream, & Philippum, & Bartholomaeum, & Matthaeum, & Thomam, & Iacobum Alphaei filium, & Thaddeum, & Simonem Cananaeum, & Iudam Iscariotem, qui & prodidit illum.

Argumentum & vsus praesentis loci. *Ioan. 15.* *Marc. 1.* *Lucae 4.*

INter Dei beneficia nullum, post filium Iesum Christum, praestantius & salutarius est, quàm quòd verbum suum miseris mortalibus manifestari dignatur. Per hoc enim de sua voluntate nos edocet, sicque nos ipsi amicorum loco esse testatur, & simul miseros nos & indignos ad regni sui vitaeque aeternae consortium colligit. Non temerè ergo Christus Iesus docendi munus ad se quoque pertinere, & se illius ergò in mundum venisse testatur, seque docendo potissimùm exercuit, quàm diu in terris versatus est. At quia ille, quoad humanae naturae conditionem, solus omnibus locis simul sufficere non poterat, & peracto nostrae redemptionis negotio terras erat relicturus, certos aliquot discipulos elegit, quos ad praedicandum emitteret, & quorum ministerio Euangelij doctrina in toto terrarum orbe vulgaretur. De horum electione in praesenti Marcus agit, qui locus non modò de Apostolorum doctrina, verumetiam totius ministerij ecclesiastici ratione nos iudicare docet. Quare singulas circumstantias diligenter inspexisse non parum proderit.

I. Christus ipse apostolos instituit. *1. Pet. 1.* *Ephes. 4.* *Matthaei 24.*

Primùm totius negotij author proponitur, Dei filius Iesus Christus, qui solus & non alicuius hominis ministerio adiutus, Apostolos hosce elegit. Vnde patet ministerium verbi, non humanum inuentum, sed diuinum institutum esse. Vt enim duodecim hosce Christus ordinauit, ita idem ille olim suo spiritu prophetis affuit, & nunc etiam ecclesiae suae Apostolos, doctores & pastores dare consueuit. At quia de hoc supra diximus, paucula haec modò sufficiant. In praesenti verò Christi prouidentia & indefessum studium consyderari debet, quo instar optimi patrisfamiliâs suae domui, id est, Ecclesiae prospicit, ne post ipsius è terris discessum electi salutis doctrina destituantur. Ita verò suo exemplo omnes illos officij admonet, quorum fidei & curae ecclesia commissa est: vt nimirum non contenti, si ipsi fideliter doceant, verumetiam de successoribus cogitent, quorum opera verbi doctrinae in ecclesijs conseruetur. Fecerunt hoc ante Christum incarnatum praestantissimi prophetarum Samuel & Heliseus, quos discipulis pluribus conuixisse, & illos priuatim instituisse, sacra historia testatur. Et per Amos prophetã Iudaeis hoc grauissimi criminis loco Deus obijcit, quòd Nazaraeis suis vinum propinarint, id est, quòd sibi & verbi ministerio consecratos iuuenes educatione indulgentiori corruperint, & intemperantiae assuefecerint, vt in ipsis verbi doctrina in contemptum veniret. Fuit ergo haec res omnibus seculis curae ijs qui religionem saluam esse voluerunt: & hoc sui officij esse viderunt sanctissimi reges & principes, quorum liberalitate collegia & monasteria fundata atque dotata sunt, vt in illis alantur & instituantur bonae indolis atque spei iuuenes, quibus aliquando ecclesiae

2. Reg. 4.

cura committi poßit. Nec ignorauit olim quantum hoc momenti habeat ad conseruandam religionẽ impius & astutus apostata Iulianus, qui Christianorum liberos à scholis arceri voluit, sic fore existimans, vt Christiana religio spontè corrueret, sublatis nimirum viris eruditis, quorum doctrina & dexteritate illius veritas asserebatur. Quotquot ergo veram religionem in ecclesijs saluam cupiunt, de scholis rectè instituendis & ministris probè informandis dies noctesq; cogitent.

Deinde vt negotium hoc Christus tractarit commemoratur. Montem conscendit, & illic, Luca teste, in precationibus tota nocte perseuerauit, tandem quos voluit accersens, illos apostolico muneri destinauit. Admonent hæc, quid in ministrorum verbi electione potißimùm obseruari debeat. Primò animos ex terrenorum siue carnalium affectuum vallibus ad cœlestium consyderationem eleuare & subducere conuenit. Diuinum enim negotium hic agitur, quod ad Dei regnum spectat, cuius propagandi studio nos vrgeri oportet. Peccant ergo grauißimè, qui dum ministros eligunt, terrena spectant, opes nimirum, honores, amicitias, vel consultò canes mutos quærũt, quorum ignauia ad peccandi licentiam abutantur, & quibus ipsi pro sua libidine dicendi leges præscribere poßint, quales olim fuisse apud prophetas legimus, & hodie non paucos esse videmus magno cũ ecclesiæ & doctrinæ Christi detrimento. Deinde precibus serijs & ardentibus hic opus est, quas primitiuam quoque ecclesiam iuxta Christi exemplum adhibuisse constat, si quando Apostoli aut ministri eligendi essent. Vt enim munus hoc per se arduum est, in quo absque spiritus sancti operatione (sicuti Paulus monet) nihil efficias: Ita ministrorum errores, siue illi per ignauiam siue perfidiam committantur, non in illis solis hærent, sed in commune totius ecclesiæ malum redundant. Vnde constat, cum priuatæ tum publicæ salutis parum memores esse eos, quotquot in ministrorum verbi electionibus absq; omni religione, tanquam in re prophana versantur.

II. Quomodò Apostoli sint electi, & quid in ministrorũ electione faciendum.
Lucæ 6.
Isaiæ 56.30.
Amos 2.
Acto. 1, 13. &c.
1. Corinth. 3. 4.
2. Corinth. 3.

Tertiò finem triplicem ostendit Marcus, in quem discipuli isti electi sint. Primus est, vt cum Christo essent, quod ad ipsorum institutionem faciebat. Quia enim rerum abs Christo gestarum testes futuri erant, familiariori & diuturniori conuersatione cum Christo opus habebant, vt certò ac verè de illo testari possent. Secundus finis est, vt illos ad prædicandum emitteret, quod ipso adhuc in terris agente fieri cœpit, vt infra dicetur, & ideò iam nunc Apostolos nominauit, vt Lucas scribit. Tertius, vt haberent potestatem curandi morbos & eijciendi satanã: quibus verbis vniuersa edendorum miraculorum potestas comprehenditur, quorum potißimus vsus fuit, vt ex illis pateret, Apostolos diuinitus missos esse, & diuinum negotium agere.

III. In quem finem Apostoli electi sint.
Ioan. 15.
Act. 1. 10. &c.
Marci 6.

Porrò tribus hisce vniuersa ministrorum verbi officia comprehendi possunt. Debent illi Christo conuersari, & ab illo discere quæ alijs prædicent. Nec enim aliud ecclesiæ prædicari vult Christus, quàm quod ipse tradidit, alibi dicens: Docete omnes gentes seruare omnia, quæ ego præcepi vobis. Et Paulus eos anathema pronuntiat qui aliud Euangelium prædicant, etiamsi angeli de cœlo fuerint. Conuersatur autem nobis Christus per verbum suum, vbi illum in prophetis & Apostolis loquentem audire licet. In hoc igitur sese ministri exerceant, & lectioni incumbant, sicuti Timotheo suo Paulus præcipit. Minimè ergo pro Apostolicis agnosci debent, qui vel priusquã didicerint ad docendũ excurrant, vel hominũ discipuli & serui sunt, in quorum verba sic iurarunt, vt ne scripturas quidẽ diuersum sentientes audiant. At vbi ex Christo doctrinam veram hauserunt, vocationem siue missionem ab eodem expectent, & vbi missi fuerint, officio suo intrepidè fungantur, vt quàm plurimos Christo lucrifaciant. Nec enim talenta sua in terram defodi, sed illis nos fœnerari vult Dominus, vt in magno illo iudicij die cum lucro recipiat quod suum est. Quin à ministrorum manibus illorum sanguinem requiret, qui illorum incuria & negligentia pereunt. Et nota est Ionæ historia, quæ quàm periculosum sit impositum à Deo prædicandi officium detrectare, abundè docet. In quorum consyderatione diligenter versati prophetæ ea constantia vsi sunt, quæ hostibus quoque terrori fuit. Huc certè Amos respiciens ait: Leo si rugiat, quis non timeret? Dominus Deus cùm loquitur, quis non prophetaret? Et Paulus: Si Euangelizem, non est quòd glorier, necesситas enim mihi incumbit. Væ autem mihi, nisi Euangelizem. Debent horum cùm ministri tum auditores semper meminisse, vt & illi officium faciant, nec vllis vel blanditijs vel periculis sese auocari patiantur, hi verò officium facientes ministros æquis animis ferant, quando illos ex Dei mandato hoc omne facere norunt. Accedit his tertio loco, quòd morbos sanare & satanam eijcere debent ministri. Atqui miracula iamdudum ces-

Officia ministrorum uerbi.
Matthæi 28.
Galat. 1.
1. Timoth. 4.
Matth. 25.
Ezech. 3. & 33.
Ioan. 1.
Amos 3.
1. Cor. 9.

sauisse constat, quando illis non amplius opus est: at quod illis olim figurabatur, id ministri perpetuò præstare debent: vt nimirum animabus vel infirmis in fide & conscientiæ terroribus perculsis, vel peccatorum æstu ad mortem laborantibus medeantur, & satanam regno suo pellant. Est is mendax & homicida ab initio. Regnat ergo per mendacia, falsam doctrinam, falsos cultus, idololatriam, ambitionem, auaritiam, odium, intemperantiam & omnis generis peccata, quibus homines cùm seipsos tum alios perdunt, quoad corpus & animam. His fortiter obstare, & ita satanæ regnum euertere conuenit. Fecerunt hoc olim Apostoli, & hodie non minor idem faciendi necessitas nobis incumbit, quando passim occurrunt, qui fidei & salutis suæ incerti miserè languent, multis verò in locis satan merum imperium obtinet, & illius regnum apud eos quoque hominum incuria instauratur, quos ex illius tyrannide Christus iam pridem liberauerat. Nimium ergo imprudenter quidam à ministris modestiam exigunt, nec ea ab illis volunt reprehendi, per quæ satan potissimùm regnat, quem Christus per illos eiectum vult.

Ioan. 8.

Nomina Apostolorum. Matth. 10. Luc. 6. Actorum 1.

His Apostolorum duodecim nomina subijciuntur, quæ à tribus Euangelistis spiritus sanctus recenseri voluit, partim vt certò nobis constet, quos nam pro fidei nostræ doctoribus agnoscere debeamus, nec aliquos audiamus, qui Apostolorũ titulis turgidi, diuersa ab illis tradũt: partim vt Dei fidem & studium agnoscamus, qui (ut Dauid Psal. 34. docet) suorum nomina & memoriam seruare solet, qui in regno suo propagando fidelem operam nauant: quod in eum finem obseruari debet, ne iniquis huius mundi iudicijs aut calumnijs nos ab officio, cui nos Deus destinauit abduci patiamur. Inter multa autem quæ in hoc catalogo notanda veniunt, hæc mihi potissima videntur.

Humilis Apostolorum conditio.

Primùm, quòd eorum nomina absq; omni ambitiosorum titulorum fastu spiritus sanctus recenset, quibus nihil vnquam præstantius orbis habuit, nec in posterũ habiturus est. Pugnat hoc nõ cum mundi tantummodo consuetudine, qui magnificos titulos ambitiose captat, & sæpe pro illis ferro & igne dimicat: verumetiã cum illorum exemplo, qui sese Apostolorũ successores dicunt, & legitimi ecclesiarum ministri censeri volunt. Quid enim inter hos aliud quàm Sanctissimos, Reuerendissimos, Sanctitates, Excellentias, Gratias, Paternitates, & infinita eius generis deliria insulsam simul & impiã barbariem redolentia audias? Quin in ipsas scholas penetrauit ambitio, vt inanes & superbos Magistrorum & Doctorum titulos pecunijs redimant, qui mox humilitatis & crucis Christi præcones fieri debebant, vt de ijs nunc nihil dicã, qui vbi per multos annos ecclesiæ doctores fuerunt, iam senes, Doctoratus honores ambiunt, vt vel stolidam plebem in maiorem sui admiratione rapiant, vel apud principes ampliores & quæstuosas magis dignitates obtineant. Quàm verò hoc alienũ sit ab illorum professione, tam præsens hoc Apostolorum exemplũ, quàm Christi præceptũ docet, qui vt nosipsos abnegemus, & mundũ hunc omnẽ calcemus admonet. Vide Matth. 16. Idem Matth. 23. scribas & pharisæos hoc nomine reprehendit, quòd salutationes honorificas in foro & Rabbinorũ titulos appetant, & mox addit: Vos aũt ne vocemini Rabbi. Vnus est enim doctor vester, Christus, omnes aũt vos fratres estis. Et ne quis hoc illi vel temere excidisse, vel ad Iudaicũ modò Rabbinorũ titulum restringi debere putaret, idẽ paulò post repetens ait: Ne vocemini doctores, Vnus est enim doctor vester Christus. Scio quid hîc obijciant, qui in Academijs eiusmodi splendore gaudent, vel etiã ex eo quæstum faciunt. Neque eos damno, qui bonarum artium candidatos honoris publici spe ad studia excitant, vel Medicos & Iurisconsultos non sine publico sui studij & diligentiæ testimonio admittunt. Ab Euangelij autem ministris æmbitionem omnem alienam esse velim, quibus legitimum ecclesiæ examen & ordinariæ electionis testimonium sufficere debet: nec video quàm procul à Simoniæ specie absit mos iste, quo ad ecclesiæ ministerium non admittuntur, quàm qui titulos eiusmodi prius pecunijs redemerunt.

Quorundam nomina mutata. Matth. 16. Matth. 26.

Secundò quorundã nomina Christus mutasse dicitur. Simonẽ enim Petrum vocauit, à seipso nimirum, viua & spirituali petra, quam alibi confessus est. Ioannem verò & Iacobum tonitrui filios dixit, propter cœlestem doctrinam qua hominum mentes mouere debebant. At si discipulos spectes, minimè tales fuisse patebit in præsenti. Quare quales aliquando futuri sint Christus innuere, & infirmitatibus quas mox passuri erant occurre & mederi voluit. Quia enim Christum negaturus erat Petrus, nominis recordatione illum officij admoneri oportuit, vt ad petram Christum reuersus, turpem hunc lapsum fidei constantia sarciret. At alteri illi, Ioannes & Iacobus, mundo nimis addicti,

primatum

primatum inter Apostolos ambituri erant. Ergo tonitrui filios dici vult Christus, vt terrena loqui Matth.20.
desuescant, & cœlestes voces tonent, quibus hominum mentes penetrent, & peccatorum agnitione ter
ritas, vero & ardenti salutis studio accendant. Admonet locus hic, quis nominum verus vsus sit, Vsus nominũ.
quæ non absque Dei prouidentia nobis obtingere multa exempla docent. Quod si ergo eorum nomi-
nibus appellemur, quos olim fideles Dei seruos & amicos fuisse constat, illorum fidem nos quoq; imi-
tari debere meminerimus. Imprimis in Christianorum nomine, quod commune est omnibus nobis, co- Acto.11.
gitantum erit, nos illud à Christo habere, quem ita dici oportuit, vt eum constaret esse vnctum illum,
quem sui populi regem & sacerdotem Deus ab æterno constituit. Illum ergo regem & sacerdotẽ agno
scamus, illum audiamus, illi credamus, qui nos quoq; reges & sacerdotes facere dignatus est. Vbi o- Apoc.1.5.
biter illorum cæcitas arguitur, qui inter nostri seculi de religione controuersias se nescire dicunt, quem
nam audire, & cui credere debeant. Atqui Christum profiteris ô bone, & Christianus diceris. Quem
ergo alium, quàm Christum, audias? Cui alij, quàm Christo, credas? Sed de his alibi fortaßis plura
dicentur.

Tertiò, inter electos Christi Apostolos Iudas proditor numeratur. Vbi admirandũ diuinæ pro- Iudas proditor
uidentiæ consilium occurrit, cuius ratio humani ingenij acumine nunquã satis inquiri potest. Quoad Apostolis con-
verò nostram institutionem, hoc exemplo Christus docere voluit, nunquam defuturos qui religionem numeratur.
quæstum faciant, & sub ipsius nomine de ipso & membris ipsius negotientur. Et sanè Iudæ sectatores 2.Pet.2.
& successores sunt, quotquot hodie veritatis doctrinam produnt, Dei gratiam & Christi meritum
pro pecunia vendunt, aut sub Euangelij prætextu sua quærunt. Illos ergo nos cauere decet, ne falsis
titulis nobis imponant. Gloriantur hodie Romani Pontifices Apostolorum succeßione, cathedra Pe
tri, & legitima ordinatione ecclesiæ. Demus illis hæc omnia. Attamen Iudæ instar negotiationem
exercent, cùm Christũ & quæ ille nobis meruit pro pecunia vendant. Nõ est ergo, quod Petri autho
ritatem nobis obijciant. Quin potius cogitent, quid D. Bernhardo respondeant, qui in Sermone ad
Clerum in Concilio Remensi, episcoporum sui seculi mores acerrimè reprehendens, inter alia inquit:
Dixit Dominus ad duodecim: Nonne ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis diabolus est. Do-
mine Iesu cùm esset electio illa in manu tua, quare elegisti diabolum episcopum. Fratres, sic facit Ie-
sus hodie eligens sibi multos diabolos episcopos. Et mox Episcopi huius temporis auaritiam quomo-
do declinent? Quod enim sine miserabili gemitu dici non potest, Christi opprobria, sputa, flagella, cla
uos, lanceam, crucem & mortem, hæc omnia in fornace auaritiæ conflant & profligant in acquisitio-
nem turpis lucri, & pretium vniuersitatis suis marsupijs includere festinant, hoc solo sanè à Iuda I-
scariota differentes, quòd ille horũ omne emolumentũ numero denariorum cõpensauit, isti voraciore
ingluuie lucrorum infinitas exigunt pecunias, &c. Dicta sunt hæc ante annos quadringentos: quæ si
nostri illi de se dici nolunt, agedum ostendant, quid ab eo tempore in Curia Romana, aut episcoporum
moribus, aut etiam tota ecclesia in melius sit reformatum. Videndum tamen quoad Euangelij pro-
fessores, ne paucorum vitia omnibus in genere imputemus, vel Euangelij doctrinam improbè calum-
niemur propter eos, qui illa ad suam libidinem abutuntur. Ita enim magistratum quoque, coniugium
item, artes & in vniuersum omnes hominum ordines damnari mererentur, quando in singulis aliquos
reperire licet, qui officij sui parum memores, affectibus suis plus æquo indulgent. Nos potius Christi
doctrinam audiamus, quam ille Apostolorum ministerio toti orbi proposuit, illam sectemur, vt olim
cœlesti gaudio fruamur cum Christo Iesu, Domino & saluatore nostro, cui debetur benedictio, honor,
gloria & potestas in æternum. Amen.

Anno 63 ante

Marc: 12

HOMILIA XXVI.

Et ueniunt in domum, & conuenit iterum turba, sic ut non liceret
illis uel panes edere. Et cùm audissent qui ad illum attinebãt, exierunt
ut illum prehenderent. Dicebant enim: Alienatus est mente. At scribæ,
qui ab Hierosolymis descenderant, dicebant; Beelzebul habet, & per
principem dæmoniorum eijcit dæmonia.

QVoniam vniuersa nostræ salutis ratio, quoad nos, in hoc potißimùm versatur, vt Christum Argumentum
agnoscamus & amplexemur, in quo solo quæcunq; ad salutem faciunt, Deus nobis offert: ipse & usus præsen
tis loci.
Ioan.17.

quoque Christus omnia sua ita instituit, ut per ea in sui cognitionem nos perducat, sicuti in ipsius tum doctrina tum miraculis videre licet. At imprimis eò facit, quòd suo illo indefesso docendi studio non contentus, insuper Apostolos quoque ordinauit, quorum ministerio veritatis doctrina & salutifera ipsius cognitio pluribus in locis vulgaretur. At ne quis post ordinatos Apostolos, Christum suo officio segnius functum putaret, in præsenti narratur quid porrò fecerit, & simul iniquissima de ipso hostium ipsius iudicia exponuntur. Omnium verò hic præcipuus vsus est, vt & Christi Iesu studium erga nos, & mundi huius erga illum ingratitudinem agnoscere discamus, & illum amplexi, non offendamur ingrati mundi calumnijs, quibus etiam hodie Christi doctrinam oppugnat. Videamus itaque singula ex ordine.

Historia præsentis loci.

Historia paucis comprehenditur. Christus multis & diutinis laboribus fatigatus, cum discipulis domum rediјt, nimirum quietis & cibi sumendi causa, vt ex sequentibus patet. At ubi illum venisse resciuit populus, vndique concurrit, & quidem tanta cum multitudine simul & importunitate, vt ne panibus quidē, nedum alijs cibis diligentius paratis, vesci possent. Quare ad ipsos egressus Christus, astantes docuit, & miracula edidit, ex quibus præcipuè quod in dæmoniaco muto simul & cæco curando fecit, Matthæus narrat. Quo iterum testatus est, se ad destruendum diaboli opera venisse, vt miseros mortales, quos ille in Dei cognitione & salutis negotio planè cæcos & mutos reddit, ex illius tyrannide liberatos, suo spiritu illuminaret, & linguas nostras in Dei laudes solueret. Porro eò vsq; docendo & miracula edendo perseuerauit, vt pro assumpta humanæ naturæ infirmitate, animo deficere videretur, & sui egressi illum ad se reciperent, & turbas ad ipsum recreandum cohibere conarentur. Nec enim illorum sententia mihi probatur, qui illum à cognatis amentiæ aut furoris, mox absque conuitio, insimulatum esse putant: quādo mitiorem interpretationem Græca verba facile admittunt, & illum à cibo capiendo per populi concursum impeditum fuisse dicatur, vnde animi deliquium oriri solet, & paulò ante Apostolorum catalogus præmissus sit, cum quibus ille domum ingressus est, & quos ego nihil vnquam inhonestius de illo loqui voluisse crediderim. Pietatis ergo officium potius præstitisse, quàm aliquid per cōuitium dixisse videntur. Nobis autem in præsenti singulæ personæ considerandæ veniunt.

Matth. 12.
1. Ioan. 3.

Christi studiū pro nostra salute.
Marc. 2.
Ioan. 4. 6.

In Christo primùm ardens nostræ salutis studium elucet. Alibi se huius causa uenisse dicit, & hunc cibum suum esse fatetur, vt faciat voluntatem patris sui, quæ quoad ipsum non alia est quàm vt omnes in se credentes saluos faciat, nec quenquam ad se venientem foras eijciat. At ne quis nos ab illo inanibus verbis lactari putet, docere & salutem nostram operari nunquam destitit ab eo tempore, quo manifestatus est, sed hinc inde obambulans Iudæam & Galilæam omnem doctrina & miraculis repleuit. Et in præsenti genium quoq; suum defraudat, nimirū de hominum salute magis quàm cibo corporis solicitus. Id verò consolationi plurimùm seruit in tentationibus, quando nos Deo minus curæ esse, satan persuadere conatur. Si enim tanto studio inter infensissimos hostes Christus usus est, quis ipsum officij immemorem putet erga eos, qui illius salutem esuriunt atq; sitiunt? Atqui hos passim ad sese inuitat, & iјsdem omnes regni cælorum thesauros pollicetur. Interim Christi factum in exemplum trahi debet, vt quicunque munus aliquod sibi à Deo commissum esse sciunt, illud non minori studio & diligentia exequantur. Maledictus enim à propheta pronuntiatur, qui fecerit opus Domini malignè. Ierem. 49. Pertinet ergo hoc ad ministros verbi, qui & ipsi omnibus alijs rebus postpositis toti in hoc incumbere debent, vt quàm plurimos Christo lucrifaciant, & in Christi cognitione eos seruent, quos iam lucrifactos vident. Idem magistratus facere decet, quos Deus suæ ecclesiæ nutritios constituit, & qui officij sui præclara exempla habent in Dauide, Ezechia, Iosia, Constantino, Theodosio & alijs horum similibus, quorū fidem tum sacra tum ecclesiastica historia celebrat. Nec minus hoc ad patresfamiliâs spectat, qui similiter suos Deo consecrare, & in illius cognitione instituere debent. At hic incurabilis ferè nostri seculi corruptio elucet: quando plerique ministrorum mundo plus satis addicti, officium negligunt, magistratus religionis causam nihil ad se pertinere arbitrantur, patresfamiliâs verò solis opibus & honoribus accumulandis intenti sunt. Intermoritur ergo salutis cura, extinguitur fides, perit religio, & his sublatis immane grassantur vitia, quæ tandem ingrato mundo extremum interitum afferent,

Isaiæ 55.
Ioan. 7.
Matth. 11.

Isaiæ 49.

Deut. 6.
Psalm. 78.

Secundò

Secundò populi studium obseruari meretur, qui Christum passim sequitur, & ad illum tempore etiam incommodissimo confluit. Aliàs enim illos post Solis occasum venisse audiuimus: hîc verò eo tempore, quando cibus sumitur, ad illum congregantur. Vnde patet, illos non vulgari doctrinæ Christi & salutis desyderio inflammatos fuisse, quales sectatores ille omnino requirit. Et qui tales sunt, facilè omnia incommoda, labores, molestias & sumptus superant, dummodò Christum apprehendere, & pretiosam illam margaritam regni cœlorum consequi queant, propter quam omnia diuendi & relinqui debent. Etsi verò isti in hoc peccent, quòd postea languidiores facti, cursum hunc non consummant, suo tamen exemplo eos arguunt, qui Christi nomine nihil vel facere vel pati volunt, & interea dum conciones sacræ fiunt, conuiuia agitant, sicq; impura carnis & voluptatum studia regno Dei anteponunt. Populi Christum sectantis studium. Marci 2. Matth. 5. Matth. 13.

Tertiò non frustra factum putabimus, quòd à suis familiaribus curatur Christus, ne deficiat. Atqui facilè illi fuisset seipsum diuina virtute sustentare, qua prius in deserto per dies quadraginta seruatus fuerat. Sed ita & assumptæ humanæ naturæ veritatem testari, & simul pietatis officia cōmendare voluit, quæ ijs ex communi sensu & naturæ lege debemus, qui pro nobis laborant. Qua in re plurimùm peccant, qui vel ministris verbi vel magistratibus quietem & otium honestum inuident, quo illos recreari necesse est. Peiores verò sunt, qui alioqui plus satis grauatos magis onerant, & illis nouarum curarum & solicitudinum authores sunt. Damnantur liberi, qui malam gratiam suis parentibus referunt. At quantò magis damnandi, qui patriæ patres improbè grauant, & illis malè grati sunt, per quos in Christo regenerantur? Attamen quibus hoc experiri datur, consolationi sit quod hîc dicitur. Vt enim non defuerunt Christo, qui nimiùm laboranti manus supponerent: ita suis semper aliquos Deus excitat, qui laboribus succumbentes pijs officijs subleuent, cuius rei exempla in Apostolorum & primitiuæ ecclesiæ historijs passim occurrunt. Vide Pauli capti historiam, & admirabilem Dei curam, qua suos inter huius seculi labores prosequitur, miraberis. Acto. 23. vsq; ad finem. Christus à suis curatur. Marc. 1. Matth. 4. Hebr. 13. 1. Cor. 4.

His autem hominū iudicia de Christo Marcus subijcit, quæ varia fuisse constat. Nam vt Matthæus habet, populus Deum glorificauit. At scribæ, qui ex Hierosolymis descenderant, illius miracula improbè calumniantur. Beelzebul habet (inquiunt) & per principem dæmoniorum eijcit dæmonia. Nec temerè annotatur, Hierosolymitanos fuisse, qui hoc fecerunt. Hierosolymis enim templum & schola, adeoq; sacrosancta religionis sedes erat, & qui illic erant scribæ, summam apud omnes pietatis & eruditionis existimationem sustinebant. At isti Christum non agnoscunt, sed hostiliter persequuntur, & omnia illius calumniantur. Causam alibi Christus indicat, quòd nimirum priuati commodi & honoris studiosiores, Dei gloriam & publicam totius populi salutem facilè negligerēt. Quid ergo mirum fuerit, si hodie de Christi doctrina iniquissimè iudicent, qui Christiani orbis lumina & columnæ esse videntur: quales sunt, pontifices, Cardinales & Episcopi, quando illos ijsdem affectibus duci, nemo negare potest? Quin Dei consilium agnoscimus, qui mysteria hæc paruulis reuelare, sapientes verò & authoritate præditos cælare solet. Matth. 11. 1. Corinth. 1. Diuersa hominum de Christo iudicia. Ioan. 5. Matth. 15. et 23

Porrò quàm astutè agant scribæ isti videndum erit. Factum ipsum negare non possunt, nec etiam vt malum per se culpare, vel vt vulgare & leuiculum contemnere. Quid ergo? Christo illius gloriam eripere, & aliò transferre conantur. Est hoc per se iniquū, suum scilicet honorem alicui negare: Attamen hoc ipso non contenti, diabolo ascribunt, quod diuinæ virtutis opus esse communis sensus docebat, sicq; Christum magiæ & veneficij crimine suspectum reddere conantur. Patet hinc quantū possit Veritatis odium, & quanta sit diaboli in membris suis astutia. Scit ille se malum, Deum autem bonum esse, nec illud impudenter negat. Vt verò incautos decipiat, quod Dei est sibi & quod ipsi proprium est Deo tribuit, & hoc ipso stratagemate olim aduersus primos parentes pugnauit, dum se illorum amantissimum, Deum verò inuidiæ & odij plenum fingit, qui arboris scientiæ fructum non alia de causa prohibuerit, quàm ne Dijs similes efficerentur. Hoc ipsum in præsenti facit, & etiam hodie Iudæis vtitur, qui Christi miracula per incantationes facta esse nugantur. Et tantæ sunt odij Veritatis vires, vt qui illud semel animo conceperunt, non vereatur ipsi quoq; diabolo acceptum ferre, quod reuera Dei opus est. Quid enim hodie aliud faciunt, qui Euangeliū persequuntur? Si enim per hoc superstitiones & omnis generis scelera arguantur, doceatur autem vera in Deum fides & Astutia scribarum in Christo calumniando.

religio pura, & pleriq; efficacem diuini verbi operationem sentiant, & illi cedere incipiant: mox adiuntur, qui Euangelij præcones malo dæmone agitari dicant, qui illis & rerum agendarum consilia & verba suggerat, quibus simplices & incautos decipiant. Vel cùm Euangelij doctrinam per se damnare, aut idoneis rationibus confutare non poßint, saltem hoc nomine diabolicam esse dicunt, quòd dissidiorum & contentionum causa sit. Ita verò id, cuius ipsimet authores sunt, dum peßimos carnis affectus sequuntur, Euangelio Christi tribuunt, sibijpsis verò eam laudem vendicant, quòd pacis & concordiæ studio teneantur, cùm illos dies & noctes nil aliud quàm cædes & innocentis sanguinis effusionem meditari constet. At quàm facilè sit illorum calumnias confutare, ex Christi responsione patebit. Discamus nos Christi bonitatem & saluificam potentiam agnoscere, nec moueri impiorum calumnijs. Dißipabit illas dominus, & (ut propheta inquit) impietatis conuincet omnem linguam, quæ aduersus ipsum & ecclesiam surrexerit. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Isaiæ 54.

HOMILIA. XXVII.

Et illis ad se uocatis, per parabolas loquebatur ipsis: Quomodo potest satanas satanam eijcere? Et si regnũ aduersus seipsum diuisum fuerit non potest stare regnum illud. Et si domus contra semetipsam diuisa fuerit, non potest stare domus illa. Et si satanas insurrexit aduersus semetipsum & diuisus est, non potest stare, sed finem habet. Non potest quisquã uasa fortis, ingressus in domum ipsius, diripere, nisi prius fortẽ ligarit, & tunc domum ipsius diripiet.

Argumentum & usus præsentis loci.

QVemadmodum saluator noster Iesus Christus, quàm diu in terris versatus est, totus in hoc fuit, vt tum doctrina tum miraculis quàm plurimos lucrifaceret: Ita nunquam etiam quieuerunt ipsius hostes, quibus hoc summum studium fuit, vt illum vel omnino perderent, vel saltem populo inuisum & exosum redderent. Exempla eius rei multa hucusq; vidimus, inter quæ cum primis memorabile est, quod in præsenti historia habetur. Cùm enim docendo eò vsque perseuerasset, vt animi deliquium passurus videretur, & simul dæmoniacum quendam mutum & cæcum miraculosè curauisset, iamq; populus diuinam in illo potentiam agnoscere & palàm prædicare inciperet: mox scribæ erupuerũt, qui omnia ista improbè calumniati sunt, & Christum in miraculis edendis diabolica virtute adiuuari dixerunt. Quam calumniam propter nos ille sustinere voluit, quò minus offendamur, si hodie quoq; vel doctrinam Christi, vel illius ministros similibus conuitijs atq; criminibus grauari videmus. Si enim ipsum patremfamiliâs vocarunt Beelzebul, quanto magis domesticos illius? Videamus autem in præsenti, vt impudentem hostium calumniam Christus exceperit & confutarit, & discamus inde, quid nos quoq;, si quid huius simile accidit, facere conueniat.

Matth. 10.

Christus scribas calumniatores ad se uocat. Matth. 12.

Primùm occurrit, quòd scribas ad se vocasse dicitur, cùm illorũ cogitationes (vt Matthæus ait) & insidiosa consilia non ignoraret. Et quia non modò rudes, verumetiam veritatis odio omnino excæcatos videbat, parabolisè vulgo desumptis illos non tam confutat, quàm amicè instituit. Vbi obseruatu dignißimum est, quòd cùm multa admodum patienter ferre solitus fuerit, præsentem tamen hanc calumniam minimè dißimulandam esse putarit. Causa est, quòd non tam suam ipsius personam quàm veritatis causam peti, adeoq; publicam populi salutem periclitari videret. Sic Moses, qui mansuetißimus virorum fuisse scribitur, acerrimè aduersus Coritas suam authoritatem defendit, qui Rempub. diuinitus institutam euertere conabantur. Et Paulus, cùm pro hostibus suis Iudæis dies et noctes oraret, & pro illis anathema fieri cuperet, idem tamen pro sui Apostolatus dignitate non semel magna cum contentione dimicauit, eò quòd in ipsius persona Euangelij doctrina oppugnaretur. Quibus exemplis admonemur, qui nam patientiæ Christianæ limites sint & termini. Patientes simus, quando nostra res agitur, nec priuatas causas ex uindictæ cupiditate aut ambitione pertinaciter persequamur. Quando autem per nostrum latus Dei gloriam & veritatis doctrinam peti videmus, tunc omnes vires exerendæ sunt, vt nostrã innocentiã asseramus. Maior enim gloriæ Dei ratio haberi debet,

Num. 12. & 16
1 Reg. 18.
Rom. 10. 9.

Patientiæ Christianæ ratio & modus.

vi debet, quàm quid de nobis impij dicant aut sentiant. Rectè ergo Hieronymus, qui in hæreseos suspicione neminem vult patientem esse, ne apud eos qui ignorant innocentiam eius, dissimulatio conscientia iudicetur, si taceat. Desinant ergo hodie à nobis patientiam exigere, qui Antichristi partes defendunt, quando hoc prætextu non aliud quærunt, quàm vt per nostram ignauiam veritatis causa prodatur. Atqui ijdem illi in priuatis causis ius suum ita persequuntur, vt omnis tum modestiæ tum charitatis obliti videri possint. Interim nos quæuis dissimulare volunt, quando cum Dei gloria publica quoq; omnium salus in periculum adducitur. Ad Pammach. aduersus errores Ioã. Hieros.

Porrò simul Christi mansuetudo eximiam laudem meretur. Poterat hostes subitò punire, & digni erant, qui ob incurabilem malitiam cœlitus perderentur. At illos ad se vocat Christus, & amicè instituit, nec dedignatur illorum captui sese accommodare. Hæc optima & tutissima est defendendæ veritatis ratio, quæ ita institui debet, vt nos de aduersarijs lucrifaciendis potius quàm confundendis aut perdendis cogitare, omnes videant. Quòd si verò nihil proficias, tunc palàm arguendi erunt incurabiles, ne suo exemplo & authoritate alios quoque in errorem abducant: quem ordinem à Christo obseruatum fuisse, multi alij loci docent. At hîc deploranda venit nostri seculi peruersitas. Scribæ isti, etsi Christum oderint, vocati tamen veniunt, vt sese excusantem audiant. Sed qui hodie sibijpsis omnem in ecclesia potestatem vendicarunt, quosuis diuersum ab illorum traditionibus sentientes hæreseos & impietatis accusant, interim nec ipsi crimen probare, nec vllam excusationem admittere volunt. Citant quidem eos ad sua tribunalia, vel etiam ad Consilia sua illos euocant: non autem hoc agunt, vt auditis illis veritati cedant, sed vt iniquis sententijs eos opprimant, aut etiam aperta vi extinguant, quos rationibus idoneis conuincere non possunt. Deniq; eò rem deduxerunt, vt ipsi quidem in quosuis sibi ius sumant, nemini autem suæ vel doctrinæ vel dominij rationem reddere velint, & non principum modò authoritatem, verum etiam totius ecclesiæ clamores, securè negligãt. At inueniet aliquando rationem Dominus, qua & illos in ordinem redigat, & suorum innocentiam tueatur. Tempus postulat, vt Christi apologiam excutiamus, qua argumentis validissimis probat, se non diaboli auxilio, sed diuina virtute dæmonia eijcere. Mansuetudo Christi. Matth. 15. 23. 21. Luc. 11. &c.

Primò, Omne regnum (inquit) quod aduersus sese diuisum fuerit, stare non potest, & eadẽ quoq; est familiarũ siue rei domesticæ ratio. Videtur autẽ ita argumentari Christus: Quicũq; sua regna siue familias seruare student, intestina dissidia minimè admittũt; quibus nihil exitialius esse, quotidiana experientia abundè probat. Diabolus verò sui regni studiosissimus simul & astutissimus propugnator est. Ergo nunquam ipse ita secum dissidebit in suis illis immundis spiritibus, vt aliquos illorum ipse eijciat. Nec est, quòd aliquis exorcistas huic Christi argumento obijciat, qui spiritus immundos ex obsessis per exorcismos planè diabolicos pellere videntur. Solet enim eiusmodi præstigijs mundum ludificare satan, & è quorundam corporibus se inuitum abire fingit, vt vanis persuasionibus multorum animas occupet, & à Christo abstrahat, apud quem solum vera animorum libertas atq; salus quæri debet. Exorcismis ergo diabolus non eijcitur, sed introducitur potius, vt qui antea in vnius duntaxat hominis corpusculo tumultuabatur, mox in multorum animis regnum obtineat. Christus scribarum calumniis respondet.

Potest etiam ex ijs, quæ postea Christus subijcit, argumentum ita formari: Quæcunq; regna inter semetipsa dissident, stare non possunt. Diabolus (si quod vos dicitis verum est) aduersus semetipsum dissidet. Ergo regnum ipsius diutius consistere non poterit, sed illius finis imminet. Atqui hinc sequitur (quod alibi Christus infert) perueniße iam ad vos regnum Dei, quod olim prophetæ promiserunt, & cuius præco vobis fuit Ioannes, quodq; ego meis concionibus subinde inculco. Cur ergo illud non amplectimini? Cur calumnias eiusmodi confingitis, quæ & absurdissimæ sunt, & vestram potius cæcitatem produnt, quàm meo regno officiunt? &c. Lucæ 11. Matth. 12.

Interim diligenter nobis inspicienda est generalis illa sententia, qua nec regna nec domus consistere posse Christus docet, quæ inter sese dissident atq; confli ctantur. Ita enim natura comparatũ est, vt omnium rerum salus & incolumitas in concordia consistere, per discordiam verò interire videatur, nec quicquam diu consistere potest, quod non omnibus suis partibus probè ipsum sibi conuenit. Exempla sunt in admirabili huius mundi fabrica, qui totus ex concordi partiũ alioqui diuersissimarum cõpositione dependet. Et humani corporis valetudo in humorũ, qualitatum & singularum partium legitima proportione & consensu consistit: quem si tollas, mox omnis generis morbos, & ipsum De concordia & discordia.

Vide Psal. 133. Isaiæ 3. quoq; hominis interitum sequi videbis. Quod ipsum in repub. simul et domestica fieri, exemplis ab ipsa rerum origine infinitis probatum est: vt non temere dictum sit, concordia res paruas crescere, magnas discordia dilabi. Græciam certè olim intestina odia & simultates perdiderunt. Et Romani ciuilibus bellis suæ reipub. exitium attulerunt, quam nulli hostes exteri vincere poterant. Et eandem multorum aliorum sortem olim fuisse, omnium gentiũ historiæ testantur. Sed minimè opus est exemplis commemorandis immorari, cùm quotidiana abundè ijs suppetant, qui vetera vel ignorant vel oscitanter negligunt. Debent ergo in horum consyderatione crebrò versari magistratus, vt ijs occurrant, quæ communem concordiam turbare solent: qualia sunt, auaritia, ambitio, bonarũ legum dissipatio, impunis quiduis audendi libido, ius venale, & si quæ alia sunt eius generis. Curent hoc ipsum patres, qui familijs suis consultum cupiunt, alioqui verum esse experientur magno suo malo, quod in præsenti dicitur.

Ab exemplo. Lucæ 10. Marci 9. Secundò, discipulorum & aliorum exemplum allegat Christus, qui illo tempore in ipsius nomine dæmonia eijciebant, quod vulgare fuisse ex eo patet, quòd discipuli dæmones sibi subijci gloriantur, & quendam in illis eijciendis Christi nomine vtentem prohibere conantur, eò quod Christum non, vt ipsi, sequeretur. Omisit verò argumentum hoc Marcus, nimirum breuitatis studio. Nos ex Matthæo insertum paucis excutiemus. Si ego (inquit) præsidio Beelzebul dæmonia eijcio, filij vestri cuius præsidio eijciunt? Quasi dicat: Cùm vestri filij, homines vobis notissimi, passim in meo nomine immundos spiritus expellant, quid opus est me alieno præsidio vti? An mihi in meipso minus virtutis esse putabitis, quàm in alijs, qui meo nomine vtuntur? Ita verò simul illorum malignam cæcitatem taxat, qua in ipso calumniabantur, quod in alijs reprehendere non poterant, &c.

Christus diaboli uictor. Tertiò simile allegat, quo se diaboli victorem esse docet, & proinde illius opera nequaquam indigere. Nemo potest (inquit) potẽtis alicuius domum ingredi, & illius vasa diripere, nisi illo superior factus, ipsum prius constrinxerit, vt direptionem illam prohibere nequeat. Atqui ego vasa diaboli diripio, & in libertatem assero homines, in quibus ille hactenus regnauit. Ergo illo longè potentior, imò illius victor sum. Quid igitur illius præsidio mihi opus erit?

Redemptionis nostræ mysterium. Comprehendit autem parabola hæc pleraq; nostræ redemptionis mysteria. Potens enim ille & fortis gigas diabolus est, cuius domus erat mundus hic, vasa autem homines, qui cùm in peccato & filij iræ nascerentur, sub illius potestate vincti tenebantur, & illi vel per effrenem peccandi licentiã, vel per cæcam superstitionem & idolomaniam seruiebant. Seruitutis verò huius stipendiũ erat sempiterna mors. Et quia eadem fuit omnium conditio, nemo reperiebatur ex vniuerso mortalium genere, qui vel seipsum vel alios in libertatem asserere posset. Fortiori igitur aliquo opus erat, qui diaboli potentiam longè vinceret. Is Christus est, verus & coæternus Dei filius, cui omnem potestatem

Matth. 1.28. pater tradidit. Is per incarnationem mundum hunc ingressus, cum satana pugnare cœpit. Et primò quidem docendo & miracula edendo regnum illius in hominũ animis labefactauit, tandem verò expiatis per mortem suam nostris peccatis, & superata per resurrectionem gloriosam mortis tyrãnide, in vniuersum euertit, ipsumq; satanam Euangelij prædicatione, per totum orbem vulgata, ita constrinxit, vt illi ius in homines nullum sit amplius. Imò eos, qui illius vasa erant, in libertatem filiorum Dei asseruit, & spiritus sui templa fecit, vt in ipsis Deus iam suum domicilium habeat. Typus

1. Corinth. 6. 2. Corinth. 6. huius rei in Dauide præcessit, qui gentibus deuictis erepta spolia Deo consecrauisse legitur. 2. Sam. 8. Id verò nostri nos simul officij admonet. Agnoscamus hunc nostrum vindicem, & illi omnem nostræ

Rom. 16. redemptionis laudem tribuamus. Nec timeamus posthac satanæ conatus, quẽ Dominus pacis breui sub pedibus nostris omnino conteret. Interim tanti beneficij memores, libertatem nostram tueamur, ne in peccati seruitutem relapsi, denuo satanæ vasa reddamur ad interitum, sed potius gloriæ Dei vasa facti, huius voluntatem sectemur, vt olim cœlestis regni hæredes simus cum Iesu Christo saluatore nostro, cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA XXVIII.

Amen dico uobis: Omnia remittentur filijs hominum peccata & conuitia, quibuscunque conuitiati fuerint. At qui conuitium dixerit in spiritum

ſpiritum ſanctum, non habet remiſsionem in æternum, ſed obnoxius eſt æterno iudicio. Dicebant enim ſpiritum immundum habet.

ETſi Deus in filio ſuo, Ieſu Chriſto, omnes gratiæ ſuæ theſauros & quæcunque ad noſtram ſalutem faciunt, liberaliter proponat, pleriq; tamen hominum hunc faſtidire, & proinde à ſalute excidere ſolent. Cauſa huius mali ferè duplex eſt. Prima, quòd carnis affectus & mundi ſtudia doctrinæ Chriſti præferunt, & ideò cum his pugnantem ferre non poſſunt. Altera, quòd ipſis leuiculum videtur, Chriſti doctrinam contemnere, & illam ſcurrilibus dicterijs proſcindere, aut etiam eidem improbè reluctari. Ita enim dum ſibijpſis blandiuntur, impietati paulatim aſſueſcunt, & agnitam veritatem inſectando in ſpiritum ſanctum peccant. Exemplum eius rei in phariſæis & ſcribis Iudæorum habemus. Etſi enim hiſce Chriſtus ſeſe per doctrinam & miracula manifeſtarit, illi tamen eundem recipere dedignati ſunt, eò quòd eius doctrinam ipſorum quæſtui & ambitioni aduerſam viderent. Quibus affectibus excæcati, tandem agnitam quoq; veritatem oppugnant, & quæ diuina virtute à Chriſto fieri, propria conſcientia teſte, non ignorabant, diabolo acceptum ferunt, dum Chriſtum dæmonia per Beelzebub eijcere dicunt. Quamuis verò iam incurabiles eſſent, nec vlla ſui peccati remiſsione digni, Chriſtus tamen tum propter rude & ſimplex Iudæorum vulgus, quod ab illorum authoritate totum pendebat, tum propter omnem poſteritatem, diligenter cum illis agit. Et primò quidem atrocem illorum calumniam ſolidiſsimis argumentis confutauit. Nunc verò iiſdem peccati ſui atrocitatem ob oculos ſtatuit, & ſimul æternæ damnationis pœnas denunciat. Vſus loci huius magnus eſt. Nam & Dei gratiam complectitur, qua ille peccatis etiam grauiſsimis ignoſcit: & omnem peccati rationem tradit, docens quæ nobis omnino cauenda ſint, niſi irrecuperabilem ſalutis iacturam facere libeat. Argumentum & uſus præſentis loci.

Et hæc quidem cum ijs, quæ proximè præceſſerunt, connectens Chriſtus ait: Amen dico vobis: Omnia remittentur filijs hominum peccata & conuitia, &c. Quorum hîc mihi ſenſus eſſe videtur: Conſtat ex ijs quæ modò dicta ſunt, mihi cum ſatana & artibus ſatanicis nihil eſſe commercij, ſed omnia me virtute diuina, & quidem propria, facere. Quia tamen vos adeò obſtinatos eſſe video, vt agnitæ etiam veritati contumelioſius contradicere, & eandem horrendis conuitijs grauare non vereamini, agedum liberius & apertius iam arguendi eſtis, vt ſi non ipſi reſipiſcere vultis, ſaltem alij intelligant, quanta ſit veſtra impietas, quid illa mereatur, & quàm parum veſtræ authoritati tribui debeat. Arbitramini fortaſsis leuem eſſe hanc veſtram culpam, & nimium confidenter diuinæ bonitatis miſericordia freti, hæc omnia dicitis & facitis. At ego hoc vobis veriſsimè edico, quòd peccatis quidem omnibus, imò conuitijs quoq;, quæ ab ignorantibus in me, qui filius ipſius ſum, dicuntur, Deus pro ſua gratia ignoſcit. At ſi qui ſpiritum ſanctum quoq; conuitiari & agnitam veritatem inſectari audeat (id quod vos facitis) illorum certè culpa grauior eſt, quàm vt veniæ & miſericordiæ locum inueniant: ſed horribilis illos manet tum corporum tum animarum interitus & æternæ damnationis ſupplicium, &c. At hîc nobis vniuerſa peccati ratio conſyderanda venit, in qua tria præcipuè tractabimus, quæ ad huius loci tractationem pertinent. Expoſitio præſentis loci.

Primo de ijs peccatis & conuitijs dicendũ, quæ remitti Chriſtus teſtatur. Sũt ea, quæ ex ingenita infirmitate & plerunq; ignorantia vel carnis ſocordia cõmittuntur. Quia enim omnes homines natura corrupti ſunt, in electis quoq; peccatum inuenitur. At peccant illi, nõ quod Deum vel odiſſe vel inſolenter contemnere ſoleãt: ſed vel præter animi voluntatẽ ab ingenita corruptione (quam Paulus legem peccati vocat) ſuperantur, vel carnis ſocordia oppreſsi, vel etiam mundi exemplo & illecebris decepti, ſatanæ inſidias nõ obſeruant, & ita peccatorũ laqueis irretiuntur, cuius rei exemplũ in Dauidis adulterio habemus. Fit etiã non rarò, vt in ipſum quoq; Chriſtũ peccẽt electi, & illum conuitijs, & interdum aperta vi perſequantur. Id verò ignorantes faciunt, priuſquã à Deo per verbi ſui prædicationem illuminentur, & in veram Chriſti cognitionem perueniãt. Ita multi Iudæorũ peccauêre, quando Chriſtum Pilato traditum ad crucem poſtularunt: quibus poſtea Petrus Apoſtolus Dei gratiam prædicat, & veniæ ſpem facit, quando poſt grauem peccati ipſorum accuſationem ait: Et nunc fratres ſcio, quòd per ignorantiam feciſtis, ſicut & principes veſtri. De quibus etiam Paulus ſcribit: Si cognouiſſent, haudquaquam dominum gloriæ crucifixiſſent. Ex horum numero milites quoq; fuerũt,

Marginal notes: I. De peccatis remiſsibilibus. — Rom. 7. — 2. Sam. 11. — Actorum 3. — 1. Corinth. 2.

pro quibus Christus orans dixit: Pater ignosce illis, nesciunt enim quid faciant. Quin Paulus seipsum istis adnumerat, quando se ecclesiæ persecutorem fuisse fatetur, & ipsum Christum sibi dicentem audiuit: Saul Saul, cur me persequeris? Ignorans verò fecit, quòd Christum Dei filium & humani generis saluatorem esse nesciret. Nec dubium est, quin multi hodie horum similes Christi ecclesiam persequantur, & (vt ille olim prædixit) se Deo cultum præstare putent, dum pios & fideles in exilium eijciunt, aut etiam crudelibus supplicijs necant. Peccant illi in Christum & in eundem horrenda interdum conuitia iaciunt, quãdo illius doctrinam & sectatores hæreseos & seductionis accusant: nec tamen de illorum salute desperandum est, cùm non deuota animi impietate peccent, sed idem illis accidat, quòd ijs, qui regis sui filium, si pannis laceris malè tectum & hinc inde vagantem videant, erronem dicunt, nihil minus dicturi, si regis filium esse nouissent. Quos ignorantia sua tuetur, ne læsæ maiestatis accusari possint, & sui facti remissionem facile inueniunt, cùm errorem suum ipsi postea deprecentur, & illius ipsos vehementer pudeat.

1. Tim. 1.
Acto. 9.
Ioan. 16.

Causa remissionis peccatorũ.

Hic tamen probè cauendum fuerit, ne peccata eiusmodi, quæ vulgò venialia nominant, ideo remitti putemus, quòd vel per se leuiora sint, quàm vt damnationem mereantur, vel nostris ipsorum satisfactionibus & meritis expiari possint. Nam reuera omne peccatum per se mortale est, & damnationem meretur. Quia enim nos totos & omnia nostra Deo debemus, in illum iniqui, & proinde æterna morte digni sunt, quicunq; aliquam sui partem illi negant, & vel aliqua in re sanctam illius voluntatem transgrediuntur. Imò, vt actualia quoq; peccata omittamus, ex primo parẽte peccati noxa omnibus inhæret, qua fit, vt peccatores & iræ filij nascamur, quod sanctissimi quiq; de semetipsis semper confessi sunt, & simul Deum rogarunt, ne cum ipsis in iudicium ingredi vellet. Quòd ergo non damnamur, diuinæ bonitatis est, quæ nos in Christo Iesu elegit priusquàm mundi fundamenta iacerentur, & electis semen filiorum Dei inserit, quo regenerati, peccata agnoscunt, agnita deplorant & emendant, & Christum vera fide amplexantur, cuius merito iustificati, hæreditatem regni cœlorum adeunt. Et huc illud Ioannis referri debet: Omnis qui ex Deo natus est, non peccat, quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quia ex Deo natus est. Ex Deo natos peccare negat Apostolus, qui tamen idem antea dixerat: Si dixerimus, peccatum non habemus, nosipsos fallimus, & veritas in nobis non est. Peccant ergo etiam qui ex Deo nati sunt pro ingenita corruptione & carnis infirmitate: sed non peccant ad mortem, ita ipsos conseruante & restituente gratia Dei, vt modò diximus. Hæc vt consolationem ferunt infirmis conscientijs, ita eos confutant, qui scholasticorum traditionibus seducti, septem modò putant esse peccata mortalia, & suis ipsorum meritis atque satisfactionibus nituntur.

Deut. 6.
Rom. 5.
Psalm 51. 130. 143. &c.
Ephes. 1.
1. Ioan. 3.
1. Ioan. 1.

II. De peccato in spir tum sanctum.

Videamus nunc quid sit peccatum in spiritum sanctum, quod remitti Christus negat. Patet hoc ex præsenti historia, & ijs quæ apud Lucam cap. XII. habentur. In præsenti pharisæi, tum miraculis, tum propriæ conscientiæ testimonio conuicti, Christum diaboli victorem esse, & diuina virtute omnia sua facere norunt. Attamen inuidia, ambitione & auaritia fascinati contradicunt, & diabolo acceptum ferunt, quod ex Deo esse non ignorabant. Et hos Christus in spiritum sanctum peccare ait. Idem apud Lucam de ijs agens, qui cùm ipsum mundi saluatorem & veritatis doctorem esse intelligant, tamen prauis affectibus seducti, eundem abnegant, & doctrinam ipsius hostiliter insectantur: illos quoq; conuitij in spiritum sanctum insimulat. Quare in spiritum sanctum peccare dicimus eos, qui cum spiritus sancti suggestione & Dei verbo illuminati, veritatis & salutis in Christo cognitionem habeant, eandem tamen non ex carnis infirmitate (vt olim Petrus) sed deuota animi malitia negant & hostiliter oppugnant, dum mundi amicitiam vel corruptissimos carnis affectus ipsi Deo & propriæ saluti præferunt. Talis ante pharisæos istos Cainus fuit, sicuti tota ipsius historia testatur. Talis Pharao, quod non vna ipsius confessio indicat, quando se peccasse dicit, mox tamen peccatum repetit, & Deo cedere dedignatur, quem paulò ante confessus erat. Talis Saul, qui sciens volensq; Dei consilio reluctatur, quo is Dauidi regnum promiserat. Talem olim Iulianum apostatam fuisse legimus, qui ne moriturus quidem & à Christo victus Deo gloriam dare voluit, sed conuitiari pergens dicebat: Vicisti Galilææ, vicisti. Tales hodie proh dolor multi visuntur, qui cùm veritatis doctrinam satis perspectam habeant, illam tamen vel non profitentur, imò destinata animi malitia non modò dissimulant, sed vndiq; conquisitis rationibus intra animos suos extinguere student: vel quam

Gene. 4.
1. Sam. 24. 26.

quam aliquandiu professi sunt, denuò negant, & ad Antichristi castra transeunt, dum vel disciplinam Euangelicam oderunt, vel amicitias mundi, opes, honores & dignitates venantur. Et hi quidē verè dicuntur in spiritum sanctum peccare, quia veritatem proculcant & oppugnant, cuius cognitio ipsis ex spiritus sancti illuminatione innotuit.

At hic quærendum restat, cur peccatū hoc nunquam remitti dicat Christus. Causam aliqui hanc esse dixerunt, quòd qui ita peccant, scientes peccent, cum aliud propria ipsorum conscientia illis dictet. At nimis dura est hæc ratio, & multis desperandi occasionem præbere poterat, quando plerique scientes peccant, & vel naturæ lege edocti quæ faciunt non rectè abs se fieri intelligūt, quod de semetipso Paulus non obscurè fatetur. Potior ergo mihi illorum sententia videtur, qui in spiritū sanctum peccantibus ideò peccati remissionem negari dicunt, quòd tales (teste Apostolo) non renouentur per pœnitentiam, sed potius ex verbi Dei admonitionibus & conscientiæ propriæ suggestionibus induratiores & deteriores reddantur, quæ propria & vera reproborum nota est. Vt enim tellus, quæ pluuijs emolliri nequit ad fæcunditatem, sed illis exasperatur & intractabilior redditur, hoc vno argumento se natura sterilem & per omnia maledictam esse ostendit: Ita quorum animi saluberrimis verbi dei imbribus & spiritus influentijs rigati non cedunt, sed ferociores fiunt, næ illi abundè testantur, se ab ingenio filiorum dei alienissimos esse, quorum proprium est, verbum dei audire, & ouium instar pastoris Christi vocem sequi. Et hic quidem obseruare prodest discrimen, quod inter electos & reprobos habetur. Peccant vtriq;, sed diuersa ratione. Illi enim vbi peccarunt, peccata sua vel ipsi agnoscunt, vel ex dei verbo agnoscere discunt, cuius admonitiones patienter ferunt, & de pœnitentia seriò cogitant, peccati verò remissionem in sola Dei gratia per Christum quærunt, quem fide constanti amplexantur. Quòd si inter hæc omnia deus nihilominus ipsos castiget, patris hanc virgam esse agnoscunt, & patienter illius uoluntati sese subijciunt. At alia longe est impiorum ratio, qui non contenti peccauisse, peccato insuper delectantur, illius atrocitatē agnoscere nolunt, & Dei verbum, quo illa arguitur, odisse solent. Quin ne propriæ quidem conscientiæ testimonium audiunt, sed occultam quoque spiritus suggestionem improba scurrilitate & Cyclopico contemptu explodunt. Quæ causa est, quòd nec de peccatorum remissione, nec Christo Iesu, qui hanc nobis acquisiuit, cogitant. Vbi verò pœnas exigere incipit iustus deus, cum illo etiam certamen suscipiunt, & iudicijs ipsius reluctantur: tandē ubi se victos vident, horribiliter desperant, & Deum simul & lucem hanc exosi vitam finiunt. Tales ergo etsi leuia aliquando videantur peccati ipsorum principia, tamen ad mortem peccant, quia & pœnitentia & fide in Christū destituuntur. Exempla huius discriminis multa passim scriptura continet, inter quæ cumprimis luculentum est, quod in Saule & Dauide proponitur, quos si inter se conferant pij, facilè videbunt, quæ nam Sauli interitus causa fuerit, & qua ratione Dauid damnationis pœnam effugerit. Nec mirum est, quòd cum tales fore sciat reprobos, iisdem tamen deus verbum suum prædicari sinat. Ita enim illos inexcusabiles fieri oportet, vt dei iustitia omnibus innotescat. Nobis verò horum omnium hic vsus esse debet, vt horribilem peccati in spiritum sanctum noxam fugiamus. Quod tum fiet, quando dei verbum, quò arguuntur & credendi viuendiq; leges præscribuntur, non scurriliter explodamus, aut hostiliter insectemur, sed memores nos illo opus habere, eidem sensus & affectus omnes per fidei obedientiam subijciamus. Rursum eiusdem redargutionibus cedere non pudeat, quin in hoc vnum intenti simus, vt nostra tum fides tum vita voluntati dei per omnia respondeat. Tales enim pro suis agnoscet Deus, & per verbum suum regeneratos, & ab omni peccatorum labe mundatos in cœlestis regni hæreditatem transferet cum Christo Iesu filio suo, cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

III. Cur peccatum in spiritum sanctum non remittatur.

Rom. 7.

Hebr. 6.

Ioannis 8. 10.

Discrimen electorum & reproborum.

Vide nostras in Canonicam Ioannis homilias. hom. 34.

HOMILIA XXIX.

Et ueniunt mater eius & fratres, & foris stantes miserunt ad eum, qui euocarent eum, & sedebat turba circa eum, dicuntq; ei: Ecce mater tua & fratres tui foris quærunt te. Et respondit eis, dicens: Quæ est mater mea, & fratres mei? Et cùm circumspexisset in circuitu circum se discipulos sedentes, ait: Ecce mater mea, & fratres mei. Qui enim fecerit uoluntatem Dei, hic frater meus, & soror mea, & mater mea est.

Argumentum & usus loci præsentis.

QVoniam deus seipsum simul & bona sua omnia nobis per verbum suum offert, non vtile modò, verumetiam necesse est, vt verbum hoc dignè à nobis excipiatur: quando constat, illos propriæ salutis iacturam facere, qui illud aspernari solent. Non temere ergo Christus, qui nobis à deo patre doctor & saluator datus est, frequenter de hoc agit. Et nuper quidem aduersus pharisæos disputans, apertè docuit, quid eos maneat, qui agnitæ veritati reluctantur, etiamsi propriæ conscientiæ testimonio conuicti fuerint. Quibus commodè historia præsens subijcitur, in qua suo exemplo docet, quanti à nobis verbum Dei fieri debeat, & quanta sit illorum dignitas, qui illud dignè audiunt, & vitæ officijs exprimunt, quod ex illo didicerunt. Partes historiæ sunt duæ.

Mater & fratres Christum conuentum volunt.

Marc. 6.

Gen. 11. 13. 14.

Ioan. 19.

Marc. 15.

Prima occasionem continet, qua Christus motus est, vt de hac re disputaret. Præbuerunt hanc ipsius mater & fratres, qui illo in domo docente & magna populi corona quasi obsesso veniunt, & illum conuentum volunt. Mater fuit Maria virgo. Fratres alibi nominantur, Iacobus, Ioses, Simon & Iudas: sic dicti, quòd illius consobrini essent, quos Hebræi fratres dicere consueuerunt. Ita Lothum Abrahami fratrem nominant, quem tamen Abrahami ex fratre Haran nepotem fuisse constat. Nec aliter accipi debere quod de Christi Iesu fratribus dicitur, Euãgelica historia docet. Apud Ioannem enim ad Christi crucem cum Maria matre Iesu eiusdẽ soror, Maria Cleophæ, stetisse legitur, quam Marcus in eiusdem historiæ narratione matrem Iacobi & Iosis fuisse scribit, quos alibi inter Christi fratres numerat. Temere ergo & impudenter quidam Christo ex Iosepho vterinos fratres Mariam peperisse contendunt, impuri nimirum Heluidij sectatores, quos olim ecclesia damnauit, ex scripturis nimirum de perpetua beatæ virginis Mariæ virginitate edocta. Vide Isa. 7. Ezech. 44. Luc. 1. &c.

Cur fratres Christi non ipsi quoq; docentẽ audiant, &c.

Luc. 2.

Ioan. 7.

Illud potius hoc loco inquirendum fuerit, cur Christi fratres, qui (vt videtur) cum eiusdẽ matre aliunde aduenerant, foris subsistant, & non potius ingrediantur, vt & ipsi docentem audiant. Atqui Mariam virginem filij Iesu amantißimam & verbi ipsius studiosißimam fuisse constat, quod ipsum de quibusdam alijs ex fratrum siue cognatorum Christi numero dicere fortaßis licebit. At plerosq; illorum non credidisse in Christum Ioannes testatur, qui etiam illum formidinis & ambitionis accusauerunt, quando illi in Galilæa subsistenti dicebant: Transi hinc, & vade in Iudæam, vt & discipuli tui videant opera tua, quæ facis. Nemo quippe in occulto facit aliquid, & quærit ipse palàm esse, &c. Ex horum numero fuisse videntur, de quibus hic agitur: qui etsi Mariæ virgini officium hoc, ipsam ad Christum deducendi, negare non potuerint, & fortaßis ipsi quoque iam de illo præclarius aliquantò sentire cœperint, cùm illum apud populum in pretio esse viderent: tamen doctrinam eiusdem non magni faciunt, sed in hoc illum euocant, vt ipsos illius fratres esse, & non parum in illum iuris habere, omnes intelligant. Vbi videre est, quanta sit carnis nostræ corruptio, qua fit, vt quæ nos ad fidem excitare debebant, ferè impedire soleant. Quantam enim credendi occasionem præ alijs hominibus hosce Christi fratres habuisse putabimus, qui illi à pueris conuersantes quotidie diuinioris naturæ specimina videre poterant? At reliquis tardiores sunt ad credendum, nimirum inuidia fascinati, quæ vt plurimùm inter fratres & cognatos regnare consueuit, quando aliquem suorum reliquis præstantiorem esse, & Deo magis propitio vti vident. Ita nec Cainus Abelum fratrem ferre, nec Israeli cum Isaaco promißionis filio conuenire, nec Iosephus inter suos germanos tutò agere potuit, & Dauidi suos quoq; parum æquos fuisse legimus. Imprimis verò hic ei prælusum puto, quod hodie frequenter fieri videmus. Si qui enim Euangelium syncerè & constanter prædicent, & eam ob causam mundi huius odium incurrant, hi ferè his cognatis inuisi esse solent, & hos illorum pudet propter mundum hunc degenerem. At si ijdem propter Euangelij prædicationem in pretio sint, & ipsorum authoritas amicis prodesse queat, mox omnes in illorum amicitiam sese insinuare cupiunt. Horum itaque, quæ Christo acciderunt, memores ministri non offendantur, si quid simile ipsis accidat, & licet omnibus benefacere studeant, nunquam tamen mundi amicitijs confidant, qui sua duntaxat quære consueuit.

Gen. 4. 21. 37.

1. Sam. 17.

Christus matrem & fratres reijcit.

Sed omißis his ad alteram huius loci partem transeamus, qua quid Christus Dominus fecerit, explicatur. Primò nuntium de matris & fratrum aduentu abs se reijcit. Quæ (inquit) est mater mea? & qui sunt fratres mei? At non ita hæc accipi debent, quasi aut matrem & fratres negarit (quo sensu olim decepti Manichæi & Marcionitæ veram Christi incarnationem atque humanitatem

tatem negauerunt) aut quòd matris & fratrum ipsum puduerit. Sed pro temporis & loci ratione hæc expendere oportet. Versabatur enim, cum hæc diceret, in officio sibi à patre commisso, & magno cum fructu docebat. Docentem carnis affectu ducti illi euocant, & sua priuata negotia publicæ multorum saluti præferunt. Rectè ergo illos reijcit, nec in præsenti pro matre & fratribus eos agnoscere potest, qui illum ab officio reuocabant. Simile quid puerum adhuc fecisse Lucas scribit. Cum enim Hierosolymis amissum diu anxiè quæsiuissent parentes, & tandem inter scribas inuento mater diceret: Fili, cur fecisti nobis sic? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te: Respondet ille, Quid est quod quærebatis me? An nesciebatis, quòd in ijs, quæ patris mei sunt, oportet me esse? At ne quis inde impietatis & inobedientiæ aduersus parentes exemplũ peteret, mox ibidem additur, quòd cum illis Nazarethum descenderit, & ipsis subditus fuerit. Nihil ergo locus iste vel Marcioni patrocinatur, vel Monachis & Anabaptistis, qui sub religionis prætextu, parentes, coniuges & liberos deserunt, cùm nullam Dei patris vocationem habeant, sed insano carnis affectu ducantur. Sed in illos potius illud Pauli conuenit, qui infidelibus deteriores esse ait eos, qui suis non prospiciunt, quos ipsorum fidei Deus commendauit. 1. Timoth. 5. Luc. 2.

Admonemur autem hoc Christi exemplo, qua constantia & fide nos in ijs versari conueniat, quæ nobis diuinitus iniuncta sunt, & ad nostram salutem faciunt. Hactenus Christum nullæ hostium vel insidiæ vel calumniæ ab officio reuocare potuerunt. Nunc quod iuxta naturæ legem matri & fratribus debebat officium, patris sui cœlestis vocationi postponit. Imò cùm per hos ipsi commodissima occasio offerretur, qua honestè ab illis discedere potuisset, quos sibi infensissimos esse sciebat, ea tamen minimè vti voluit, ne quis suo exemplo postea sub pietatis in parentes prætextu ab officio, quod Deo debemus, discederet. Æquum enim est, vt ipsi quoq; naturales affectus naturæ creatori & Domino subijciantur. Obseruandum hoc omnibus qui in officio aliquo publico versantur, siue illi ecclesiarum ministri, siue magistratus sint. Obseruent hoc ipsum parentes quoq;, ne quid in liberorum gratiam faciant, quod cum Dei voluntate pugnat. Et idem ad singulos Christianos pertinere, ipse Dominus monet, cum ait: Si quis venit ad me, nec odit patrem suum ac matrem, & vxorem & liberos, & sorores, præterea & animam suam, non potest meus esse discipulus: de ijs nimirum loquens, qui nos in Dei vocatione ambulantes impedire aut reuocare conantur. Vbi enim salua religione vel parentibus obedire, vel nostris prospicere possumus, ibi officium negligere impium fuerit. Discant item parentes & cognati non indignè ferre, si suam authoritatem ab ijs negligi videant, quos Deus ad verbi sui prædicationem vocauit, vt ipsorum opera publicæ multorum saluti consulat. Cogitent illos eadem lege cum Apostolis teneri: oportet Deo potius obedire quàm hominibus. Cui cum ipse Dei filius sese subiecerit, impium fuerit à quoquam postulare, vt propter nos à Deo impositam sibi functionem deserat.

Qua constantia singuli suam uocationem obire debeant.

Luc. 14.

Præterea confutatur hoc loco illorum error, qui Mariæ virgini in ijs, quæ ad nostram salutem faciunt, aliquid tribuunt. Cōstat enim vniuersam huius rationem in vno Christo contineri, nec aliud nomen vllum sub cœlo hominibus datũ esse, per quod saluari queant. At hic dum in ijs versatur, quæ illi pater nostræ salutis ergò iniunxerat, matrem ne agnoscit quidem, & alibi apud se intercedentem reijcit, dicens: Quid mihi tecum est mulier? Quæ ergo stultitia est, diuam virginẽ modò in cœlis agentem, & omnibus huius seculi curis exemptã, talem imaginari, quæ iugiter pro nobis filio supplex sit, eidem vbera ostentet, & illum per omnia ipsi olim exhibita officia obtestetur? Quin hæc cæcis gentibus relinquimus, quorum Dij ab impuris poetis hoc modo describuntur. Nos vno Christo contenti, illum vnicum saluatorem & intercessorem siue mediatorem apud patrem agnoscamus, cuius vox apud prophetam est: Ego Dominus, hoc est nomen meum, & gloriam meam alteri non dabo. Item: Nemo venit ad patrem, nisi per me, &c. Ioan. 14.

Aduersus superstitiosos Mariæ cultores.
Actorum 4.
Ioan. 2.
1. Timoth. 2.
Isaiæ 42.

Sed ad præsentem Christi tractationẽ redeamus, qui circa se sedentes discipulos circumspiciens, & manum (vt Matthæus habet) in illos protendens, ait: Ecce mater mea, & fratres mei. Et vt nobis huius dicti ratio constaret, addit: Qui enim fecerit voluntatem patris mei, qui in cœlis est, hic frater meus, & soror mea, & mater est. Quibus verbis disertè testatur, carnalem generationẽ & cognationem nihil facere ad salutem, nisi spiritualis accedat, quæ nos ex immortali semine renatos, Dei filios, & proinde Christi fratres & cohæredes facit. Docet hoc ipsum disertè Ioannes Apostolus, qui cùm initio sui Euangelij de ijs locutus esset, qui Iesum Christum, æternum illud Dei verbum, in sua

Christi fratres & mater qui sint.
Matth. 12.
1. Pet. 1.
Rom. 8.

venientem non receperunt, mox addit: Quotquot autem eum acceperant, ijs potestatem (seu potius dignitatem) hanc dedit, vt filij Dei fierent: nempe ijs qui credunt in nomen eius: Qui non ex sanguine, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo geniti sunt. Et ipse Christus cum Nicodemo disputans, regeneratione opus esse docet, quæ nequicquam requireretur, si carnalis generatio ad obtinendam dignitatē filiorum Dei sufficeret. Magnam utiq; Diuæ virginis laudem hanc esse fatemur, quòd illam filij sui in carnem mittendi matrem deus facere dignatus est. At maior multò illius dignitas ex eo est, quòd quem vtero gestauit & peperit, per fidem animo concepit, & in illo noua creatura facta est. Docet hoc ipse Christus, quando mulieri, quæ doctrinæ ipsius admiratione abrepta, clamabat: Beatus venter, qui te portauit, & vbera quæ suxisti. Respondet: Quin imò beati, qui audiunt sermonem Dei, & custodiunt illum. Non negat matris Mariæ beatitudinem Christus, sed illam non in eo consistere testatur, quòd ipsum secundùm carnem genuit, sed quòd Dei verbū amplexa, huic se totā per fidei obedientiam subiecerit. Vbi denuò confutantur, qui illā eo nomine colunt, & inuocant, quòd filij Dei mater sit, nihil interim de ijs soliciti, quibus illa salutem consecuta est, & quæ nos quoq; dei filios & Christi fratres efficiunt.

Lucæ 11.

Dignitas uerbi Dei.

At hic nobis obseruanda venit incomparabilis uerbi dei dignitas, quo voluntas illa dei traditur, quam Christus nobis tantopere commendat. Natura enim peccati mancipia & iræ filij sumus. At si Dei verbum audiamus, & iuxta illius traditionem credamus in Iesum Christum, quem ille nobis saluatorem dedit, ipsius filij, Christi autem fratres & sorores efficimur. Imò mater Christi censemur esse, quando Christus per verbum dei tum in nobisipsis, tum in alijs generatur, quos Deo adducimus. Huc Paulus respexisse videtur, quando ait: Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. En parturiendi verbum, quod disertè Christi matrem fore docet eum, qui per Euangelium in illo renatus eundem tum in seipso, tum in alijs formauerit. Quin quicunq; tales sunt, Christi sponsa dicuntur, & eidem nouos quotidie filios pariunt. Hæc vt dei verbum nobis commendant, ita illorum ingratitudinem arguunt, qui illud vel contemnunt, vel etiam hostiliter persequuntur. Qui cum Christi Iesu fratres, sorores & mater esse nolint, quid restat, quàm vt eius hostes censeantur, & regni cœlestis hæreditate excidant?

Galat. 4.

Psalm. 45.
Ephes. 5.
2. Corinth. 11.

Quomodo Dei uerbum à nobis excipi debeat.
Lucæ 8.
Deut. 18.
Matth. 17.
Rom. 10.
Ioan. 8. 10.

Videndum ergo hic fuerit, vt verbum à nobis excipi Christus velit. Qui fecerit (inquit) voluntatem dei, hic meus frater, &c. At apud Lucam distinctius loquens, ait: Mater mea & fratres mei hi sunt, qui sermonem Dei audiunt, & faciunt illum. Duo igitur requirit Christus. Primum, vt verbum ipsius audiamus, quod ipsum deus pater olim per Mosen, deinde propria voce cœlitus præcepit, dicens: Ipsum audite. Ex auditu enim fides est, quæ Christo inserit, & dei filios facit. Ideò alibi ait Christus: Qui ex deo sunt, verbum meum audiunt. Et oues meæ vocem meam audiunt, &c. Quæ omnia illorum errorem arguunt, qui nescio quod Verbum dei non scriptum somniantes, ex reuelationibus toti pendent, & Euangelij prædicationem contemnunt, & quasi superuacaneam negligunt, cum ecclesiastici ministerij, per quod illa promulgatur, author ipse Christus esse voluerit, qui & olim per prophetas locutus est, & hodie etiam ecclesiæ Apostolos, prophetas & doctores dare consueuit. Alterum est, vt dei verbum faciamus, exequendo nimirum dei voluntatem, quæ per hoc reuelatur. Ea est (sicuti ipse apud Ioannem exponit) vt omnis qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam. Fide ergo dei voluntatem exequimur, ea nimirum quæ Christi spiritu animata, per charitatem (vt Paulus monuit) efficax esse solet. Quò etiam Ioannes respexit, scribens: Hoc est præceptum dei, vt credamus nomini filij eius Iesu Christi, & diligamus nos mutuò. Quotquot ergo dei verbum audiunt, & Christum vera fide amplexantur, ac eundem totius vitæ officijs & moribus exprimunt, hi demum Christi fratres, sorores & mater, denique dei filij, & proinde reuera generosi & nobiles sunt. Quoad carnalem generationem, etiam regum & imperatorum posteri, filij iræ & diaboli mancipia nascuntur. At qui per Euangelium renascuntur, eos Christus liberat, & damnationis iugo eripit. Sed ô execrabilem nostri seculi dementiam, quando pleriq; nobilitatem generis successione & ambitiosa stemmatum ostentatione metiuntur, parum interim de eo cogitantes, vt dei filij efficiantur. Hi plerunq; dum mendacijs, imposturis, rapinis & sanguini student, ex eorum numero se esse produnt, quibus olim Christus dixit. Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere, &c. Ioan. 8.

1. Pet. 1.
Ephes. 4.
Ioan. 6.
Galat. 5.
1. Ioan. 3.

Ioannis 8.

Admo-

Admonemur præterea hoc loco, quanti à nobis fieri debeant, qui Dei verbum audiunt, & illius studium tum vita tum periculis & omnis generis aduersis testantur, quæ propter Christum quotidie sustinent, Sunt hi fratres, sorores & mater Christi, quos ita amat ille, vt in suas rationes se ascriptu rum esse promiserit, quicquid in illos confertur. Quàm ergo felices sunt, qui illis benefaciendo Christum sibijpsis obstrictum reddunt? Quàm verò infelices, qui circa superstitiosos Mariæ virginis & Diuorum cultus occupati, Christi matrem & fratres, quos secum habent, vel ignaui negligunt, vel etiam hoc nomine persequuntur, quòd Dei verbum audire & facere student? Horum itaque memores, verbi studio totos nos consecremus, vt Christi Iesu mater & fratres facti, cum eodẽ cœlestis regni hereditatem adire possimus. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Quanti fieri debeant pij auditores verbi, &c. *Matth. 25.*

CAPVT IIII.

HOMILIA XXX.

ET iterum cœpit docere iuxta mare, & congregata est ad eum turba multa, ita ut nauim ingressus sederet in mari, & tota turba iuxta mare in terra erat, & docebat eos per parabolas multa, & dicebat illis in doctrina sua: Audite. Ecce, exibat seminator ad seminandum, & accidit inter seminandum, aliud quidem cecidit secus uiam, ueneruntq; uolucres cœli, & comederunt illud. Aliud uerò cecidit super petrosa, ubi non habuit terram multam, & statim exortum est, quòd non haberet altitudinem terræ: sole autem exorto, æstu affectum est, & eò quòd non haberet radicem, exaruit. Et aliud cecidit in spinas, & succreuerunt spinæ, ac suffocauerunt illud, & fructum non dedit. Et aliud cecidit in terram bonam, & dabat fructum emergentem & crescentem: & ferebat unum triginta, & unum sexaginta, & unum centum. Ac dicebat illis: Qui habet aures ad audiendum, audiat.

MAgna est verbi Euangelici dignitas, & eiusdem admirabilis effectus, quòd homines miseros, peccato & damnationi obnoxios in Christi fratres & sorores regenerat, adeoq; Dei filios & hæredes facit. At ne quis ista nudæ & externæ verbi prædicationi tribueret, & sufficere putaret, si auribus corporis duntaxat illud percipiatur: non absque graui causa Dominus noster Iesus Christus hoc Capite omnem verbi sui naturam & quæcunq; ad illius operationem siue effectum pertinent, aliquot parabolis exponit. Quarum omnium vsus est, vt de illo rectè iudicare discamus, & idem verè amplexi vitam æternam consequamur.

Argumentum & usus præsentis loci.

Primò autem pro suo more Euangelista occasionem præmittit, quæ Christum mouit, vt de his modò dissereret, & hac ipsa docendi ratione vteretur. Fuit ea, quòd domum & vrbem egressus, ad mare iterum docere cœpit. Mox verò ingens hominum multitudo ex oppidis vicinis confluxit, cuius importunitate nauim conscendere coactus, ex illa populum in littore stantem docuit. Vbi nobis ante omnia obseruandus venit frequens ille populi vndique confluentis concursus. Exprimit is ingenium vulgi, quod rerum nouarum admiratione subitò capitur, & ardenti studio feruet, mox verò languescit & friget, si non omnia votis respondeant. Etsi enim Christus in præsenti ingentes populi turbas post se trahat, dum magno cum successu docet, & doctrinam miraculis confirmat: idem tamen paulò post fabri filius dicitur, & tandem vbi in hostium manus peruenit, ab omnibus deseritur. Quod fore ipse, iam mortem aditurus, prædixerat. Discamus nos hinc nec mundo huic instabili confidere, nec eiusdem leuitate offendi. Nec enim aliter facere potest, cùm non nisi sua quærat, & natura mendax sit. Psal. 116. Beatus ergo fuerit, cuius spes in Domino collocata est: maledictus autem, quisquis fecerit carnem brachium suum. Ierem. 17.

Occasio præsentis tractationis. *Lucæ 8.* *Vulgi ingenium.* *Matth. 13.* *Marc. 6.* *Ioan. 16.*

Christi studiũ in prouehenda nostra salute. Ioan.2.

E contra Christi Iesu studium & industriam obseruabimus. Non latebat hunc istorum leuitas. Nec enim opus habuit, vt quisquam testaretur de homine, sed ipse quid in homine esset sciebat, cuius rei exempla multa habemus. Non tamen, indignos licet, abs se reijcit, sed amicè docet, & quidem non paruo suo incõmodo. Verissimè ergo dixit, se neminem ad se venientem foras eijcere, Ioan.6. Agnoscamus hanc illius bonitatem, & ex ea consolationis argumenta petamus in tentationibus. Eandem verò ipsi quoq; imitemur, si quem nostro vel auxilio vel consilio opus habere cernimus.

Typus nauiculæ Christi.

Porrò non temerè factum putabimus, quòd de Dei verbo dicturus, nauim à littore subductam & in mari fluctuantem sibi cathedram siue suggestum deligit. Ita enim adumbratur, quæ nam sit in hoc mundo ecclesiæ ipsius conditio, quæ ex Dei verbo enata, eodem illustratur & regitur. Est mundus hic maris instar, quod (vt propheta ait) quiescere nequit, sed tam naturali motu quàm ventorum procellis semper ferè æstuat, & indomitum furens sordes suas eijcit. Furit enim mundus hic ingenita malitia, & simul aliunde immissis & exortis occasionibus magis turbatur, sicq; latentem in se impietatis & tyrannidis fœditatem ipse prodit. At sicut mare nauibus tamen patet, quæ syderum cursu diriguntur, & hæc secutæ pericula euadunt: Ita vtut mundus hic turbetur, in illo tamen locum inuenit Christi nauicula, Ecclesia nimirum, quæ Dei verbo gubernata, & ab vno Deo & cœlesti auxilio pendens, inter medios fluctus incolumis seruatur. Typus eius rei in arca Noe præcessit, quo docetur saluam fore ecclesiam, licet totus hic mundus iusto Dei iudicio intereat. Quò exempla referri debent, quibus ab ipsa mundi origine Deus docuit, nunquam locum in hoc mundo defore, ubi Christus suam cathedram collocet, ne Euangelij doctrina tota intercidat. Hæc vt consolationi seruiunt aduersus insanos tyrannorum conatus: Ita simul admonent, ne in mundo pacem huius seculi speremus, sed meminerimus, nos in mari nauigare, & proinde pacem in Christo quæramus, quæ omnem huius mundi intellectum exuperat, nec vllis tribulationibus euertitur. Vide Ioan.14. & 16. Phil.4. Rom.5. &c.

Isa.57.

Qua ratione docendi Christus usus sit. Matth.13.

Cæterum tempus est, vt qua ratione docendi Christus vsus sit, videamus. Docebat eos (inquit Marcus) per parabolas multa. Matthæus certè septem ex ordine recenset, Marcus autem quatuor contentus, alias breuitatis studio omittit. Commune hoc omnibus est, quòd ad Euangelij negotium referuntur, & huic illustrando seruiunt. Prima est de seminatore & semine: à qua initium facere voluit, vt offendiculo mederetur, quod inter rudes & simplices oritur, si quando Euangelium non magno cum fructu prædicari, & huius auditores vitam nimis dissolutam & parum religiosam, viuere vident. Docet enim Euangelium per se semen bonum esse, attamen non apud omnes fructificare, non quidem suo, sed auditorum vitio, qui ad illius prædicationem animos non rectè dispositos afferunt. At quia parabolam ipse postea exponet, superuacaneũ foret, illam in præsenti tractare. Interim duo excutienda veniunt, quæ ad præsentis loci consyderationem pertinent.

Christus de uerbo Dei potius quàm externo cultu disserit.

Primùm, quod in tanto populi concursu, in quo de ijs haud dubiè dicere studuit, quæ saluti ipsorũ potissimùm seruiebant, de verbo Dei potius disseruit, quàm externo cultu, qui illo tempore apud omnes in pretio erat, & quem scribæ cum sacerdotibus cumprimis saluum & incolumem volebant. Vnde facilè colligi potest, Dei verbum externo cultu præstantius esse, & illius studium plus ad salutem momenti habere, quàm si circa externos ritus absq; fide & uerbi obedientia occupemur. Hi enim corporali exercitatione constant, quam nihil prodesse Paulus testatur. At Dei verbum salutis viam monstrat, & Euangelium ipsam salutem nobis offert, adeoq; potentia Dei est ad salutem omni credenti. Vnde Cornelio Centurioni de Petro Apostolo dicitur: Ille tibi loquetur verba, per quæ salueris & tu & vniuersa domus tua. Deinde externus cultus, nisi in Dei verbum respicias, hominem quò minus cœlestia suspiciat, impedit: At Euangelij doctrina totos nos sub fidei obedientiam vendicat, sine qua Deo placere nemo potest, cùm peccatum sit, quicquid sine fide fit. Quæ causa est, quòd prophetæ aduersus superstitiosos templi & sacrificiorum sectatores tanto zelo inuehuntur, et omnem illorum religionem, quasi inutilem, reijciunt. Et Christus eum duntaxat cultum Deo probari docet, qui spiritu & veritate constat, & Mariam pedibus suis assidentem, & verbum suum audientem, Marthæ præfert, quæ vt externis officijs ipsi inseruiret, circa multa occupabatur. Nec obscurè Paulus Euangelij prædicationem sacramentis præstare docet, quando se non ad baptizandum, sed ad Euangelizandum missum esse scribit. Turpis ergo & perniciosus nostri seculi error est, quò ferè negliguntur

1.Timoth.4. Rom.1. Act.10. 2.Cor.10. Hebr.11. Rom.14. Ioan.4. Lucæ 10. 1.Corinth.1.

gligantur quæ ad verbi Dei studium spectant, ea autem in pretio habentur, quæ cum verbi doctrina pugnant, & hominum mentes à fide & salutari cœlestium rerum consyderatione auocare solent.

Alterum, quòd rem præstantissimam similitudine siue parabola, & ea quidem è vulgo petita ac omnibus nota, comprehendit. Est hoc frequens admodum in scripturis, maximè apud prophetas, qui res maximi momenti, & quæ captum nostrum superant, hoc docendi genere proponere & illustrare consueuerunt. Et hos Christus quoq; imitatur, qui nobis à Deo patre doctor datus est. Obseruãda autem est hæc Dei bonitas, qui ita se captui nostro accõmodat, qui natura obtusior est, quàm vt ea percipiat, quæ sunt spiritus Dei. Et elucet hîc simul hominum ingratitudo & improbitas, qui nihilominus Dei verbum fastidiunt, & salutis rationem, quæ hoc traditur, incertam & obscuriorem esse conqueruntur, quàm vt à quoquam intelligi queat. At quomodo vel incertum vel obscurum esse dicetur, quod similibus & exemplis vulgaribus & vulgo notis adumbrari, & (vt ita dicam) ad oculum demonstrari potest? Fatemur quidem multa hodie in fidei & salutis negotio perplexissima esse: sed id hominum culpa & vitio fit, qui rem simplicissimam superuacaneis quæstionibus & spinosis disputationibus inuoluunt. Similiter hîc illorum quoq; stultitia arguitur, qui idola & imagines hoc nomine defendunt, quòd rudioribus ad institutionem & memoriam seruiant. Atqui non negamus, nobis propter ingenij nostri tarditatem externis signis opus esse, quibus ad cœlestium mysteriorum consyderationem excitemur. Simul verò hîc Dei fidem & bonitatem agnoscimus, qui nobis hac in re optimè consuluit. Quid enim obsecro in tota rerum natura dabis, quod non spiritus sanctus per parabolas suas consecrarit, vt nostræ institutioni seruiat, & nos tum partæ per Christum salutis, tum officij admoneat? Siue enim agriculturam videas, siue rem militarem, siue rem domesticam, siue piscationem, siue mercaturam, siue coniugium aut nuptias, mox parabolæ occurrunt, quibus inde desumptis scripturæ salutis nostræ mysteria illustrãt. Ita si lucem, viam, ostium, panem, fontem, vitem, agnum, lapidem aut petram videas, mox de Christo cogitandi occasio sese offert, qui se lucem mundi, viam ad patrem, ostium ecclesiæ, panem vitæ, fontem aquæ viuentis, agnum & petram esse profitetur. Hæc cùm passim in sensus nostros incurrant, quid opus fuerit, his neglectis, simulachra lignea aut lapidea fingere, quæ tum veteris tum noui Testamenti authoritate damnantur? Sed alibi fortassis commodior de his dicendi occasio dabitur. Nostrum fuerit, Dei bonitatem agnoscere, Christum amplecti, & ab illius doctrina pendere, & fructus proferre dignos, vt cum eodem nobis in cœlis regnare detur: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Christus docet per parabolas.

1. Cor. 2.

Aduersus imaginum patronos.

Ioan. 1. 4. 6. 7. 8. 10. 14. &c. Matth. 16.

HOMILIA XXXI.

Cùm uerò esset solus, interrogauerunt eum qui circa illũ erant cum duodecim, de parabola, & dicebat illis: Vobis datũ est nosse mysterium regni Dei. Illis autem qui foris sunt, per parabolas omnia fiũt, ut uidentes uideant, & non cernant; & audientes audiant, & non intelligant; ne quando conuertantur, & remittantur eis peccata.

Dominus & saluator noster Iesus Christus in frequenti populi cœtu parabolam de semine & seminatore proposuit, qua omnia ferè comprehendit, quæ ad verbi Dei cõsyderationem faciunt, simulq; docet, quæ causa sit, quòd plerisq; hominum illud non magno cum fructu audiant, & quales esse conueniat auditores, qui illud sibi salutare esse cupiunt. At quia parabolam hanc pauci intellexerunt, illam ipse postea explicat. Vbi non temerè aliquis miretur, quòd ita loqui voluerit Christus, vt non ab omnibus intelligi potuerit. Cæterum causam omnem ipse in præsenti discipulis exponit: qui locus docet, hominum improbitate fieri, quòd verbum Dei aliquando obscurius proponitur: eandem verò electis & pijs nequaquam fraudi esse, qui non fucato Veritatis cognoscendæ studio tenentur, quorum exemplum in discipulis habemus.

Argumentum & usus præsentis loci.

Hi enim cùm parabolam non intellexissent, occasionem captant, qua illius sensum addiscere possint. Cumq; dimissis turbis solus cum illis esset Christus, vnà cum alijs quibusdam familiaribus ipsius illum accedunt, & parabolam sibi exponi cupiunt, simulq; rogant, quare parabolis inter docendum

Discipuli Christum de parabola interrogant. Matth. 13.

Ingenij humani tarditas.

vtatur. Vbi nobis ante omnia occurrit, quanta sit humani ingenij tarditas in ijs, quæ ad salutem nostram pertinent, cùm in ijs, quæ corporis vel necessitati vel etiam voluptati seruiunt, acutissimi & perspicacissimi esse soleamus. Quin vt ea quæ sunt spiritus Dei non percipimus, si nuda proponantur: Ita ne tunc quidem illa intelligimus, si externarum rerum similitudinibus adumbrentur. Causa huius ignorantiæ est, quòd terrenis addicti, latentia sub his regni cœlorum mysteria non obseruamus. Et sanè mirum videri poterat, Apostolos post diuturnam cum Christo conuersationem, in illis adhuc hæsisse, quæ prima veræ pietatis rudimenta sunt, nisi eandem stupiditatem in Nicodemo, celeberrimo gentis Iudaicæ doctore, Christus alibi notaret, cùm de regenerationis mysterio nimis pueriliter interroganti dicit: Tú ne es magister ille in Israel, & hæc ignoras? Et notum est, quod de gentium philosophis Paulus scribit, qui cùm ingeniosissimi essent, tamen in ijs quæ Deum & cultum Dei, ac vniuersam salutis rationem spectant, nimis turpiter hallucinati sunt. Et vtinam non eius generis exempla inter Christianos extarent, qui iam seculis aliquot non paruam veræ pietatis iacturam fecêre, postquam fidei & religionis mysteria ad humanæ rationis calculũ examinare cœperunt. Agnoscamus ergo hanc nostri ingenij infelicitatem, ne quid temerè ex nobis ipsis statuamus in ijs, quæ ad fidem & Dei cultum spectant, sed rationem & intellectum carnis omnem Dei verbo per fidei obedientiam subijciamus, cuius obedientiæ exemplum memorabile præbent discipuli, si quid illi fecerint probè examines.

Ioannis 3.

Rom. 1.

Discipuli exemplum piæ diligentiæ.

Poterant enim illi, aliorum exempla sequi, & oscitanter ea negligere vel etiam contemptim fastidire quæ minus intelligebant, cùm vulgò imprudentes habeantur, qui plus alijs sapere volunt. Deinde cum ignominia aliqua coniunctum esse videbatur, si suam ignorantiam ipsi profiterentur, qui iã ante in hoc selecti erant, vt ad docendum emitterentur: vt illud omittam, quòd hæc illorum ignorãtia aliquam reprehensionem merebatur. At facilè hæc omnia vincit Veritatis cognoscendæ studiũ, quo toti flagrabant, nec de ijs interrogare pudet quæ ignorabant. Imitemur hos, nec pudeat discere quæ nescimus. Quia enim omnibus innata est ignorantia, tunc demum turpis censetur, & exitialis est, quando crassa & voluntaria fuerit. Excitet autem nos Domini præceptum, qui nos quærere iubet & diligenter in voluntatis suæ scrutatione versari. Quod olim David Rex & propheta probè obseruauit, quando hoc unum subinde petit, vt Deus suas vias & sua iudicia sibi manifestare dignetur. Qui ardor, si hodie etiam omnium animis insideret, non tanta esset mysteriorum salutis ignorantia, & regnum Dei maiores vbiq; progressus faceret.

Isaiæ 55.
Matth. 7. &c.
Psal. 25. 51. 119 &c.

Modestia discipulorum.
1. Cor. 14.

At simul laudem meretur discipulorum modestia, qui Christum non in hominum turba interpellant, nec docenti intempestiuis quæstionibus molestiam exhibent, sed priuatim solum interrogant. Suo igitur exemplo confutant nostri seculi Anabaptistas, qui Pauli loco ad Corinthios abutentes, quibusuis non interrogandi modò, verumetiã publicè docendi copiam fieri volunt, nec alia de re magis tumultuantur, quàm quòd ipsis in ecclesiasticis conuentibus loqui non liceat, cùm tamen nec prophetæ sint, nec interpretes, nec linguarum aliquam cognitionem habeant.

Christus ueritatem quærentibus respondit.

Porrò Christi responsionem audiamus, qui discipulis quidem amicè admodum parabolæ interpretationem pollicetur, alios verò illa indignos esse docet, idq; Isaiæ prophetæ testimonio probat. Planius tamen omnia apud Matthæum leguntur, qui Christi verba sic recitat: Vobis datum esse nosse mysteria regni cœlorum, illis autem non est datũ. Quisquis enim habet, dabitur illi, & reddetur abundantior. Quisquis autem non habet, etiam illud quod habet, tolletur ab eo. Propterea per parabolas loquor illis, quia videntes non vident, & audientes non audiunt, nec intelligunt, & completur in illis prophetia Isaiæ, quæ dicit, Auribus audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non cernetis. Incrassatum est enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos suos occluserũt, ne quando viderent oculis, & auribus audirent, & corde intelligerent, & conuertantur, & sanem illos, &c. Facit hîc Christus duo auditorum genera Alterum discipulorum siue electorum, quibus datum esse dicit, vt mysteria regni cœlorum intelligant: eò quòd studio discendi ardent, & talento gratiæ sibi dato rectè vtũtur. Sed de his modò diximus. Alterum Iudæorum, quos hîc exteros nominat, eò quòd repudium iam meruerant, & proinde meritò à regno Dei alieni censebantur. His omnia obscurius proponi ait, quia propter voluntariam ignorantiam indigni sint, qui Dei verbo & spiritu illuminentur. Ne quis verò illorum exemplo offenderetur, cùm inter hos præcipui essent scribæ & sacerdote,

Isaiæ 6.

Duo auditorũ uerbi genera.
Matthæi 25.

cerdotes, quorum maxima erat apud omnes authoritas, non nouam esse docet hanc illorum contumacem stupiditatem, sed auitam, adeoq; hæreditariam, quam in illorum patribus olim prophetæ taxarint, nec in posteris adhuc cessaturam prædixerint. Ad eundem modum Paulus etiam hoc Isaiæ loco aduersus Iudæos vtitur. Ita verò docemur, quid nobis quoque spectandum sit, quando hodie pauci Euangelium verè audiunt, multi etiam illius prædicatione deteriores fiunt. Cogitemus vetus hoc malum esse, cuius semina ex primis parentibus nobis inhærent, & hoc fore olim quoq; spiritus sanctus prædixit. Isaias certè de Christi mysterijs vaticinaturus, de credentium paucitate conqueritur, dicens: Quis credidit auditui nostro? & brachium Domini cui reuelatum est? Et Christus multos quidem vocari, electos autem paucos esse ait, qui per asperam viam & angustam portam regni cœlorum ingrediantur. Idem nouissima tempora diebus Noæ & Loth similia fore dicit, sic vt ipso ad iudicium veniente raram admodum in terris fidem sit repertürus. Omitto breuitatis studio Apostolorum oracula, quibus illi horribilem ecclesiæ ruinam, multorum defectionem à fide, & Antichristi tyrannidem prædixerunt. Quid ergo hodie offendimur? Quin potius verbi diuini veritatem agnoscamus, & de illa rectè recipienda & constanter retinenda seriò cogitemus, ne eadem incredulitas, quæ Iudæis nocuit, nobis quoq; exitium afferat. Id quò facilius vitemus, in Iudæorum exemplo tria diligenter obseruare conueniet.

Acto.28. Rom.11. Isa.53. Matth.7. 20.22. Luc.17.18. 2. Thess.2. 2. Timoth.3.4

Primùm, quod & quale horum peccatum fuerit, quibus veritatis cognitionem Christus negari dicit. Docet hoc ipse, quando videntes non videre, & audientes non audire, nec intelligere ait. Et propheta eos aures suas obturasse, & oculos occlusisse scribit, ne audirent vel viderent. Voluntaria ergo fuit hæc illorum ignorantia, vel potius contumax ignorantiæ retinendæ studium, quo eorum similes fuerunt, qui cùm aures & oculos habeant integros, iisdem tamen audire & videre nolunt. Et sanè si Euangelicā historiā legas, tales fuisse comperies, quādo nec doctrinæ euidentia, nec miraculorū splendore unquam vinci potuerunt, vt veritati agnitæ testimonium ferrent. Vtinam verò hoc hominū genus cum Iudæis interijsset, & non hodie etiam passim inueniretur. Etsi enim Euangelij sonus & splendor omnium propè aures & oculos ita feriat, vt nonnunquam incautis aliqua excidat Veritatis confessio, ijdem tamen mox se nihil videre aut intelligere posse conqueruntur. Quid, quòd inter ecclesiarum antistites non pauci sunt, qui inter nostri seculi controuersias de fide & religione, scripturas sacras execrantur, & ab illarum lectione abhorrent, ne quando aliquam veritatis cognitionem profiteri cogantur? Et his quidem patrocinantur principes, qui propria cæcitate & ignorantia non contenti, insuper suæ fidei commissum populum nec conciones Euangelij audire, neq; libros sacros legere permittunt, deniq; Dei verbo (quantum in ipsis est) aditus omnes occludunt, ne quando per illud illuminentur & salui fiant.

1. Peccatum Iudæorū quale fuerit.

Sed hîc secundo loco huius exitialis cōtumaciæ causam nouisse oportet, quam propheta exprimit, dicens: Incrassatum est cor populi huius. Sic verò vocat animos, qui in peccatis ita obduruerunt, vt nullis vel admonitionibus vel minis emolliri queant: quales in nuptiarū parabola eos describit Christus, qui cùm se inuitari scirent, tamen propter vxores ductas, & boues siue agros emptos, venire detrectarunt. Intelliguntur autem libidinis, auaritiæ, intemperantiæ & omnis generis vitiorum mancipia: quales fuisse constat Iudæorum scribas, quos alibi credere nō posse Christus testatur, quòd suam gloriam & suum cōmodum quærant, nec vllo gloriæ Dei studio tangantur. Et sanè, vbi semel in animum induxit homo carnis affectibus obsequi, frustra illum ad Christi nuptias & cœlestis regni consortium vocaueris. Nec alia hodie causa est, cur pleriq; Euangelium fastidiant, quàm quòd carnis & affectuum carnalium studijs toti immersi. Veritatis doctrinam ferre nec volunt nec possunt, quam hisce suis studijs aduersari vident. Et hi quidem cùm ipsi volentes corda sua aggrauent, ipsi quoque sibi interitus authores sunt, nec habent quod de Deo & iudicijs ipsius conquerantur. Hæc enim (inquit Christus) est condemnatio mundi, quòd lux venit in mundum, sed homines magis dilexerunt tenebras, &c. Ioan.3. In quorum numero cumprimis censeri deberent, qui hodie magnis clamoribus testantur, se meliora edoceri nolle, & omnē de fide disputationem consultò fugiunt, ne veritatis luce conuicti superstitiones suas cogantur relinquere.

2. Causa peccati Iudæorum. Matth.22.

At tertiū hîc est, vt multiplicem illorum pœnam videamus, si vel huius consyderatio terrere possit. Primò hæc ideò euenire dicit Christus, ne quando conuertantur qui tales sunt, & peccatorum re-

3. Pœna peccati Iudæorum.

missionem inueniant. Quibus verbis disertè testatur, illos in spiritum sanctum peccare, quod solum peccati genus non remittitur, vt nuper vidimus. Atqui horrendum est, hominem eò vsq; progredi, vt conuersionis simul & salutis spes omnis illi negetur. Meritò tamen illos sic mulctat Deus, qui diu agnitam veritatem non recipiunt, ipsius gratiam proculcant, & salutaribus spiritus sancti influentijs reluctantur. Exempla huius iudicij in Pharaone, Saule, filijs Eli & infinitis alijs habemus, quos nulla unquam admonitio, nullus etiam diuinæ iræ sensus, uulla deniq; propriæ conscientiæ suggestio mouere potuit, vt ex animo conuerterentur, & peccatorum remissionem inuenirent. Nemo tamen Dei iudicium hîc gradum sistere putet. Si qui enim tales sunt, ab illis simul regnum Dei aufertur, & ijdem extremo excidio malè pereunt. Hoc ipsum enim eodem loco Isaias docet. Cum enim audito hoc Dei iudicio interrogaret: Quò vsq; Domine? respondetur illi: Donec vastatæ fuerint vrbes, vt nemo sit qui inhabitet, et in domibus nullus sit homo, tellusq; redigatur in solitudinem. Longissimè autem Dominus ablegabit homines, eritq; desolatio multa in terra. Quod & ijs, quos modò memorauimus, & Iudæorum genti vniuersæ accidisse, historiæ docent. Nã non ita multis annis post Christi in cœlos discessum, primò quidem continuis seditionibus attriti, tandem verò Romanorum armis expugnati fuerunt, qui euersis vrbibus terram totam vastarunt, quæ in hodiernum usq; diem diuinæ seueritatis & maledictionis signa ostentat, & Iudæi in toto orbe dispersi, veritatem diuini oraculi abundè confirmant. Docent hæc, quid nostri seculi mores mereantur, quando nimis vulgaris est excæcatio illa & voluntaria ignorantia, quæ Iudæis excidium attulit. Discamus ergo de Dei verbo magnificè sentire, vt vero illius studio inflammati, quotidie proficiamus in Christo Iesu, cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

1.Sam.2.24. 26.&c. — Matthæi 21. Lucæ 13.19.

HOMILIA XXXII.

Et ait illis: Nescitis parabolam hanc? & quomodo omnes parabolas cognoscetis? Seminator ille uerbum seminat. Hi uerò sunt, qui iuxta uiam [excipiunt] ubi seminatur uerbum, confestim uenit satanas, & aufert uerbum, quod seminatum est in cordibus ipsorum.

Argumentum & usus præsentis loci.

QVamuis Deus per verbum suum omnia ea proponat, quæ ad nostram salutem faciunt, constat tamen non omnes salutem consequi, qui verbum illud audiunt. Quò fit, vt multi dubitent, an Dei verbum sit quod prædicatur, & tandem incurabili multorum malitia offensi, illud omnino contemnunt. Huic malo vt occurrat Christus, parabolam de semine proposuit, qua docet, Verbũ Dei semen bonum esse, hominum autem vitio fieri, quòd non vbiq; fructũ ferat: & simul quæ illæ remoræ sint docet, quæ fructum impediunt. Et licet propter incurabilem & voluntariã Iudæorum cæcitatẽ, parabola vti voluerit, eandem tamen discipulis, de vero illius sensu quærentibus interpretatur, reliquos verò ipsos sibi ignorantiæ & interitus authores esse ostendit. Audiamus ergo Christi interpretationem, vt quid nobis in audiendo Dei verbo vel omittendum vel faciendum sit, intelligamus.

Christus discipulorum ignorantiam perstringit.

Priusquam verò illam aggrediatur discipulorum ignorantiam aliquo modo reprehendit. An ne scitis (inquit) parabolam hanc? Et quomodo omnes parabolas cognoscetis? Cuius reprehensionis hîc mihi finis esse videtur, vt discipulis suam ipsorum ignorantiam ob oculos statuat, & ad diligentiorem consyderationem eorum quæ dicturus erat, excitet. Ita verò simul omnes nos nostræ stupiditatis admonet, qui cùm philautiæ malo inebriati nobisipsis egregiè sapere videamur, ne prima quidem nostræ salutis rudimenta percipimus, licet per res vulgò notissimas adumbrentur. Interim hîc duo nobis obseruatu dignissima occurrunt.

Dei uerbum exponi debet.

Primùm, Dei verbum non modò simpliciter recitari, verumetiam exponi, et per expositionem auditoribus applicari debere, vt singuli illud ad se pertinere intelligant. Postulat hoc partim verbi diuini præcipuus usus, qui est vt nostræ institutioni & ædificationi seruiat: partim ingenij nostri tarditas atq; corruptio. Vt enim noster intellectus ea non capit quæ sunt spiritus Dei: Ita ferè carnis affectibus & cogitationibus vanis scelerumq; blanditijs irretiti, quæ dicuntur, ad nos nequaquam pertinere putamus. Cuius rei exemplum in Dauide habemus, qui Nathanũ prophetam, ipsis adulteriũ

1.Cor.14. 1.Cor.2. 2.Sam.12.

euidentissima parabolâ arguentem non intellexit, donec apertius illi rem omnem explicaret. Quæ causa est, quòd legem suam per singulas partes Deus copiosè exposuit, & prophetas eiusmodi legis suæ interpretes dedit, qui illam singulorum doctrinæ, admonitioni, redargutioni, & consolationi accommodarent. Idem docendi genus Christum secutum fuisse videmus, quando & legis verum sensum tradidit, & scripturæ locos explicauit, vt sui seculi hominum & discipulorum institutioni seruirent. Idem Apostolos fecisse constat, inter quos Paulus eiusmodi ministrum requirit, qui Dei verbum rectè secare, & rebus præsentibus accommodare possit. Vehementer ergo errant, qui nudam à nobis verbi Dei recitationem ex scripturis fieri vellent, indignissimè autem ferunt, si doctrina præsentibus negotijs & personis applicetur. Qui mihi idem facere videntur, ac si ægrotus aliquis pharmaca & emplastra, vel etiam cauterium sibi à medico ostendi quidem, non autem adhiberi velit. At sicuti illa, nisi rectè adhibeantur, nihil prosunt: Ita nec verbi diuini vsus nobis aliquis erit, nisi nobis applicetur.

Matth. 5. Lucæ 4. & 24. 2. Tim. 2.

Secundò admonet locus iste, vnde verbi Dei expositio peti debeat. A Christo nimirum, qui nobis à patre doctor datus est, & quem hîc discipuli quoq; solũ interrogant. Cùm enim solius Legislatoris sit legem, quam tulit, exponere: solus etiam Christus, qui æternum illud & essentiale Dei verbum est, de vero oraculorum Dei sensu interrogari debet. Nec obstat, quòd in cœlos subuectus, non amplius corporaliter nobiscum versatur. Idem enim nobis hodie in scripturis loquitur, quando Mosen simul & prophetas, & tandem Apostolos quoq; Christi spiritu ad dicendum & scribendum incitatos fuisse constat. Et de Apostolis ipse pronunciat: Qui vos audit, me audit, &c. Vt ergo verus verbi diuini sensus nobis pateat, scripturas diligenter scrutari & conferre, & quæcunq; in illis habentur, iuxta fidei analogiam (vt Paulus ait) in Christum dirigere debemus, qui solus nostræ salutis & fundamentum & caput est, in quo nos per fidem in corporis vnitatem coalescere oportet. Quem scopum quicunq; obseruarint, licet aliquando proprium & germanum alicuius loci sensum non attingant, tamen à fidei articulis & vera salutis ratione nunquam aberrabunt. Quotquot verò vel extra scripturas vagantur, vel ijsdem malignè detortis extra Christum monstrant, quæ nostræ salutis sunt, ij & turpiter errant, & verbi Dei non interpretes, sed obscuratores & euersores, censeri debent.

Vnde petenda uerbi Dei expositio.

Ioan. 5. 1. Pet. 1. Ioan. 14. 16. Act. 1. 2. &c. Rom. 12. Lucæ 10. Ephes. 1. 2. &c.

His præmissis parabolæ interpretationem videamus, in qua primò quid per semen intelligi debeat, docet. Qui seminat (inquit) verbum seminat. Vel vt Lucas habet: Semen est verbum Dei. Apud Matthæum verò Verbum regni dicit, Euangelium intelligens, quo regni Dei mysteria traduntur. Ita verò verbum semini, ministrum seminatori, verbi prædicationem sationi, ecclesiam terræ aut agro confert. Vbi ante omnia obseruabis, verbum regni, adeoq; Dei verbum dici, quod per ministrum prædicatur, siue illud fructum ferat, siue minus. Ad eundem modum Ieremiæ dicit Deus: Ecce ego posui verba mea in os tuum. Et Ezechieli: Sumes verbum ex ore meo, &c. Nec aliud apud prophetas tam frequens est, quàm quòd Deum eorum quæ dicunt, authorem esse testantur: tum nemo ignoret, illorum tempore paucissimos fuisse, qui ad verbi prædicationem emendarentur: Sunt hæc probè tenenda, tum quòd verbi & ministerij ecclesiastici authoritatem commendant, tum quòd fanaticos & Anabaptistas conuincunt, qui cùm Ecclesiam ex verbo Dei enasci norint, nos Dei verbum habere negant, & proinde ecclesias nostras pro Dei ecclesijs nequaquàm agnosci, sed ab illis iure discessionem fieri debere contendunt: eò quòd non omnes proficiant qui conciones sacras audiunt. Vtuntur autem Isaiæ loco, qui de verbi Dei effectu habetur, & ex illo ad hunc modum argumentantur: Verbum Dei non redit vacuum, sed prosperè perficit id, ad quod perficiendum mittitur. At verbi, quod apud vos prædicatur, quoad hominum emendationem, nullus effectus videtur. Non est ergo verbum dei. Errant autem, quòd in Minori ad hominum & morum emendationem restringunt, quod propheta in genere de verbi effectu loquitur: vel potius ad omnes homines extendunt, quod ad solos electos pertinet. Est enim verbi effectus duplex. Alter quoad electos, qui per illud regenerantur, & in Christo salui fiunt. Alter quoad reprobos, qui ad illius prædicationem indurantur, sicuti in Caino, Pharaone & alijs horum similibus est videre: quibus tamen in testimonium prædicatur, ne quid dei iudicio, quo damnantur, obtendere possint. Vterque verò semper ferè cernitur: cum passim in medio reproborum electos suos deus habeat: qui cœlesti illa verbi pluuia rigati molliuntur & fructus ferunt, licet interim maior hominum pars indies in peius proficiat.

Semen est uerbum Dei. Luc. 8. Matth. 13.

Verbum Dei est quod minister prædicat.

Iere. 1. Ezech. 3. 33.

Isa. 55.

Matth. 10. Lucæ 9. 10.

sicq́, siue electos siue reprobos spectes, nunquam suo effectu verbum Dei carere patebit. Quòd si verò hoc solum Dei verbum agnosci debet, ad cuius prædicationem omnes emendantur, dicendum erit, ab ipso mundi exordio nullos unquam fuisse, qui Dei verbum prædicarint, quando ne Christo quidem docenti omnes crediderunt. Agnoscamus ergo hoc fanaticorum hominum delirium, & Dei verbum ex semetipso æstimemus, non ex pertinaci hominum malitia. Quòd si pleriq́, illud nullo cum fructu audiunt, illorum contumaciam nobis minimè fraudi fore cogitemus, si ipsi officium fecerimus.

Cur uerbum Dei conferatur semini.

1.Cor.1.

Deinde obseruabimus, qua ratione Dei verbum semini conferatur. Semen si formam inspicias, res vilis & nullius pretij videtur ijs, qui ipsius naturam ignorant: Ita Dei verbum coram mundo contemptißimum est, & stultitia quædam esse censetur, vt Paulus ait. At semen vim habet naturalem procreandi, quæ in nullis alijs rebus humana industria factis reperitur. Et si enim vel ex auro vel quauis alia materia seminis alicuius imaginem proprijßimam fingas, nunquam tamen efficies, vt aliquid ex sese sui simile procreet: Ita solum Dei verbum homines regenerandi & in illis fructus Deo gratos proferendi vim habet, quam nullæ hominum traditiones habent, vtcunq́, fuco & colore pietatis exornentur. Vt verò seminis uis tum demum sese exerit, quando terræ committitur: Ita Dei verbum, non nisi vbi animis conceptum fuerit, homines regenerat, & in illis fructus fidei vberrimos profert. Et sicuti semen nõ aliam ob causam seritur, quàm vt fructum ferat: Ita hac ipsa ratione verbũ prædicatur, vt inter homines, qui natura steriles sunt, fructus suos procreet. Quo nomine alibi ministros Christus exactoribus cõfert, qui à vineæ Dominicæ cultoribus fructus exigere debeãt. Quales olim prophetas, deinde Ioannẽ, & tandẽ ipsum Christum & Apostolos fuisse legimus. Vt verò semen de agri qualitate testatur, nũ ille ad fructus ferẽdos aptus, siue omnino sterilis sit: Ita ex ijs, quæ verbi prædicationẽ comitantur, de hominũ ingenijs iudicare licet, quando per hanc aut meliores aut deteriores fiunt. Tandẽ, vt frustra seritur, nisi deus incrementũ dederit: Ita frustra prædicabũt ministri, nisi illorum laboribus Deus benedixerit. Quare verbi studio preces aßiduas coniungi necesse est.

Matth.21.

Hebræorum 6.

1.Cor.3.

Qui nam semen uerbi in uiam excipiat.

Porrò remoras exponit Christus, quibus verbi effectus impeditur, & tria facit auditorum genera, qui fructus nullos ferunt, vt ostendat illorum semper maiorem numerum fore, quibus verbum frustra prædicetur. Primum eorum est, qui semen in viam excipiunt. Intelliguntur autem hi, quorum animi, instar viæ publicæ & tritæ, vanißimis cogitationibus, affectibus prauis & omnis generis opinionibus patent, nec Dei verbum ad se pertinere putant, sed illud ex more audiunt, ne palam pro impijs habeantur, ijs similes, de quibus Dominus apud Ezechielem conqueritur, dicens: Et tu fili hominis, filij populi tui colloquuntur de te iuxta parietes, et in ostijs domorum loquitur alter ad alterum, quisq́, videlicet ad proximum suum, dicendo, Venite quæso, & audite, quod nam verbum egressum sit à Domino. Et veniunt ad te vt populus, sedentq́, corã te populus meus, & audiunt sermones tuos, quos tamen non faciunt, quoniam cantiones edunt ore suo, sed post emolumentum eorum vadit cor eorum. Et ecce tu es eis vt cãticum ludibriorum, quod suaue sonat, &c. Istis idem, quod semini iuxta viam sparso, euenit. Vt enim illud ab auibus deuoratur, nec vllum fructum profert: Ita hisce suas infernales volucres satan immittit, quæ verbi semen ex illorum cordibus auferant, ne qua eius memoria in illis reliqua maneat, qua ad fructus ferendos excitentur. Sunt hæ vanißimæ carnis cogitationes, affectus improbi, turpia hominum leuißimorum colloquia, illusorum Dei dicteria, hostium veritatis sophismata, & infinita alia eius generis, quæ si semel admittat homo, mox omnis apud illum concidit verbi authoritas: quò fit, vt nec illi credere, nec aliquos fidei fructus ferre, nec salutem consequi poßit. Exempla horum multa adduci poßent, sed ijs minimè opus est, cùm infelices illas aues nunquam non animis nostris obuolitare sentiamus. Quare de hoc potius cogitandum erit, qua ratione illis occurri poßit, ne noceant: vbi trium præcipuè nos meminisse oportet. Primùm cogitemus nos in Dei conspectu instar discipulorum versari, & institutione opus habere. Deinde hostis nostri communis memores, illum nunquam quiescere cogitemus, & proinde aßidua vigilia nobis opus esse. Tertiò animos ad verbi meditationem componamus, eosdem à prauis cogitationibus reuocemus, declinemus item impiorum colloquia, disputationes eorum horreamus, & diaboli suggestionem esse sciamus quicquid verbi contemptum suadet. Addamus his preces ardentes, & mox nos sancto proficiendi studio inflammatos innouari, fructus ferre videbimus in Christo Iesu, cui debetur benedictio honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Ezech. 33.

Aues infernales.

Vt aues illæ arceri debeant.

1.Pet.5.

HOMI-

HOMILIA XXXIII.

Et hi sunt similiter qui in petrosa semẽ excipiunt, qui cùm audierint uerbum, statim cum gaudio accipiunt illud, sed non habent radicem in se, sed temporarij sunt: deinde exorta afflictione aut persecutione propter uerbum, illicò offenduntur. Isti uerò sunt, qui in spinas semen excipiunt, qui uerbum audiunt, sed solicitudines seculi huius & deceptio diuitiarum, cæterarumq́ rerum cupiditates introeuntes suffocant uerbum, & redditur infructiferum.

Etsi Dei verbum per se purum & clarum simulq́ salutare sit, plerique tamen hominum illud absq; fructu audire solent, dum vel ipsi animos afferunt parum idoneos, vel aliorum vitijs offensi de illius veritate dubitant. His ergo omnibus parabola hac Christus medetur, qua verbum hoc frugiferum quidem esse docet, sed hominum culpa fieri ostendit, quò minus vbiq; fructum ferat. Facit autem tria auditorũ genera, qui illud nequicquam & absq; fructu audiunt. De primo nuper dictum est, reliqua duo in præsenti videbimus, vt discamus quales nos esse conueniat, si Dei verbum nobis salutare fieri velimus. Argumentum & usus præsentis loci.

Secundum genus illorum est, qui per loca petrosa adumbrantur. Sunt hi, qui animos duros quidem & vehementes, sed vera Dei notitia & fide destitutos ad verbi prædicationem afferunt. Solet istis initiò placere verbi doctrina, quando superstitiones & harum patronos, monachos & sacrificos, argui audiunt, & quia inde vel carnalis licentiæ, vel opum & temporariæ felicitatis spem magnam concipiunt, Verbum hoc cum gaudio amplexantur, illud ipsum laudibus vehunt, eidem contra quosuis patrocinantur, adeò vt non vulgarẽ de se spem bonis omnibus præbeant. Tales olim Christi temporibus fuêre, qui magno cum successu docentem & miracula edentem, sibijpsis Regem facere voluerunt, & eundem Messiam esse testati sunt, & Regis instar cum applausu & acclamatione in vrbem deduxerunt. Hodie verò eorundem infinitus est numerus, qui cùm nihil præter huius seculi felicitatem & carnis licentiam spectent, magno zelo Euangelij causam tuentur, quoad illius progressus spei ipsorum respondere videtur. At cùm vera diuinæ cognitionis & pietatis radice destituantur, nec ea quæ Dei sunt, sed quæ sua sunt quærant, diu durare non possunt, sed idem illis, quod semini inter medios lapides subitò enato, & radice profundiori destituto, euenire consueuit. Vt enim illud æstum vehementiorem, quo iustæ segetes ad maturitatem excoquuntur, sustinere non potest, cùm humore careat, quem terra segetibus & plantis subministrare solet, & proinde adustum in ipsa quasi herba intercidit: Ita isti graues illos æstus, qui verbi prædicationem sequi consueuerunt, cùm præter spem illis incidant, ferre non possunt, & propterea turpiter deficiunt, qui paulò ante reliquos omnes in fide Christi excellere videbantur. Semen in locis petrosis. Ioan. 6. & 7. Matth. 21.

Est autem duplex æstus, qui illos infestat. Alter crucis & persecutionum, quæ Dei uerbum perpetuò comitatur. Alter verò intra nos ipsos oritur ex improbis carnis affectibus, quibus inflammati, nihil eorum ferre possumus, quæ illis aduersantur. Vterq; expectatum verbi diuini fructum impedit, & causa est, vt latentem animi improbitatẽ prodant, qui toti zelo Dei flagrare videbantur. Si enim crucem imminere, seq; de nominis fama & fortunis periclitari videant, qui ex Euangelio honores & opes sperauerunt, mox factæ professionis illos pœnitet, & tandem plenis buccis se deceptos quiritantur, & Euangelium falsi accusant, cùm ipsi sibi imposuerint falsis suis persuasionibus, sicq; non modò fructum non ferunt, verumetiam blasphemi fiunt. Quòd si ijdem carnis cupiditatibus incalescant, Euangelium verò ijs obstare, & peccata ipsorum arguere sentiant, mox ingentes iras animo concipiunt, seq; indignos arbitrantur, qui ita argui debeant, cùm tot & tanta ipsorum erga Euangelij doctrinam merita extent, & Euangelij præcones summæ iniquitatis et ingratitudinis accusant. Tam ergo abest, vt dignos fructus faciant, vt potius acerrimi hostes efficiantur, qui maximi fidei Christianæ defensores videri volebant. Exempla vtriusq; generis hodie passim occurrunt, in quibus ad istam parabolæ partem respicere debemus, ne ista hominum leuitate offendamur. Aestus semen uerbi adurens, duplex.

At quia hic de salute nostra agitur, de remedio cogitandum est, ne quid simile nobis quoq; accidat. Id mihi in duobus potissimùm consistere videtur. Primùm est vera Christi cognitio, vt nimirum Vt huic uitio occurri possit.

quid in illo nobis datum sit intelligamus. Alterũ, vt vera verbi Dei ratio nobis probè perspecta sit.
1. Quoad primum nunquàm animis nostris excidere debet illud Christi: Regnum meum non est de
Ioan.18. hoc mundo. Hinc enim colligitur, nec ea quæ huius mundi sunt, in Christo quæri debere. Nec in ter-
Hebr.13. ris ciuitatem permanentem habent, quorum patria in cœlis est, in quibus etiam patrem suum se
Philip.3. habere inter precandum fatentur. Scimus equidem Christum suis, etiam quoad ea quæ præsenti vi-
Matth.6. tæ seruiunt, non deesse, & remunerationem liberalissimam ijs polliceri, qui propter ipsum & Euan-
Marci 10. gelium ipsius terrenas opes deserunt: at ea conditione pollicetur, vt nos persecutionem passuros esse
Ioan.16. nusquam dissimulet. In mundo, inquit, afflictionem habebitis. Et si quis vult post me venire, abneget
Matth.16. semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me. Nec aliter fieri potest, quando & mundus hic
Ioan.3. Euangelij lucem odit, & carnem nostram cruce coerceri necesse est, ne cum mundo condemnemur.
1.Cor.11. Nec iure conqueri possumus, si per Christi viam incedendum fuerit, qui & ipse per crucem in glo-
2 riam patris ingressus est. Quoad alterum, cogitemus Dei verbum lucernam, salem & gladium
Matthæi 5. dici, nec alio fine prædicari, quàm vt totos nos sub fidei obedientiam vendicet. Quid ergo mirum
Marci 9. fuerit, si peccata arguat, carnis lasciuientis pruriginem mordeat, & salutari vulnere in ipsas consci-
Hebr.4. entias penetret? Horum memores, non efferamur, nec etiam securi stertamus, si prima Euangelij co-
2.Corinth.10. gnitio nobis obtingat: sed ad crucem præparemur, ne illa nobis præter spem incidat, & verbi discipli-
Rom.1.16. næ nos submittamus, quam carni nostræ cumprimis necessariam esse, ipsi quotidie experimur. Ita fiet, vt Euangelij semen fructus ferat vberrimos, qui tunc maximè conspicui erunt, quando vel cruce vel verbi disciplina carnem nostram exercere deo visum fuerit.

Semen inter spinas. Porrò ad tertium genus transeamus, quod eorum est, qui verbi semen in spinas excipiunt. Ita verò Christus nominat, primùm curas huius seculi, quæ nos de rebus ad præsentis vitæ vsum pertinentibus solicitos reddunt. Et sanè non immeritò ita illæ dicuntur, quando & ipsæ animos nostros acutissimè pungunt, & ea quoq; nobis infesta reddunt, quæ solatio esse debebant. Causa enim sunt, vt nec cibo nec somno frui, nec aliqua de re nobis vtili cogitare possimus. Deinde spinarum nomine diuitias quoq; comprehendit. Vt enim spinas absq; periculo vix vnquam contrectaueris: Ita diuitiarum quoq; ea est conditio, vt siue illas acquirere, siue retinere velis, siue etiam easdem amittere oporteat, semper præsens sese offerat salutis periculum. In acquirendo enim labores, curæ & pericula omnis
1. Tim.6. generis subeunda sunt, & tentationum laqueos nobis tendit satan, vt fidei in deum, charitatis item & iustitiæ immemores ad interitum trahat. Et ferè fit, vt vel aliena nullo iure nobis vendicemus,
Lucæ 16. vel nostrorum parum fidi dispensatores simus erga pauperes, quos deus nobis commendatissimos esse
Matth.26. voluit. Vbi verò opes ingentes acquisitæ sunt, iam vel nostræ industriæ illud omne tribuimus, nec dei
Ephes.3. benedictionem agnoscimus, vel in illis fiduciam omnem collocando idololatræ sumus, vel luxui & vo-
Colos.3. luptatibus immersi, tum dei tum salutis nostræ solemus obliuisci. Quòd si autem opes vel relinquendæ sunt, vel ipsæ nobis inuitis aliqua calamitate auferantur, mox doloris impatientia superati desperamus, & in ipsum Deum blasphemias horribiles eiaculari non veremur. Quis ergo non omnibus spinis periculosiores dicat diuitias, quarum administratio tot vndiq; periculis coniuncta est? Tertiò
Lucæ 8. aliarum quoq; rerum cupiditates, vel (vt Lucas habet) huius vitæ voluptates spinas vocat Christus. Vt enim spineta plerunque folijs & floribus vestita viatores alliciunt, sed manum incautius inferentes grauissimè lædunt: Ita blanda quidem est voluptatum species, & Sirenum instar se nobis amicas ostentant: at si semel illis animum addicas, mox vndique & corporis & animæ pericula imminere senties, cuius rei exempla in ebrijs helluonibus, aleæ deditis, & libidinis sectatoribus quotidie videre licet.

Vt uerbi semen à spinis suffocetur. Quoad verò præsentem tractationem, omnibus ijs, qui vel curis huius seculi, vel opum vel voluptatum studijs occupantur, idem omnino quod semini inter spinas enascenti contingit. Etsi enim verbum audiant atque probent, seq; ad tempus illius patronos profiteantur, simul tamen in illorum animis infelices rerum huius seculi curæ enascentes, semen illud salutiferum suffocant, ne vnquam ad maturitatem peruenire possit. Præualent enim curæ, nec animos ad cœlestium meditationem ascendere patiuntur. Opes verò ita animos perstringunt, vt cum opulento illo iuuene tristes admodum
Matth.13. Christi vocem audiamus, qua nos omnia relinquere, abs se vno pendere, & æternum illũ cœlestis margaritæ thesaurum conquirere iubet. Imò qui magnos iam progressus fecisse videntur in regno Dei,

hic admodum tardos sese præbent, sicuti iuuenis illius exemplo Christus docet. Nec fieri potest, vt in cælestium rerum studio ardeant, quorum corda opum thesauris affixa sunt. De voluptatibus quid dicere attinet, quarum studium ipsam mentem & verum rationis vsum hominibus eripit, vt brutis similes reddantur, qui hisce sese semel addixerunt. Denique certò constat, omnes hosce ex Dei verbo fructum nullum referre, quando vel ipsi illud reijciunt, dum suis affectibus reluctari vident: vel illud ipsis Deus iusto iudicio eripit, ne propter ipsorum peccata apud eos malè audiat, qui nullum adhuc illius gustum perceperunt. Exempla hodie passim obuia sunt, quare longa commemoratione non est opus. Matthæi 19. Matth. 6.

Nobis potius huius mali remedium inquirendum erit: quod non aliud præsentius est, quàm si de spinis hisce rectè iudicare discamus. Ita enim fiet, vt illis locum non demus, nec eas Dei verbo officere patiamur. Atqui curas huius seculi inanes esse constat, cùm Dei prouidentia res nostræ omnes regantur, nec quisquam etsi multùm animo discrutietur, staturæ suæ vel cubitum vnum addere, vel quod Deus statuit, minima ex parte mutare queat. Nec tamen ignoramus absq; curis uitā hanc transigi non posse, cùm Dei decretū sit, vt homo in sudore vultus sui panem suum comedat, & quisq; dies suam propriam (vti Christus ait) afflictionem habeat: sed curas hasce non vltra Dei vocationem extendere, & vbi officium fecerimus, reliqua omnia Dei prouidentiæ cōmittere oportet. Quòd si opes spectes, multa sunt, quæ illarum studium restinguere possunt, inter quæ præcipuum esse videtur, quòd illis Christus in præsenti deceptionem tribuit: quod ab illo verissimò fieri patebit, si rem ipsam excutias. Persuadent enim sibijpsis stultissimi homines, ex opum abundantia hominis vitam pendere, & easdem nobis gloriam, pacem & omne felicitatis genus conferre. At longè diuersum ipsa experientia nos docet: quando nec natura nostra tam multis opus habet, & multos in mediocri fortuna & inter medios labores (quod olim sapiens ille Solon in Aglao obseruauit) felicius multò viuere videmus, quàm opulentos illos Cræsos, qui in summa opum abundantia (sicuti in medijs vndis Tantalus) quotidie sitiunt & egent, & ad breue tempus inani gloriæ aura turgidi, subitò intermoriuntur, nec omnibus suis diuitijs vel vnicum vitæ suæ diem redimere possunt: quoad verò posteros, nihil illis præter infame & fœtidum auaritiæ & fastus luxusq; nomen post se relinquunt, & quibus nam sunt illæ opes cedant, incerti sunt, sicuti alibi Christus in parabola admonet. Accedit his, quòd qui opes Deo & propriæ saluti anteposuerunt, plerunque illas fluxas & incertas, adeoq; perfidas esse sentiunt, quando illas sibi ereptas inanibus querelis requirunt. Taceo animæ iacturam, cui redimendæ ne totius quidem mundi substantia sufficit. Nec melior est voluptatum conditio, in quibus multi summum bonum collocant. Nam & breues sunt, & ferè infamia & acerbissimis doloribus finiuntur, neq; aliud quàm acerbam sui memoriam relinquunt, quæ vt conscientiam excruciat, ita nobis perpetui doloris causa est. Ideo Augustinus de eo, qui peccati seruus est loquens, inter alia sic ait: Fecit peccatum, vt aliquam corporalem caperet voluptatem: voluptas transit, peccatum manet: præterit quod delectabat, remansit quod pungat. Viderunt hoc gentium philosophi, qui ideò voluptatum studia grauissimè detestati sunt. Et notum est illud Demosthenis, quod scorto Corinthio ingentem pecuniæ vim poscenti respondit: Non tanti emo pœnitere. Quò magis deplorari debet nostri seculi prauitas, quando qui Christiani dicuntur, turpissimis voluptatibus belluarum instar sese immergunt, neq; de earum fine quicquam cogitant, modo præsentem animi libidinem exatiare possint. At nos, quos sui verbi face propius illuminauit Deus, depositis omnibus huius seculi curis, vnà cum opum terrenarum & voluptatum carnis studio, Dei verbo attendamus, & ad cœlestis regni hæreditatem aspirantes, mundo hoc (iuxta Pauli consilium) ita vtamur, ne illo abutamùr. Ita fiet, vt nec tribulationes, nec verbi disciplina, nec opum aut voluptatum studia obstare possint, quò minus Dei verbum dignos in nobis fructus proferat, & tandem omnibus hisce superatis, in cœlestis regni horrea colligemur cum Christo Iesu Domino nostro, cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Vt spinis hisce obstari possit. 1. Curæ huius seculi. Matt. 10. et 6. Genesis 3. Matth. 6. 2. Diuitiæ. 1. Timoth. 6. Lucæ 12. Matth. 16. 3. Voluptates. 1. Cor. 7. Matth. 3.

HOMILIA XXXIIII.

Et hi sunt qui in terram bonam semen exceperunt, qui audiunt uerbum, & suscipiunt, & fructum ferunt: aliud triginta, aliud sexaginta, aliud centum.

CAPVT IIII.

Argumentum & usus præsentis loci.

CVm salus nostra non parua ex parte in hoc versetur, vt Dei verbum dignè audiamus, multa autem sint, quæ nos auocare, & illius fructum in nobis impedire solent, Dominus noster Iesus Christus tum aliâs sæpe, tum in præsenti parabola de his omnibus nos diligenter admonet. Et hactenus quidem tria produxit auditorum genera, quibus verbi prædicatio inutilis est. Illis nunc quarto loco eos subijcit, qui illud cum fructu audiunt. Meretur autem locus hic diligentissimam consyderationem. Primò enim docet, quales nos esse conueniat, si dei verbum nobis frugiferum esse velimus. Deinde admonet simul, credentium paucitate neminem offendi debere, vt vel verbum dei audire, vel idem prædicare nolit. Vt enim in præsenti quarta demum seminis portio fructum ferre dicitur: Ita alibi electos paucissimos esse docet Christus, si cum pereuntium multitudine conferantur, semperq́ pauciores fuisse ab ipsa rerum origine, historia sacra testatur. (Matt.7.20.22.) Minimè ergo ex auditorum profectu de dei verbo, sed potius ex hoc de ipsis auditoribus iudicari debet, vt qui nam electorum, quiue reproborum loco haberi debeant, intelligamus. Cæterum locus hic nobis hoc ordine consyderandus erit.

Terra bona qui dicantur,

Primò, qui nam per terram bonam intelligantur, videamus. Ij nimirum, qui (vt Lucas habet) ad verbi prædicationem animos honestos & bonos afferunt. At si hominis naturam inspicias, omnes hæreditaria peccati noxa corrupti, ex uobis ipsis nihil aliud quàm peccare possumus. Figmenta cordis humani (inquit Deus) praua sunt ab ineunte ætate. (Gen.8.) Et prophetæ vox est: Prauum cor hominis & præfractum, quis cognoscet illud? (2.Corinth.3.) Imò in electis quoq; legem peccati obstare, quò minus fructū bonum ferant, cuius semen iam conceperunt, suo exemplo Paulus docet. Rom.7. Vt ergo terram, quæ propter nos maledicta est, diuina benedictione cœlitus fœcundari oportet: Ita nisi sua gratia nos Deus præueniat, nihil ex nobis honesti aut boni prodire poterit. Is primò per naturæ legem cōmunes quasdam notitias de Deo & virtutibus hominum animis inseuit: quæ vt nos de rebus agendis & vitandis admonent, sic etiam nos intra animos nostros (vt Paulus testatur) accusare & excusare solent. (Rom.1.) Quotquot ergo istas notitias sequuntur, & secundùm illas vitam instituere student, ij honesti dici possunt, quales olim inter gentes multi fuerunt, & hodie inter Turcas etiam plures reperiri scimus. At quia hæc melioris scientiæ principia ab ingenitis carnis nostræ affectibus ferè obruuntur, vel zelum inconsideratum in nobis excitat, quo abrepti superstitiones quotidie nouas fingimus, & circa res inutiles occupamur, insuper Verbi Dei doctrina opus est, & efficaci spiritus operatione, quæ nos regeneratos ad bonum idoneos reddat, neq; extra diuinæ voluntatis metas nos vagari patiatur. At nunquam Dei verbum admittet homo, nisi Dominus corda noua largiatur, & eadem (vt propheta ait) (Ezech.11.) ex lapideis carnea & flexibilia reddat. (Acto.13. et 16.) Ideò in Actis ad Pauli prædicationem credidisse dicuntur quotquot ad salutem præordinati erant: & deum Lydiæ cor tetigisse & aperuisse legimus, vt ijs intenderet quæ à Paulo dicebantur. Quapropter terra bona sunt electi, qui animo honesto & discendi cupido verbum audiunt, & diuinitus illuminati illud amplexantur, & fructus ferunt. Hinc vetus ille ecclesiæ mos est, vt à precibus sacrarum cōcionum initium fiat, quem priuatim etiam sancti obseruant, quoties Dei verbum vel audire vel legere instituerunt, sicuti in Psalmis est videre, vbi multoties ista repeti & iterari solent: (Psalm.25. 119.&c.) Vias tuas mihi indica. Deduc me in viam decretorum tuorum. Inclina cor meum ad testimonia tua, &c. Sunt hæc probè obseruanda, ne profectum, quem in dei cognitione & vitæ totius instituto facimus, nobis ipsis ascribamus, sed dei gratiam agnoscamus, qui pro sua bona voluntate in nobis operatur & velle & facere. Phil.2.

Vt erga Dei uerbum sese gerant, qui terra bona sunt.

1. Audiunt uerbum.

Secundò, quomodo isti erga dei verbum sese gerant, videndum erit. Tria illis Christus tribuit. Primum, quòd Verbum audiant. Non ergo priorum vitijs offenduntur, sed potius dei bonitatem agnoscunt, qui indignis quoq; suam voluntatem reuelare dignatur. Adhæc licet sese aliqua rationis luce iam præditos esse, & occulta spiritus impulsione præ alijs ad bonum procliues ferri videant, non tamen efferuntur, vt proprio acumine freti doctrinam omnem contemnant, nec etiam peculiarem aliquam reuelationem requirunt: sed se institutione opus habere intelligunt, & docendi rationem nobis diuinitus traditam, & ab ipsa mundi origine obseruatam, studiose sectantur: quæ est, (Rom.10.) vt per auditum verbi dei fidei donum consequamur, sicuti Paulus ad Romanos disertè docet. Et sanè passim scriptura verbi externi studium pijs tribuit, nec obscura est Christi sententia: Qui ex deo

Deo est, verba Dei audit. Item, Oues meæ vocem meam audiunt. Et idem per verbi prædicationem ecclesiam suam colligi simul & conseruari vult, cuius rei causa ecclesiæ ministeriũ perpetua lege sancinit. Vnde facilè colligi potest, quales censeri debeant, qui verbum audire nolunt, & nescio qua veritatis cognitione cœlitus sibi reuelata gloriantur. Certè vt terra, quæ omnem cultum respuit, fructũ nunquam feret: Ita nec illi quando Dei verbum admittere nolunt, quo solo corrupta natura excoli potest, vt percipiendis regni Dei mysterijs sufficiat.

Ioan. 8.
Matth. 28.
Ephes. 4.

Deinde eosdem semen verbi suscipere, & (vt Lucas scribit) retinere, Christus ait. Nec enim audisse sufficit, nisi quæ audiuimus fidam demissa per aurem (vt poeta ait) animis nostris insideant, & illic radices agant. Hic verò opus est, vt nec aues infernales admittamus, quæ semen illud auferunt, nec spinas curarum huius seculi, auaritiæ item & voluptatum succrescere patiamur, quæ illud suffocare possint. Vtrique autem malo ipsum Dei verbum medetur, quod gladij instar est, quo & infelices illæ harpyiæ arceri, & spineta nocentissima extirpari solent, sicuti proprio exemplo Christus docuit. Et quia ita Dei verbum excipiunt, non subitò erumpunt (vt semen, quod in saxosa loca incidit) sed illud diligentius ruminare, & toti in hoc esse solent, vt ipsi tandem in verbi naturam transformentur, & illud omnibus tum dictis tum factis exprimant. Quò fit, vt tales verbi diuini studium & cognitionem nunquam dissimulare queant. Vbi rursum eorum fucus arguitur, qui cùm Euangelici haberi volunt, ita viuunt, vt illos Euangelij nunquam meminisse aut recordari tota ipsorum vita testetur.

2. Verbum suscipiunt & retinent.
Hebr. 4.
Ephes. 6.
Matth. 4.

Et huc facit, quòd tertio loco veros verbi auditores fructum facere dicit: qui vnicus prædicationis finis est. Ideò enim ecclesiam suam Deus vt vineam plantat, & nos instar palmitum Christo insitos esse vult, vt fructus nostra vocatione dignos ex nobis colligat. At hîc nobis tria obseruanda veniunt. Primùm, qui nam isti fructus sint, quos à nobis Deus exigit. Deinde quomodo ijdem proueniant. Tertium, quanta sit eorundẽ diuersitas. Quoad primum, fructus hi non alij sunt, quàm quæ Dei verbo nobis præcipiuntur. Requirit hoc ante omnia pœnitentiam & vitæ emendationem, vt relictis vitijs & sceleribus ad Deũ conuertamur. Præcipit item vt mortificatis carnis nostræ concupiscentijs, rationem quoque & intellectum omnem fidei obedientiæ subijciamus: quæ pars fidem in Christum, adhæc totius vitæ innocentiam & omnia charitatis officia, constantiam item in fide, & in aduersis patientiam complectitur. Hæc enim sunt, quibus olim sancti patres suam fidem atque pietatem Deo approbarunt. Quare vehementer errant, qui inanem Euangelij professionem sufficere arbitrantur, nec in hoc incumbunt, vt iuxta Apostoli dictum, vocationem suam & electionem dignis fructibus confirment, id est, firmam & ratam esse probent. Id enim perinde est, ac si agricola arationi & sationi intentus de fructibus colligendis nunquam cogitet. Atqui hæc nostri seculi corruptionem arguunt, quando in media Euangelij luce fidei obedientia rara cernitur, charitas extincta friget, morum corruptio regnat, & ad quæuis pericula quasi exanimati metu omnẽ in Deum spem abijcimus.

3. Fructum ferunt.
Isaiæ 5.
Ioan. 15. &c.
Fructus uerbi qui sint.
2. Cor. 10.
Rom. 1. 16.
2. Pet. 1.

At huic malo optimè medebimur, si videamus, qua ratione isti fructus & enascantur primùm, & ad iustam maturitatem perueniant. Id per patientiam fieri, Christus apud Lucam docet. Non ergo res leuis momenti, sed laboris & periculi plena est ista fructificatio. Et vt segetes priusquam colligantur, hyemis iniurias, niues, pluuias, pruinas, grandines, & tandem æstum ardentissimum sustinent: Ita verbi prædicationem variæ tentationes sequuntur, quæ partim extrinsecus ab apertis hostibus immitti solent, partim intra nos ipsos ex affectibus corruptissimis oriuntur. At vincunt in his omnibus electi, & sic (iuxta Christi dictum) animas suas per patientiam possident. Imò in afflictionibus gloriantur, eò quòd afflictio patientiam parit, patientia verò probationem, probatio spem, quæ pudefieri nescit, cùm Dei dilectio in cordibus ipsorum diffusa sit. Horum meminisse oportebat eos, qui hodie quietem & otium cum Euangelij vera professione coniungi posse existimant, & vt istis frui possint, apertis Euangelij hostibus quiduis concedunt, & Christi causam turpiter produnt.

Quomodo fructus isti enascantur.
Lucæ 21.
Rom. 5.

Tertiò magna inter eos, qui fructus ferunt, diuersitas notatur. Vt enim non omne semen pares fructus facit, sed pro soli ratione aliud alio vberius prouenit: Ita Dei verbum pro donorum ratione in alio plus, in alio minus proficit, quod alibi talentorum parabola pulchrè adumbratur. Omnia verò

Fructuum uerbi diuersitas.
Matthæi 25.

ista in omnibus Deus pro sua bona voluntate agit, nec ipsi displicet, qui minus profecit, modò indies maiores profectus facere studeat. Minimè ergo nos efferri conuenit, etsi plures alios antecellere detur, sed Dei gratiam agnoscamus, qui nos tam præclara suæ gloriæ vasa esse voluit. Quid enim habes (inquit Paulus) quod non accepisti? Quòd si accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Et idem cùm se plures multò fructus fecisse dixisset, quàm reliquos Apostolos, mox addit: Non ego tamen, sed gratia Dei, quæ mihi adest. Rursum, qui se alijs inferiores vident esse, non desperent, sed proficere studeant, & Deum rogent, vt opus suum, quod in ipsis cœpit, perficere dignetur. Curent denique omnes, vt Dei verbum audiant, auditum animis recondant, & idem meditatione assidua ruminent, ac superatis tentationibus omnibus fructus ferant, sicq; salutem æternam consequentur in Christo Iesu, cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

1. Cor. 4.

1. Cor. 15.

HOMILIA XXXV.

Et dicebat illis: Nunquid lucerna incenditur, ut subter modiū ponatur, aut subter lectum? Nonne ut super candelabrum ponatur? Non est enim quicquam occultum, quod non sit manifestandū: neq; factum est secretum, sed ut in propatulū ueniat. Si quis habet aures ad audiendū audiat. Et dicebat illis: Videte quid audiatis. Qua mensura metimini, mensurabitur & uobis, & adijcietur uobis qui auditis. Qui enim habet, illi dabitur: & ab eo qui non habet, etiam quod habet auferetur.

Argumentum & vsus præsentis loci.

INter omnia beneficia Dei nullum, post exhibitum nobis filium suum Iesum Christum, præstantius est verbi sui prædicatione, per quam nos de regni sui mysterijs certos reddit, & renatos tandem æterna salute donat. At quia circa hanc variè erratur, Christus omnem eius rationem præcedenti parabola complexus est, qua non modò quæ verbi diuini natura, & quis eiusdem effectus sit docuit, verumetiam quibus impedimentis ille præpediri soleat monuit, & quales esse conueniat, qui illud sibi salutare esse volunt. Quibus commodè præsentem hunc locum subijcit, quo docet, quomodo Dei verbum à nobis tractari debeat, & simul illius studium nobis diligentissime commendat. Vtilissima autem est loci huius consideratio, eò quòd multis obstaculis medetur, quæ veram verbi Dei cognitionem simul & fructum impediunt.

Quōmodo Dei uerbū tractari & proponi debeat.

Psal. 119.

Psal. 12.

Primò vt verbum in Ecclesia tractari & proponi debeat, monet. Nunquid lucerna accenditur (ait) vt subter modium ponatur, &c. Lucernam vocat Dei verbum, nimirum ad illud Dauidis alludens: Lucerna pedibus meis verbum tuum. Ita verò dicitur tum propter puritatem, quam in se habet, tum propter suos effectus, quos in nobis exerit. Vt enim luce nihil purius est & purgatius: ita Dei eloquia (inquit Dauid) eloquia munda sunt, vt argentum in catino terreo excoctum, depuratum septies. Deinde vt lucerna noctis tenebras illuminat, quæ latebant arguit, oculis vt officium præstare possint seruit, quin & animos ob tenebrarum caliginem contristatos exhilarat: ita per Dei verbum mundus hic, qui totus in tenebris versatur illuminari consueuit, & idem latentem illius corruptionem, errores atque peccata arguit, hominis intellectum illustrat, vt diuina percipere possit, totusq; bonis operibus illustris & conspicuus reddatur: adhæc conscientias ignorantiæ, errorum & scelerum atque desperationis tenebris oppressas mirificè serenat & tranquillat, dum illis iucundam & salutarem diuinæ gratiæ lucem offundit. At quoad præsentem tractationem, verbum suum lucernæ confert Christus, vt ostendat, quomodo in hoc versari debeamus. Si enim lucerna est, idem cum hoc, quod cum lucerna, fieri debet. Hæc accendi solet quando nisi id fiat, nullus ipsius vsus est: Ita Dei verbum prædicatione illustrari oportet, vt nobis prælucere queat. At lucerna accensa non sub modio occultatur, nec subter lectum ponitur: Ita Dei verbum nec modio contegi, nec sub lectum abscondi debet. Sub modio occultant, qui doctrinam verbi ad humanæ rationis calculum reuocant, nec fidei obedientiam habent, quæ omnem carnis intellectum Deo subijcit. Vbi duo hominum genera est videre. Primum eorum est, qui cum Verbi & salutis studium præ se ferant, oracula Dei humanæ philosophiæ placitis metiuntur. Quorum exemplum in Scholastica

Ioan. 3.

Matth. 5.

Modius.

2. Corinth. 10.

*stic**æ** theologi**æ** professoribus habemus. Ii enim ad scripturas non prius accedunt, quàm vbi Philosophorum libris imbuti, hominem αὐτεξούσιον & sui arbitrij esse sibi persuaserunt. Quare etsi postea lucernam verbi inueniant, hoc tamen modio ita illam contegunt, vt nec suam ipsorum corruptionem videre, nedum alios erudire poßint. Alterum genus eorum est, qui carnis affectibus & peccandi libidine abrepti, mundo placere student, & proinde verbi ministris dicendi leges præscribere audent, nec ab illis vel superstitiones vel scelera & impietatem argui volunt: quales olim prophetarum temporibus multi fuerunt, nec etiam hodie desunt, qui maiorem huius mundi quàm Dei rationem habere consueuerunt.* Isaiæ 30. *Similiter sub lecto ponunt verbi lucernam, qui illud voluptatum studio extinguunt,* Amos 2.7. & 6. *sicuti supra de ijs dictum est, qui semen illud in spinas excipere solent.* Lectus. *Imprimis verò hoc ad ministros ignauos pertinet, qui ne impiorum & potentum in hoc mundo odia incurrant, à peccatorum redargutione & seria pœnitentiæ prædicatione abstinent, peccatis item blandiuntur, & (vt propheta inquit) puluillos consuunt,* Ezechiel. 13. *quibus peccandi licentiam fouent, dum Dei gratiam ijs prædicant, quibus illius ira potius ob oculos ponenda erat. Quò etiam illi referri debent, qui etsi Verbi doctrinam satis fideliter proponant, prauo tamen exemplo eandem quasi sepeliunt, dum voluptatibus ita indulgent, vt non temerè aliquis suspicari poßit, ne ipsos quidem ijs quæ dicunt fidem adhibere. Ista ergo vitia caueri vult Christus, ne vel nostris argutijs verbi doctrina obscuretur, vel carnis licentia & voluptatum studio suffocetur.*

Quid autem fieri iubet? Vt lucerna hæc super candelabrum ponatur, vt (sicuti alibi inquit) omnibus luceat, qui in domo sunt. Candelabrum quid. Matth. 5. *Candelabrum olim in veteri Testamento ministerij ecclesiastici typus erat, & illius diligentißimam curam habere oportebat Leuitas quotidie, ne in illo ardentes lampades unquam extinguerentur.* Exod. 25. Zach. 4. *In Apocalypsi autem per candelabra ipsas Ecclesias adumbrari legimus.* Apocal. 1. *Vult ergo Christus, vt Dei verbum in Ecclesia sonet, & instar lucernæ ita proponatur, vt omnibus luceat, vtq; singuli ea ex illo addiscant, quæ ipsis tum in fidei negotio, tum in totius vitæ conuersatione ad institutionem seruire possunt. Nihil ergo in alicuius hominis gratiam reticeri aut dißimulari debet. Huc facit quod prophetæ clamare iubentur, & instar tubæ exaltare vocem suam.* Isa. 58. *Quod qui facere negligunt, ij & ministerij libertatem produnt, & Deo grauem rationem reddent de animabus quæ ipsorum incuria pereunt.* Matth. 10. & c. *Vide Ezechiel. 3. & 33. Hîc ergo prophetarum & Apostolorum exempla ministri obseruare debent, vt cum illis dicant: Leo si rugiat, quis non timebit? Dominus Deus locutus est, & quis non prophetaret?* Amos 3. *Item: Obedire oportet Deo magis quàm hominibus. Nec enim possumus, quæ vidimus & audiuimus, non loqui, & c. Act. 4. & 5.*

At dicat aliquis: Si verbi lucerna super candelabrum poni & omnibus lucere debet, cur tu obscurius loqueris? Cur regni cælorum mysteria parabolis occultas, quas nemo intelligit? Mysteria salutis tandem omnia manifestabuntur. *Quin hodie etiam sunt, qui de verbi Dei obscuritate conqueruntur, & illud se ideo fastidire dicunt, quòd incerta sint quæcunque illo continentur. Illis ergo respondens Christus, ait: Non est quicquam occultum, quod non sit manifestandum, & c. Quasi dicat: Quòd nonnulla obscurius propono, non ideò fit, quòd veri cognitionem hominibus inuideam, sed quòd ita fert huius temporis ratio. At breui fiet, vt omnia manifestentur: Imò quæ nunc secreta sunt, tunc in apertam lucem protrahi videbitis, & c,*

Et hîc quidem Dei bonitas nobis obseruanda venit. Dicitur quidem salutis ratio mysterium absconditum à seculo. Bonitas Dei in reuelanda salutis ratione. *Attamen si mundi historiam totam excutias, omnibus seculis tantam illius cognitionem mundo innotuisse videbis, quanta electis ad salutem necessaria fuit.* Rom. 16. *Primis enim parentibus promißio de Saluatore ex muliere nascendo data est, quæ ijs sufficere poterat, penes quos perfectioris illius conditionis memoria nondum omnino extincta erat.* Ephes. 3. Colos. 1. & c. *At vbi cum humani generis propagatione superstitiones etiam multiplicari cæperunt, benedicti illius seminis linea quoque manifestata est,* Gene. 3. *& Iudæorum gentem, è qua ille prodire debebat, Circumcisionis signaculo à reliquis populis Deus distinctam & separatam esse voluit.* Gen. 12. 22. etc. Gene. 17. *Postquam verò eadem in Ægypto ceremonijs & gentilitijs ritibus assueuerat, Lex secuta est, quæ & Dei voluntatem & omnem humani generis redemptionem luculentißimis typis adumbratam ob oculos posuit. Legis interpretes postea secuti sunt prophetæ, qui (vt Petrus ait) ipsius Christi spiritu illuminati, de venturis in Christum afflictionibus & eiusdem gloria post secutura testabantur.* 1. Pet. 1. 2. Pet. 1. *Venit tandem in mundum pro-* Actorum 3.

missus ille Saluator, Iesus Christus, qui vt omnia fideliter executus est, quæ ad nostram redemptionem faciebant: Ita salutis doctrinam per Apostolos (quos suo prius spiritu illuminari, & in omnem Veritatem induci voluit) in vniuersum terrarum orbem diuulgauit. Et licet Veritatis cognitionem per varias hæreses atque barbarissimam Antichristi tyrannidem aliquando obscurandam videret, sic tamen suæ ecclesiæ consuluit, vt Veritatis lux nunquam omnino extingui potuerit, & vix unquam clarius fulserit, quàm hisce nouissimis temporibus, quando Antichristus & dolis & aperta vi quàm maximè furit & grassatur. Ita quotidie impletur, quod in præsenti Christus promittit. Quodsi quæ plenius cognoscenda restant, ea olim in patria patefient, vbi omni velo deposito, ipsum Deum facie ad faciem videbimus, & in illius conspectu bonis omnibus satiabimur. Vide 1. Corinth. 13. Psalm. 16. Seruiunt hæc ijs confutandis, qui Euangelij manifestatione non contenti, nouas reuelationes expectant, & ita se diabolo & impostoribus seducendos præbent: diuiti nimirum epuloni similes, qui ex defunctorum numero aliquem ad fratres superstites monitorem mitti petebat. At sicuti illis in Lege & prophetis abundè prospectum esse, Abraham testatur: ita nobis multò minus nouis doctoribus opus est, quando Legi & prophetis noui Testamenti libri accesserunt, quibus ea mysteria panduntur, quæ olim prophetæ & iusti præstita & impleta videre optauerunt. Vide Matth. 13.

Acto. 2. Ioan. 14. Marci 13. Luc. 16.

Quanto studio uerbum audiri debeat.

His modò Christus grauem adhortationem subijcit, qua diligens verbi studium & meditationem assiduam nobis commendat. Qui habet aures ad audiendum, audiat. Id est, Si cui hanc facultatem Deus concessit, vt verbum audire possit, is curet, ne gratiam hanc spreuisse videatur. Insuper quid audiatis, videte. Nec enim de re leuicula agitur, sed maximè seria, & quæ cum salutis periculo coniuncta est. Nihil ergo vobis excidat, nihil temerè aures vestras prætervolet: sed singula excipite, excepta diligenti meditatione ruminate, & dignos in vobis fructus ferant. Qua enim ingenij & industriæ mensura in percipiendo hoc Dei beneficio vsi fueritis, eadem Deus quoque spiritus sui dona vobis dimetietur. Quòd si animos cœlestium bonorum desyderio dilatatos attuleritis, & fidi fueritis eorum quæ apud vos deponũtur custodes, plura adhuc apud vos Deus deponet, quæ vestram salutem iuuare poterunt. At si maligni mysteriorum ipsius æstimatores fitis, aut rimarum pleni illa diffluere patiamini, ipse quoque eadem vobis in posterum communicare dedignabitur. Is enim Dei mos est, quòd ijs qui dona ipsius se habere agnoscunt, & illis strenuè negotiantur, vt quæstum sanctum & salutarem faciant, plura addat. Quicunque verò secus agunt, illis ea quoque Deus iusto suo iudicio eripit, quæ iam habere videbantur. Atqui eorum quæ hîc dicuntur, exemplum euidens in Iudæis habemus. Habuerunt illi testamenta, promissiones, legem, cultum externum, adeoq; ipsum Christum, qui ex ipsis homo nasci voluit. Iisdem quoque Christus primùm prædicari debuit. At quia Dei gratiam nec agnoscere, nec illa vti voluerunt, repulsam passi & tam regno quàm sacerdotio spoliati, famem illam horribilem verbi Dei patiuntur, quam illis olim per prophetam deus minatus est. Vtinam verò, quæ Iudæis hîc dicit Christus, hodie nobis quoque ab eodem dici putaremus. Nec enim negare possumus singularem dei gratiam, qua verbi sui lucem infelici mundo hisce nouissimis temporibus reuelare dignatus est, qua non modò priuatos homines, verumetiam principes aliquot potentissimos, & Respublicas amplissimas illustrauit, & ex Antichristi tyrannide fortiter asseruit. Quod beneficium quia pauci agnoscunt, & pleriq; vel belluina stupiditate, vel voluntaria malitia, Christianæ doctrinæ libertatem sibi eripi patiuntur, multi quoq; ipsi eandem cancellis quibusdam circumscribere non verentur: periculum est, ne hæc sua talenta nobis eripiat deus, & immanissimæ Antichristi tyrannidi denuò subijciat. Horum ergo memores, verbi diuini lucem exosculemur, vt huius semitas secuti, olim æternum viuamus cum Christo Iesu domino nostro: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Matth. 25. Rom. 9. Matth. 10. Actorum 13. Amos 8.

HOMILIA. XXXVI.

Et dicebat: Sic est regnum Dei, quemadmodum si homo iaciat sementem in terram, ac dormiat, atque exurgat nocte & die, segesq; germinet ac surgat in altum ipso inscio. Vltro enim terra fructũ gignit, primum

mum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumetum in spica. Cùm autem productus fuerit fructus, statim immittit falcem, quoniam adest messis.

Postquam saluator noster Iesus Christus in seminatoris & seminis parabola omnem Verbi Dei naturam & effectus, unàcum impedimentis, quæ illud quò minus in nobis fructificet remorantur, exposuit: mox graui admonitione vsus est, qua duo potissimùm ad hanc causam cumprimis pertinentia comprehendit. Alterum quidem, Dei verbum ad omnes pertinere, & proinde ab illius studio neminem arcendum, sed instar lucernæ publicè proponendum esse, vt omnium institutioni & consolationi seruiat. Alterum verò, quod illud audiuisse non sufficiat, nisi ita simul in animos nostros recondatur, vt dignos in nobis fructus ferat. At quia in postrema superioris parabolæ parte, quæ de terra bona & fructibus verbi habetur, quædam restabant, quæ diligentiorem & clariorem expositionem requirebant: ad illam in præsenti redit, & primò quidem, vnde illa fructificandi vis procedat, ostendit. Deinde quo ordine & quibus incrementis progrediatur docet. Tertiò præmia pijs & verè credentibus parata exponit. Quorum consyderatio in genere quidem omnibus prodest, qui Verbum Dei audiunt, ne videlicet aliquid vel sibijpsis vel suis doctoribus tribuant, vtq; non contenti primis initijs, quotidie maiores progressus faciant: Imprimis tamen ministrorum impatientiæ medetur, ne vel remissiores fiant, vel ecclesias simul & officium suum deserant, si quando Verbi fructus diutius differri, aut nō tam conspicuos esse vident, quàm ipsi cupiebant. Præstat ergo singulas huius loci partes ex ordine consyderare. Argumentum & usus præsentis loci.

Prima docet, vnde nam illa virtus procedat, quæ facit, vt ex verbi semine digni fructus in nobis enascantur. Regnum Dei (inquit) perinde se habet, ac si agricola semina terræ committat, quæ deinde absque illius opera, imò illo vel dormiente vel circa alias res occupato, proueniunt vt fructus ferant, &c. Regnum Dei vocat ipsum Euangelium, eò quòd regni Dei ratio omnis illo traditur, & per illud homines ad regni Dei & æternæ beatitudinis commercium vocantur. Sensus verò huius prioris partis est: Sicut agricola semen quidem spargit & sulcis mandat, nihil verò præterea conferre potest, sed spem messis in deo sitam habet, qui solus sua benedictione terram fœcundam reddit: Ita ministri verbum prædicant quidem, sed ijdem in hominum animis operari non possunt, quos diuinitus aperiri & illuminari oportet, vt ex verbi semine regenerati fructus ferant. Quem sensum Paulus plantandi & rigandi parabola illustrat, cùm ad Corinthios scribit: Ego plantaui, Apollo rigauit, sed Deus dedit incrementum. Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat: sed Deus qui dat incrementum. Vt enim terra propter hominis lapsum maledictioni obnoxia, ex semetipsa nihil præter spinas & noxia profert, nec ipsa sese excolere, aut suam naturam mutare potest: Ita homo, cùm peccati noxa Dei similitudinem & priorem integritatem amiserit, totus iam corruptus, nihil ex semetipso potest, quàm quòd & Deo inuisum, & sibi ipsi noxium est. Animalis siquidem homo (vt Paulus ait) non percipit ea quæ sunt spiritus Dei. Eiusdem figmenta praua sunt ab ineunte ætate. Gestat enim in membris suis legem peccati, qua fit, vt legi Dei subijci nec possit nec velit. Hinc ergo fructus pessimi proueniunt, opera carnis nimirum & omnis generis scelera, quæ à Dei regno miseros excludunt. Et licet corruptionem istam in nobis ipsis sentiamus, illam tamen ipsi corrigere non possumus, cùm ne ad cogitandum quidem idonei simus. Quare vt terram ab alijs coli oportet, & eadem semen aliunde accipit, è quo fructus enascuntur: Ita corruptam hominum naturam excoli & verbi diuini semine regenerari necesse est, vt ferendis fructibus bonis idonea fiat. Vt verò semen non prouenit, nisi Dei benedictio accedat: Ita absque cœlesti spiritus operatione externa verbi prædicatio nihil proficiet. 1. Vnde uerbo uirtus fructificandi obtingat. 1. Corinth. 3. Gen. 3. 1. Corinth. 2. Gen. 8. Rom. 7. Galat. 5. 2. Cor. 3. Ioannis 3.

Docent hæc, in salutis negotio nihil vel nostris vel aliorum viribus & industriæ, sed omnem huius gloriam vni & soli Deo tribui debere. Nisi enim è supernis regenerati dignos regno dei fructus feramus, illud videre non possumus. At quis vel ipse sibi vel alijs huius regenerationis author esse potest, quando vt homines nascamur nequaquam in nostra potestate situm est, multò minus vt filij dei efficiamur? Rectè ergo alibi Christus ait: Nemo venit ad me, nisi pater meus traxerit eum. Et nemo nouit filium, nisi pater: neque patrem quisquam nouit nisi filius, & cuicunq; voluerit filius re- In salutis negotio nihil tribuendum hominis uiribus. Ioan. 3. Matth. 3. Ioan. 6.

Matthæi 11. Matth.16. uelare. Quò & illud, quod Petro dicebat, referri debet: Beatus es Simon, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus, qui in cœlis est. Agnouerunt hoc omnes sancti, quotquot Dei regnum fideliter prædicarunt, ita vt sibijpsis nihil præter externum ministerium, Deo autem omnem illius effectum tribuerent, & hunc vnicum ostenderent nostræ salutis authorem. Quod enim de seipso Paulus fatetur (vt supra diximus) hoc ipsum Ioannes quoq; de semetipso dicit his verbis: Ego quidẽ vos baptizo aqua ad pœnitentiam, at qui post me venturus est, fortior me est, cuius nõ sum idoneus vt calceamenta portem: ipse vos baptizabit spiritu sancto & igne. Idem etiam discipulos, præpostero gloriæ ipsius zelo flagrantes, grauiter reprehendit, & eosdem ad Christum, verum & vnicum sponsum ablegat. Pertinet huc, quòd ne miracula quidem suæ vel virtuti vel pietati ascribi voluerunt Apostoli, sed illa ad Christum referentes, hunc vnicum nostræ salutis authorem esse docuerunt: cuius rei exempla in Petro, Ioanne, Paulo & Barnaba habentur. Seruiunt hæc nobis aduersus illos, qui cùm Christiani haberi velint, noua tamen & factiosa nomina profitentur, & abiecto, vel saltem omisso, Christi nomine, Franciscani, Dominicani, Benedictini, Bernhardini dici volunt: eorum similes, qui olim à Paulo & Petro & Apollo denominari volebant, quorum errorem & salutis nostræ rationi, & fidei professioni, quæ in baptismo fit, planè aduersum esse Paulus docet, & eundem grauissimis rationibus confutat, inter quas cumprimis hanc vrget, quòd à solo Deo fidei incrementum detur, nec quicquam propria virtute ministri efficere queant.

[Margin: Matth.3. — Ioan.3. — Matth.11. — Act. 3.14.&c. — 1. Cor. 1. &3.]

Deus uerbi ministerium instituit, & illo nos uti uult.

Ergo ne (inquis) superuacanea est verbi prædicatio? Quin igitur hac omissa & neglecta, Dei illuminationem & spiritus operationem cœlitus expectamus? Est hæc impiorum vox, qui vt Dei verbum odio habent, ita omnem occasionem captant, qua illud reijcere queant. At si parabolæ præsenti insistamus, obiectio ista minimè locum habere poterit. Etsi enim ea sit telluris & agricolarum conditio, quam modò exposuimus, Deus tamen illam in sudore vultus nostri coli vult, & agricolarum, qui officium faciunt, laboribus benedicere consueuit. Idem verò simili ratione verbi sui ministerium instituit, & per auditum verbi (vt Paulus docet) fidem nobis largitur. Debent ergo ministri, etsi in animos hominum nihil iuris habeant, diligenter officium facere, sermonem prædicare, instare tempestiuè & intempestiuè, arguere, increpare & exhortari, prout opus esse viderint: & vbi officium fecerunt, rem omnem Domino & sermoni gratiæ ipsius commendent, vt is pro bona sua voluntate faciat, quod ipsi visum fuerit: id quod Paulum diligenter obseruasse, Actorum liber testatur. Reliqui verò dei instituto & ordinationi sese accommodent, Verbum dei studiose audiant, & huius studio preces ardentes coniungant, vt Deus & ministrorum ora aperire dignetur, vt officio suo intrepide fungantur, & hominum mentes flectere, vt fidei obedientiæ sese submittant. At quia de his alibi quoque diximus, hæc modò sufficiant.

[Margin: Roman.10. — 2.Timoth.4. — Act.14.20. &c. — Ephes.6. — Actorum 4.]

II. Quomodo fructus uerbi enascantur.

Secundo loco, vt verbi fructus enascatur, Christus docet. Et primò quidem semen inscio agricola succrescere, deinde suis incrementis successiuè in altum surgere dicit, dum terra spontè (id est, agricola nihil amplius conferente, sed sola dei benedictione fœcudata) primò herbam, inde spicam, tandem verò in spica frumentum producit, quod Solis æstu ad maturitatem excoquitur. Pulchre autem præsenti negotio ista conueniunt. Ferè enim fit, vt dei verbum inscijs nobis intra animos nostros radices agat, seq; in illos altius multò demittat, quàm ipsi opinemur: ita vt nouos in nobis motus experiamur, qui vt terrenis omnibus contemptis cœlestia affectemus, monent. Nec subitò perfecti fiunt, qui Verbum dignè exceperunt. Primò enim tenerior in illis oritur dei & rerum cœlestium cognitio, quæ diuturniori studio confirmata, solidiori pietati locum parat, qua tandem ita indurantur electorum mentes, vt ad quæuis ferẽda idonei sint. Exempla horum in Nicodemo, Iosepho Arimathæo, & ipsis Apostolis habemus, qui horum sibi probè conscij, fidem sibi adaugeri petierũt. Ista verò de tribus nos admonent, quorum obseruatio & vtilis admodum & necessaria est.

[Margin: Ioan.3.7.19. — Marci 15. — Luc.17.]

Ministris non temerè relinquenda sua statio.

Primò, ministrorum esse, vt horum memores, non statim vel animum despondeant, vel de ecclesijs deserendis cogitent, quando non omnia pro illorum votis succedunt. Probandus quidem est zelus, quo ad prouehendum dei regnum pij pastores feruntur. Idem tamen frenandus est, ne illo abrepti temerè stationem deserant, in quam à deo constituti sunt. Frequenter enim fit, vt plus profecerint, quàm ipsi sperare possint, quod olim Elias propheta, & Paulus cùm Corinthi ageret, sibi à deo dici audiuerunt. Et persecutionum tempore multi interdum omnia pericula intrepide subeunt, et in fidei confes-

[Margin: 1.Reg.19. — Actorum 18.]

confessione sese fortissimos præbent, qui prius vix prima rudimenta attigisse videbantur. Quod in Ioseph & Nicodemo cernitur, qui omnibus discipulis turpiter dilapsis, soli Christum honorificè sepelierant. Nec enim fieri potest, vt Dei verbum omni fructu in vniuersum careat, & certum est Dei spiritum spirare vbi ipse voluerit, nec nobis semper omnium animos cognitos esse, quos ille vera Dei cognitione afflauit. Isaiæ 55. Ioan.3.

Secundò admonet locus hic, non statim abijciendos esse eos, qui in fide adhuc infirmiores atq; imperfectiores sunt. Cogitemus fidem sua incrementa habere, & lacte fouendos esse eos, qui ad virilem ætatem in Christo nondum progressi sunt, quod Paulus se in Corinthijs obseruasse testatur, & vt idem in omnibus alijs obseruemus, diligẽter admonet. Nec enim conuenit, vt ipso Christo seueriores simus, qui laborantes ad se inuitat, arundinem quassatam non conterit, nec linum fumigans extinguit. Hæc tamen de infirmis in fide, non apertis verbi hostibus & impijs hypocritis dicta sint, cũ quibus & prophetas olim, & ipsum Christum atq; Apostolos duriter admodum egisse legimus. Infirmi non statim abijciendi sunt. 1.Cor.3.9. Rom.14. Matth.11.12. Isaiæ 42.

Tertiò docemur, fidelium esse, vt maiores quotidie progressus faciant. Vt enim infirmos non abijcit Deus, ita nos perpetuò infirmos manere non vult, sed indies progredi, vt nec segetes in herba subsistere, sed ad maturitatem ordinarijs incrementis contendere videmus. Non ergo ijs patrocinatur locus hic, qui socordiam suam infirmitatis nomine excusant. Interim multò magis eos arguit, qui postquam aliquò vsq; progressi sunt, postea relabuntur & deteriores fiunt, quod olim Galatas in fidei causa fecisse Paulus queritur: & quod hodie non pauci faciunt, qui cùm ex Dei beneficio ecclesias bene reformatas habeant, & respub. suas sanctis legibus probè cõfirmarint, tandem securi, adeoq; Euangelicæ doctrinæ pertæsi, zelum omnem paulatim remittunt, & tandem Euangelij ac fidei professione ad carnis licentiam abutuntur, nõ sine magno doctrinæ synceriorís dedecore. Cogitemus ergo, nos quoad in hac carne viuimus, metam perfectionis nunquam assequi posse, & proinde nobis semper vlterius esse tendendum, vt cum Paulo cursum consummemus, & tandem cœlestis gloriæ coronam apprehendamus. Vide Phil.3.2. Tim.4. Fidelium est, maiores quotidie progressus facere.

Restat vltima parabolæ pars, quæ electis, in quibus verbi fructus maturuit, apud Deum præmia reposita esse docet. Vt enim seges, vbi varijs tempestatum vicibus superatis ad maturitatem peruenit, falce resecata in horreum colligitur: Ita Deus messis tempus ab æterno destinauit, quando suos in regni cœlestis horrea colliget, vt illic cum Christo suo æternum regnent, qui hîc illius auspicijs militantes omnis generis pericula & tribulationes superarunt. Debet hoc semper nobis ob oculos versari, ne vel carnis socordia decipiamur, vel fidelium cruce, & impiorum momentanea felicitate offendamur. Certò enim discrimen fiet in illo die inter pium & impium, sicuti Baptista quoque admonet, quando pios quidem instar tritici colligendos, impios verò tanquam inanes paleas æterno igne exurendos esse ait. Id ipsum consolatur nos, vt intrepidi quæuis aduersa sustineamus. Tunc enim recedent luctus & gemitus, & lachrymam omnem à suorum oculis absterget Deus, qui omnibus exempti malis instar Solis fulgebunt. Hac spe olim confirmati sancti, omnes cruciatus & periculorum metus superarunt. Eadem ergo tum nos ipsos tum alios confirmemus, vt illorum exempla secuti, quotidianos in Verbo Dei progressus faciamus, vt nouissimus ille vniuersalis messis dies nobis letus illucescat, & in Dei conspectu bonis cœlestibus satiemur cum Christo Iesu domino nostro: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen. III. Fructus uerbi meßis sequitur. Matth.3. Apoc.21. Matth.13. Iob.19. 1. Thess.4.

HOMILIA XXXVII.

Et dicebat: Cui adsimilabimus regnum Dei? aut qua collatione conferemus illud? Est sicut granum sinapis, quod cùm seminatum fuerit in terra, minus est omnibus seminibus quæ sunt in terra; at cùm seminatum fuerit, exurgit, & euadit maius omnibus oleribus, & profert ramos magnos, ita ut possint sub umbra eius aues cœli nidificare. Et talibus multis parabolis loquebatur eis sermonem, prout poterant audire: sine parabola autem nõ loquebatur eis, seorsim uerò discipulis suis exponebat omnia.

Argumentum & vsus præsentis loci.

CHristus Iesus, Dominus & saluator noster, toto hoc capite cumprimis hoc agit, ut doceat, quæ sit ratio doctrinæ Euangelicæ, per quam nobis regni cœlorum mysteria Deus offerre & cōmunicare solet. Hanc uerò omnē parabolis aliquot illustrat, quarum omnium hic præcipuus finis est ut de Euangelij uerbo rectè iudicare, & illud ita amplecti discamus, ut dignos in nobis fructus ferat, neque ijs offendamur, quæ circa illud præter expectationem accidunt, & interdum humanæ rationi omnino aduersantur. Et huc quidem præsens hæc imprimis referri debet. Docuit enim antea, Euangelium nunquam frustra prædicari, sed instar fœcundissimi seminis admirabili operatione spiritus sancti in hominum animis germinare & fructum facere. Atqui ea tunc temporis erat tum ipsius Christi tum Euangelij conditio, ut nemo tale quid sperare posset, & haud dubiè multi offendebantur, cum discipulos illius paucos & infimæ sortis homines, hostes uerò eiusdem multos, ad hæc potentissimos & summa authoritate præditos esse uiderent, quorum consilijs atq; uiribus regnum Christi facillimè opprimi & extingui posse uidebatur. Docet ergo de illius propagatione non ex præsenti conditione iudicandum, sed Dei consilium & ueteres promissiones penitius inspiciendas esse: ubi mox intellecturi sint, Euangelium præter omnem expectationem felicissimo successu ita progressurū, ut intra paucos annos uniuersum orbem repleat: quod mox uiuentibus adhuc plerisq; apostolis factū esse Lucas in Actis, & Paulus non uno loco testantur. Interim hæc ipsa nostræ etiam institutioni & consolationi seruiunt. Perpetua enim est hæc Euangelij conditio, & similem illius efficaciam omnibus seculis mundus experietur, utut huic sese opponat. Sed præstat ipsam parabolam inspicere.

Rom.15.10. Colos.1.

Euangelium grano sinapis confertur.

Proponit hanc cum interrogatione, & quasi dubius ait: Cui adsimilabimus regnum Dei? aut qua collatione conferemus illud? Ita verò attentos reddit, & eam esse docet Euangelij ac regni sui conditionem, vt licet humanam rationem procul excedat, in illius tamen inuestigatione diligenti omnes versari debeant. Et mox illud grano sinapis confert, vbi licet duo tantum attingat, paruam nimirum seminis speciem, & oleris quod inde enascitur magnitudinem: nobis tamen tota illius natura & quæcunq; ad hanc spectant, diligentius & quasi per partes excutienda erunt, eò quòd illa omnia cum Euangelij effectis & proprietatibus pulchre conueniunt.

Sinapis natura & effectus.

Sinapis granum perquàm exiguum & in speciem vilissimum esse, notius est, quàm vt multis doceri debeat. Idem verò natura calidum & siccum est, & propterea acre admodum, quod facilè experiuntur qui illud digitis vel dentibus conterunt. In medicina purgādi vim habet, caput à phlegmatis redundantia liberat, & scorpionum atq; serpentum venenatis ictibus medetur. Adeò verò feliciter prouenit, vt si semel in hortis locum habeat, ipsum sibi & semen & sationem subministret, atque tandem ramos in altum longè lateq; extendat, qui auium quoq; nidis sustinendis sufficiunt.

Euangeliū uile & contemptū habetur.

1. Cor. 1. & 2.

1. Cor. 4.

2. Timoth. 3.

Matth. 11.

1. Calidum & acre.

Hæc si cum Euangelio conferas, illius naturam & conditionem mirificè exprimunt. In speciem nihil illo vilius & contemptius est. Nam quoad argumentum, nihil præter Christum crucifixum prædicat, Iudæis quidem offendiculum, Græcis verò & humanæ sapientiæ vẽto turgidis stultitiam. Dicendi genere vtitur simplici & humili, non sublimi aut persuasorijs humanæ sapientiæ verbis phalerato. Ministros siue præcones habet non abiectos modò, verumetiam omnium odijs expositos, adeoq; totius mūdi καθάρματα. Et prædicationem illius, instar indiuulsi comitis aut vmbræ crux sequitur, quæ necessariò omnibus ferenda est, qui in Christo piè viuere voluerint: vt non temere Dominus eos beatos dicat, qui illo non offenduntur. Quòd si verò Euangelij effectus inspicias, admirabiles planè & stupendos videbis. Primò enim calidum & acre est, quod mox sentiunt, qui illud diligenter tractant, & assiduo vsu atq; meditatione quasi terunt. Mox enim animos & medullas penetrat, quo nomine alibi sali & gladio confertur. Ita verò fit, vt pij nouo & insolito Dei amore & zelo ardenti inflammati, cœlestis gratiæ fontes sitiant, & dies noctesq; de prouehenda Dei gloria & multorum salute cogitent. Impij verò, quia se argui nolunt, ira accensi & exasperati ferociunt, & verbum istud extinctum volunt. Exempla huius generis passim scriptura proponit, quæ diligenter & crebro in mentem reuocari debent, ne illorum iudicia audiamus, qui Euangelium ita prædicari posse existimant, vt illius prædicationem nemo indignius aut molestius ferat. Quod perinde est, ac si igni lucendi & vrendi vim subducere coneris, aut sinapi grano natiuum acorem eripere. Et quod isti hodie à ministris exigunt, nullus unquam prophetarum siue Apostolorum, imò ne ipse quidem Christus, perfectissimum lenitatis & mansuetudinis exemplum, præstare potuit. Sed salem infatuatum

Matth. 5. Hebr. 6. Ioan. 3. Apoc. 11.

Matth. 5.

eum habere cupiunt, cuius non alius vsus est, quàm vt in sterquilinium coniectus, hominum pedibus conculcetur. Præterea purgandi vim mirificam habet Euangelij verbum. Nam & hominis intellectum à falsæ sapientiæ nebulis liberat, & superfluas carnis cupiditates eijcit, mentem denique totam illustrat, & veteris serpentis morsum curat, dum Christum proponit, qui instar æneі serpentis olim, in cruce suspensus peccatum omne expiauit, ne illius reatus nobis posthac imputari queat, si ipsum amplectamur, qui nobis à Deo iustitia factus est. Vt verò sinapi mira fœcunditate seipsum propagat, & ramos longè lateq; diffundit: Ita Euangelium, si semel admissum fuerit, ipsum sibi quotidie noua semina subministrat, nec angusto aliquo loco contineri potest, sed latißime extenditur, totumq; orbem perueat. Quod vt olim Apostolorum tempore factum est (sicuti initiò diximus) ita deinceps idem omnibus seculis factum legimus, & hodie vbiq; terrarum fieri videmus, frustra renitentibus omnibus ijs, qui Christi cognitionem omnino extinctam vellent. Vbi nobis singularis Dei prouidentia agnoscenda est, qui nouißimo seculo typographicā artem monstrauit, cuius beneficio Euangelij doctrina apud eos quoq; propagari potest, qui viuam vocem & ministros verbi admittere nolunt. Et sicuti sinapi inter olera maximum cōsetur: Ita inter omnia doctrinæ genera, siue authorem siue propagandi felicitatem, siue temporis diuturitatem siue argumenti præstantiam siue tradendi facilitatem spectes, nullum Euangelio maius & excellentius est. Huius enim semina primum ipse Deus in paradiso iecit, quando serpentis caput per mulieris semen aliquando conculcandum fore promisit: eiusdem verò doctrinam, quæ totam nostræ salutis rationem continet, postea omnibus seculis inter medias persecutiones in hunc vsq; diem conseruauit, & iuxta Christi promißionem vsq; in finem seculi conseruaturus est. Tradendi modus breuitate & perspicuitate incomparabili commendatur, quam etiam pueri capiunt, & quæ simul varietate sua omne fastidium facilè tollat, si semel ad illam animum appuleris. Frustra igitur philosophiam gentium & artes alias nobis obijciunt homines huic seculo addicti, quando omnia ista, quæ sapientia titulo sese venditant, vix vrticæ & infelix lolium aut steriles auenæ censeri poßint, si cum hoc nobilißimo & præstantißimo Euangelicæ doctrinæ arbusto conferantur, quod suos sectatores in cœlum vsque euehit. Porrò non oscitanter prætereundum fuerit, quòd sinapi hoc potißimum nomine commendat, quòd in illius ramis aues nidulentur. Ita enim præcipuum Euangelij fructum exprimit, qui duobus membris comprehendi potest. Primò enim, quia fidem in Christum docet, per illam nos huic adducit, & ecclesiæ Christi membra facit, in qua miseri nos, qui inter opiniones diuersas & varias carnis cupiditates, instar auium, dubij & instabiles vagabamur, nidos certos & stabilem sedem collocare poßumus: iuxta illud Dauidis, qui ecclesiæ felicitatē celebrans, inter alia ait: Etiam passer inuenit sibi domicilium, & hirundo nidum vbi reponat pullos suos, &c. Deinde, cùm in Christo vnius & eiusdem corporis membra faciat, charitatis mutuæ uinculo ita constringit, vt ad quæuis officia erga fratres propensi sint, quicunq; semen hoc salutiferum animis suis verè exceperunt. Nec enim eos negligere poßunt, quos à Christo tanti fieri norunt, vt illos proprij sanguinis pretio redimere, & communis salutis vinculo consociare voluerit. Vide 1.Cor.12. Ephes.4.&c.

2. Purgandi uim habet.
Ioan.3.
Numeri 21.
1.Corinth.1.
3. Fœcundum est.
4. Euangelium omnes alias doctrinas excellit.
Gen. 3.
Matth.28.
Marci 13.
5. Nidos præbet in ecclesia, & hospitalitatem docet.
Psalm.84.

Cæterum vt ista Euangelij effectus & admirabilem illius dignitatem commendant, nosq; aduersus tyrannorum effrenem libidinem præmuniunt: Ita simul officij admonent, & quid eos facere conueniat docent, qui Euangelici haberi volunt: Nimirum vt sinapi semen moribus & totius vitæ conuersatione referant. Primùm ergo humiliter de semetipsis sentiant, nec externo splendore et fastu, aut vani humanæ sapientiæ ostentatione sese venditent. Nec enim eos efferri & superbire conuenit, qui Christum profitentur, qui serui formam assumpsit. Interim in humilitate sua Euangelij propria & effecta exerant. Caleant, inquam, zelo & amore Dei, ne tepidi cum Laodicensibus euomantur, quos in Apocalypsi sua Christus hoc nomine accusat, quod nec calidi sint nec frigidi. Simul verò acrimoniam Euangelici salis sapiant, quo dicta simul & facta sua omnia condiant. Adhæc purgationis & ablutionis suæ in Christo memores, curent ne venenum peccati denuò illis inspiret vetus ille serpens, sed libertatem suam strenuè tueantur, & iuxta Christi traditionē pedes aßiduè abluant. Cumprimis verò cœlestis regni studio inflammati, ramos suos extendant, vt quantum in ipsis est, Euangelij cognitio ad alios quoq; propagetur, nec talentum suum defodisse videantur: & beneficentiam colant tum erga omnes homines tum erga domesticos fidei, vt ijs penes ipsos locus sit, quos propter Chri

Quæ sint uere euangelicorum officia.
Phil.2.
Apoc.3.
Colos.4.
Ioannis 13.
Matth.25.
Galat.6.

sti confessionem impiorum rabies suis sedibus eijcit. Hæc olim veteris ecclesiæ, quæ ex semine isto verè renata fuit, studia erant, quæ si hodie requiras, aut nulla, aut fucata reperies, vt interim de malis illis hortulanis nihil dicam, qui ramos istos subinde detruncant, & toti in hoc incumbunt, vt Euangelicæ doctrinæ libertas cancellis quibusdam includatur, & interim sub illius prætextu priuatum commodum quærunt. Sunt illi mali & perfidi coloni, quos iusto suo iudicio (vt olim Iudæorum antistites) Dominus malè perdet. Vide Matth. 21. cap.

Christus parabolis usus est. Matthæi 13.

Sed ad Euangelistæ verba redeamus, qui hunc locum concludens ait: Et talibus multis parabolis loquebatur eis sermonem, &c. Matthæus certè præter hasce, quas noster recenset, zizaniorum quoque parabolam habet, fermenti item, verriculi, thesauri & margaritæ. Ita verò Christum locutum ait, prout audire poterant. Atqui supra parabolis vsum dixit, ne ab illis intelligeretur. Sed facilè ista conciliari possunt. Fuerunt enim illi duo auditorum genera. Alij palàm impij & reprobi, qui cùm ipsi propria malitia animos suos indurarent, indigni erant, quibus regni Dei mysteria manifestarentur. Alij verò ex electorum numero quidem erant, sed teneriores adhuc & simpliciores, quàm vt mysteria tam sublimia percipere possent. Vt ergo priores illi excæcari merebantur, vt dignas suæ peruicatiæ pœnas darent: Ita alteris simplex & rude docendi genus cōueniebat, per quod ceu gradibus quibusdam ad pleniorem regni Dei cognitionem ascenderent, & eorum subinde admonerentur, quæ ad salutem suam faciebant. Ideo discipulis suis priuatim omnia illa exposuisse dicitur, quæ publicè per parabolas docebat. Hic verò eximiam Dei bonitatem agnoscere decet, qui salutis doctrinam ab ipso mundi exordio miseris mortalibus reuelauit, & omnibus seculis eo docendi genere est vsus, quod illis quàm maximè conueniebat. Eandem bonitatem ipsi etiam hodie experimur, quando adeò vulgaris est Euangelij cognitio, vt pueri & senes, viri & fœminæ, docti & indocti, nobiles & ignobiles, denique cerdones, nautæ, aurigæ, & si quod hominum genus vilius est, de illo disputare, seque inuicem erudire possint. Agnoscamus ergo hanc Dei gratiam, & verbi semen ita excipiamus, vt salutaribus incrementis indies progreßi, tandē cœlestis regni hæredes efficiamur cum Christo Iesu Domino nostro, cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Vide supra Homil. 35.

HOMILIA XXXVIII.

Et ait illis in die illo, cùm aduesperauisset: Transeamus in ulteriorem ripam. Et dimissa turba adsumunt eum, ita ut erat in naui. Sed & aliæ nauiculæ erant cum illo. Et oritur procella uenti magna, & fluctus irruebant in nauim, ita ut illa iam impleretur. Et erat ipse in puppi super ceruical dormiens. Et excitant eum, dicuntque illi: Præceptor, non est tibi curæ quòd perimus? Et excitatus increpauit uentum, dixitque mari: Sile, obmutesce. Et conquieuit uentus, factaque est tranquillitas magna. Et dixit illis: Quid timidi estis adeò? Quî fit, quòd non habeatis fiduciam? Et affecti sunt timore magno, dicebantque inter sese: Quis nam hic est, quòd & uentus & mare obediunt ei?

Argumentum & usus præsentis loci.

QVod in doctrina sua paßim vrget Dominus noster Iesus Christus, illud ipsum hoc Capite potißimùm inculcat: nimirum, vt de Euangelio suo rectè iudicemus, & illud ita audiamus, vt dignos in nobis fructus ferat. At quia hic multa nobis obstant, vtpote ingeniti carnis affectus, mundi exemplum, & imprimis persecutiones, quæ Euangelij prædicationem semper comitari solent: de omnibus istis diligenter egit, & nuper ostendit, nihil obstiturum, quò minus Euangelij doctrina, instar grani sinapis, ex vilißimis principijs in immensum crescat, et omnia longè lateque occupet. Ac quia carni admodum difficile est, in aduersis spem firmam & inconcussam retinere, illud ipsum nunc reipsa & euidenti exemplo docet. Nam discipulos & sectatores suos graui periculo obijcit, quo tamen eosdem mox diuina sua potentia liberat. Nobis verò historia hæc in hunc vsum præcipuè seruit, vt intelligamus, quid nobis expectandum sit, si Christo coniungi velimus, quid item nos periculis vndique vrgentibus facere conueniat, & quàm præsens sit nobis in Christo salutis præsidium.

Primò

Primò autem periculum videre oportet, quod illi incurrerunt, qui hactenus Christum secuti sunt, vt de verbo & regno suo disserentem audirent. Cùm aduesperauisset, iubet Christus in alterum littus traijcere. Ergo illa ipsa nauicula, ex qua hactenus populum in littore stantem docuerat, transire parant, quam simul plures aliæ nauiculæ sequuntur. At ubi in altum venerunt, ingens tempestas oritur. Vento enim concitatum mare insurgit, fluctus in nauim ruunt, totamq́ complent, ipso interim in puppi super ceruicali quiescente & dormiente, quasi illorum curam omnem deposuisset. I. Tempestatis descriptio.

Vbi diligenter obseruandū est, illos tanto periculo implicitos fuisse, qui Christo iubente soluerant, & illum præsentem habebant. Atqui id nec fortuitò accidisse, nec Christum quid futurum esset, ignorauisse putandum est, cùm illum nobis à Deo patre sapientiam factum, & in eodem omnes sapientiæ & scientiæ thesauros reconditos esse sciamus. Sed vt ante diximus, promissiones de Euangelij & regni sui conseruatione nouo exemplo confirmare, simulq́ docere voluit, eos non semper omnia tuta & læta habituros, quoad præsens seculum, qui ipsius vocationem sequuntur, ijsdem tamen non obstitura pericula, quò minus portum felicitatis attingant. Exempla huius generis passim occurrunt, quæ sanctissimi Dei cultores, si quando Deum vocantem secuti sunt, grauissima pericula incurrisse docent. Abraham certè, dum Deo iubente natale solum relinquit, mox fame tentatur, & vxore charissima priuatur, adhæc bellis hostilibus, domesticis rixis & nouis quotidie curis atq; afflictionibus exercetur. Cuius generis non pauca illius posteris quoq; accidisse legimus. Quid Mosi euenerit, dum à Domino commissum munus peragit, notius est, quàm vt multis exponi oporteat. Nec aliter cum Dauide actum est, priusquàm ille regnum diuinitus sibi promissum acciperet. Turpis ergo error est, si quis de sanctorum consilijs & factis ex euentu iudicare velit. Nam ad verbi diuini regulam examinari debent, cum qua si conueniant, propter huius seculi euentum immeritò damnantur, cum non semper nobis constet certa iudiciorum Dei ratio. Nec temere suos exercet, quando & fidem ipsorum probari oportet, & ipsos in propriæ infirmitatis agnitionem adduci, vt postea salutem suā maiori cura & solicitudine operentur. Feliciter ergo periclitantur, qui in Dei vocatione ambulant, eò quòd ijsdem omnia in bonum cooperari solent. Pios autem hoc potissimum consolari debet, quòd nihil ipsis fortuitò potest accidere, & quòd inter pericula Christum sibi præsentem habent. Patet hoc ex prophetijs, quæ de persecutionum periculis nos abundè admonent, & Christi promissionibus ille se suos nunquàm derelicturum esse pollicetur. Ioan 14. Matth. 28.

Periclitantur qui Christo iubente soluerāt.
1. Corinth. 1.
Colos. 1. & 2.
Gene. 12.
Philip. 2.
Rom. 8.

Habemus præterea hic Ecclesiæ typum, quæ illius conditio sit, dum in hoc mundo versatur. Est is (vt alibi monuimus) instar indomiti maris, & quia carnis affectibus regitur, perpetuò æstuat; nec Euangelij doctrinam admittere potest, quam suis studijs aduersari sentit. Accedit huic malo satan, qui vt regnum suum in mundo obtineat, nihil non aduersus Christum conatur. Habet is à suis partibus falsæ doctrinæ antistites, qui vt suo honori & quæstui consulant, miris artibus & dolis Veritatem oppugnare solent. Horum mendacijs decepti reges, suis regnis metuunt (vt olim Herodes) & proinde omnes vires ad extinguendum Euangelij lucem exerunt. Colludunt vtriusque, qui peccata sua argui nolunt, & omnem disciplinam odio habent. Vndiq; ergo insurgunt fluctus, & ab vna quidem parte humanarum traditionum superstitiosis commentis & fraudulentissimis consilijs sophistarum, ab altera verò tyrannorum minis & sanguinarijs conatibus Ecclesia petitur, & interdum fluctibus eiusmodi quasi impletur, vt tota ruitura videri possit. Nec raro fit, vt inter grauissimas iactationes securi dormiant, aut cupiditatibus suis indulgeant, qui nauiaulæ istius naucleri aut gubernatores esse debebāt. Quin ipse Christus interdum dormire videtur, dum vel suos probare vult, vel securitatem illorum castigare, qua nimis diu peccauerunt. Et sanè hanc ab ipso mundi oxordio ecclesiæ conditionem fuisse constat, nec meliorem nobis Christus in nouissimo seculo pollicetur. Non est ergo quòd ijs offendamur quæ nobis hodie aduersa incidunt: sed potius nos præparari oportet, vt constanti fide hæc omnia superemus.

Typus ecclesiæ in hoc mundo.
Ioan. 3.
Matth. 2.
Matthæi 24.
Marci 3.

At videndum est secundo loco, quid discipuli in tanto periculo fecerint. Timent illi, & quidem nimis, quod omnes circumstantiæ docent, imprimis autem Christi verba, qui illos hoc nomine grauiter reprehendit. Elucet hic sanctorum infirmitas, qui interdum promissionum Dei immemores, Deū quoq; ipsorum oblitum esse arbitrantur. Hinc enim illæ Dauidis voces audiuntur: Quousq; obliuisceris mei ô Domine? num perpetuo? Quousq; faciem tuam à me abscondis? Item Deus meus, Deus

II. Discipuli quomodo se in periculo gerāt.
Psal. 13. 22. 44. &c.

Hab. 2. meus, cur me dereliquisti? Euigila, quare obdormis Domine? &c. Et illud prophetæ: Quousq; Do-
Matth. 27. mine clamo, & tu nō exaudis? Quin ipsum Christum eiusmodi tentationes in cruce passum esse, ipsius verba testantur. Dicitur hæc in eum finem, ne statim desperemus, si quid simile nobis etiam accidat. Retinet enim in electis quoq; caro suum ingenium, & crucis impatiens de Dei fide cōqueritur, quando is quàm maximè nobis præsens adest & suum facit officium. Interim discipulos hosce imitemur, qui etsi Christum dormire, seq; ab illo negligi suspicentur, ad illum tamen solum confugiunt, & dormientem precibus excitant, importunis quidem, sed non ab omni fide alienis. Similiter nos quoque
Psalm. 116. Christum confugere decet, qui solus iuuare potest, nec aliquid spei in hominibus collocare, quorum præsidia fallacia esse omnis scriptura docet. Nam omnis homo mendax, & licet interdum iuuare cupiat, non semper tamen quod vult, præstare potest. Exempla huius rei in historijs passim extant, sed cumprimis memorabile est, quod in Ezechiæ & fœderis ab illo cum Ægyptijs facti historia proponitur. Isa. 30. 36. 37. &c. Maledictus ergo vir, qui confidit homini (inquit propheta) & ponit car-
Iere. 17. nem brachium suum. Benedictus autem qui fidit Domino, & cuius spes est Dominus. Et Dauid cla-
Psalm. 146. mat: Nolite fidere principibus nec filijs hominum, in quibus non est salus. Nec illud de viuentibus modò intelligi debet, verumetiam de ijs, qui vita hac defuncti in cœlis agunt. Hos enim nostrarum
Isaie 63. rerum cura minimè grauari Isaias docet, nec ijsdem suum honorem ita communicat Deus, vt illos pro saluatoribus haberi & inuocari velit. Ad Deum verò per fidem nos conuerti oportet, quæ & pœnitentiæ studium & ardentes preces gignit: quas potissimum à nobis Dominus requirit, eò quòd certissimum sunt fidei nostræ testimonium: quæ non aliunde euidentius elucet, quàm si eius Dei opem imploremus, qui nos percutis, & nos vel negligere vel abiecisse videtur. Eò autem illæ ardentiores sunt, quò clarius & periculi magnitudinem & nostram infirmitatem agnoscimus. Cæterum hic sese prodit præcipua malorum nostri seculi causa: quæ non alia est, quàm quòd securi pericula negligimus, quoad aliqua datur voluptuandi occasio: aut cùm illa grauius vrgent proxima quæq; præsidia arripimus, nihil interim de eo cogitantes, quomodo cum Deo reconciliati, illius opem impetremus, à qua sola omnis nostra salus dependet.

III. Christus suis succurrit, & tempestatem sedat. Quid verò Christus, quando illum tam solicitè vrgent discipuli? Mox excitatus surgit. Ergo ad suorum preces nequaquàm surdus est, qualis Baal per Eliam describitur, nec difficilis ad opem ferendam, licet interdum dissimulet. Sed vt Psaltes ait, Oculi Domini super iustos, & aures eius ad
1. Reg. 18. preces eorum. Et vt passim nos se inuocare iubet, ita se suorum preces exauditurum esse semper pol-
Psal. 34. licetur. In die tribulationis (inquit) inuoca me, & liberabo te, &c. Psal. 50. Nec exempla desunt tum publica tum priuata, quibus hoc probari queat. Interim suo exemplo omnes antistites Christus docet, vt siue negligentia, siue naturæ necessitate aliquandiu dormierunt, somnū tandem excutiant, quando ecclesiam in periculo constitutam esse vident, & laborantis clamores audiunt. Atqui vtinam hodie huius memores essent, qui dum Christi vicarij dici volunt, ecclesiæ querelas & pericula securi negligunt: imò iam seculis aliquot iustas eius lachrymas improbè contempserunt, quibus illa Simoniæ & superstitionum procellis tantumnon obruta opem & salutem postulauit.

2. Christus ventis & mari imperat. Deinde ventis & mari silentium siue quietem præcipit, & mox ingens est factæ tranquillitas. Est hoc euidens diuinitatis argumentum, quodq; illi omnis potestas data sit in cælo & in terra: adeò vt ipsius imperio ea quoque subijciantur, quæ philosophi ad nescio quas causas naturales referre solent. Istud verò communi consolationi seruire debet, ne tyrannorum & mundi fluctibus territi,
Iob. 38. desperemus. Qui enim mari (vt scriptura ait) terminum suum posuit, idem ille tyrannorum consilia
Psal 33. facilè dissipare, vel furentes mitigare, aut ijsdem arma extorquere potest. Sic olim patriarchas inter
Psal. 105. Chananæos seruauit, cùm animus illorū hanc suam vocem intonaret. Nolite tangere Christos meos.
Gen. 33. & 37. Sic Esaui feroces spiritus restinxit, vt fratrem Iacobum cum lachrymis exciperet, quem minis suis
1. Sam. 24. & 26. in exilium abire coegerat. Idem Sauli quoq; lachrymas & peccati confessionem extorsit, cum Dauidem iniquissimè persequeretur. Et ad Oliueti montem hostium turmis vndiq; circūdatus, vno dicto
Ioan. 18. discipulos suos ex furibundis illorum manibus asseruit, licet Petrus inconsyderato suo zelo illos contra se prouocauisset. At quid vetera commemoro, quando nostris temporibus non semel horrendas tempestates subitò sopitas vidimus, quæ totam ecclesiam inundaturæ videbantur? Stultissimi

ergo

ergo & multis modis miseri sunt, qui adhuc homines metuunt, cùm Christi promissionem habeant, quæ se nobis semper vindicem fore promittit.

Tertiò discipulorum diffidentiam & nimium timorem corripit. Ita enim nos iuuat Christus, vt interim vitijs nostris minimè aduletur. Exemplum simile alibi in Petro edidit, cùm is vndarum & venti impetu territus subsidere inciperet. Et sanè reprehensionem grauem merentur, quicunq; homines metuunt, cùm Christum sibi præsentem habeant. Nobis potius cum Dauide & Paulo dicendum est: Dominus lux mea & salus mea, à quo nam timerem? Dominus robur vitæ meæ, à quo expauescerem? Etsi eundum mihi sit per vallem vmbræ mortis, nihil mali timebo: nam tu mecum es: Virga tua & pedum tuum me consolantur. Domino à me stante, non timebo quid mihi faciat homo. Item: Si Deus nobiscum, quis contra nos? Rom. 8.

3. Discipulos increpat. Matth. 14. Psal. 27. Ibidem. Psal. 118.

Postremò quis tanti miraculi effectus fuerit apud spectatores, narratur. Affecti sunt timore magno, nimirum diuina Christi virtute perculsi, cuius tam euidens argumentum viderant. Ea enim est carnis nostræ infirmitas, vt diuinæ maiestatis præsentiã, quantumuis vtilem & salutarem, absq; horrore quodã sustinere non possimus, cuius rei exempla in Daniele & Apostolis multa habemus. Admirantur præterea opus hoc insolitum, & palàm in illo virtutem humana maiorẽ agnoscunt & prædicant. Decet hoc eos, qui Dei beneficio ex periculis grauibus liberati sunt, iuxta illud, cuius paulò ante meminimus: In die tribulationis inuoca me, & eripiã te, & glorificabis me. Hîc autem non eam modò, quæ ore fit, confessionem Deus requirit, sed totius etiam vitæ officia, quæ simul omnia ad ipsius gloriam institui debent. Et huc quidem tota huius cap. tractatio pertinet, cuius summa tribus membris comprehendi potest. Primò Dei verbum dignè audiamus, vt fructus in nobis ferat. Deinde in periculis, quæ illius prædicationem comitantur, non desperemus. Tertiò ex ijsdem erepti, Christum agnoscamus saluatorem vnicum, cui omnis debeatur benedictio, honor, gloria et potestas in æternum. Amen.

IIII. Miraculi fructus. Daniel. 10. Luc. 5. Matth. 17. Apocal. 1. &c. Psalm. 50.

CAPVT V.

HOMILIA XXXIX.

ET uenerunt traiecto mari in regionem Gadarenorum, egressoq; ei è naui, statim occurrit è monumentis homo spiritui immundo obnoxius, qui domicilium habebat in monumentis. Et neq; catenis quisquam poterat eum ligare, propterea quòd cum sæpe compedibus & catenis uinctus fuisset, discerptæ essent ab illo catenæ, & compedes cõminutæ, neq; quisquam ualuisset eum domare. Et semper die ac nocte in montibus & monumentis erat, clamans & concidens seipsum lapidibus. Cùm uidisset autem Iesum eminus, cucurrit & adorauit eum, & clamans uoce magna, dixit: Quid mihi tecum est Iesu fili Dei altissimi? Adiuro te per Deum, ne me torqueas. Dicebat enim illi: Exi spiritus immunde ab homine. Et interrogabat eum: Quod tibi nomen est? Et respondit, dicens: Legio mihi nomen est, quia multi sumus.


QVoniam Dei filius, Iesus Christus, ideò in mundum venit, vt iuxta primam promissionẽ veteris serpentis caput conculcaret, & opera diaboli dissolueret: totus quoq; in hoc est, vt nos talem agnoscamus & per fidem in ipsum saluemur. Atqui licet diabolum in Cruce demum & resurrectione sua verè debellarit, quando & peccata nostra expiauit, & mortis imperium fregit: priusquam tamen hæc fierent, se illius victorem esse, peculiaribus quibusdã exemplis declarauit, quando nimirum aliquos priuatim ex illius tyranide asseruit, quos ille quoad corpus simul & animam possidebat. Facit huc cumprimis præsens historia, quæ insignem Christi cum diabolo congressum continet, in quo huius ingenium & vires, è contra verò Christi diuinã potentiam videre licet, & quibus rationibus nos quoq; aduersus hostem hunc communem pugnare conueniat.

Argumentum & usus loci præsentis. Gene. 3. 1. Ioan. 3.

Dæmoniaci descriptio. Matth. 8. Lucæ 8. De consensu Euang. lib. 2. cap. 24.

Orditur autem narrationem ab occasione miraculi Euāgelista, quæ talis fuit. Cùm post sedatam tempestatē traiecto lacu ad Gadarenos venissent, obuios habent duos dæmoniacos, sicuti Matthæus narrat. Vnius verò tantùm noster hîc cum Luca meminit, nimirum quòd ille magis notus & illustrior esset (vt Augustinus quoq; putauit) & magis in illo fureret satan. Et sanè horribilis fuit tyrannis, qua miserū exagitauit, vt relictis urbibus & hominum conuersatione nudus discurreret, catenas & compedes confringeret, in sepulchris habitaret, lapidibus deniq; tum seipsum tum alios infestaret, adeò vt nemo illac tutò transire posset. Facit horum commemoratio ad declarandam Christi potentiam, qui vnico verbo tantam ferociam non modò mitigare, verumetiam omnino frangere potuit.

Electis noua indies pericula occurrant. Psalm. 34.

Nec oscitanter prætereundum est, quòd vix dum liberatis ex naufragij periculo, nouum occurrit, & quidem grauius, quàm prius illud fuisset. Solet enim Deus nouis subinde casibus suos exercere, ut & carnis socordiam castiget, & suam erga nos fidem atq; bonitatem declaret, nosq; in officio cōtineat, qui in secundis facilè exorbitamus. Ideo David multas esse ait tribulationes iustorum, & exempla passim docent, nihil in hoc seculo nobis tutum & stabile esse, sed assiduis afflictionibus iactari eos, qui Christi seruitio sese addixerunt. Huius nos frequenter meminisse oportet, ne ignauum otium nobis promittamus, sed ad pugnam semper parati simus.

Posse aliquid contra nos diabolum. Ioan. 12. 16. 2. Cor. 5. 1. Pet. 5.

Porrò quoad dæmoniacum hunc, primo obseruabis, posse aliquid aduersus homines satanam, & illius vires immensas esse, nisi Dei potentia coerceantur. Nec enim temerè princeps mundi & Deus huius seculi dicitur, & Leoni rugienti illū Petrus confert, qui perpetuò saluti nostræ insidias struat, quos etiam electi non rarò experiuntur. Debent illa nos excitare, ne securi stertamus, aut nostris ipsorum viribus confidamus, quæ nullæ sunt, nisi præsenti spiritus Dei auxilio fulciantur. Discamus item, ne statim de nobis ipsis aut alijs desperemus, quos sua tyrannide satan exagitat. Consoletur autem, quòd suam potentiam contra nos exerere non potest, nisi Dominus hoc illi permittat, qui cùm & iustus sit & nostræ salutis amantissimus, nos (vt Paulus testatur) vltra vires tentari non patitur, & ipsius diaboli conatus sic dirigit, vt & gloriæ suæ propugnandæ & nostræ saluti conseruandæ seruiant, quod ipsum in præsenti quoq; historia suo loco videbimus.

1. Corinth. 10. 2. Cor. 1.

Diaboli ingeniū, & quales faciat suos cultores. 1. Nudos facit.

Deinde quod nam sit diaboli ingenium exprimitur, & quales efficiat, quos sua tyrannide semel subegit. Horribilis est miseri huius conditio, quoad corpus. At multò miserius & infelicius agunt, in quorum animis satan imperium obtinet. Primò nudus discurrit hic, & vestes vel abijcit, vel furiosè dilacerat. Est hic primus diaboli effectus, quòd innocentiæ uestem eripit, & facit, vt in Dei conspectu nudi & æterna confusione digni compareant, quos ille primùm ad suam similitudinem creauerat. Facit huc quod de primis parentibus legitur, qui mox se nudos esse viderunt, vt primùm serpentis consiliū secuti, de vetitæ arboris fructu comederunt. Et vt illis innocentiam, in qua conditi erant, abstulit: ita hodie in hoc est, vt Christum nobis auferat, cuius merito nostra nuditas tegitur. Quin pudorem omnē extinguit, vt nullius flagitij nos pudeat, modò illud carni adlubescat: cuius rei exempla in auaris vsurarijs, scortatoribus, adulteris, ebriosis & horum similibus passim occurrunt. Qui eò impudentiæ ferè deueniunt, vt sceleribus suis publicè glorientur, & ex ijs laudem quærant.

2. Furit, & furere facit, &c. Psalm. 2.

Secundò indomitum furit, nec vllis vinculis coerceri potest, adhæc tam seipsum quàm alios quosuis infestat. Talis & sua natura est satan, & tales facit in quos imperium obtinet. Nec enim Deo subijci vult ipse, & omnis disciplinæ osores facit, qui Deo subesse, & Christi legibus parere debebant. Horum enim voces sunt in Psalmo: Rumpamus vincula eorum, & lora eorum à nobis abijciamus. Vbi verò Christianæ disciplinæ vincula ruperunt, mox in omne scelus effusi, corruptissimis suis affectibus indulgent, & ita sibijpsis simul & alijs incōmodant. Quod ipsum in ijs quotidie cernitur, quos paulòante commemorauimus: Qui vel exemplo prauo, vel etiam violenta temeritate ita aduersus omnes bonos grassantur, vt immanibus belluis tutius quàm illis cohabitare queas.

3. Sepulchra inhabitat. Psalm. 14. Rom. 3. 1. Timoth. 5.

Tertiò relicta ciuitate, in desertis, montibus, & sepulchris habitat. Postquam enim satan à Dei regno excidit, sanctorum ciuitatē & Dei domum ferre nō potest, sed penes eos sibi domiciliū deligit, qui peccatorum luto toti immersi sunt, & quorum guttur instar patentis sepulchri est, quiq; viuentes mortui sunt, sicuti de vidua lasciuiente Paulus loquitur. Et ipsius similes sunt quotquot illi sese regendos præbent. Nam & ipsi sacros piorum cœtus & ecclesiā odisse solent, in qua pacem & protectionem pij

nem pij omnes inueniunt, mundum verò sectantur, & immanibus peccatorum sepulchris sese immergunt, & ita sibijpsis æternam mortem conciliant, nisi Christus illis vindex & assertor occurrat. Prodest autem in horum consyderatione diligenter versari, vt diaboli tyrannidem cauere discamus, nec illius blanditias admittamus, quibus hoc vnum quærit, vt irretitos nos tam anima quàm corpore perdat. Psalm. 84.

Priusquam verò hinc discedamus, illud quoq; obseruemus, quod Chrysostomus annotauit, diabolum ferè circa sepulchra suas præstigias exercere, vt falsas de animarum post mortem conditione opiniones hominum animis instillet, quæ postea absurdissimarum superstitionum seminaria sunt. Quia enim defunctorum animæ (vt scriptura docet) non in terris oberrant, sed ad suum locum colliguntur, diaboli illusiones censeri debent, quæcunq; de illarum apparitionibus dicuntur. Qui hoc stratagemate olim gentes, deinde sub Papatu Christiani quoq; nominis professores demētauit, vt falsissimas de animabus mortuorum, deq; earundem expiationibus opiniones admiserint, quibus vniuersa religio & tota salutis ratio labefactatur. His enim purgatorium debemus, missas item pro defunctis, trigesimas, anniuersaria, & totum penè superstitionum chaos, quæ & animas viuentium inanibus terriculamentis vexarunt, & opes tum publicas tum priuatas Monachis & sacrificulis deprædandas propinarunt. Sed de his suo loco plura dicentur. Vide infra homil. 137.

Contra spirituum siue animarum apparitiones.
Ioan. 5.
Lucæ 16.23.

Videamus nunc quomodo se in hoc homine ad Christi conspectum diabolus gesserit. Primùm à longe occurrit, supplex procidit & miserabiliter clamat. Id verò facit, non quòd Christum amet, sed occulta illius potentia attractus. Et hîc suam impotentiam prodit, qui alibi sese aduersus Christum insolenter effert, & sibi omnium rerum dominium vendicat. Plurimam verò consolationem affert, quòd satan ipse vel inuitus Christo eum adducit, quem totum sub sua potestate habere videbatur. Adeò verum est, quòd electos nemo à dilectione Dei separare possit, aut oues è Christi manibus rapere, vt ipse etiam diabolus reddat vel inuitus, quos iam rapuisse videbatur. Fit hoc frequenter, quando plagæ, quibus nos perdere cupit, nobis ad Dei cognitionem & ardentius salutis studium adiumento sunt. Vide Iobi historiam, &c. Hæc vt nobis in tentationibus dulcissimam consolationem afferunt, ita admonent, ne temere de eorum salute desperemus, quos à diabolo obsideri & per omne scelerum genus rapi videmus. Erit fortasse tempus, quando hæc hostis communis rabies illos de salute cogitare coget, & illius desyderium in animis ipsorum accendet.

Dæmoniacus Christo occurrit supplex.
Matth. 4.
Rom. 8.
Ioan. 10.

Deinde, Quid (inquit) mihi tecum est Iesu fili Dei altissimi? Dei filium agnoscit, & simul nihil sibi cum illo commune esse fatetur, quod supra quoque illum fecisse vidimus. Et verè quidem hoc dicit, etsi in alijs sit mendacissimus. Christus enim quantus est, nihil nisi veritas & salus est, ac nobis saluandis in mundum venit. Diabolus verò ab initio mendax & homicida fuit, & vt ipse se æternæ damnationi adiudicatum esse nouit, ita vniuersum humanum genus secum ad interitum trahere cupit. Rectè ergo clamat: Quid mihi tecum est Iesu? &c. Atqui vtinam vicissim clamarent omnes homines: Quid nobis tecum est ô satan, cùm ex tua tyrannide assertos Christus sui regni ciues & hæredes fecerit? At ea est hodie, proh dolor, multorum peruersitas, vt cùm Christiani dici velint, & in Christum baptizati sint, alieni tamen ab omni pietatis studio, tantum non publicè clament: Quid nobis tecum est Christe? Quid enim aliud faciunt, qui cœtus sacros fastidiunt, in quibus suam nobis præsentiam Christus promisit? qui item verbi doctrinam odio habent, sacramenta negligunt, aut ab illis statim ad diabolica studia transeunt? Ita certè se diaboli consortes, & à Christo alienissimos esse testantur. At plusquam belluina stupiditas est, ad diaboli vocem exhorrescere, quam hîc audimus, hanc ipsam verò non agnoscere in nobis ipsis, vel in alijs, qui factis & operibus illud ipsum loquuntur.

Diabolo nihil cum Christo commune est.
Marc. 1.
Ioan. 1.
Matth. 9.18.
Ioan. 8.
2. Pet. 2.

Tertiò inducias petit, dicens: Adiuro te per Deum, ne me torqueas. Torquebatur enim Christi iudicis præsentia, vtpote sibijpsi malè conscius. Et molestissimum illi est, si loco cedere, & illos relinquere cogatur, quos perditos vellet. Et licet se à Christo vinciendum esse norit, illum tamen ante tempus venisse queritur apud Matthæum. Est hoc proprium diaboli, vt moras nectat, quando sibi cedendum esse videt. Experimur hoc publicè & priuatim, quando vel de ecclesiarum & rerum publicarum reformatione, vel morum emendatione agitur. Ibi enim mirificè tergiuersatur satan, & vel occultis suggestionibus, vel per sua organa omnis generis rationes proponit, quibus nos ab insti-

Diabolus inducias petit si quādo cedendū est.

tuto reuocat, ne quid temere & intempestiuè tentando tam nobis ipsis quàm alijs periculorum authores simus, aut etiam communi religionis causæ incommodemus. Ea enim eius est astutia, vt veritatis & religionis studiū simulare, & huius prætextu illa quàm maximè impedire norit. Hic verò omnem moram abrumpere oportet, ne dum aliquam admittimus, ille interea vires colligat, & inducijs sibi datis ad sui regni confirmationem, nostræ verò salutis euersionem abutatur. Cæterum, vt diabolo ipsi, sic impijs quoq;, qui eius mancipia sunt, semper citius quàm vellent Christus occurrit, quem pij auidissimè expectant. Vt enim hi redemptorem agnoscunt, ita illi propriæ conscientiæ testimonio conuicti, iudicem exhorrent. At quæ maior miseria & infelicitas, quàm ad Christi occursum consternari, sine quo nostra salus subsistere nequit? Studeamus ergo pietati, & nihil nobis tam lætum & iucundum erit, quàm nouissimus Christi aduentus, in quo redemptio nostra, tam quoad corpus quàm quoad animas, plenissimè absoluetur.

Christus satanã tergiuersantem non audit, &c.

Quid verò inter ista Christus? Non audit tergiuersantem satanam, sed exire iubet. Interim de nomine quærit, quod ille insolitum planè & terrificum sibijpsi tribuit, dum se Legionem dici ait: Nimirum ob multitudinem. Habebat enim Legio apud Romanos decem cohortes, cohors quinquaginta manipulos, manipulus milites viginti quinque. Constabat itaque Legio militibus in summa duodecies millibus & quingentis. Apparet autem in hoc nomine diaboli ingenium, qui suæ potentiæ ostentatione homines territare solet: quem egregiè imitantur tyranni qui titulis ad terrorem & barbaram ostentationem compositis sese apud populum rudem & meticulosum venditant. Cæterum in præsenti suam impotentiam potius prodit satan, Christi verò potentiam & virtutem illustrat, quando tot millibus instructus vno verbo eijcitur, & ne vnum quidem homũcionem sub suo imperio retinere potest. Quæ etiam causa fuit Christo, cur illum de nomine suo interrogare voluerit. Interim horribile est exemplum hoc, quo docemur, quàm periculosa sit hominum conditio, si suam opem & protectionem Deus nobis subducat, quando tota diabolorum legio in vno aliquo locum habere potest. E contra verò soletur nos Christi potentia, cuius exemplum quoq; nos imitari conuenit, ne diaboli & membrorum ipsius blanditias siue tergiuersationes admittamus, sed cõtra illum fortiter pugnemus, vt hoc fugato cœlestis regni brauium assequamur in hoc ipso Christo Iesu Domino nostro, cui debetur benedictio honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA XL.

Et deprecabātur eum multùm, ne se emitteret extra regionem. Erat autem ibi iuxta montes grex porcorum magnus, pascens. Et deprecabantur eum omnes dæmones, dicentes: Mitte nos in porcos, ut in eos introeamus. Et permisit eis statim Iesus. Et egreßi spiritus immundi, ingreßi sunt in porcos: & ferebatur grex per præceps in mare. Erant autem ferè bis mille, ac suffocati sunt in mari. Porrò qui pascebant porcos fugerunt, & renuntiarunt in ciuitatem & in agros: & egreßi sunt ad uidendum quid esset quod acciderat. Et ueniunt ad Iesum, & uident dæmoniacum sedentem ac uestitum & sanæ mentis, qui habuerat legionem, & timuerunt. Et narrauerunt illis qui uiderant, qualiter accidisset dæmoniaco, & de porcis. Et cœperunt eum rogare, ut discederet de finibus ipsorum. Et cum ingressus esset nauim, rogabat illum qui fuerat à dæmonio correptus, ut esset cum illo. Iesus autem non admisit eum, sed ait illi: Abi in domum tuam ad tuos, & annuntia illis, quanta tibi Dominus fecerit, & misertus sit tui. Et abijt, & cœpit prædicare in Decapoli, quanta sibi fecisset Iesus, & omnes mirabantur.

Argumentum & usus præsentis loci.

CHristus Iesus saluator noster hoc miraculo non modò diuinæ suæ virtutis specimen exhibet, verumetiam nos aduersus hostem nostrum communem, satanam, instruit, quò facilius ille à nobis vinci & expelli queat. Facit huc, quòd illum tam probè spectandum proponit, quo nam ingenio sit præ-

sit præditus, & quales efficiat, in quos semel imperium obtinuit, quibus denique vtatur artibus si quando sibi succumbendum esse videt. Quorum omnium nobis hic vsus est, vt illum cauere discamus, nec tamen metuamus, sed Christi auxilio & gratia confisi, aduersus illum fortiter pugnemus. Ita enim fiet, vt licet planè indomitus videatur, succumbat tamen, & (vt Paulus ait) sub pedibus nostris conculcetur. Rom.16. Huc imprimis pertinet hæc altera historiæ pars, quæ vt dæmonum legio Christi virtute eiecta, & quis tanti miraculi effectus, tum apud Gadarenos, tum apud dæmoniacum fuerit commemorat.

Vbi nobis primò omnium dæmones isti consyderandi veniunt. Vident sibi loco cedendum esse, rogant tamen ne extra regionem illam eijciantur, aut in abyssum ablegentur, sed vt ipsis porcos in proximo pascentes inuadendi potestas fiat. Est hîc videre, quàm procliue & pertinax sit ad nocendum diaboli ingenium, quod ne tunc quidem exuit, quando se cum regno suo periturum esse videt. Exempla sunt huius generis ab ipso mundi exordio. Ita enim Mosi olim per Magos, Iannem & Iambrem, sese opposuit, licet se nihil profecturum esse sciret. Et eòdem facit tota Balaami historia, quem ita excæcauit, vt quamuis Dei manum sentiret, eidem tamen reluctari non vereretur. Idem in Saule etiam effecit, qui etsi regnum Dauidi deberi fateatur, eundem tamen persequi non desinit. Horum similes sunt, qui hodie in aperta Euangelij luce adhuc errores & superstitiones suas defendunt, vel qui etsi Deum peccatorum pœnas exigere sentiant, non tamen pœnitent, sed corruptissimis affectibus indulgere pergunt, & diabolo penes se adhuc locum esse volunt, adeoq́; omni studio in hoc incumbunt, ne tyrannide ipsius liberentur.

Dæmones cupiunt porcos inuadere. Lucæ 8. Satan ad nocendum procliuis. 2. Tim 3. Nume.22.23.24. 1.Sam.24.26.&c.

Deinde astutiam quoq; diaboli obseruare conuenit, qua Christi regno tum quoq; officere conatur, cùm se victum esse nouit, & illi cessurum se esse simulat. In porcos enim sibi imperium dari vult, vt illorum iactura Gadarenos aduersus Christum excitet, & ipsius doctrinam illis inuisam reddat. Et hæc ipsa causa est, quòd plerunque luculento aliquo damno eos afficit, à quibus discedere cogitur, vt illis odium concillet, quorum opera se eijci sentit. Quin hodie si quando per Euangelij prædicationem eijcitur, per illos maximè insidiatur, qui cùm errores aliquot ingenuè confiteantur, aliquas tamen reliquias superstitionum superesse volunt, ex quibus diaboli regnum aliquando instaurari poßit. Singulari ergo prudentia opus erit ijs, qui illo in vniuersum liberari volunt, ne quando postrema primis deteriora fiant.

Satanæ astutia.

Interim consolationis plenum est, quòd suam impotentiam tam egregiè dæmones isti produnt. Qui enim alibi potestates & principes huius mundi dicuntur, in præsenti ita sese Christo submittunt, vt ne in porcos quidem aliquid sibi iuris esse fateantur, nisi illud ipsis Christus permittat. Sic alibi, cùm Mosi sese diu opposuisset, & quædam illius miracula pulchrè imitatus esse videretur, tandem ne pediculum quidem formare potest, & Dei digitum agnoscere cogitur. Stultißimi ergo sunt quot quot illius vires metuunt: infelicißimi autem & omnibus modis miseri sunt, quotquot illius seruitio sese mancipant, vt per illum opes, honores & alia huius seculi bona consequantur. Quid enim ab illo sperabunt, qui ne in porcum quidem ius habet aliquod?

Satanæ impotentia. Ephes.2.6. Ioan.14.16. Exod.8.

Quid verò Christus? Admittit dæmonum preces, & illis in porcos imperium concedit, quò fit, vt totus grex malis furijs agitatus, præceps in mare ruat, & malè pereat. Vbi nemo Christum iniustitiæ accusauerit. Quia enim illi omnis potestas data est in cœlo & in terra, illi de suo quod libet statuere licet, adeoq́; illi liberum est omnibus creaturis ad sui nominis illustrationem vti. Domini enim est terra, & plenitudo eius. Vidit hoc olim egregius ille patientiæ athleta, qui cùm fortunas omnes simul amisisset, hoc unum sibi dicendum putauit: Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum. Deinde exemplum hoc obsesso plurimùm prodesse poterat, vt inde videret, quanto malo liberatus esset, & sibi in posterum diligentius caueret. Quoad Gadarenos autem, illorum improbitatem & ingratitudinem argui atq; castigari oportuit, nec ijdem de porcorum iactura iure conqueri potuerunt, quam Deus illis multiuariam sarciuit. Nam obsesso ad salutem cessit, quæ omnibus fortunis longè præstantior est, & eadem occasione Christus illius regionis hominibus innotuit, cuius cognitio omnibus illorum opibus redimi merebatur. Sunt hæc nobis obseruāda, quando vel tempestates anni prouentum intercipiunt, vel per alias calamitates diuinitus immissas bonis nostris spoliamur, ne Deum iniquum esse, aut nobis iniuriam fieri putemus. Quæ enim iniquitas est, si

Christus diabolo in porcos permittit imperium. Matth.28. Ioannis 3. Psal.24. Iob.1. Matth.16.

de suo ille pro sua voluntate dispenset? Aut quid habes, quod non ab illo acceperis? Cogitemus item illum remuneratorem esse fidum & liberalem, & terrestrium bonorum iacturam ijs ad cœlestia adiumento esse, qui Deum diligunt, & eius manum patienter ferunt. Vt iam de eo nihil dicamus, quòd digni sumus (si suo in nos iure Deus vtatur) quos cum bonis huius seculi anima simul & corpore malè perdat.

In quos nã diabolo aliquid permittat deus

Simul verò nostræ institutioni exemplum hoc seruit, docens, in quos nam satanæ ius aliquod permittat Deus: In eos nimirum, qui porcorum similes, terrenis modò studijs & scelerum sordibus delectantur, à cœlestibus verò abhorrent, nec suam ipsorum dignitatem agnoscunt, ad quam à Deo creati sunt: quod omnis corruptelæ & interitus initium esse, diuinus Psaltes testatur. Tales sunt ebrij, helluones, scortatores, adulteri, & quotquot horum similes omnem voluptatem in carnis desyderijs sitam esse existimant. In quibus ferè idem, quod in porcis istis, videre licet, quòd nimirum pessimis affectibus abrepti & malo dæmone agitati, semetipsos in omne genus miseriæ præcipitant, & sibijpsis tum animæ tum corporis interitum accersunt. Erigamus ergo mentes nostras, & nostræ conditionis memores, cœlestia quæramus, ne quid tale in nos quoq; iusto suo iudicio Deus satanæ permittat.

Psal. 49.

Colos. 3.

Gadareni Christum abs se discedere cupiũt.

Transeamus nunc ad secundam huius loci partem, quæ miraculi istius effectus continet, qui partim in Gadarenis, partim in dæmoniaco iam liberato elucent. Pastores enim fuga dilapsi, per vrbem & agros, quid factum sit, diuulgant. Exeunt Gadareni, & rem omnem ita se habere inueniunt, & metuunt. Metus causa est, quòd non Dei gratiam, quæ in dæmoniaci liberatione elucebat, sed in illius potentiam respiciunt, & iusto ipsius iudicio terrentur, quo porcorum iacturam fecerant. Rogant ergo, vt illorum finibus decedat, ne quid grauius patiantur. Quo exemplo admonemur, non omnes ad salutem proficere, qui aliquo Dei timore percelluntur. Nam dæmones etiam ad Dei conspectum contremiscere scribit Apostolus, & præsens historia illud ipsum abundè testatur. Nec exempla desunt in Pharaone, Saule, Iuda & infinitis alijs, quos timor ille ad desperationem induxit, eò quòd nullam haberent gratiæ Dei cognitionem, quæ sola mentes nostras in spem vitæ æternæ erigit.

Iacob 2.

Exemplum filiorum huius seculi.

Colos. 3.

Gerunt autem Gadareni isti typum filiorum huius seculi, quibus proprium est, quòd à Christo sibi metuunt, ne is verbi sui doctrina turbas & damnum det: interim à peccatis non timent, quibus ira Dei prouocari consueuit. Adhæc terrena cœlestibus & æternis præferunt, nec aliquam suarum fortunarum iacturam facere volunt, vt Christum lucrifaciant. Imò, si nostri seculi mores inspicias, Gadareni isti multò meliores sunt illis, qui hodie teterrima flagitia Christo præferunt, nec illum, vt abs se discedat, rogant, sed inuitum eijciunt, adhæc ferro & igne persequuntur. Est hæc horribilis planè impietas, & digna, ob quam in sensum reprobum traditi, Christum simul & salutem omnem amittant.

Dæmoniacus exemplum eorum qui per Christum liberati sunt.

Acto. 22.

Luc. 7.

Galat. 3.

At huic Gadarenorum ingratitudini dæmoniaci exemplum nobis imitandum opponitur. Sedet ille vestitus iam ad pedes Iesu, quod discipulorum est, qui ad præceptorum suorũ pedes sedere dicuntur. Deinde cum Christo manere cupit, quin rogat, vt se in suum comitatum recipiat. Et cùm illud non permittit Christus, non tamen ob passam repulsam impatienter obmurmurat, sed acceptum à Christo beneficium passim diuulgat. Habemus in his, quid eos facere cõueniat, quos Christus ex diaboli tyrannide asseruit. Exigitur ab illis primò omniũ fidei obedientia, qua sese Christo totos submittere debent. Inde verò Christum induant, vt illius merito vestiti, coram Dei tribunali consistere possint. Deniq; relictis omnibus quæ in hoc mundo carni adlubescunt, vni Christo adhæreant, vnum illum sectentur, illi vni se totos consecrent, & gratiam illius prædicent, nec ipsos Christi & Euangelij ipsius pudeat, ne tanti beneficij contemptores videantur.

Christus se sequi uolentẽ ad suos remittit.

Porrò mirum videri poterat, quòd Christus illum abs se relegat, & domum remittit. Elucet ex eo admirabilis illius bonitas, qui etsi Gadarenorum improbitate superatus discedere cogatur, iisdem tamen salutis præconem relinquit, per quem aliquos suo tempore lucrifactos fuisse, credibile est. Extant huius bonitatis multa exempla in scripturis, nec hodie desunt, quæ de Christi propensa in nos voluntate abundè testantur. Agnoscamus nos modò illius studium, nosq; illi in ijs quæ ad nostram salutem spectant, sequaces & morigeros præbeamus. Admonet præterea locus hic, non omnibus datum siue concessum esse, vt ixta Apostolorum exemplum omnibus relictis verbi ministerio sese dedant, quod hodie fanatici quidam facere consueuerunt. Diuersæ enim inter Christianos functiones sunt, & vnumquenq; in sua vocatione manere iubet Apostolus, donec peculiaris & noua Dei vocatio ac-

1. Cor. 12. & 7

tio accedat: nec ferendi sunt iuxta Pauli præceptum ἄτακτοι homines, qui suis rebus omissis circa ea occupantur, quæ nihil ad ipsos spectant. Sed hæc obiter. Nostrum fuerit Dei beneficium agnoscere, qui nos ex diaboli potestate redemit, & libertatem tueri, quam sanguinis sui pretio acquisiuit Christus Dominus & saluator noster, cui debetur benedictio honor, gloria & potestas in æternum. Amen. 2. Thes. 3.

HOMILIA XLI.

Et cùm traiecisset Iesus naui rursus in ulteriorem ripam, conuenit turba multa ad eum, & erat circa mare. Et ecce uenit quidã principum Synagogę, nomine Iairus, & cùm uidisset eum, procidit ad pedes eius, & deprecabatur eum multùm, dicens: Filiola mea in extremis est, oro ut uenias, & imponas illi manus, ut salua sit, & uiuet. Et abijt cum illo, & sequebatur eum turba multa, & comprimebant eum.

IOannes Euangelista Christum Iesum in sua venisse, sed à suis non receptum esse scribit. Exemplum eius rei in præcedenti historia vidimus. Venit enim Christus ad Gadarenos, & euidenti miraculo, se promissum humani generis redemptorem esse declarauit, qui serpentis veteris caput conterat, nosq́ ex illius tyrannide asserat. Iidem tamen illum indignissimè reijciunt, & illi porcos præferunt. Est hoc proprium mundi, quòd propter opera sua praua salutiferam Veritatis lucem odio prosequitur: nec desunt nostro seculo, qui Gadarenos istos egregiè imitantur. Pergit autem in historiæ suæ contextu Marcus, & quid porrò fecerit Christus docet: qui locus diligentem consyderationem meretur, eò quòd luculentum bonitatis Christi & propensæ erga nos voluntatis argumentum habet, & simul officij, quod illi debemus, nos admonet. Argumentum & usus præsentis loci.

Et primò quidem à Gadarenis discedit Christus, & traiecto lacu eò, vnde soluerat, reuertitur. Mox verò ad illum ingens hominum turba confluit, quæ illum hactenus auidè expectarat, sicuti Lucas scribit. Quo exemplo admonemur, quid eos maneat, qui salutem in Christo ingrati fastidiunt, & illi carnis ac mundi studia præferre solent. Discedit ab illis Dominus, & ingratos suo ipsorum arbitrio relinquit, quod illis deinceps maximarum calamitatum principium est, & tandem extremum interitum ijsdem conciliat. Quia enim in solo Christo Deus nobis placatus est, si illum tollas, nihil præter Dei iram & maledictionem nobis relinqui necesse est. Et multis exemplis docemur, infinitis malis etiam in hoc seculo illos adobrui, à quibus propter ingratitudinem et impium Euangelij contemptum, Dei regnum aufertur. Senserunt hoc Iudæi, qui postquam Christum reiecerunt, iam annis mille quingentis in toto terrarum orbe, ceu publicum quoddam & vniuersale vindictæ diuinæ exemplum vagantur, & omnium ludibrio expositi tam regno quàm sacerdotio & cultu externo carent. Nec mitius multò cum Græcorum ecclesijs actum fuisse constat, in quarum exemplo hoc cumprimis memorabile est, quod cùm anno Christi incarnati 1438. in Florentino Concilio Eugenij Papæ dolis circumuenti Romanæ ecclesiæ sese subiecissent, mox ab eo tempore anno nimirum 1453. amissa Constantinopoli imperium amisêre, & Turcis seruire coacti sunt. Et nostro seculo varijs afflictionibus exercitatos, & graui seruitute oppressos fuisse vidimus aliquos, qui Christi & veritatis abnegatione mundi amicitiam & pacem huius seculi redimere voluerunt. Quorum consyderatio nos monere debet, vt de Christo retinendo potius, quàm de ijs quæ carni adlubescunt cogitemus: quando ne mundo quidem hoc unquam frui poterimus, nisi Deo propitio vtamur, cuius fauor ab vno Christo dependet. Christus ab ingratis discedit. Lucæ 8. Ioan. 3.

Cæterum consolationis plenum est, quòd etsi Christum Gadareni reiecerint, non desunt tamen qui eundem magno desyderio expectent, & venientem ardenti studio recipiant. Solet idem semper euenire, & ab ingratis quidem regnum Dei transfertur, nunquam tamen totum excinditur, vt nullum omnino inter homines locum habeat. Terreat hoc ingratos & contumaces Euangelij contemptores qui de Christo & fide Christiana omnino actum fore putant, si illum abs se discedere cogant. Inueniet enim is alibi locum, vbi regni sui sedem constituat, & vires suas aduersus illos potenter exer- Christus semper inuenit qui illum recipiant

ceat. Nec enim vel pauculis quibusdam vel vni alicubi loco alligatum est regnum eius, sed per orbem vniuersum extenditur, sicuti prophetarum oraculis docemur. Nunquam ergo aliorum siue contumacia siue leuitate et defectione terreri debemus, ut de Christi regno spem abijciamus: Quin potius alteros hosce imitemur, & ad nos venientem fide vera excipiamus, & sic salute certa & stabili in illo fruemur, &c.

Psalm.2.27. Zach.9. Isa.2.42.49.

Christus ad benefaciendum redit. Matth.5.

Monet hoc præsens Christi exemplum, qui vbi hos sui amore & studio inflammatos videt, mox ad miracula, quibus suam illis beneficentiam testetur, redit. Adeò non absterretur hominum quorundam ingratitudine, vt potius in indignos quoq; frequenter beneficia conferat: sicq; suo exemplo eos arguit, qui propter ingratos aliquos à benefaciendo in vniuersum abstinent. Coniunguntur autem in præsenti duo miracula, quæ illi, quod proximè vidimus, pulchrè subseruiunt. Illic enim se diaboli domitorem esse docuit: hic verò se peccato etiam mederi, & ipsius mortis quoq; victorem esse demonstrat. Vnde colligere possumus, illum nobis salutem omnibus numeris absolutissimam acquisiuisse. At quia alterius tantum modò prima pars modò recitata est, personæ singulæ, quæ in ea proponuntur, nobis inspiciendæ erunt.

Iairus synagogæ princeps Christum conuenit. Ioan.9.12.

Primus hîc Iarius producitur, de quo quis fuerit, & quid fecerit, narratur. Synagogæ princeps fuit. Atqui eius ordinis homines Christo infensissimos fuisse constat, adeò ut è Synagoga eijciendos esse statuerint omnes eos, qui in ipsum credebant. Hunc tamẽ de Christo melius sensisse patet, quod licet hucusq; dissimularit, nunc tamen in extremo filiæ periculo illum conuenire, & ab illo opem petere uoluit. Adeò magnus est aduersorum usus, & tanta afflictionum uis, ut qui in secundis planè languent, & quiduis simulare ac dissimulare norunt, tandem ubi necessitas aliqua urget, omni simulatione posita, ad solum Christum confugiant, & sic reipsa fidem in illum profiteantur. Videmus quædam huius generis exempla in nonnullis, qui cùm per omnem vitam Papisticis traditionibus multùm tribuerent, aut saltem tribuere uideri uellent, iam morituri fidem in vnum Christum professi sunt, & hûc vnicum saluatorem atq; mediatorem apud Deum patrem agnouerunt. Admonent hæc interim, ne de ullo hominum genere desperemus. Vult enim Deus omnis ordinis & loci homines saluos fieri, & in veritatis cognitionem venire. Et idem hostes suos mirificè eludere solet, vt velint nolint, in sua terra (sicuti Isaias inquit) Christi cultoribus portionem aliquam & locum dare cogantur. Est hoc videre in Pharaone, qui cùm Dei populum extinctum vellet, eiusdem vindicem & assertorem filij loco habet, & in omni Aegyptiorum sapientia institui curat. Sic Achab rex, dum Dei prophetas persequitur, inter domesticos suos Abdiam habet illorum nutritium. Et inter pharisæos atq; scribas, Christi hostes acerrimos, Euangelistæ non modò Iairum hunc, verum etiam Nicodemum & Iosephum numerant, qui primò quidem occulti discipuli, tandem verò Christi & gloriæ ipsius fortissimi vindices fuerunt. Nec dubium est, multos hodie istorum similes in Regum aulis versari quos vtinam Deus spiritu suo ita confortet, vt per illos Christi gloria feliciter prouehatur.

1.Timoth.2. Isa.61. Exod.1.2. Hebr.11. 1.Reg.18. Ioan.3.7.19. Matth.27.

Fides Iairi. Matth.10. Marc.8. Luc.7.

Porrò videamus quid Iairus hic noster fecerit. Ad Christum venisse dicitur, & vbi illum coràm videt, ad pedes illius procidit, filiæ suæ in extremis agentis sortem exponit, & magno cum affectu orat, vt domum suam venire, & iam morienti manum imponere dignetur, ita fore confidens, vt salua fieret. Sunt hæc non obscura fidei in Christum, quamuis imperfectæ, argumenta. Huius enim opus est, quòd Christum inuocat, & quidem publicè, quod confessionis loco est, quam à suis Christus passim requirit. Imperfectiorem verò adhuc fuisse ex eo apparet, quòd corporalem Christi præsentiã necessariam esse putat, longè inferior Centurione, qui solum Christi verbum sufficere credebat. Sed ea est carnis nostræ imbecillitas, quam Christus non abijcit, modò maneant in nobis fidei semina, quibus tandem confirmati maiores progressus faciamus. Videant tamen hic, quàm egregiè (si dijs placet) suam fidem iactitent, qui hodie Christum tunc demum nobis salutarem esse contendunt, si in Cœna corporaliter præsentem sese exhibeat, & verum suum corpus nobis contrectandum & dentibus conterendum præbeat. Sic enim verba Canonis Papistici, Ego Berengarius, sonant, quem illi pro orthodoxo & Christiano agnoscunt. Nos potius illum in cælis quæramus, & animis illuc sublatis illo per fidem fruamur, & mox nos ipsius virtute & merito pasci & refici sentiemus, vt nec præsentia nec manducatione corporali opus sit.

Sed

Sed ad Iairum redeamus, in quo simul charitatem videre licet, quæ à fide separari nequit. Quòd enim tanto zelo pro filia intercedit apud eum, quem plerisq; inuisum & exosum esse sciebat, magnum paterni affectus & amoris indicium est, quem animis nostris Deus ipse inseuit, nec illum improbat, si fide regatur, quæ omnia ad Dei gloriam & proximi salutem dirigit. Hinc est, quòd effectum hunc in electis eò vehementiorem videmus, quò ardentius in illis est gloriæ diuinæ & humanæ salutis studium, sicuti Iacobi patriarchæ, Dauidis, sororum Lazari & multorum aliorum exempla testantur. Minimè ergo audiendi sunt, qui fidem ab eiusmodi affectibus ita alienam esse volunt, vt ex hominibus fungos aut truncos faciant. Sunt enim ἄστοργοι illi, quos Paulus inter nouissimi seculi pestes numerat, à quibus fideles sibi cauere iubet. Quibus ego libēter illud Ioannis obiecerim: Qui non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non vidit, quomodo potest diligere? At quomodo fratrē in Christo diliget, qui eos inhumaniter negligit, quos et fidei societas & naturæ lex illi præ alijs cōmendant? Sed omissis istis, sui officij hic & parentes & liberi meminisse debent. Inuigilent illi pro liberorum salute, & illos educent per eruditionem & correptionem Domini. E contra parentū fidem ac studium liberi agnoscant, cuius tantum meritum esse gentium philosophi olim viderunt, vt parentibus dignā gratiam à liberis nunquam referri posse dixerint. At ô deplorandam nostri seculi peruersitatem, quo parentes quidem laboribus, curis & solicitudinibus perpetuis fatigantur, vt liberos ad opes & honores euehant, & illorum morbis contristantur: pleriq; verò liberorum parentes senio confectos negligunt, & eorundem mortem auidi expectant, vt illorum laboribus collectas opes dilapident. Peccant quidem parentes in eo, quod de liberis ad opes & honores euehendis potius quàm de æterna illorum salute soliciti sunt, & hanc ipsorum curam præposterā liberorum ingratitudine Deus iustè vlciscitur. At non minor liberorum culpa est, qui eos tam turpiter negligunt, qui se totos illorum cōmodis impenderant.

Charitas Iairi. | Gen. 37. | 1. Sam. 12. 18. | Ioan. 11. | 2. Tim. 3. | 1. Ioan. 4. | Parentum & liberorum officia. | Ephes. 6.

Cæterum tempus est, vt ad Christum transeamus, qui nec fidei imbecillitatem, nec impium Synagogæ decretum illi exprobrans, mox surgit, vt cum illo domum abeat: ita nimirum illius infirmitati sese accōmodans, & ista mora ad maius miraculum sibi viam struens, dum puellam interea omnino emori patitur, & mortuam postea resuscitat. Est hæc magna Christi facilitas, qui cùm nostram salutem sitiat, omnes laborantes ad sese inuitat, nec aliquem ad se venientem reijcit. Exempla huius multa Euangelistæ cōmemorant, in quibus apparet, illum nec pristinum vitæ genus, nec etiam hostiles erga se animos ijs exprobrauisse, qui ab ipso edoceri, cumq; eo in gratiam redire cupiebant. Arguit hoc illorum stultitiam, qui illi rigorem quendam affingunt, propter quem nobis apud illum infinitis intercessoribus siue aduocatis opus sit, cùm tamen hodie etiam non minori facilitate se nobis per Verbum & Sacramenta offerat. Interim meminerimus, nobis quoq; hanc illius facilitatem imitandam esse, ne quid ijs exprobremus, qui nostra ope indigent, sed posita veterū iniuriarum memoria, ea præstemus, ad quæ per Christianæ charitatis leges obstringimur.

Christus Iairi infirmitati indulget.

Restat quod de populo dicitur, qui illum cateruatim secutus est. Solet enim vulgus rerum nouarum studio ardere, & fortunæ applausum sequi, quæ iam arridere videbatur, cùm Synagogæ principem à Christo opem petere viderent. At qui hoc animo præditi sunt, postea in periculis deficiunt. Nam vt poeta ait: Mobile mutatur semper cum principe vulgus. Quod istis etiam accidisse, Euangelica historia suo loco abunde testatur. Miserrimum ergo est illud hominum genus, qui à vulgo fauore pendentes, carnem brachium suum faciunt. Nostrum fuerit, Deo confidere, & Christum Iesum, salutis nostræ authorem vnicum, vera fide sequi, vt cum eodem olim in cœlis viuere & regnare liceat. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Vulgi curiositas. | Lucæ 23. | Ierem. 17.

HOMILIA XLII.

Et mulier quædam, quæ erat in fluxione sanguinis annos duodecim, fueratq; multa perpessa à multis medicis, & insumpserat omnia sua, nec quicquā adiuta fuerat, sed potius in deterius uenerat: Cùm audisset de Iesu, uenit in turba à tergo, & tetigit uestimentum eius. Dicebat enim: Si uel uestimenta eius tetigero, seruabor. Et statim exaruit fons sanguinis eius, & sensit corpore, quod sanata esset ab eo flagello.

CAPVT V.

Argumentum & usus præsentis loci. — *1. Cor. 15.* — *Matthæi 11.* — *1. Corinth. 1.*

DIuus Marcus una narratione duo insignia Christi miracula coniungit. Primum, quo Iairi filiam à mortuis resuscitauit: cuius narrationem nuper exorsus est, docens, quis ille fuerit, & quanta fuerit fidei illius infirmitas, quam tamen adeò non fastidiuit Christus, vt potius illi sese accommodarit, & domum cum illo abierit. At priusquàm illud absoluat, alterum de muliere à sanguinis fluxione curata interseritur, quod inter eundum Christus edidit. Possunt huius multæ rationes adduci. Primò enim quia mortuam suscitaturus erat, & mortis aculeus est peccatum, docere debuit, se peccati noxam tollere, & corruptæ naturæ mederi, & proinde verum esse mortis victorem. Deinde Iairo, in fide infirmo, mulier hæc, fidei constantissimæ exemplum, opponitur: vt per hoc Iairus confirmetur, & quid sibi de Christo sperandum sit intelligat. Præterea, ne quis Christum posthac pauperes minus curaturum putaret, quando illum magnates quærere cœperunt, hoc exemplo illis spem nouam facere voluit. Quò cumprimis pertinet, quòd in muliere ægra & paupercula fides perfectior est, quàm in synagogæ principe: vt vel hinc constet, regni cœlorum mysteria paruulis reuelari, quæ ferè à sapientibus huius mundi ignorantur, & Deum infirma & stulta huius mundi eligere, vt confundat ea, quæ aliquam potentiæ & sapientiæ existimationem sustinent. Attamen vt hæc melius intelligantur, singulas historiæ partes ex ordine videbimus.

I. Mulieris conditio. — *Genesis 3.* — *Leuit. 15. 18. 20.* — *Morborum causæ.* — *Leuit. 26.* — *Deut. 28.* — *Gene. 9.* — *Deut. 12.* — *Medicinæ ratio & usus.* — *Ecclesi. 38.* — *Matth. 9.* — *Ioan. 5.* — *Acto. 3. 14.*

Describitur primùm mulieris conditio, quæ multis modis miserrima fuit. Nam morbo laborat, quo Deus hunc sexum ob peccatum præcipuè mulctauit, & qui iuxta legem immundas reddebat, & à sacrorum communione arcebat. Idem verò temporis diuturnitate deterior & incurabilis factus erat, & miseram paulatim conficiebat. Accedebat huic malo paupertas, eò quòd facultates omnes in medicos frustra insumpsisset. Solet hoc ferè ijs euenire: qui veram tum morborum tum medicinæ rationem, quæ Dei verbo traditur, ignorant. Morbos enim ex peccato originem habere, & ideò flagella dici, alibi monuimus. Quò fit, vt iusto Dei iudicio in corporis perniciem conuertantur, quæ illi conseruando seruire debebant. Sic ex sanguinis fluxione ista laborat, cùm in sanguine uitã consistere scriptura testetur, & eiusdẽ fluxus naturalis purgationi salubriter seruiat. Idem fit quando calor natiuus vel subducitur, vel præter modum incenditur: quando item humores, sine quibus corporis valetudo seruari non potest, vel exiccantur, vel redundant, aut alioqui corrumpuntur. In quibus Dei iustitiam simul & potentiam agnoscere decet, qui donorum suorum abusum punire solet, & carnis ferociam tam facilè cohercere potest, adeoq; in nobisipsis arma reperit, quibus illam coerceat. Humiliemur ergò sub potenti illius manu, nec vnquam animis nostris excidat, nos intra nosmetipsos arma gestare, quibus conficiamur, si ita Deo visum fuerit. Quoad verò medicinam, præclarum Dei donum est, quem vires salutares tum plantis infinitis alijs rebus inseuisse constat, quarum in medicina vsus est. Quare sanctos illa non rarò vsos esse legimus, & notum est illud Sapientis dictum: Honora medicum propter necessitatem, Dominus enim eius author est. Attamen quia diuinitus morbi immittuntur, & (vt idem sapiens ait) qui in Creatorem suum peccauerit, in medici manus solet incidere: inanis erit medicina omnis, nisi Domino per illam operari visum sit. Ita ergò illa vtendum, vt ante omnia per pœnitentiam ad Deum conuertamur, & omnem salutis spem in illius misericordia collocemus: Inde demùm medicina cum fide & diuini nominis inuocatione vtamur. Quòd si nos per ea minus iuuari sentiamus, quæ multi alij salutaria experti sunt, Dei iudicium nos agnoscere, & idem patienter ferre conuenit: nec interim de illius ope desperare, quæ nec diuturnitate nec grauitate morborum retardari aut impediri poterit. Exempla eius rei in paralyticis nonnullis sacra historia proponit, qui post diutinam & desperatam infirmitatem subitò curati sunt, quando illud propria ipsorum salus, & Dei gloria exigebat. Hæc quia minus obseruauit Asa rex, & morbi dolore superatus, ad medicos potius quàm ad Deum confugit, illum peccati grauissimi scriptura accusat, 2. Paralip. 16.

Typus peccatorum & falsæ doctrinæ. — *Gen. 8.*

His præmissis, videamus vt hæc ipsa ad animas & illarum tum morbos tum salutem referri possint. Nam, quòd sæpe monuimus, hæreditario malo peccati noxa nobis inhæret: quia fit, vt figmenta cordis nostri ab ineunte ætate praua sint. Quòd si illi indulgere libeat, mox in omne scelus diffluimus, & immundi coràm Dei conspectu comparere non possumus, & (ut quæ in sanguinis fluxione sunt) paulatim quasi nescientes conficimur, dum ipsi nobis inter media peccata palpamus atq; blandimur. Exempla passim in auaris, ebrijs, libidinosis, & alijs horum similibus occurrunt. Quòd si tandem

dem in aliquam nostræ corruptionis cognitionem adducti, vel ipsi nobis mederi velimus, vel ab alijs medicinam petere: multi quidem sese medicos profitentur, sed qui omnes hoc vnum præstabunt, quòd vana spe lactatos pecunijs emungent, & quoad animas longè deteriores reddent. Tales olim erant, de quibus apud Ezechielem Dominus conqueritur, quòd nec debiles confortarent, nec ægrotos sanarent, nec confractos obligarent. Et tales sectabantur, quos Isaias pecunias suas expendisse ait pro nō pane, & pro eo quod saturare non poterat. Tales quoq; fuerunt Iudæorum scribæ & sacerdotes qui templum in emporium & latronum speluncam commutarunt. In quorum numero censeri debent, qui hodie vulneratis conscientijs putidißima & venenata humanarum traditionum emplastra, & cauteria purgatorio igne ardentia adhibent: quibus nihil aliud efficiunt, quàm quòd aut sensum peccati omnem adimunt, & inani propriæ iustitiæ atq; salutis iam partæ persuasione inebriatos decipiunt, aut cōscientias maiori terrore excruciant, & interim sub religionis prætextu opes tum publicas tum priuatas ad se trahunt. Ezech. 34. Isaiæ 55. Ioan. 2. Matth. 21.

Videamus ergò secundo loco, quid mulier ista fecerit, vt quid nobis quoque faciendum sit, intelligamus. Primò sentit morbum incurabilem factum, & omißis medicis, ad vnum Christum confugit, de quo multa audiuerat, quæ illius cùm potentiam diuinam, tum bonitatem & facilitatem erga miseros mortales commendabant. Est hic primus ad salutem gradus, vt & nostram corruptionem agnoscamus, & humanis viribus nihil profici intelligamus, & proinde ad Christum confugiamus, qui verus & vnicus est animarum medicus. Hinc olim veteres cœpisse videmus, quorum preces sunt, ne Deus ipsorum iniquitates obseruare, & cum illis suo iure agere velit. Et Paulus in naturalis huius corruptionis consyderatione multum versatus, tandem exclamat: Miser ego homo, quis me liberabit ex hoc corpore mortis? Idem verò mox sibijpsi respondens ait: Gratias ago Deo per Iesum Christum &c. At hodie iustitiariorum nostri seculi tanta est peruicatia, vt licet se miseros esse sentiant, & sacrificulorum atq; monachorum imposturas non semel experti sint, superstitiosis tamen hominum commentis adhuc inhærent, nec adduci poßunt, vt in vno Dei filio Iesu Christo salutem suam quærant. Obseruabis autem hoc loco, quòd mulier hæc de Christo multa audiuisse dicitur, quorum commemoratione excitata ad illum venit. Commendatur hoc exemplo externa verbi Dei prædicatio & diligens eius audiendi studium. Ex auditu enim et verbi prædicatione fides obtingit: quam qui aspernantur, indigni sunt, qui in salutis negotio vnquam proficiant.

II. Quid mulier hæc fecerit.

Psal. 130. 143. Rom 7. Roman. 10.

Deinde fides mulieris huius eximia fuit. Etsi enim iuxta legem immunda censeretur, Christum tamen accedit, quem fortaßis audiuerat ne à leprosorum quidem contactu abhorrere. De eiusdem verò potentia tantam spem concepit, vt se saluam fore putet, si vel vestem illius sibi contingere detur. Nec tamen superstitiose vesti aliquid diuinæ virtutis tribuit, vt hodie ineptißimi homines solent, qui ex commentitijs & laceris sanctorum pannis salutem sperant, quorum errori quàm parum patrocinetur exemplum hoc infra videbimus, vbi Christus illam virtute ex se egressa curatam esse testatur. Est autem hic secundus ad salutem gradus, vt cum fide Christum accedamus, & vestem illius veram tangamus, qua indutus inter nos conuersari voluit. Est hæc illius humana natura, qua deo vestitus est, vt illi nos communicare poßemus. Hanc nobis tangere dabitur, si propter nos hominem factum esse credamus, & in illius merito spem salutis nostræ omnem collocemus. Interim pulchrè nobis adumbratur fidei ingenium. Scit illa Deum velle & posse iuuare. Attamen non procaces aut impudentes, sed verecundos & modestos reddit. Talem videmus peccatricem, quæ Christi pedibus aduoluta, peccatorum suorum remißionem petebat. Talis Paulus fuit, qui quoties pristinæ conditionis recordatur, se Apostoli nomine indignum esse dicit, etsi plus reliquis omnibus laborasset. Oritur ex eo ardens pietatis studium, vt cum timore & tremore salutem suam pij operentur, ne iterum excidant ab eo gradu, in quem Christi beneficio constituti sunt. At longè aliter hypocritæ, qui externæ sanctimoniæ opinione inflati, in Dei conspectum audacter prodeunt, & suam illam iustitiam cōfidenter iactant, neq; sibi maiori studio salutis retinendæ opus esse arbitrantur. Vide Luc. 18.

Fides mulieris magna.

Fidei ingeniū. Lucæ 7. 1. Cor. 15.

Porrò videndum est, quis tantæ fidei effectus siue fructus fuerit. Primùm statim exaruit fons sanguinis eius. Adeò leui momento diuina Christi virtus perficit, quod nulla medicorum arte effici potuerat. Deinde sensit corpore, quòd ab hoc suo flagello sanata esset. Vnde constat, Christum salutem nobis perfectißimam conferre. Nam peccati reatum tollit, vt nobis nec imputari queat, nec no-

III. Christus mulieri medetur.

uere amplius. Et licet in nobis maneat ingenita corruptio, eiusdem tamen fluxum sistit, dum cupiditates prauas cohercet, ne illis (vt antea) superemur. Animos item tranquillat, dum suo spiritu salutis certos reddit, vt nobis cum Apostolo clamare liceat: Si Deus pro nobis, quis contra nos? Quis intentabit crimina aduersus electos Dei? Deus est qui iustificat, quis ille qui condemnet? Item: Viuo autē iam non ego, sed viuit in me Christus, &c. Obseruabis autē, vnde nobis cōstare possit, vel nos vel alios per Christum curatos esse. Si nimirum corruptæ naturæ fluxus sistatur, nec in nobis peccatum amplius regnet. Quoad enim carnis affectibus abrepti, in omne scelus ruimus, frustra vel Christum profitemur, vel salute per illum parta gloriamur. Arguuntur hoc loco, qui euangelij professione superbi, pessimis suæ carnis desiderijs indulgent, peccata peccatis accumulant, & effreni morum licentia Christi nomen atque fidem prophanant. Sunt hi ex eorum numero, quibus ille olim dicet: Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem. Non enim quisquis mihi dixerit, Domine Domine, introibit in regnū meum, sed qui fecerit voluntatem patris mei, qui in cœlo est. Matth. 7. Agnoscamus ergò corruptionem nostram, vtamur autem Christo medico, & per illum curati, vitam viuamus illius professione dignam, vt cum eodem in cœlis æternum viuere & regnare detur. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

2. Cor. 1. 5. Rom. 8. Galat. 2. Mat: 7

HOMILIA XLIII.

Et statim Iesus in semetipso cognoscens uirtutem ex sese prodijsse, conuersus in turba aiebat: Quis tetigit uestimenta mea? Et dicebant ei discipuli ipsius: Vides turbam undiq; prementem te, & dicis, Quis me tetigit? Et circūspiciebat ut uideret eam, quæ hoc fecerat. Mulier uerò timens & tremens, cùm sciret quod factum esset in se, uenit, & procidit coràm eo, dixitq; ei omnem ueritatem. Ille autem dixit ei: Filia, fides tua te seruauit: uade in pace, & esto sana à flagello tuo.

Argumentum et usus loci præsentis.

QVemadmodum Dominus noster Iesus Christus nostræ salutis ergò in medium venit: ita multus in hoc est, vt veram fidem doceat, quæ sola nos salutis in ipso capaces reddit, & vt eos in fide confirmet, qui adhuc infirmi vacillant. Exemplum eius rei euidens in præsenti narratione Marcus proponit. Venit enim ad Christum Iairus, synagogæ princeps: qui licet illius opem pro filia moritura imploret, magna tamen adhuc fidei infirmitate laborat, sicuti omnes circumstantiæ docent. Nō tamen ideò illum reijcit Christus, sed potius fidem ipsius nutantem diligentissimè suffulcit, dum interim eundum mulieri sanguinis fluxione incurabiliter laboranti mirificè medetur. Quia tamen miraculum hoc occultè editum fuerat, & proinde nihil profuisset, illud ipsum in lucem protrahit, & non tam Iairi quàm omnium nostrum institutioni accommodat. Ita enim docemur, quid de ipso nobis sperandum sit, vt item salutis in ipso consortes reddamur, & quid nos accepto salutis beneficio facere conueniat: De quibus singulis suo loco dicemus.

Christus intelligit uirtutem ex se prodijsse. Luc. 6. Actorum 19. Matth. 10. Marci 16.

Primò Christum cognouisse aut sensisse dicitur, uirtutem ex se prodijsse, qua mulier ista curata fuit. Quod ideò annotatur, ne quis miraculum hoc fortuitò accidisse putaret, aut illud vesti tribueret, cuius fimbriam illa tetigerat. Sic alibi ex Christo virtutem exiuisse Lucas scribit, quæ omnes sanarit, qui illum contrectabant. Quin passim hoc diligenter cauet scriptura, ne salutis nostræ gloria aliò quàm in vnum Christum referatur. Facit huc, quòd cùm ad Pauli sudaria morbi & spiritus immundi cessisse scribuntur, ibidem miraculorum istorum omnium author vnicus indicatur Deus, qui ista sic fieri voluit, vt Apostolorum doctrinæ fidem faceret, & de Christo filio suo publicè testaretur. Idem de ijs sentiendum est quæ olim ad Martyrum sepulchra edita fuisse, Augustinus & alij ex veteribus prodiderunt. Illis enim non loci religionem, sed illorum doctrinam & fidem Deus commendare voluit, & crucis scandalo mederi, quod ex ignominiosa illorum morte apud rudes enasci poterat. Nihil ergò istorum superstitioni miracula ista seruiunt, qui ex Christi aut sanctorum reliquijs quæstum fecère. Nam vt de imposturis nihil dicamus, quas circa has satan iam olim exercuit,

& verè

& verè facta esse aut fieri fateamur quæcunq; isti dicunt, quid hinc aliud colligetur, quàm ei doctrinæ credendum esse, quam isti professi sunt, quorum illæ reliquiæ habentur? At non sufficiunt ad doctrinæ comprobationem miracula, nisi eadem Euangelio ab Apostolis prædicato consentiat: quando ne angelo quidem cœlitus delapso credendum est, si aliud Euangelium prædicet, & ex scripturis constet, non rarò à seductoribus & Antichristi mystis miracula præclara fieri, quibus Deus suorum fidem tentare & exercere cõsueuit. Et ne à signis penderemus, in quibus fraudes & imposturæ variæ cõmitti possunt, verbum suum nobis dedit Deus, quo & voluntatem suam & omnem veræ fidei rationem euidenter expreßit. Quicquid ergò huius est, ad fidei regulam & Dei verbum examinari debet, ne temere superstitiosis impostorum traditionibus nos circumduci patiamur. Galat.1. Deut.13. Matth.24. 2. Theß.2.

Sed ad Christum redeamus. Quærit is, quis nam vestimenta ipsius attigerit. Discipulis autem ista quæstio ridicula videtur, qui ad turbam vulgi vndiq; ipsi imminentem respiciebant, fidei verò & salutis mysterium, quod hîc agebatur, ignorabant. Nec ideò hanc quæstionem Christus mouit, quòd mulieris factum ignoraret, sed vt illud patefactum, tam Iairi quàm aliorum omnium institutioni seruiret, sicuti initiò monuimus. Docemur enim, quis verus ille Christi contactus sit, quem ille sentit & agnoscit. Comitatur ipsum ingens hominum turba, quos curiositas & rerum nouarum studium excitauit. Hi illum vndiq; vrgent, premunt & hinc inde propulsant: quos tamen ille non curat, nec se ab illis tangi dicit. Ista verò ex fide à tergo accedit, & solam vestis ipsius fimbriam contingit, & mox illum audimus clamantem: Quis tetigit vestimenta mea? Sola ergò fide Christum verè tangimus, vt nobis salutaris fiat, qua de re infra pluribus dicetur. Interim huius exempli meminerint, qui hodie præpostero quodam studio excitati, Christum importunè satis premunt & vrgent, dum sacros cœtus adeunt, verbi prædicationem audiunt, sacramentis communicant, cùm iterim à fide in Christum alienißimi sint, quod tota vitæ ipsorum conuersatio abunde testatur. Sunt hi ex illorum numero de quorum conuentibus ad templum & sacrificijs Deus apud prophetas conqueritur, & quibus (vt nuper quoque dictum est) olim ipse Christus dicet: Nunquam noui vos. Discedite à me qui operamini iniquitatem. Non quisquis dicit mihi, Domine Domine, introibit in regnum meum: sed qui fecerit voluntatem patris mei, qui in cœlis est. Non ergò de solis externis hisce nos solicitos esse oportet, sed in hoc incumbere, vt Christum vera fide complexi, illius spiritu animemur, qui & Dei dilectione & præceptorum eius studio nos inflammet. Ita enim fiet, vt à Deo quoq; diligamur, qui vnà cum Christo filio suo ad nos veniet, & apud nos mansionem faciet, sicuti ipse Christus in Euangelio pollicetur. Vide Ioan 14.cap. Quærit Christus, quis ipsum tetigerit. Vt Christus verè & salubriter tangatur. Ezechiel.33. Isaiæ 1.29. Ierem.7. Psal.50.&c.

Quid verò mulier, vbi quod occultè fecerat, Christum minimè latere, & se iam in lucem protrahi videt? Timens & tremens prodit, ad Christi pedes procidit, & omnem rei gestæ veritatem palàm exponit. Timoris causa est, quod propriæ infirmitatis & indignitatis sibi conscia, metuit, ne acceptum beneficium rursus amittat. Pulchre verò hic illorum, qui per fidem in Christum saluati sunt, ingenium simul & officium exprimitur. Agnoscunt illi Christum saluatorem, & eiusdem voluntate atq; potentia nequaquam dubitant. Sentiunt item se per illum saluos factos esse. Interim tamen semper animis illorum obuersatur pristinæ conditionis recordatio, & infirmitatis propriæ consyderatio: quò fit, vt non poßint non timere, quoties se tanto beneficio indignos esse cogitant, & simul se tantum thesaurum in vasis testaceis gestare sentiunt, vt eundem facilè amissuri sint, nisi singulari Dei gratia sustententur. Exemplum huius rei in Dauide habemus, qui cùm peccatum suum iam translatum esse per Nathanem intellexisset, nec de diuinæ promißionis veritate quicquam dubitaret, illud ipsum tamen sibi semper ob oculos versari queritur, & anxius orat, vt spiritu firmo Dominus ipsum innouare dignetur. Et huc illud Pauli facit, qui nos cum timore & tremore salutem nostram operari iubet. Minimè ergò probantur securi & oscitantes nonnulli, qui de salutis suæ certitudine multùm quidem gloriantur, interim de illa retinenda nunquam cogitant, & nec suæ infirmitatis nec diaboli insidiatoris astutißimi memores, se illi circumueniendos præbent. Quorum postrema ferè deteriora fiunt primis, sicuti alibi Christus admonet. Nos ergò mulierem hanc imitati, coram Domino humiliemur, & contrito spiritu tum indignitatem nostram, tum acceptum à Christo salutis beneficium publicè confiteamur, & simul nostræ infirmitatis semper memores vigilemus, ne vel carnis cupiditatibus abrepti tanto Dei beneficio abutamur, vel diaboli insidijs circumuenti à salutis via ex- Mulier timens & tremẽs rem omnẽ narrat. 2.Corinth.4. 2. Sam.12. Psalm.51. Philip.2. Lu: 11

orbitemus. Ita fiet, vt maiores fidei progressus faciamus quotidie, et ipsius Christi consolatione indies magis confirmemur.

Vt Christus timentem & tremuentem exceperit. Matth. 9. Lucæ 8.
Et huc postrema huius loci pars referri debet, qua narratur, vt timentem & trementem mulierem Christus sit allocu us. Primò illam, vt reliqui duo tradunt, præsenti animo esse iubet, & filiam vocat. Non enim vt confundat & perdat, suos in medium protrahit Christus, sed vt saluos faciat, & conscientijs suis exhilaratos publica salutis & gratia suæ exempla proponat. Et hîc cumprimis honorificum est, quòd filiæ nomine eam dignatur, quæ hactenus quasi neglecta à Deo nostræ corruptionis simul & miseriæ typum gesserat. Ita alibi paralyticum filium dicit, qui tamen in morbo isto peccatorum suorum pœnas exoluebat. Vnde constat, nos propter ingenitam corruptionem & miseriam à Deo non reijci. Vt enim pater liberos morbis aut corporis vitio laborantes non ideò liberorũ loco habere desinit, sed eò tenerius amat: Ita nos propter naturæ corruptionem & ex hac emanantes defectus non totos abijcit Deus, sed ardentiori affectu amoris complectitur, modò illam agnoscamus, & salutem, qnam ille nobis in Christo offert, amplexemur.

1. Consolatur. Matth. 9.

2. Causam salutis indicat. Actorum 4.
Deinde causam salutis indicat, dicens: Fides tua te seruauit. Atqui prius virtus è Christo prodisse dicebatur, quæ illam curauisset. Vtrumq; tamen verè & rectè dicitur. Propriè quidem salus omnis ex Christo est, nec aliud nomen est sub cœlo hominibus datum, per quod saluari possint. At quia hic non alia ratione, quàm fide percipitur, fide nos saluari scriptura ait: non quatenus illa nostrum opus est, sed quatenus Christum apprehendit, & nos illius consortes reddit. Et rursum, quia Christum nobis non ob merita nostra, sed ex gratia Deus saluatorem dedit, & idem nobis fidem largitur (quam Dei donum esse Apostoli tradunt) salutem omnem ex mera Dei gratia dependeri constat, nec quicquam hîc nostris viribus aut meritis tribui debere. Hinc ergo Apostolicum illud dogma deriuatur, ex sola gratia per fidem in Christum hominem iustificari & saluari posse. Quæ doctrina hodie multos offendit, quòd fidei vim ignorant, & illius loco nudam quandam & inanem opinionem animo concipiunt. Quòd si verò ijdem intelligant, fidem certum & firmum conscientiæ & totius animi assensum esse, quo Christum amplectimur, qualis nobis in scriptura proponi solet: mox illam humanas vires longè exuperare, & per hanc nos ita Deo subijci sentient, vt fide & illius effectis nihil præclarius excogitari queat. Non temerè ergo fidei tribuitur, quod nullis hominum uiribus siue meritis acquiri potest. Nec interim illorum exemplo nos offendi decet, qui sub fidei prætextu peccandi licentiam sectantur: quin ipsi potius in hoc simus, vt fidem quam profitemur, totius vitæ consuetudine & officijs exprimamus.

Ephes. 2. 1. Cor. 3. Rom. 3. Galat. 2. &c.

3. Salutis certam reddit.
Tertiò omnem timorem adimit, & salutis certam reddit, dicens: Vade in pace, & esto sana à flagello tuo. Semper enim inter spem & metum dubij fluctuamus, donec peculiari gratiæ Dei promissione confirmamur, quæ per Euangelium offertur: cuius prædicationem ideò pij sedulò audiunt, quò facilius quotidianis conscientiæ tentationibus resistant. Paucis verò Christus salutis in ipso effectus exprimit. Primò enim pacem animorum confert, iuxta illud Pauli: Iustificati ex fide pacem habemus erga Deum, per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem & aditum nacti sumus fide in gratiam hanc, in qua stamus, &c. Quam pacem alibi omnem mundi intellectum superari ait, eo quòd inter medias tribulationes durat, & tunc mirificè iuuat, quando humana omnia fallunt. Deinde sanam esse aut manere iubet. Nam vt salutis certos reddit, ita etiam officij admonet: vt nimirum nos non modò credamus saluatos esse, sed salutem retinere studeamus. Nobis enim omnibus dicitur, quod paralytico Christus dixit: Ecce sanus factus es, ne posthac pecces, ne quid deterius tibi contingat. Frustra enim salute in Christo gloriantur, in quibus ea tantũmodo opera elucent, quæ damnationem & interitum merentur, aut qui ex ijs erepti, deuoto animo ad ea relabuntur. Horum itaq; memores, salutem in Christo constanti fide amplectamur, & vitam viuamus illius professione dignam: Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Rom. 5.

Philip. 4.

Ioan. 5.

HOMILIA XLIIII.

Adhuc eo loquente, ueniunt quidã à principe Synagogæ, dicentes: Filia tua mortua est: quid amplius uexas magistrũ? Iesus autem statim

ut au-

ut audiuit hunc sermonem qui dicebatur, dicit principi Synagogæ: Ne metuas, solummodò crede. Neq; permisit ut quisquam se consequeretur, nisi Petrus & Iacobus, & Ioannes frater Iacobi. Tunc uenit in domum principis Synagogæ, & spectat tumultum, flentes & eiulātes multum. Et ingressus, dicit eis: Quid tumultuamini & fletis? puella non est mortua, sed dormit.

Miracula Domini nostri Iesu Christi ita ab Euangelistis describuntur, vt partim doceat, quid nobis in illo datum sit: partim rationem ostendant, qua nos tum ipsius Christi tum salutis in ipso consortes reddamur. Vtrumq; hoc in præsenti etiam habetur, quo Iairi filiam à mortuis suscitauit. Se enim nobis vitæ & immortalitatis authorem esse docet, & simul Iairi exemplo admonet, vt hanc apud ipsum quærere debeamus. Etsi enim is in fide infirmior fuerit, ad Christum tamen confugit, coram illo procidit & orat. Quæ omnia Christo ita probantur, vt illius infirmitati sese amicè accommodet, & fidem ipsius nouo atque insigni miraculo confirmet. Et huc cumprimis faciunt quæ modò recitauimus. Describitur enim grauissima tentatio, qua Iairi fides denuò oppugnari cœpit, quam tamen Christus salutari consolatione fulciuit, & tandem domum ipsius ingressus, ea agere cœpit quæ ad puellæ resuscitationem pertinebant. Argumentum & usus præsentis loci.

Nam loquente adhuc Christo cum muliere, adsunt qui filiam iam extinctam esse denunciant, simulq; addunt: Quid amplius vexas magistrum? Fuit ista haud dubiè grauis tentatio. Antea enim infirmior adhuc Iairus Christum non aliter illi mederi posse putauit, quàm si coràm præsens manus imponeret: nec dubium est, quin valde solicitus fuerit, ne mora aliquid maioris periculi afferret. Et cùm ex præcedenti miraculo vix dum melius sperare cœperit, en adsunt, qui fidem nondum plenè confirmatam nouo ariete concutiunt, & denuo labefactant. At ea est piorum conditio, vt quoad in huius vitæ palæstra agunt, aßiduis & nouis subinde tentationibus exerceantur. Nusquam enim cessat communis noster hostis satan, quem scriptura ideò tentatorem vocat, quòd instar rugientis leonis obambulat, quærens quem deuoret. Nec illi desunt ministri inter homines, quorum vel minacibus dictis, vel blanditijs, vel sophismatis fidei nostræ fundamenta conuellat. Quin ipse Deus suorum fidem nouis indies casibus atque periculis exercet, vt & gloria sua per hanc illustretur, & eadem suo exemplo multorum institutioni seruiat. Sic Abraham, vbi Dei vocationem secutus natale solum reliquit, mox fame excipitur, quæ illum in Ægyptum descendere cogit. Illic Saram vxorem abducit Pharao. In terram verò à Domino monstratam reuersus, domesticis famulorum dissidijs vexatur, belli periculis obijcitur, & infinita alia huius generis sustinet, quæ singula ad fidem illius euertendam sufficere poterant, nisi illum Dominus singulari gratia sustentauisset. Eadem quoq; Dauidis sors fuit, qui post acceptam à Deo regni promißionem Saulis tyrannide è regno & patria eijcitur, restitutus verò domesticos suos hostes sentit, & à filio tandem rursus exturbatur. Experimur similia ipsi etiam quotidie, dum Dei vocationem secuti, modò morbis exercemur diuturnis, modò egestate premimur, modò exulare cogimur, modò famæ periculum subimus, modò bellorum molem sustinemus, adeoq; indies noua tentationum agmina aduersum nos surgere videmus. Accedunt his carnis cogitationes, Deum mortalium res non curare, vana esse quæ de futuri seculi conditione dicuntur, nec vllum esse apud Deum discrimen inter pium & impium, quare imprudenter nimis eos facere, qui religionis causa cum quoquam dißideant. Quæ omnia vt occultè nobis suggerit satan, ita eos quoq; homines submittit, qui gliscentis impietatis scintillas suis sermonibus ceu follibus & flabellis magis incendant. Omitto nunc conscientiæ tentationes, quæ vt grauissimæ sunt, ita frequenter recurrunt, vt vix vnquam securis & quietis esse liceat. At in omnibus hisce Iairi & alia veterum exempla animis nostris obseruari debent, nec absque Dei prouidentia nos ita exerceri putemus, qui (vt Apostolus ait) suos nouit ex tentatione eripere, & cum tentatione simul euentum facit, quò hanc sufferre & omnibus periculis superiores euadere poßimus. 1. Corinth. 10.

Iairo nunciatur filiam mortuā esse.

Pij aßiduis tentationibus exercentur.

Matth. 4.
1. Pet. 5.

Gene. 12. 13. 14. &c.

Psalm. 73.
Malach. 3.

2. Pet. 2.

Facit huc Christi responsio, qui omißis importunis hisce & infelicibus nuncijs, mox ad Iairum conuersus, illum consolatur, & ait: Ne metuas, solummodò crede, & salua erit. Est hoc ingens bonitatis & animi plus quàm paterni argumentum. Videt enim tentationes nostras Dominus, & simul Christus Iairū consolatur. Lucæ 8.

infirmitatem nostram agnoscit, quibusq; remedijs opus habeamus intelligit. Illa ergo in tempore adhibet, nec nos vltra vires tentari patitur. Hîc verò diligenter obseruabis, quod nam & quale remedium tentationi omnium grauissimæ adhibeat. Solummodò crede (inquit) & salua erit. Fides ergo sola sufficit, & ea vnicum est aduersus omnia ea remedium, quæ saluti nostræ officere solent. Vt enim incredulitas nos ad percipiendam Dei bonitatem ineptos reddit (sicuti infra de Nazarethanis dicetur) sic sola fides eiusdem nos capaces facere consueuit. Et hîc consolationis plenum est, quòd etsi Iairum infirmum & imperfectum esse sciat Christus, ab illo tamen fidem simpliciter requirit, non angelicam & omnibus numeris absolutam, sed qualis in nobis esse potest, dum in carne hac corruptissima versamur. Nec Iairo soli, sed nobis quoque dictum putemus, quod hîc dicitur. Constat enim sibijpsi semper Deus, & vna eademq; semper fuit apud illum salutis humanæ ratio. Docet hoc apertè Paulus quando 1. Corinth. 10. patres olim sub Mose eandem escam spiritualem nobiscum comedisse, & eundem nobiscum potum bibisse ait. Petrus item Acto. 15. cùm nonnulli eos qui ex gentibus crediderant per circumcisionem legi subijcere vellent, & eorum sententia patrum exemplo confirmari videretur, qui ea ratione salutem consecuti esse multis videbantur, inter alia grauiter ait: Quid tentatis Deum, vt imponatur iugum super ceruicem discipulorum, quod neq; patres nostri, neq; nos portare potuimus? Sed per gratiam Domini Iesu Christi credimus nos seruatum iri, quemadmodum & illi. Sed & Christus de Abrahamo loquens: Exultauit (inquit) vt videret diem istum meũ, & vidit & gauisus est. Quò etiam pertinet, quòd credidisse dicitur, & fidem eam illi imputatam fuisse ad iustitiam. Eandem ergo salutis rationem hodie quoq; omnes eos sectari cõuenit, qui ad illam pertingere volunt. Non ergo illorum argutijs offendamur, quibus nimis leuiculum videtur, si sola fide homines saluari dicamus, & proinde nescio quid maius & præstantius requirunt. Quæ enim insania est, plus quiddam exigere, cùm ipse Deus fide contentus sit? At hoc faciũt, qui fidei vim ignorant, & per hanc nihil aliud quàm inanem opinionem siue persuasionem rationibus humanis suffultam intelligunt. Cæterum fides Dei verbo nititur, & illius proprium est contra spem sperare (sicuti Abrahami exemplo Paulus docet) & omnem carnis intellectum per obedientiam veram Deo subijcere. Hanc ergo quotquot habent, ij & diuinæ voluntati obediunt, & verè bonis operibus fulgent, & quæuis aduersa constanter superant, sicuti multis exemplis Apostolus ad Hebræos docet. E contra, qui fide destituuntur, ij etsi ad tempus aliquam honestatis speciem præ se ferant, & religionem veram profiteantur, mox tamen affectibus superati in omne scelus ruunt, & vbi pericula imminent, fidem turpiter abnegant. Nos ergo veræ fidei assuescamus, & in vnum Dei verbum eiusq; promissiones intenti, nec carnis affectibus, nec humanæ prudentiæ, nec mundi minis locum demus, & mox nobis omnia salua fore experiemur.

1. Corinth. 10.
Fides optimum in tẽtationibus remedium.
Marc. 6.
Rom. 4.
2. Cor. 10.
Hebr. 11.

Sed redeamus ad Christum, qui & turbis & plerisq; discipulorum post se relictis, tres solummodò assumit, Petrum scilicet, Ioannem & Iacobum (quos in alijs quoq; negotijs magis arduis sibi præ cæteris familiares habuit) & illis comitatus ad Iairi domum contendit. Solos verò hos ideò delegisse videtur, quòd nondum venisset hora glorificationis suæ, & hi tres postea rei gestæ sufficientes testes esse poterant. Interim admonemur, inter electos quoq; donorum diuersitatem esse, & alios alijs præstare. Sic in veteri Testamento Mosi Deus familiarius quàm postea vlli prophetarum collocutus est. E Danieli plura quàm alijs reuelata sunt. Inter Apostolos quoq; Paulum & Ioannem visionibus reliquos excelluisse scimus. Cùm verò hæc pro bona sua voluntate ita Deus dispenset, illius gratiam agnoscant qui se præ alijs ornatos vident, nec ideò efferantur. Reliqui verò Dei dona in fratribus magni faciant, nec aduersus Deum inuidiosè murmurent, sed illi licere cogitent de suo agere, quod ipsi bonum videatur.

Christus tres solus huic negotio adhibet.
Marci 9. 14.
1. Corinth. 12.
Num. 12.
Dan. 7. 8. 9. 10. &c.
2. Cor. 12.
Apoc. 1. &c.

Porrò Iairi domum ingressus Christus tumultuantes, & magno cum eiulatu puellæ mortem deflentes inuenit. Neq; hîc prætermittendum est, quòd Matthæus tibicinum quoq; mentionem facit. Ex eo enim constat, Iudæos legis diuinæ immemores, in funeribus gentium mores & ritus imitatos fuisse. Habebant autem illæ varios tibiarum modos, inter quos Ionicus, Lydius & Phrygius à scriptoribus celebrantur. Phrygio autem in funeribus vtebantur, quòd is suo modulamine ad luctum concitandum idoneus esset, & illis ad manes placandos aliquid posse videretur: vt ex hisce Statij poetæ versibus conijcere solet.

Iudæi funera gentium more lugebant.
Leuit. 19.

Quum

Quum signum luctus cornu graue mugit adunco
Tibia, cui teneros suetum producere manes
Lege Phrygum mœsta, &c. Et nostro seculo aliquas huius superstitionis reliquias apud Græcos superesse ferunt. Nec aliunde manauit, quòd hodie qui fide in Christum gloriantur, funera cum cantu, nolarum pulsu, cereis & mercenarijs præficorum & præficarum ploratibus deducere solent. Sunt hæc gentilitiæ superstitionis monumenta, quæ vt retineantur sedulò incumbit satan, quia illis superstitio fouetur, & fides labefactatur, quæ animas credentium, sacris eiusmodi nequaquam opus habere, sed à morte in vitam transire docet. Nos ergo scripturas audire decet, quæ luctum moderatum in funeribus non damnant, quem videlicet charitatis affectus & defunctorum desyderium in nobis excitat: cui olim sanctißimos patriarchas, & postea primitiuæ ecclesiæ fideles in Stephani morte piè indulsisse constat. Curandum tamen ne in illo modum excedamus, vt ij solent, qui spem futuræ resurrectionis ignorant. Honorificè autem corpora defunctorum sepeliri debent, tum quòd aliquando spiritus sancti templa fuêre, tum quòd illa ad gloriam resurrectura esse scimus. Et cumprimis caueant Christiani, ne quid vel ex inueterata consuetudine, vel incogitantia faciant, quod cum superstitione coniunctum, Christi merito & fidei doctrinæ quicquam deroget. Cauebunt autem, si omnibus ijs abstineant, quæ ex gentilismo in ecclesiam inuexit Romanus Pontifex, qui superstitiosorum hominum funeribus infelices illas harpyas, sacrificulos nimirū & Monachos, potißimùm alere & ditare consueuit. Si enim tibicines hosce Christus eiecit, cur hodie nouos inuehunt, qui Christiani haberi volunt?

Contra gentilitios funerum ritus.
Ioan. 5.
Gen. 23. 49. &c.
Acto. 8.
1. Thes. 4.
1. Cor. 6.

Sed Christum audiamus, qui lugentes cōpescit, quòd vel ficto vel superstitioso luctu puellæ huius mortem prosequerentur. Rationē verò subijcit, quòd illa non mortua sit, sed dormiat. Quo verbo nec illos ludit, nec inani spe lactat, sed de morte rectè & piè iudicare docet. Hanc enim scriptura paßim somnum vocat, & eos obdormiuisse dicit, quos mundus mortuos esse clamat. Ita verò loquitur propter resurrectionis spem, in qua corpora nostra, tanquam ex somno, ad vitam resurgent: piorum quidem, vt cœlestis regni gaudio fruantur: impiorum verò, vt sempiternas scelerum abs se patratorum pœnas exoluant. Hinc etiam mos ille apud veteres inoleuit, & sepulturæ loca κοιμητήρια (quod Latinis Dormitoria sonat) dicerent, & illa ipsa templis vicina esse voluerint, vt in resurrectionis fide magis confirmarentur, & simul intelligerent, mortuos quoque ab ecclesia nequaquam exclusos esse, cùm nec mors nec vita (sicuti Paulus ait) nos separare poßint à dilectione Dei. Vt verò doctrinam hanc mundus deridere soleat, in sequentibus patebit. Prodest autem in horum consyderatione frequenter versari, vt resurrectionis spe in tentationibus confirmemur, & eiusdem memores peccati blanditijs & affectuum illecebris maiori constantia & studio resistamus: vt nobis olim in cœlis viuere detur cum Christo Iesu domino nostro, cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Christus lugentes cum tibicinibus eijcit.
Mors somnus dicitur.
Ioan. 5.
Rom. 8. & 14.

HOMILIA XLV.

Et deridebant eum. Ipse uerò eiectis omnibus assumit patrem & matrem puellæ, & eos qui secum erant, & ingreditur eò, ubi puella erat iacens: prehensaque manu puellæ dicit ei: Thalitha cumi, quod est si interpreteris: Puella (tibi dico) surge. Et statim surrexit puella, & ambulabat (erat enim annorum duodecim) & perculsi sunt perculsione magna. Et imperauit eis multùm, ne ullus id cognosceret: dixitque ut daretur illi quo uesceretur.

Qvoniam propter peccatum omnibus nobis moriendi neceßitas incumbit, vtile simul & necessarium est, vt quænam sit mortis conditio probè intelligamus, & de illa rectè iudicemus. Qui enim hic errant, ij aut illius metu superati ea faciunt, quæ cum salutis æternæ periculo coniuncta sunt: aut dum post hanc nihil superesse sibi persuaserunt, effreni peccandi licentia in omne scelus effunduntur. Proderit ergo in præsentis historiæ consyderatione diligenter versari: in qua Christus

Argumentum & vsus præsentis loci.

Iesus non modò se mortis victorem esse ostendit, verumetiam quæ nam sit illius conditio, & quid nos in illa facere conueniat, pulchre docet. Puellam enim, quæ è viuis excesserat, dormire dicit, Scripturæ morem secutus, quæ paßim mortem somno confert, & eos obdormiuisse ait, qui vulgo mortui dicuntur. Vt enim corpora post diurnos labores ad somnum componuntur, vt huius beneficio recreata denuo surgant, & ad opus intermissum redeant: Ita vbi vitæ præsentis curriculum emensi sumus, per mortem corpora nostra obdormiunt, in nouißimo die resurrectura absq; omni corruptione, vt ad regni cœlorum possessionem idonea sint. Et sicut corpore dormiente, anima nec dormit nec cessat, sed vsque operatur (sicuti in somnijs est videre) sic etsi corpus in morte obdormiat, anima tamen mortis expers, ad suum locum colligitur, tandem in iudicij die ad corpus reuersura, vt cum illo vel æternæ vitæ gaudijs fruatur, vel æternas scelerum pœnas sustineat. Sed accedamus ad præsentis loci considerationem, qui multa habet, quæ ad pleniorem huius rei illustrationem faciunt.

Christus de morte & resurrectione disserens, ridetur.

Et primò quidem vt Christi dictum acceperint narratur, qui puellæ mortem gentium more lugebant. Deridebant eum, inquit Marcus. Quo exemplo docemur, vitam in Christo & resurrectionis mysterium mundo ludibrium & risum esse. Cum enim carnis ratione omnia metiatur, fieri nequit, vt ea capiat quæ sunt spiritus Dei, nec etiam Dei verbo credere potest, si illud carnis rationi aduersetur. Hinc est, quòd resurrectionis doctrina omnibus seculis irrisores habuit, qui quæcunque in hac carni absurda videntur, mirifica & ingeniosa scurrilitate exagitare consueuerunt. Tales inter Iudæos Sadducæi fuerunt, vt ex illorum quæstione colligere licet, quam Christo impudenter nimis proposuêre. De gentibus verò quid dicere attinet, quando Paulum irrisum fuisse legimus, cùm Athenis, in celeberrima philosophiæ scholæ, de mortuorum resurrectione verba faceret? Nec nostro seculo desunt, qui & hanc & extremum Christi aduentum mundiq; consummationem nimis scurriliter negant, & ea omnino loquuntur, quæ Apostolus Petrus de illusoribus scribit, quos nouißimo seculo venturos vaticinatur. Est autem hæc admiranda mundi stupiditas, quæ impoßibile & absurdum putat esse id, cuius tot vndique in rerum natura exempla & viuæ imagines habentur. Quis enim non videat arbores & plantas quotannis hyberno frigore intermori, & easdem vere ineunte reuiuiscere? Et nónne semina postquam in sulcis emortua fuerint, magno cum fructu proueniunt? Aut cur impoßibile videtur, hominem mortuum resurgere, cùm Deus olim ex luto hominem, qui nullus ante fuerat, crearit?

Actorum 23. Matth. 22. Actorum 17. 2.Pet.3.

Christi doctrina mundo ridicula.

Cæterũ non in hoc tantum articulo Christi doctrina ridetur, verumetiam in multis alijs. Nam si sola fide in Christum homines iustitiam & salutem consequi dicas, aut electionem Dei æternam fatearis, & eiusdem gratiam commendes, mox erunt, qui doctrinam istam non modò rideant, sed vt absurdißimam & bonis operibus inimicam explodant. Idem fit, si quis scelera arguat, & vitæ emendationem veram constanter vrgeat, in hoc incumbens, vt abnegatis carnis affectibus & humanæ rationis consilijs totos nos Dei verbo subijciamus, & fidei constantia crucem superemus. Sunt hæc carni ridicula planè, imò intolerabilia, si quis illam fortius vrgeat: nec exempla desunt eorum, qui cùm subsannando & ridendo nihil proficiunt, tandem ad vim quoq; & tyrannidem conuertuntur.

Christus irrisores eijcit.

Sed non est quòd eiusmodi homines multùm moremur, aut quicquam illorũ iudicijs tribuamus. Eijcit enim illos Christus, & indignos iudicat, qui vitæ & salutis mysteria intelligant. Et nobis probè cauendum est, ne irrisoribus istis coniungamur, quorum colloquia bonos mores corrũpere, & fidei fundamenta labefactare solent. Simul verò discamus à funeribus procul arcere ignauos fucos, qui vel ad luctum concitandum conducuntur, vel superstitiones cum fide & vera salutis ratione pugnantes exercent. Quæ enim stultitia est, luctus ministros & authores conducere, quando consolatione potius & beatæ immortalitatis spe animos erigi oportebat? Aut in quem finem obsecro mortuus cantatur, campanæ sonant, & cereæ tædæq; ardentes præferuntur, qui iam sensu omni destituti sunt, et quorum animæ vel æterna luce cum Christo fruuntur, vel inferorum pœnis excruciatur? Nihil horum olim in primitiua ecclesia factitatum esse legimus: cœperunt autem ista, quando antistitum auaritia, superstitiosa vulgi simplicitate ad quæstum potius abuti, quàm errantes erudire voluit.

Psal.1. 1.Cor.15. 1.Thess.4.

Parentes resuscitationi filiæ suæ adhibentur.

Transeamus nunc ad ipsam puellæ resuscitatæ historiam, cui Christus vnà cum discipulis parentes quoq; illius spectatores adhibet. Vt enim ad illos potißimum tota hæc actio pertinebat: ita eos in fide hoc spectaculo plenius cõfirmari oportuit, & simul officij sui admoneri, vt huius rei perpetuò me-

mores

mores, filiā in Christi cognitione instituerent, & huic illam per omnia consecrarent. Hoc ipsum Dominus ab omnibus parentibus requirit, & pueros sibi adduci vult, eò quòd ad tales regnum Dei cum primis pertineat. Quò etiam facit baptismi mysterium, quo regeneratio & resuscitatio hominis ad vitam nouam luculentissimè adumbratur. Quapropter quotquot ex se prognatos illo tingi volunt, ijdem postea curare debent, ne negligenti educatione abnegent, quod illic professi sunt. Deute.6. Matth.19. Rom.6.

Porrò quia puellam dormire dixerat Christus, illam perinde vt dormientem excitat. Nam manum illius apprehendit, & alta voce inclamans, illam surgere iubet. Nec mora, redit ad illam spiritus qui discesserat, & illa surgens ambulat. Et ne quid dubij superesset, Christus eidem iubet cibum dare, vt omnes illam & vitæ & integræ valetudini restitutam esse scirent. Perfecta sunt enim & ab omni dolo siue fuco aliena Christi miracula. Imprimis tamen hic illius virtus diuina elucet, qua potenter vitæ & morti imperat, & qua olim nostra quoq; corpora suscitabit, & suo corpori glorioso conformia reddet. Est enim ipse resurrectio & vita, & qui in ipso obdormierunt, per eundē ad æternæ vitæ consortium resurgent. Nec id nouum aut insolens videri debet. Nam nouissimo quoque die illius vox audietur, quæ in præsenti ad huius puellæ excitationem abundè efficax fuit, & tunc quoq; efficiet, vt singulæ mundi partes suos illos mortuos reddant, quos absumpsisse videbantur. De qua voce intelligendum videtur, quod Paulus de tuba Dei extrema & archangeli voce scribit, ad cuius sonum & mortui resurrecturi, & quos ille superstites inueniet in momento immutandi sint. Et huc facit, quòd Lucas spiritum puellæ istius redijsse dicit, eum nimirum intelligens, qui antea in illa spiritus vitæ fuerat. Vnde patet nec animas in morte perire, sed abire in suum locum: piorum scilicet ad Creatorem suum, qui illas dedit: impiorum verò illuc, vbi congregati sunt omnes, qui posuerunt terrorem suum in terra viuentium. Ideò sancti iuxta Christi exemplum animas suas Deo patri commendant, & Paulus dissolui cupit, & esse cum Christo. Sunt hæc nobis diligenter tenenda. Nam & mortis terrores reprimunt, & officij admonent, ne animas nostras mole peccatorum aggrauemus, & easdem constanti fiducia Deo commendemus per Christum, cuius merito redemptæ sunt. Christus puellam resuscitat. Philip.3. Ioan.11. Ioan.5. Matth.24. Apoc.20. 1.Cor.15. 1.Thess.4. Luce 8. Eccle.12. Ezech.32. Luc.23. Actorum 7. Philip.1.

Habemus præterea in his luculentum nostræ redemptionis typum. Sumus enim omnes nos propter peccatum morti & damnationi æternæ obnoxij, nec ex nobis ipsis quicquam facere possumus quod ad vitam consequendam faciat, sed corpus mortis (vti illud Paulus vocat) circumferimus. Saluator verò est vnus Christus, qui solus, vt nos excitaret, nobis à Deo patre datus est. Is nobis per incarnationem suam manum præbuit, & nostræ naturæ sese consortem fecit. Idem verbo suo nos excitat, & spiritum sanctum largitur, qui nos ex æterno verbi semine renatos incolit, tanquam templa ipsius Christi sanguine consecrata. Et sanè clamat ad nos indies Christus, & monet, vt excusso letifero somno resipiscamus, & salutem in ipso operemur. Surgamus ergo ex peccatorum luto, & ambulemus in vijs præceptorum ipsius, & cibum vitæ æternæ sumamus, quem per verbi sui prædicationem nobis ipse Christus proponere iubet. Vt enim in præsenti puellam hanc verè restitutam esse, hoc potissimùm argumento constitit, quòd cibum sumpsit: Ita tunc demum nos per Christum restitutos esse patebit, si cibum verbi Dei non fastidiamus, quo omnes eos delectari ipse Christus testatur, qui ex Deo nati, & gregis sui oues sunt. Quotquot ergo illud aspernantur, hi adhuc lætaliter decumbunt, nec pro ijs agnosci possunt, quos Christus suo spiritu viuificauit. Typus nostræ redemptionis. 2.Cor.3. Rom.7. Ioan.3.14.16. 1.Corinth.6. Matth.24. Ioan.8.10.

Restat postrema huius historiæ pars, qua eos, qui præsentes fuerunt, rei nouitate vehementer perculsos fuisse, narratur, & Christum ijsdem interdixisse, ne hoc cuiquam dicerent. Nondum enim aduenerat hora glorificationis suæ, qua omnibus promiscuè innotescere debuit. Deinde caueri oportebat preceps vulgi iudicium, quod nihil moderatum habere solet. Nouerat præterea hostiles sacerdotum animos, quos miraculis eiusmodi magis irritari sciebat, sicuti in Lazari rediuiui historia videmus. Noluit ergo illis temerè maioris impietatis occasionem præbere, simulq; nobis suo exemplo prudentiam in rebus agendis & sanctæ humilitatis studium commendat, ne ambitionis æstro abrepti, religionis causam vel importunis præconijs turbemus, vel suspectam reddamus. Spectemus potius præcipuum huius historiæ scopum, & Christum agnoscamus saluatorem nostrum, & illius merito redempti, vitam sanctam viuamus in ipso: cui debetur benedictio honor, gloria & potestas in æternum. Amen. Christus miraculum hoc taceri uult. Ioan.11.12.

CAPVT VI.

HOMILIA XLVI.

ET egressus est illinc, uenitq́ in patriam suam: & secuti sunt eum discipuli sui. Cumq́ aduenisset sabbatum, cœpit in synagoga docere: multiq́ audientes percellebantur, dicentes: Vnde huic ista? Et quæ est hæc sapientia, quæ data est ei? quòd etiam uirtutes tales per manus eius fiunt? Nônne iste est faber ille, filius Mariæ, frater Iacobi & Iose & Iudæ & Simonis? Nônne & sorores eius hîc sunt apud nos? Et offendebantur in ipso. Dicebat autem eis Iesus: Non est propheta inhonoratus, nisi in patria sua, & inter cognatos, & in domo sua. Neq́ potuit illic uirtutem ullam facere, nisi quòd cùm paucis infirmis imposuisset manus, sanauit eos: mirabaturq́ propter incredulitatem eorum, & circuibat uicos in orbem, & docebat.

Argumentum & usus præsentis loci.

EXposuit Marcus eximia & præclara Iesu Christi miracula, quibus ille tum diuinam suam potentiam testatus est, tum se promissum humani generis saluatorem esse probauit. Etsi verò simul descripserit quorundam ingratitudinem & iniqua de illo iudicia, in præsenti tamen insignem historiam commemorat, vt in patria à suis conciuibus contumeliosissimè acceptus atq; reiectus sit. Vbi ab Ioanne verissimè de illo dictum fuisse patebit: In sua venit, & sui illum non receperunt. Vsus autem historiæ præcipuus est, ne offendamur, si quid hodie simile contingat, & vel ipse Christus, vel doctrinæ ipsius ministri ab illis contemnantur, penes quos maxima esse debebat illorum authoritas.

Ioannis 1.

Christus uenit in patriam & docet.

Lucæ 4.

Primò Christus in patriam suam venisse dicitur. Fuit ea Nazareth, vt ex Luca patet, quam illius patriam Euangelista vocat, quòd illic cum Virgine matre & Iosepho habitauit vsq; ad illud tempus, quo publicè manifestari debuit. Ibi pro suo more sabbatis synagogam ingressus docere cœpit. Quia enim Deus doctrinæ & cultui externo certos locos & dies constituerat, Christus patris sui institutum minimè negligendum esse putauit, vt alibi fusius à nobis expositum est. Ita autem suo exemplo eos arguit, qui cùm Christiani dici & haberi velint, tamen & cœtus sacros fugiunt, & diem dominicum vel auaritiæ studio, vel impuris sceleribus prophanant.

Christus pietatem in patriam docet.

Isaiæ 1.

Obseruabis autem in Christo egregium pietatis in patriam exemplum, quo quid ipsi etiam patriæ debeamus, admonemur. Venerat is, vt communis omnium gentium saluator esset. Patriæ tamen salutem sibi cumprimis commendatam habet, quam prius quoq; circa prædicationis suæ initium præ cæteris ciuitatibus inuisit, sicuti Lucas testatur. Est enim naturæ lex, vt benefactoribus nostris gratiam rependamus, id quod à brutis quoq; obseruari constat. At inter hos primus post Deum locus patriæ debetur, quæ progenitoribus nostris, priusquam ipsi essemus, hospitiũ præbuit, quæ in mundum venientes prima excepit, quæ nos alit, protegit & dignitatibus ornat, & cuius ciues fratrum instar propter Reipub. & legum earundem vinculum coniuncti sunt. Vnde optimi quiq; ex gentibus patriæ suæ amantissimi fuerunt, sicuti illorum historijs proditur. In sacris verò literis Moses hoc nomine potissimum commendatur, quòd fratres suos aulicis delicijs & opibus præferre voluit. Et Paulus, qui se gentium doctorem à Deo constitutum esse sciebat, patriæ tamen & fratrum suorum potissimam rationem habet, quorum salutem precibus assiduis quærit, & pro ijsdem anathema fieri cupit, vt ipsi salui fiant. Quòd si domesticas historias excutere libeat, Germaniam simul & Heluetiam nostram tunc ad summum dignitatis gradum ascendisse, & victorijs floruisse constabit, quando patriæ communis studium florebat. At postquam à maiorum moribus degenerare, & peregrina nostris præferre cœpimus, ipsi cum patria venales facti, sanguinem, qui patriæ debebatur, in exterorum regum gratiam profundimus, sicq; libertatem auitam & patriam ducissimam illis ipsis opprimendam propinamus.

Hebr. 11.
Exod. 2.
Rom. 9. 10.

Porrò videamus, vt Christi pium studium Nazarethani exceperint. Admirantur & obstupescunt, cùm in doctrina ipsius sapientiam plus quàm humanam & gratiam admirabilem elucere vident. Erat enim (vt in Psalmis dicitur) gratia diffusa in labijs ipsius, nec inani duntaxat verborũ sono auditorum aures feriebat, sed diuina dicendi uirtute ipsos animos penetrabat, vt alibi docetur. Et Nazarethanos, quando prius apud eos docuit, illi testimonium dedisse Lucas scribit, cùm negare non possent, in ipso compleri quæ ab Isaia de se prædicta esse ostenderat. At cùm vlterius progredi, & illum pro Messia agnoscere deberent, illius humili & contempta specie offensi, illum magno cum contemptu aspernantur. Nec aliam sui illius indicij rationem habent, quàm quòd illum à nemine mortalium in bonis literis institutum, & inter cognatos ignobiles pauperem vixisse sciebant. Patet hoc ex ipsorum verbis, cùm dicunt: Vnde huic ista? Et quæ hæc est sapientia, quæ data est ei? Nónne iste est faber ille filius Mariæ? &c. Fabrum verò nominant, quòd ab ineunte ætate cum Iosepho putatitio patre vixisset, & illi subditus, eandẽ cum illo artem exercuisset. Quod ipsum veteres quoq; senserunt, inter quos Iustinus Martyr, scriptor vetustissimus Christum iuga & aratra fabricauisse scribit. Adeò nihil eorum subterfugere voluit, quæ ad extremam humiliationem faciunt, vt nos saluos faceret, & simul suo exemplo manuarias artes & laborem, qui ex peccato originem duxerat, consecrauit, ne quis nos propter hunc Deo minus acceptos esse putaret. Neq; hic oscitanter præteriri debet tum parentum tum ipsius Christi exemplum. Illi enim etsi per angelos edocti, illum Dei filium & Messiam esse scirent, eundem tamen artem docent, qua victum suum honestè quærat. Ipse verò, etsi tam seipsum quàm parentes miraculosè alere posset, tamen Dei patris institutioni sese accommodat, qui nos in sudore vultus nostri panem nostrum edere iubet. Viderunt hoc olim patriarchæ, quos ab agriculturæ & rei pastoritiæ studio scriptura commendat. Labore item suo victitarunt Apostoli, donec Dei vocatio aliud suadebat, & extant ea de re Pauli præcepta grauissima, quibus otium ignauũ prohibet, & laborem atq; artificia manuaria commendat. Est enim reuera otium satanæ puluinar, & cùm natura ad malum procliues simus, affectuum libidine mox abripimur, & satanis insidijs patemus, quando nullis honestis studijs occupamur. Meritò igitur apud gentes Atheniensium respub. laudatur, apud quos otiosis lites mouebantur, & Areopagitæ in singulorum ciuium studia inquirebant, vt qua ratione quisq; uiueret, scirent. Et Massilienses olim neminem in suam ciuitatem recipiebant, qui non artem aliquam nosset honestam, qua victum sibi & suis pararet. At hic nobis deploranda venit nostri seculi corruptio, quo laborem & artificia manuaria pleriq; horrent, otium verò ita ambiunt & quærunt, quasi in illo felicitas nostra potiss. consistat. Quò fit, vt parentes liberos suos vel in otio torpere sinant, vel vsurarijs & quæstuosis artibus instituant, quibus sibijpsis Dei irã & damnationem concilient. Quòd si aliqui rectius sapiunt, & liberos ad laborem honestum instituunt, inueniunt tamen illi mox homines nihili, otio & luxu perditos, qui tum exemplo suo tum prauis sermonibus ipsos ab honestis studijs auocant, & vitæ rationem ignauam & turpissimam persuadent. Huic malo debemus publicam morum corruptelam, & qui ita assueuerunt, tandem egestate oppressi ad pessimas artes conuertuntur, quæ ad cõmunis reipub. & patriæ destructionem tendunt: cuius rei exemplum in Catilinaria coniuratione Romana historia proponit, &c.

Nazarethani Christum aspernantur.
Psal. 45.
Matthæi 7.
Ioan. 7.
Isaiæ 61.
Lucæ 2.
In dialogo cum Tryphone contra Iudæos.
Digreßio contra otium.
Luc. 1.
Matth. 1.
Gen. 3.
Matth. 4.
Ioan. 21. &c.
2. Thess. 3.
Ephes. 4.

Cæterum quoad præsentem tractationem, hoc exemplo patet, quomodo Euangelij prædicatione affici soleant, qui religionis studium simulant quidem, huius autem prætextu sua tantummodo quærunt, & carnis iudicium sectantur. Veniunt illi, vt verbum audiant, sed ita audiunt, vt ij de quibus apud Ezechielem Dominus conqueritur. Non ergò rem ipsam, de qua agitur, sed personas respiciunt, & quid ex illis sperari possit, vident. Vt primùm igitur ipsorum votis & conceptæ spei non respondetur, mox vndiq; cauillandi occasionem arripiunt. Hic enim Christum Nazarethani contemnunt, quòd ipsius natales cognitos habent. At apud Ioannem alij se illi ideò non posse credere dicunt, quòd vnde sit nesciant. Ita hodie præter eos, qui vel doctrinæ genere vel persecutionibus offenduntur, multos inuenire est, qui nihil non in ministris carpunt. In alio enim generis obscuritatem & paupertatem fastidiunt, alium verò propter natales præclaros & cognationem paulò illustriorem suspectum habent. Alijs item eruditio insignis, alijs inscitia siue simplicitas uitio datur. Similiter nonnullorum eloquentiam pertimescunt, aliorum verò infantiam contemptissimè irrident. At non noua sunt ista, sed eadem olim prophetis & Apostolis exprobrata fuisse legimus. Neminem ergò offen-

Vt mũdus Christi prædicatione afficiatur.
Ezech. 33.
Ioan. 9.

m

dat infelix mundi iudicium, quin potius istorum exemplo territi, Dei verbo nos rectè accommodemus. Quod tum fiet, si illo nobis opus esse cogitemus, & Dei beneficium agnoscamus, quo ille voluntatem suam nobis, indignis licet & corruptissimis hominibus manifestare dignatur. Audiamus autem attentis animis, nec dicentis personam, sed rem ipsam inspiciamus. Et vbi conscientias nostras conuinci sentimus, non reluctemur, nec pudeat Deo gloriam dare, & de agnita veritate testari. Inde verò huic carnis nostræ, non affectus modò, verumetiam ipsum intellectum subijciamus: & mox nos non vulgares in salutis studio progressus facturos esse, reipsa experiemur.

Quid Christus cum ingratis egerit.

Sed accedamus ad postremam huius historiæ partem, qua narratur, quid Christus cum malè gratis conciuibus egerit. Primò causam ostendit, cur ab ipsis contemnatur. Non est propheta (inquit) inhonoratus, nisi in patria sua, &c. Potest hoc bifariàm exponi. Vel enim de communi hominum vitio hoc dicit, quorũ ea est superbia, vt neminẽ ex suis se superiorem aut sapientiorem ferre poßint: & ipsa familiaritas contemptum parit, dum in Dei seruis vitia potius, quæ illis ex ingenita corruptione inhærent, quàm virtutes & Dei dona, obseruamus. Vnde poeta dicebat: Minuit præsentia famam. Accedit his, quòd noua & peregrina admirari, vulgaria autem & quotidiana superbè fastidire solemus. Vel de Iudæa præcipuè Christus loquitur, quæ ut prophetarum patria fuit, ita illos semper hostiliter persecuta est, vt non temerè Christus dicat, prophetam non alibi, quàm Hierosolymis occidi posse. Est autem hoc ingens nostræ peruersitatis argumentum, quòd Dei gratiam in illis contemnere & odisse solemus, in quibus nos illam propter gentis cognationem cumprimis suspicere & exosculari decebat.

Matth. 23. Actorum 7. Lucæ 13.

Christus Nazarethi non edit signa. Rom. 3.

Deinde additur, quòd non potuerit inter illos multa signa edere: nimirum propter incredulitatem ipsorum. Quod non ita accipi debet, quasi Dei potentia siue veritas ex nostra fide dependeat: (Quid enim, inquit Apostolus, quòd quidam fuerunt increduli? Num incredulitas illorum fidem Dei faciet irritam?) sed quòd ita Deus constituit, vt ipsius gratiam & salutem fide percipiamus: quæ etiam causa est, quòd nos fide saluari scriptura paßim testatur. Admonemur igitur hoc exemplo, qui fiat, quòd hodie Deo minus propitio & benefico mundus fruitur: Nimirum quòd paucißimos inuenire licet verè credentes, quando pleriq; vel salutis mysteria ad humanæ rationis calculum reuocant, vel in periculis constituti ad auxilia carnalia confugiunt. Est autem hæc grauis & horribilis incredulitatis pœna, quòd Christi virtutem nobis infrugiferam, nosq; ad illam percipiendam inutiles & ineptos reddit. Interim consolationis plenum est, quòd nihilominus aliquot ægrotis medetur, vt saltem aliqua suæ uirtutis & gratiæ testimonia post se relinquat, quibus electi in ipsius cognitionem adducantur: & simul hinc inde circumiens finitimis prædicat. Electis ergo reproborum impietas nequaquam fraudi est, nec ideò Christi regnum intercidit, etiamsi maior hominum pars illud repellat. Consoletur hoc nos aduersus mundi tyrannidem, & simul officij admoneat, vt Christum vera fide amplexi, illius verbo nos subijciamus, & cum illo proficiamus indies: Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Impiorum contumacia pijs nõ fraudi est.

HOMILIA XLVII.

Tunc accersiuit duodecim illos, cœpitq; eos mittere binos, deditq; eis potestatem in spiritus immundos. Et præcepit eis, ne quid tollerent ad iter, nisi uirgam tantum, non peram, non panem, non in zona æs, & ut calcearentur sandalijs, & ne induerentur binis tunicis.

Argumentum & usus præsentis loci.

ETsi saluator noster Iesus Christus à conciuibus suis Nazarethanis inhumaniter exceptus & contumeliose dimissus sit, non tamen ideò officium negligit, cui illum pater cœlestis destinarat: sed hinc inde regionem obambulans verbum salutis paßim prædicat. Ita verò docet impiorum malitiam pijs non obesse, nec etiam regnum suum mundi improbitate impediri posse, quò minus propagetur. Quod ipsum modò reipsa magis probat, dum discipulos, quos antea in hunc finem elegerat, miraculis simul & docendi authoritate instructos emittit, vt illorum ministerio Euangelium per totam Iudæam & Galilæam diuulgetur. Vbi priusquam historiam ipsam videamus, fidelis Christi

Marci 3.

Iesu pro suo grege cura obseruari debet, quæ in eo potissimùm elucet, quòd ingratis, & de salute vix quicquam cogitantibus illius præcones submittit, non alia causa motus, quàm quòd infelices instar ouium quæ pastoribus destituuntur, oberrare videret, sicuti Matthæus tradit. Idem omnibus seculis factitatum fuisse, omnis sciptura docet. Nam olim quoq; cùm totus mundus superstitionibus immersus esset, Abrahamum euocauit benignus & misericors Deus, vt per illum & posteros eius hinc inde peregrinantes veram salutis doctrinam instauraret. Idem Israelitas Ægyptiorum tyrannide simul & idololatria oppressos, per Mosen asseruit, & legis suæ cognitione instruxit. Postea illis securè peccantibus & pereuntibus prophetas misit, manè surrexit, tempestiuè monuit, & ab interitu reuocauit. Neq; adhuc hodie mutata est illius erga nos fides & bonitas, quando perituris iam & periculi sui ignaris, vel publicè vel priuatim, fidos admonitores submittit. Vnde constat, salutem nobis nullo nostro merito, sed ex gratia obtingere, simulq; admonemur, ne Dei bonitatem contemnamus, sed salutis uerbum pio & sancto studio recipiamus: ne dum illud molestè ferimus, tandem grauiora ferre cogamur. Ea enim iustissima Dei lex est, vt horribile ipsius iudicium sustineant, qui salutiferũ visitationis suæ tempus non agnoscunt. His præmissis, ad præsentis loci tractationem accedamus.

Matth. 9. Gen. 12. Iosu. 23. Psal. 105. 106. 2. Par. 36. Luc. 19.

Primò discipulos illos duodecim, quorum supra facta est mentio, Christus accersiuisse, & binos emisisse dicitur. Cuius autem rei gratia illos emiserit, Matthæus & Lucas disertè docent: nimirum, vt regnum Dei prædicarent, & illud iam præ foribus adesse docerent. Ita verò dicitur vniuersum nostræ redemptionis negotium, cuius hîc finis est, vt in nobis, dum hîc viuimus, Deus regnum obtineat, & huius vitæ curriculum emensos in regni sui cœlestis consortium transferat. Patet hinc quanta sit Euangelicæ doctrinæ dignitas & præstantia, cùm per hanc nobis Deus offerat, quod nulla hominum vel sapientia, vel industria, vel potentia aut diuitijs acquiri potest. Simul verò ministri discunt, quis illis inter doceodum finis propositus esse debeat: Is nimirum, vt homines, qui quoad ingenitam coruptionem satanæ tyrannidi subiacent, Deo lucrifaciant, vt hîc in illis per verbum & spiritum suum regnare possit. Quod tum fiet, si iuxta Christi præceptum à pœnitentiæ doctrina exorsi, hominum peccata arguant, errores atq; superstitiones oppugnent, & omnia illa extirpent, per quæ in nobis satan regnare studet. Inde verò salutis doctrinam tradant, quæ peccatorum remissionem & reconciliationem cum Deo in Christi merito monstrat, & simul quid Deo, quidq; proximo debeamus docet. Ita Dei regnum olim prophetæ prædicarunt, nec alia ratione Apostolos vsos esse ex illorum scriptis abundè patet. Debet igitur eadem ratio etiam hodie in ecclesia retineri, ne vel canes mutos sectemur, qui satanam regnare patiuntur, vel impostores audiamus, qui salutem extra Christum monstrant.

I. Discipuli emittuntur, ut regnum Dei prædicent. Matth. 10. Lucæ 9. Vide supra Homil. 9. Lucæ 24. Isa. 56.

At quia arduũ erat munus hoc, magna cautione in emittendis discipulis Christus vtitur. Nam binos mittit, quò tutius agant, & vt maior sit doctrinæ authoritas: & eosdem miraculis instruit, quibus sibijpsis simul & doctrinæ suæ fidem faciant, ne temerè excurrisse, aut negotium priuatum agere viderentur. Potestatem verò illis dedit in spiritus immundos, vt nimirum hos eijcerent, & ægrotantibus miraculosè mederentur. Probè autem ipsius instituto ista seruiebant. Ita enim probabatur, adesse Saluatorem promissum, qui humanæ naturæ mederi, & infelix mortalium genus ex diaboli tyrannide liberare, & inter nos Dei regnum instaurare deberet. Est autem diligenter obseruandus verus ille miraculorum vsus, quòd nimirum doctrinæ quasi sigilla aut testimonia publica fuerunt, sicuti alibi Christus monet, & Apostoli ipsi non vno loco fatentur. Quod qui non obseruant, ad miracula nuda obstupescunt, & dum illa Diuorum virtuti siue sanctitati tribuunt, illos pro Dijs habent, & in necessitatibus & periculis constituti eosdem inuocant, interim verò doctrinam ipsorum, adeoq; ipsum Christum planè negligunt, cuius illi ministri & præcones fuerunt. Confutantur item, qui miraculis eas doctrinas probare volunt, quas Dei verbo & veritati aduersari cõstat. Nec enim miracula per se quicquam probant, nisi cum Dei verbo conueniant. Et falsa dicuntur signa, quæcunq; singulari Dei permissione à pseudoprophetis fiunt, vt efficaci errore seducantur, qui veritatem amplecti nolunt. Vide Deut. 13. Matth. 24. 2. Thess. 2.

II. Discipuli miraculis instruuntur. Miraculorum usus. Marci 16. Act. 3. 14. &c.

Deinde non minus obseruari debet Christi Iesu potentia, qui potestatem, quam ipse in dæmones & morbos habuit, suis quoq; discipulis potuit conferre. Est hoc euidens veræ diuinitatis argumentum, quando solius Dei est per naturalia quoq; media operari, nedum homines noua & insolita

Diuina Christi potentia.

virtute instruere. Et huc facit, quòd in Christi nomine dæmones eiecerunt, & ægrotos curarunt Apostoli, ne quam incautis & superstitiosis hominibus erroris occasionem præberent. Vt verò institutioni hoc seruit, ne quod solius Christi est, hominum viribus siue meritis ascribamus: ita nos diuina hæc illius potentia consolari debet, qua & olim satanam deuicit, & hodie omnem potestatem aduersariam sui verbi & spiritus virtute facilè cohercet, ne pro satanæ arbitrio grassari queat. Nec exempla desunt nostri seculi, quando per viles & obscuros homines diaboli regnum euersum, & Veritatis lucem atq; salutem mundo restitutam esse vidimus.

Apostolorum potestas limitata fuit, &c.

Præterea hîc quoq; videndum est, qualis hæc Apostolorum potestas in dæmones fuerit, & quousq; debuerit extendi. Exponit hoc Matthæus, cùm hanc illis datam esse scribit, vt spiritus immundos eijcerent, & quemuis morbum sanarent. Certis ergo limitibus circumscripta fuit, non libera, vt videlicet spiritus immundos & morbos miseris pro sua libidine immitterent, & ita vindictæ cupiditate in quosuis grassarentur. Nec enim tortores suos, sed salutis humanæ ministros esse voluit. Ita prædicationis etiam certos fines illis constituit, quando ea illos docere iubet, quæ ipse præceperit, non quæ ipsi ex proprio cerebro temerè confingant. Nec aliter accipi debet, quod de clauibus siue soluendi & ligandi potestate illis dicitur. Eos enim damnationis & iræ Dei denũtiatione ligant, qui salutem & Christum improbè aspernantur, gratiæ verò promissione soluunt eos quos illum vera fide amplexari vident. Confutantur ergo his, qui hodie Diuos quasi Veioues quosdam, suppliciorum Dei magistros siue executores constituunt, & ab illis morbos & reliquas plagas hominibus immitti contendunt. Arguitur item Rom. pontificum tyrannis, qui dum apostolicam potestatem sibi vendicant, eadem pro sua libidine abutuntur, & quos volunt Orco demittunt, rursum verò quos volunt inter Cælitum sedes collocant. Quasi verò in cælestis regni administratione hominum libidinem Deus ferre possit, quã ne in terris quidem inultam abire permittit. Apostolorum fuit, spiritus immundos eijcere & morbis mederi, & Paulus ipsis potestatem à Domino datam esse ait, ad ædificationem, non ad destructionem. Quotquot ergo diaboli regnum stabiliunt, conscientias item hominum & corpora affligunt, & pro suo arbitrio omnia turbant & destruunt, næ illi indigni sunt, quos Apostolico spiritu duci & gubernari dicamus. At quod de Apostolis & horum successoribus verbi ministris dicitur, hoc ipsum ad omnes alios ordines transferri debet. Nec enim vllum inter homines potestatem Deus instituit, quæ non ad aliorum ædificationem & salutem facere debeat. Magistratui quidem summam in Repub. ius esse vult, at eidem sua iudicia concredidit, & certis legibus vt cancellis, circumscripsit, vt in bonum cedat ijs, qui alioqui impiorum iniurijs expositi essent. Ita parentes potestate quidem in liberos instruxit: ijsdem verò præcipit, vt liberos non temerè irritent, sed ad religionem & virtutem ritè educent. Et maritum vxori præesse iubet, sed ab eodem prudentiam & modestiam exigit, qua infirmioris vasis vitia patienter ferat, & amicè corrigat. Nec alia est inter heros & seruos ratio, si scripturas audiamus. Est hæc admiranda Dei bonitas, quam Christiani homines agnoscere debent, ne vel concessa potestate pro libidine sua abutantur, vel eorum dominium impatienter ferant, quos publicæ tranquillitatis & salutis ergò Deus ipsis superiores fecit.

Matth. 28. Matth. 16. Ioannis 20. 2. Cor. 10. Psalm. 72. Rom. 13. Ephes. 6. Deut. 6. Psal. 78. Ephes. 5. 1. Pet. 3.

III. Apostolorum cõmeatus. Ephes. 6.

Porrò ad Apostolos reuersi, quo commeatu & quibus armis instructos emiserit, videamus. Præcipit, ne quid ad iter ferant præter virgam quæ corpori sustentando seruiret, & paupertatis symbolum esset (eam enim quæ defensioni seruire poterat, apud Lucam disertè vetat) & sandalia, quibus nimirum ex more semper vtebantur. Et rursum prohibet, ne ferant secum peram, panem, pecuniam aut binas tunicas. Vbi quid ista sibi velint, non oscitanter inquirendum est, ne vel Christum reprehendamus, qui pecuniam & loculos habuit, quorum cura Iudæ fuit commissa: vel Apostolos damnemus, qui aliàs panem secum tulerunt, & vestes peregrinationibus aptas habuerunt, vt ex Paulo colligere licet, qui penulam Troade relictam ad se referri cupit. Symbolica ergo sunt ista præcepta, & quoad literam præsenti duntaxat tempori seruierunt: vt nimiũ ridiculi sint, qui hodie omnes verbi ministros ad ista præcepta restringunt, quæ nec ab Apostolis ipsis perpetuò obseruata fuisse constat, sed in præsenti modò vsum suum habuerunt. Quia enim illos breuissimo temporis spacio totam regionem obire, & quasi præcursores suos esse, moxq; perfecto hoc suo cursu ad se redire voluit, monet, vt omni victus & apparatus cura abiecta, ad iter expediti & liberi excurrant, nec aliquam moræ diuturnioris causam admittãt, quæ munus hoc tam salutare & necessarium aliquo modo impediat.

Lucæ 8. Ioan. 12. 13. 2. Timoth. 4.

Præterea hoc quasi tyrocinio illos ad futuros labores & pericula præparari uoluit, ne postea vel egestatis vel nuditatis & famis metu ab officio cessarent, sed illud constanter obirent, vtpote reipsa experti, quod in Christi vocatione ambulantibus nihil defuturum esset. Et hunc præceptorum istorum vsum ipse Christus ostendit, quando in vltima Cœna discipulis dicit: Quando misi vos sine sacculo & pera & calceamentis, num quid defuit vobis? Et illi nihil unquam ipsis defuisse fatentur. Hoc unũ ergo præcipuè voluit Christus, ne instar legatorum, qui à regibus mittuntur, de externo splendore, fide publica aut armis soliciti sint, sed suis promißionibus freti, commissum sibi munus strenuè exequantur. Est autem hæc Apostolorum tenuitas magnum potentiæ & maiestatis Christi atq; regni ipsius argumentum. Quis enim non diuinum planè opus esse agnoscat, quòd per obscuros & imbecilles homines regnum suum propagauit, & ijsdem ita prospexit, vt nihil vnquam ipsis defuerit? Interim admonemur in negotio fidei non debere externum splendorem quæri, nec Christi ministros decere, vt mundi fastum atq; magnificentiam imitentur. Nec enim de mundo hoc est regnum ipsius, & friuola atq; caduca sunt, quæcunq; in mundo aliquã maiestatis speciem habent. Vt igitur reuera stulti sunt, qui temporaria æternis, vel terrena cœlestibus præferunt: Ita qui in Christi vocatione ambulãt, & Apostolos imitati, iniunctum sibi munus strenuè obeunt, ijs nunquam deerunt quæcunq; necesitati præsenti seruiunt. Exempla non in Apostolis modò, verumetiam patriarchis & prophetis paßim occurrunt. Agnoscamus ergò Dei bonitatem, qui diaboli tyrannidem per filium suum euertere dignatus est, & salutis nuntium vera fide amplexi, vitam viuamus, quæ Euangelicæ profeßioni respondeat, olim in cœlis victuri & regnaturi cum Christo Iesu saluatore nostro, cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Luc. 22.

Ioan. 18.

HOMILIA XLVIII.

Et dicebat eis: Vbicunque introieritis in domum, illic manete, usq; dum exeatis illinc. Et quicunque non receperint uos, neque audierint uos, egressi illinc, excutite puluerem, qui est sub pedibus uestris, in testimonium illis. Amen dico uobis, tolerabilius erit Sodomis aut Gomorrhis in die iudicij, quàm urbi illi. Itaque illi egressi prædicabant, ut resipiscerent, & dæmonia multa eijciebant, & ungebant oleo multos ægrotos, & sanabant eos.

Argumentum & usus præsentis loci.

QVàmuis Dominus & saluator noster Iesus Christus suos discipulos totius orbis doctores fecerit, tamen eosdem, quia homines erant, certis legibus astringit, quas inter docendum & in miraculis edendis obseruent. In quarum consideratione ideò nobis diligenter versandum est, vt inter veros & falsos ministros discernere poßimus, nec illorum tyrannidi cedamus, qui cum se Apostolorum successores esse profiteantur, nullis tamen legibus astringi volunt, sed sibi quiduis docendi & agendi potestatem in ecclesia vendicant. At doctrinæ genus certum illos Christus proponere iusit, quo Dei regnum miseris mortalibus prædicent, & alibi huius prædicandi rationem certam tradidit. Potestate verò in immundos spiritus & morbos, non ad cuiusq; perditionem, sed ad sanandos homines vti debuerunt. Præterea omni cura vacuos & ad commissum munus expeditos emittit, nec vult vt aliqua re grauentur, quæ ipsos aliquo modo impedire queat. Si qui ergò hodie incertas hominum traditiones ecclesijs obtrudunt, & non tam Dei regnum quàm Antichristi tyrannidem stabilire conantur, adhæc ecclesiastica potestate ad multorum interitum abutuntur, & rerum terrenarum curis occupati cœlestia negligunt: illos profectò pro Apostolorum successoribus & Christi ministris nemo agnoscere poterit, nisi qui sciens volensq; seduci cupiat. Cæterum ad præsentis loci tractationem accedamus, quo Christus docet, vt inter prædicandum cum pijs simul & impijs agere debeant: quibus deinde subijcit Marcus, quanta fide & successu commissum sibi à Christo munus obierint.

I. Vt hospitia se digna inquirere debeant Apostoli.

Primò, vt sese in vrbibus aut uicis gerant, admonet. At quia Marcus hoc loco breuior est, quædam ex Matthæo interseri oportet, vbi admonentur, ne temerè ad quemuus diuertant, sed vrbes aut vicos ingreßi, inquirant primùm, quis illic dignus, quo cum versentur. Inquisitionis verò huius regu

Matth.10. Lucæ 2. Ephes.2. Rom.7.&c.

lam tradit, salutationem pacis, id est, Euangelij prædicationem, quâ pax Dei denunciatur, cuius nobis author & mediator Christus est, sicuti passim scripturæ docent. Qui ergò hanc exceperint (inquit) grato & pio animo, ad illos diuertite, & cum illis manete, donec illinc exeatis, nimirum in aliam vrbem profecturi. Summa ergò præcepti est, ne temerè quæuis hospitia subintrent, & quæ semel cum iudicio sibi, delegerint, non temerè mutent, nec etiam impudenter per domos alienas discurrant, aut curiositate abrepti, sese rebus nihil ad suam functionem pertinentibus immisceant. Est enim hoc animi impudentis & parum quieti indicium, quòd cùm in quibusuis viri prudentes & cordati odio prosequantur, in hospitibus & peregrinis etiam detestari solent, quos Cicero quoq; nihil præter suum negotium agere, & in aliena Repub. minimè curiosos esse iubet. Quàm verò hoc ipsum ab Apostolica functione alienum sit, vel ex eo patet, quòd in priuatis hominibus hoc minimè ferunt Apostoli, sed publica authoritate tales coercere iubent. Et Paulus alibi impostoribus hoc tribuit, quòd domus quasq; impudenter subeant, & mulierculas peccatorum conscientia grauatas suis traditionibus illaqueent & captiuas ducant. Quod vtinam hodie obseruarent, qui quosuis errones temerè recipiunt, qui Apostolici huius præcepti parum memores hinc inde vagantur, & hoc vnum agunt, vt sub religionis prætextu non modò legitimis ecclesiæ ministris, verumetiam magistratibus apud incautum vulgus odium & inuidiam concilient.

2.Thess.3. 1.Pet.4. 2.Tim.3.

Euangeliũ non temerè quibusuis prædicandum. Matth.13. Matth.7. Actorum 16. Rom.8. Ioan.3.

Interim hîc de duobus admonemur, quæ ministris omni tempore obseruatu cumprimis necessaria sunt. Primùm est, ne salutis & Christi mysteria temerè quibusuis committant, sed eos sibi cum iudicio deligant, quibus illa cum fructu aliquo prædicari possint. Est enim Euangelij doctrina thesaurus ille & margarita suo precio omnes huius mundi opes longè exuperans. Quare diligenter cauendum erit, ne imprudenti dispensatione in contemptum veniat, cùm absque iudicio non electis modò Christi ouiculis, verumetiam canibus & porcis proijcitur, qui non contenti illam conculcasse, insuper illius præcones dilaniant. Quò referri debet, quòd Apostolos aliquando à spiritu prohibitos fuisse legimus, ne aliquibus in locis prædicarent. Et Paulus veram illam & salutiferam vocationem, quæ Euangelij prædicatione fit, ad electos solos pertinere docet, quos ab æterno Deus prædefiniuit. Quòd si verò non omnibus prædicari debet Euangelij doctrina, quantò minus quibusuis promiscuè committi debet huius prædicandæ ministerium? Cùm enim hanc mundus aliòqui odisse soleat, eò quòd illius luce ipsius peccata arguantur, mox illam proscindendi occasionem auidè arripit, si ministros vel ineptos vel leues aut sceleratos esse videat? At ita contemptus ille non in solis ministris hæret, sed doctrinam ipsam multis suspectam & inuisam reddit, tandemq; in ipsum Deum deriuatur. Docet hoc ipse, quando nomen suum inter gentes prophanatum esse queritur per sacerdotes, qui in cultu externo & doctrina suum potius quæstum, quàm Dei gloriam spectabant. Et Apostolus hoc nomine Timotheum suum grauiter admonet, ne citò aut temerè cuiuis manus imponat: nec negligi debet primitiuæ ecclesiæ mos, quæ ministros nunquam absque precibus & ieiunijs eligere & mittere solita fuit, eò quòd hîc Dei negotium agi sciret, absque cuius spiritu & gratia ministrorum curæ & labores nihil proficient.

Malach.1. 1.Timoth.5. Act.1.13.&c.

Ministri cõuersationis rationem habeant.

Alterum, cuius hîc ministri admonentur, est, vt conuersationis & consortiorum rationẽ cumprimis habendã esse meminerint. Decet hoc omnes homines, quando malorum conuersatione multos corrumpi videmus. Ea enim peccati vis est & fœcunditas, vt ipsum sese propaget, adeoq; sponte proueniat, vt noxiæ herbæ aut inutiles, etiã nemine serente, è terra enasci solent. Ac quia huic accedit ingenita nobis corruptio, facilè sese animis nostris insinuat: quò fit, vt aut imitemur illorum vitia, quibus cum viuimus, aut saltem quotidiana consuetudine illecti illa minus horreamus, aut vulgo illorũ similes iudicemur, quorum cõmercia nos tantopere oblectant. Quapropter si ista in eos cadant, qui in publicis muneribus versantur, fieri nequit, quin ipsorum authoritati plurimùm derogent: in ministris certè docendi & monendi libertatem aut impediunt, aut inutilem & inefficacem reddunt. Erat hoc illis obseruandum, qui hodie & magistratuũ & ministrorum ecclesiæ authoritatem maxima ex parte collapsam esse, & legum disciplinam intercidisse quiritantur. Quid enim aliud sperari potest, quando ministri impijs & superstitiosis nimium licenter conuersantur, & apud magistratus in pretio sunt, qui immani audacia bonas leges, ceu aranearum telas, perrumpunt? Hæc certè Veritatis doctrinam rudi populo suspectam reddunt, pios animos offendunt, impijs verò & superstitiosis animos addunt, vt in cœpta impietate perseuerent.

Sed

Sed ad Christum redeamus, qui quid discipulis agendū sit monet, si in impios & obstinatos verbi contemptores incidant. Quicunq; non receperint nec audierint vos, egressi illinc, excutite puluerem, qui est sub pedibus vestris, in testimonium illis. Non ergo inuitis aut reluctantibus Euangelium obtrudi vult, sed à talibus discipulos discedere, & illis in testimonium puluerem pedum excutere iubet. Fuit hæc chria quædam, quales multæ apud prophetas inueniuntur, nec à vero aberrare mihi videntur, qui illam apud Iudæos vulgò in vsu fuisse putant, cùm quasi rem notam & vsitatam Christus præcipiat. Potest autem illius varia & multiplex significatio adduci. Primò enim peccati atrocitatem exprimebat, quæ tanta esset, vt ipsorum puluis quoq; pijs & bonis omnibus abominationi esse debeat. Deinde pœnam quoq; adumbrabat, quòd horribili Dei iudicio instar pulueris disijciendi & proculcandi essent. Præterea testimonij loco erat, ne quando ignorantiam prætexere, & Euangelium sibi prædicatum esse negare possent. Sunt autem hîc quædam nobis paulò diligentius inspicienda. II. Quid cum impijs uerbi cōtemptoribus agendum. Pulueris pedū excußio. Psalm. 1.

Primùm, quando & à quibus ministro ad hunc modum discedere liceat. Sunt enim, qui nimium præcipites, ecclesias illicò deserunt, vt primùm non omnes emendantur, aut ipsorum placitis non per omnia acquiescunt. At de illis Christus loquitur, qui ministros nec recipiunt, nec audiunt. Quoad ergo ministris & verbi prædicationi locus est, ministri ecclesias relinquere non debent, etsi multa adhuc corrigenda & emendanda supersint. Monet hoc ipsius Christi exemplum, qui regnum Dei à Iudaica gente non antea transtulit quàm ipsi illud improbè reiecissent. Et Apostolos vix semel & iterum hac pulueris excussione vsos fuisse legimus. Nec enim decet, vt temerè damnationis sententiam præcipitent, quos Deus vitæ & salutis præcones constituit. Adhæc non tantum quales modò sint ecclesiæ videndum est, verumetiam quales futuræ sint nobis digressis, & quibus illas vel corrigendas, vel omnino euertendas relinquamus: ne fortè maioris alicuius mali authores simus, quàm illud ipsum sit, cuius euitandi causa discedimus. Quando & à quibus liceat ministro discedere. Matthæi 21.23. Acto. 13.18.

Secundò obseruabis, quòd illos non occultè aut furtim abire, sed cum publica contestatione discedere iubet, qua & impietatem ipsorum abominentur, & pœnam commeritam illis denuncient, omnemq; ignorantiæ prætextum siue excusationem auferant. Exigit hoc primùm impiorum aut Euangelij contemptorum conditio. Sunt illi aut curabiles adhuc, aut planè incurabiles. Si curabiles sunt, nec adhuc omnem veri & boni sensum abiecerunt, eò citius & facilius suum scelus agnoscent, nec sibi ipsis facilè blandientur, si illud ijs tantæ abominationi esse videant, quos alioqui viros bonos & honestos esse nouerunt: Quòd si sensum omnem exuerunt, & iam incurabites facti sunt, ipsa nos necessitas & propriæ salutis ratio vrget, vt quàm ocyssimè ab illis discedamus, ne ijsdem pœnis cum illis implicemur. Huc enim illa Christi admonitio pertinet: Exite ab ea populus meus, ne participes sitis delictorum eius, & ne de plagis eius accipiatis. Et notum est Lothi exemplum, quem cunctantem angeli festinare iubent, ne & ipse cum Sodomis pœnitere nolentibus malè pereat. Deinde non minus hoc Dei gloria requirit, quam nos contra quosuis acerrimè tueri, & saltem hanc nobis cordi esse discessu nostro testari decet. Quis enim huius studio eum flagrare putet, qui impiorum scurriles voces patienter audire, & quæcunq; ijdem aduersus Christum impiè conantur, coràm videre potest? De Lotho certè Petrus Apostolus testatur, quod Sodomæorū conuersatio ipsi molestissima fuerit. Nam oculis (inquit) & auribus iustus cùm habitaret inter illos, quotidie animam iustam iniquis illorum factis excruciabat. Nihil iam addo de propriæ salutis iactura, quando supra monuimus, impiorum conuersationem & doctoris authoritati & bonis moribus plurimùm officere. Vehementer ergo errāt, qui ex impiorum commercijs nescio quid boni sibijpsis pollicentur, quasi verò illi ita lucrifieri & conuerti possint. Nam longè aliud docent sanctorum exempla, quos ex illis potius maculas aliquas contraxisse, quàm aliquos illorum conuertisse legimus, &c. Ministri nōn sine publica contestatione discedant. Apoc. 18. Gene. 19. 2. Pet. 2.

Habemus prætera in his euidens iustitia Dei argumentum, qui etsi peccata nostra probè norit, et illa iustè punire posset, non tamen punit, nisi nos prius luculentis testimonijs conuincat, ne quē præter ius & æquum puniuisse videatur. Neq; hoc illi factu difficile est. Vt enim corda nostra inspicit, & proinde propriæ conscientiæ testimonio nos conuincere potest: ita paßim occrrūt multa, quibus cōtra nos vtatur, si ita opus sit: & si omnia desint, vel minimus puluis, quem ex nobis contraxēre qui nobiscum versantur, nobis conuincendis sufficere potest. Quòd si contra verbi contemptores ille sufficit, quid de Deus quos punit, prius peccati accusat & conuincit.

fidelium ministrorum laboribus, vigilijs, curis, concionibus, scriptis, morte item & sanguine dicemus, quo illi doctrinam suam obsignant? Aut quo prætextu sese excusabunt, quod effugium, quas latebras quærent, qui tot vndiq; testibus conuincentur? Eadem est in alijs quoq; peccatis ratio. Contra Cainum ipse Abeli iam mortui sanguis testatur, & vindictam postulat. Et nota est in gentium scriptis de Ibici gruibus historia, quæ illius cædem patefecerunt, & latrones suo indicio prodidêre. Vidit hoc Iacobus Apostolus, qui vestium tineas & argenti æruginem auaris in testimonium fore minatur. Debent nos ista excitare, vt sortis nostræ memores, à sceleribus abstineamus, in hoc potius intenti, vt olim in iudicij die charitatis & misericordiæ opera de fide nostra testentur, adeoq; vt conscientiæ & spiritus testimonio aduersus iudicij illius terrores muniamur.

Genesis 4.
Iacob.5.

Pœna contemptorum Euangelij.
Genesis 19.

Cæterum ne quis pulueris excussionem pro ludibrio haberet, & quia non desunt, qui nihil perinde expetunt, quàm ut abs se ministri discedant, grauem pœnæ iam illis à Domino constitutæ comminationem infert, & eandem exempli horrendi collatione amplificat. Amen dico uobis (inquit) tolerabilius erit Sodomis aut Gomorrhis in die iudicij, quàm urbi illi. Intelligit autem extremum uniuersalis iudicij diem, ad quem ideò impios hosce ablegat, quia præsentis uitæ felicitate elati, minas omnes facilè contemnunt, nec se unquã miseros aut infelices fore arbitrantur, quin potius summã sibijpsis ex eo felicitatẽ pollicentur, si uerbi ministros procul arceant, quorũ clamoribus ipsorũ gaudia turbari solent. Solent autẽ prophetæ Sodomæorũ exemplũ allegare, quãdo horrenda cumprimis scelera & eorundẽ pœnas grauissimas describere instituerunt. Illos ergo imitatus Christus eiusdem in præsenti meminit, ut & sceleris atrocitatẽ arguat, & simul ostendat, quàm facilè sit Deo illud pœnis longè grauissimis mulctare. Nam si Christi uerba probè inspicias, mox patebit, Euangelicæ prædicationis contemptum uel conculcationem potius, omnium peccatorum longè maximum & grauissimum esse. Solet enim Deus pro peccatorũ ratione pœnas inferre, & grauiora scelera pœnis grauioribus mulctare. At inter Dei iudicia, quibus ab ipsa rerũ origine sceleratos homines puniuit, nullum illo atrocius est, quo Sodomas & Gomorrham unà cum circumiacentibus agris, oppidis atq; vicis igne & sulphure cœlitos immisso exussit, & eius facti tetram atq; horribilem memoriam omni posteritati reliquit. Nec leuia fuêre illorum scelera, inter quæ præter detestandam & hodie etiam vltricibus flammis puniendam libidinem, Ezechiel fastum, otium, intemperantiam & pauperum immitem contemptum connumerat. At cùm grauiora maneant Euangelij contemptores, illos vtiq; grauius peccare fatendum erit, nisi Deum iniustitiæ accusare velimus. Nec id obscurum erit, si rem ipsam excutiamus. Reliqua enim peccata vel simplicem legis diuinæ transgressionem habent, vel cum oscitanti quodam verbi contemptu coniuncta sunt, qui non tam deuotæ malitiæ quàm ingenitæ corruptionis indicium censeri potest. At qui Euangelij prædicationem improbè aspernantur, ij simul Dei gratiam reijciunt, quam ille exitium commeritis spontè offert, & (quod Stephanus de Iudæis dixit) spiritui sancto resistunt, illorum planè similes, qui non contenti seditionibus & bonarum legum dissipatione, simul etiam legatos pacis contumeliosè & hostiliter mulctant. Sunt illi indigni, quibus ignoscatur. Quare si qui hoc ipsum contra Deum audent, hos ille non immeritò omni venia indignos iudicat. Nec exempla desunt, quæ tales in præsenti etiam seculo miseris modis afflictos esse docent. At quia ijdem ferè in peccatis suis moriuntur, nec habent quod illis prætendant, simul etiam æternis inferorum pœnis subiacent: quæ causa est, quòd illorum sortem Sodomæorum sorte in die iudicij deteriorem fore Christus minatur.

Deut.29.
Isaiæ 13.
Ierem. 23. 49.
Thren.4.
Soph.2.
Ezech.16.

Actorum 7.

Conditio nostri seculi.

Hæc si propius inspciamus, facilè patebit, quid nobis hodie sperandum sit. Regnant publicè Sodomorum scelera, quæ paulò ante ex Ezechiele commemorauimus. Imò execrabilis illa libido, quæ ab illis nomen accepit, inter illos locum habet, qui ecclesiæ primi antistites haberi volunt. Nec modò sceleris vindices desunt, verumetiã pro illorum incolumitate reges & populi dimicant: qui & ipsi Euangeliũ non modò contumeliosè reijciunt, verumetiam ferro & igne persequuntur. Et cùm passim grassentur immanissima scelera, impunè tamen grassantur: soli autem pœnis digni censentur, qui de fide in Christum paulò liberius loquuntur, & atroces illas idolomanias improbant, quibus pleriq; fascinati, Euangelio aures præbere detrectant. Quid ergo aliud huic nostro infelici seculo, quàm dirum excidium ominabimur, cuius executorem multi non temerè Turcam à Deo iam constitutum arbitrantur? Et vtinã vel sic resipiscant Euãgelij hostes, quò æternas inferorum pœnas subterfugere possint.

Cæterum

Cæterum cùm illi ciuitati hæc tam dira Christus minetur, quæ Euangelij præcones nec recipit nec audit, patet hinc, ciuitatum & rerumpublicarum incolumitatem in eo versari, si lætum illud & salutiferum diuinæ gratiæ nuncium gratis animis excipiant, & Christo ad se venienti hospitiū præbeant. Scimus enim quid legis suæ studiosis Deus promittat, & quàm feliciter regna sua ante Christi aduentum administrarint, quotquot illam amplexi, externum cultum simul & rempublicam iuxta illius præscriptū reformarunt. Quanta item Cōstātini gloria fuerit, qui ecclesiæ pacem reddidit, & Euangelij iugum in sese recipit, notius est, quàm vt multis exponi oporteat. Theodosium certè, qui pietatis veræ studio antecessores omnes superauit, non occulta modò Dei protectione defensum, sed aduersus seditiosos idololatriæ instauratores, Eugenium atq; Arbogastum ventis subitò immissis adiutum fuisse legimus. Quin ipsi experimur, quantum splēdoris, opum & gloriæ nostro seculo ijs accesserit, qui Euangelij doctrinam non falso corde receperunt. Nec est quòd nobis crucem & persecutiones, indiuulsas Euangelij comites, impij obijciant. Has enim nostra meretur securitas & ingratitudo. Interim non abs re persecutionibus gloriamur, quæ nos Christo conformes reddunt, ad patientiam exercent, fidem acuunt & quibus æternæ gloriæ præmium in cœlis paratū esse scimus. Sūt hæc probe obseruanda aduersus illos, qui per Euangelij prædicationē respublicas turbari clamāt, et idem nobis quod olim Eliæ Achab, obijciunt. Et horum memores qui in magistratu sunt, Euangelij doctrinā fidemq; in Christum constanter prouehant, nec sanctis illorum studijs Deus verax & omnipotens deerit.

Rerum publicarum salus unde oriatur.

Leuit. 26. Isaiæ 1. & 6.

Rom. 5. 8. Matth. 5.

1. Reg. 18.

Porrò tempus est, vt videamus, quomodo cōmissum sibi munus Apostoli obierint. Egressi à Christo prædicant pœnitentiam. Atqui regnum Dei prædicare iussi erant. Rectè, nec id illos fecisse Marcus negat, sed priorem illius prædicationis partem nominans, alteram quoq; comprehendit. Nec dubium est, quin pœnitentiam ideò agendam esse docuerint, quia regnum Dei appropinquet. Nec enim hoc cum fructu doceri potest, nisi euerso prius satanæ regno, id quod per pœnitentiæ doctrinam commodissimè fieri potest. Doctrinæ verò miracula coniunxēre, quando dæmonia multa eiecerunt, & ægrotos oleo vnxerunt atq; sanarunt. Videtur autem oleum gratiæ, quam prædicabant, externum symbolum fuisse, quo illos Christus vti voluit, vt inde pateret, ipsos à vero Meßia missos esse, quem Deus (vti Dauid ait) oleo lætitiæ vnxit præ vniuersis consortibus eius. Et quantùm ex Iacobi Epistola conijcere licet, vnctionis illius in primitiua ecclesia vsus fuit, quàm diu sanationis donum durauit. Scribit enim: Infirmatur quis inter vos? Accersat seniores ecclesiæ, qui orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & obsecratio fidei saluum reddet laborantem, & eriget eum Dominus. Quo loco Papistæ vnctionem suam extremam stabiliri contendunt. Sed inepti nimis multiuariam errant. Primò enim sacramentum faciunt, cuius institutio, nusquam in scripturis habetur. Deinde perpetuum esse volunt, quod Apostoli certa quadam ratione ad tempus duntaxat vsurparunt. Præterea præposterè nimis iam morituris adhibent, quod Apostoli sanationis ergò adhibere solebant: quapropter vnctione sua occidere potius quàm vitam conferre dici poterant. Ita verò suo indicio sese prodit superstitio, qua nihil vel audacius vel ineptius in orbe habetur. Illis ergo omißis, Apostolorum obedientiam potius & fidem obseruemus, cuius euidens argumentum in præsenti proponitur. Poterant enim illos multa absterrere, quò minus Christo ipsos mittenti obedirent. Et fortasse dixissent alij: Cur soli nos mittimur? Cur bini tantum? Cur in loca diuersa? Cur hoc tempore, quo insidiarum & periculorum plena sunt omnia? At nihil horum ogganniunt Apostoli, sed intellectum suum omnem fidei obedientiæ subijciunt, & proinde Christo propitio & præsente vtuntur. Horum itaq; exemplum hodie imitentur, non ministri modò, verumetiam qui magistratu funguntur, nec ea ad humanæ rationis calculum reuocent, qua expresso Dei verbo sibi mandari audiunt. Idem priuati quoq; & singuli obseruent, nec ullis periculis aut incommodis sese absterreri patiantur. Ita enim fiet, vt in nobis quoq; diuinæ virtutis indicia appareant, & huius vitæ officijs defuncti, in cœlis viuemus cum Christo Iesu Domino nostro: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

III. Vt Apostoli munus suū obierint.

Oleo unxerunt Apostoli. Psal. 45. Iacobi 5.

Apostolorum obedientia & fides.

HOMILIA XLIX.

Et audiuit rex Herodes (innotuerat enim nomen eius) dixitq;: Ioannes qui baptizabat, resurrexit à mortuis, & propterea uirtutes agūt

in illo. Alij dicebant: Elias est. Alij uerò dicebant: Propheta est, uel tanquam unus ex prophetis. Cùm audisset autem Herodes, ait: Cui ego præcidi caput, Ioannes iste est, is surrexit à mortuis.

Argumentum & vsus præsentis loci.

EXposuit nuper Diuus Marcus, vt Christus Iesus discipulos suos ad docendum emiserit, & quàm felici successu munus sibi commissum administrarint. Vidimus illic, quantum sit illius erga nos studium, & quàm prosperè omnia illis succedant, qui in Dei vocatione fideliter versantur. Sequitur modò præsens locus, quo vulgi de Christo & doctrina ipsius iudicia commemorantur: qua occasione deinceps indigna Ioannis Baptistæ mors describitur. Quorum consyderatio ministros docet, quid in hoc mundo sperare debeant, & simul simplices ac rudes instituit, ne iniquis huius mundi iudicijs offendantur.

Christi nomen paßim innotescit.

Principiò autem Christi nomen eò vsq; innotuisse scribit, vt illius fama ad regem Herodem vsq; peruenerit. Nec illud temerè ab Euangelistis annotatur. Ita enim omnem ignorantiæ prætextum Iudæis auferunt, dum Christum tam doctrinam quàm miracula sic instituisse docent, vt nemini ignotus esse potuerit. Est verò hæc magna Dei bonitas, qui non modò saluatorem nobis dedit Christum, verumetiam eundem omnibus manifestauit, ne quis præter culpam suam, ignorantia potius, quàm iusto Dei iudicio perijsse videri queat. Patet hoc euidenter, si salutis humanæ historiã ab ipsa mundi origine repetas. Nam primis parentibus illum promisit, & qualis futurus esset docuit, quando de semine mulieris vaticinatus est, quod serpentis caput sit conculcaturum. Mox verò promißionem hanc patribus multùm ac sæpe repetitam inculcauit, & Abrahami genus monstrauit, è quo redemptor ille expectari debeat. Rursum vniuersa ipsius mysteria legalibus typis per Mosen illustrauit. Hunc secuti prophetæ, de illius regno adeò perspicuè locuti sunt, vt non tam futura prædicere, quàm rem gestam narrare videantur. Vbi verò aduenit plenitudo temporis, & promissus ille saluator ex muliere homo factus est, non diutius latere, sed vix dum natus omnis loci & ordinis hominibus annunciari voluit, sicuti in natiuitatis ipsius historia est videre. Nunc verò adultus, non ipse modò doctrina & miraculis sese conspicuum reddit, verumetiam discipulos emittit, quorum ministerio nominis sui famam eò vsq; propagat, vt ad Herodem vsq;, hominem incestum & à regno Dei alienißimum, pertingat. Omitto hîc, quæ postea contigerunt, quando Euangelij doctrina ad extremos usque orbis fines diuulgata est. Nostrum est, eam Dei fidem & industriam obseruare, qua non minus hodie mundo ingratißimo filij sui cognitionem reuelat, vt nesciam, si ab Apostolorum temporibus unquam maior & lucidior Euangelij lux fulserit. Agnoscamus itaq; hanc illius bonitatem, & officij memores eandem gratis animis amplectamur, ne aliquando omni sublato ignorantiæ prætextu, horrendo Dei iudicio mulctemur, quod Iudæis Christus apud Ioannem minatur. Ioan. 15.

Gene. 3. Gene. 22. 26. 49. &c. Ioan. 5. Lucæ 24. 1. Pet. 1. Lucæ 1. 2. Matthæi 1. 2.

Christus Herodi serius innotuit.

At minimè negligendum est, quod cùm Christi doctrina iam dudum Iudæam & Galilæam peruasisset, vix serò tandem Herodi innotuerit, ad quem illius cognitio cumprimis pertinebat, vt tam suæ quàm communi saluti prospicere posset. Causam eius rei non aliam videre possumus, quàm quòd homo impurus religionis & fidei doctrinam minimè curabat, nec à suis (vtpote sui similibus) de illa admonebatur. Est hæc ferè regũ & principũ huius seculi sors. Debebat illis cõmendatißima esse religionis causa, cùm illos Deus ecclesiæ suæ nutritios constituerit, nec vlli feliciter regnent, nisi qui Dei filium exosculantur, & regna sua illi subijciunt. Sed quia & ipsi ferè ad libidinem procliues otium amant, & suorum consilia admittunt, qui illos à grauioribus curis auocant, quò facilius ipsi in quosuis dominentur: facilè eò deueniunt principes, vt religionis curam nihil ad se pertinere putent, nisi quando illa quæstui aut libidini ipsorum seruitura videtur: & qui illos circumstant aulici, diligenter quidem suggerunt, quæ ad inanem fastum & libidinem faciunt, curant autem sedulò, ne quis de religione aut virtute verba faciens, illos ad meliorem frugem perducat. Sic olim Pharaoni Saræ formam aulici prædicant, & vt hanc ad se perduci curet, authores sunt: at qui eidem Abrahami fidem commendet, nullus inuenitur. Nec dubium est, non defuisse Herodi libidinis & luxus magistros, desunt autem qui illi salutarem Christi cognitionem tradant. Sunt hæc nobis obseruanda, ne mox offendamur, si quando reges & principes à Christi doctrina abhorrere videmus: quin potius illorum exemplis edocti, quantum impedimenti afferat otium & luxus studium, his calcatis, Dei verbo & precibus

Isaie 49. Psalm. 2. Genesis 12.

ritibus assiduè vacemus, vt Christum verè amplexi, in illo sanctè & feliciter viuamus: & iuxta Pauli præceptum pro regibus & omnibus ijs, qui in eminentia constituti sunt, preces fundamus assiduas, vt illos Deus filij sui cognitione illuminare dignetur, & ipsorum studia ad reipublicæ salutem dirigat.

Sed audiamus Herodis de Christo iudicium. Lucas illum hæsitauisse scribit, cùm aliquos suorum audisset, qui Ioannē (quem paulò ante decollari curauerat) resurrexisse dicebant. Nec enim minori libertate Christus docebat & arguebat, quàm Ioānes antea fecerat. At vbi ab eodem miracula edi rescivit, quæ humanas vires longè excedebant, in sententia illa planè confirmatus est. Etsi enim Ioannes, cùm in viuis esset, nullis miraculis claruit, nunc tamen noua virtute instructum credit, quæ illum resuscitatum esse & Deo præsente vti testatur. Ita verò gentilitios errores prodit, quibus plures decepti, Heroicos viros post mortē clariores fieri & in Semideos conuerti putabant: alij verò animas post mortē in noua corpora transire credebant. His (inquam) erroribus imbutus Herodes, vel ipsum Ioannem redijsse, vel illius animam nouis & diuinis viribus auctam in Christo operari arbitratur.

1. Timoth. 2.
Herodis de Christo iudicium.
Luc. 9.

Admonet exemplum hoc, impios tyrannos, dum Dei verbum persequuntur, nunquam illud assequi posse, quod maximè confectum volunt: nimirum vt quieti & securi suæ libidini indulgeant. Etsi enim ministros verbi vinculis constringant, Dei tamen verbum vinciri non potest, & Deus vel eosdem ministros liberat & animosiores reddit, vel nouos submittit, qui simili, aut etiam maiori libertate peccata arguant, & pœnitere nescijs pœnas imminentes denuntient. Sic olim Elias, qui ad tempus latuerat, animosior redit, & Baalitas publicè conuictos occidit. Et rursum illo nusquam comparente, Michæas Achabo Dei iudicium minatur: tandem eidem Eliseus succedit, qui non minori zelo Dei negotium agit. Sic in præsenti Ioannem Christus sequitur, qui cùm Herodi tum reliquis impijs nouos terrores concitat: Christo autem è terris sublato succedunt Apostoli, qui illius doctrinam passim prædicant. Nec desunt nostro seculo exempla huius generis, quorum hîc nobis vsus esse debet, ne tyrannorum conatibus offendamur, aut de Christi regno desperemus, si quando vnus & alter ministrorum verbi vel in exilium eijcitur, vel occiditur. Facilè enim alios excitabit Deus, qui spiritu suo spirat vbicunq; voluerit, vel regnum suum aliò transfert, & huius ingratos contemptores grauissimis supplicijs mulctat, quod Herodi simul & toti Iudæorum genti euenisse historiæ testantur.

Tyrannorū conatus aduersus Christum irriti.
2. Timoth. 2.
1. Reg. 18. et 22.
2. Reg. 2. 3. & 6.
Ioan. 3.

Admonet item Herodis exemplum, quàm miserè fallantur, qui in causa fidei & religionis à principum suorum authoritate dependent, & tunc se saluti suæ probè consuluisse putant, si illorum vel edicta vel exempla sequantur. Quod enim Herodi accidit, vt de Christo ineptissimè iudicaret, hoc ipsum ferè contingit omnibus qui ambitionem & carnis voluptates Dei verbo & religioni præferunt. Fieri ergo non potest, quin grauiter errent, quicunq; illos sibi imitandos proponunt. Hominibus enim nituntur, qui vt toti affectibus reguntur, ita in religione nihil unquam certi & solidi habere possunt. Deinde aliena fide se salutem consecuturos putant, contra illud prophetæ: Iustus sua fide viuet. Nos ergo contemptis hominum iudicijs, Dei verbo nitamur, & iuxta illius præscriptum fidem atq; cultum omnem instituamus, quod olim omnes eos fecisse constat, quorum fides & religio in sacris literis probatur. Sed & magistratus discant, ne in religionis causa suo iudicio nimium tribuāt, ne dum sapientes & religiosi haberi volunt, suam stultitiam simul & temeritatem magno suo & reipublicæ malo, nec sine perpetua sui nominis infamia, turpiter prodant.

Principū authoritas in fidei causa non temerè sequenda.

Habemus præterea in Herode exemplum animi malè sibi conscij. Et si enim Ioannem antea decollasset, nec aliquis posthac eò audaciæ progressurus videretur, vt illius scelera argueret, mox tamen vbi de Christo audit, animi dubius & anxius nouos terrores concipit. Vnde verò hoc? Nimirum, quòd etsi auribus ipsius nemo obstreperet, conscientiæ tamen stimulis exagitabatur, quæ mille testium instar admissum scelus subinde refricabat, & eidem Dei iudicium denunciabat, tantaq; eius vis est, vt Regi potentissimo Christus terrori sit, quo nihil in terris contemptius & infirmius esse videbatur. Est hæc omnium impiorum sors, sicuti Caini, Saulis, Iudæ & multorum aliorum exempla testantur. Viderunt hoc ipsum gentes olim, quando furijs impios exagitari dixerunt, quæ (vt Cicero lib. 3. de nat. Deorum ait) speculatrices & vindices facinorum & sceleris, omnia illis infesta & inuisa faciant. Nemo ergo impiorum fortunam æmuletur, qui vtut secundis ventis vti videantur, intus tamen graues hosce animi terrores sustinent. Studeamus autem fidei in Christum, innocentiæ,

Herodes exemplum animi malè sibi conscij.
Genesis 4.
1. Sam. 31.
Matth. 27.

charitati & beneficentiæ, vt bene nobis conscij non mundi modò calumnias & minas, verumetiam satanæ tentationes superare poßimus.

Vulgi de Christo iudicia.

At priusquam dicendi finem faciamus, aliorum quoq; de Christo iudicia videre oportet. Sunt enim qui Eliam esse putent, nimirum falsa oraculi veteris interpretatione decepti, quo Malachias Eliam ante magnum illum & terribilem diem Domini venturum prædixit. Quod enim de verbi prædicatione & ministris verbi sancto zelo ardentibus propheta dixerat, qui nouissimo tempore mundum ad pœnitentiam exhortaturi sint: illi ad Eliæ Thesbitis personam restringebant, quasi ille in terras rediturus esset. Alij alium quendam prophetarum reuixisse, aut saltem horum similem esse arbitrantur. Vbi mirum videri potest, quòd cùm in diuersas sententias scindantur, nullus tamen eum pro Christo agnoscit, qui reuera erat, licet & temporis illius conditio, & quæcunq; ille faciebat abundè testarentur, quis nam censeri deberet. Promiserat enim redemptorem Deus, qui rebus humani generis afflictißimis consuleret. Tempus illius Iacob Patriarcha & Daniel certißimis notis indicarant, sicuti supra vidimus. Extabant etiam infinita alia oracula, quibus pulchrè conueniebant omnia, quæ à Christo agebantur. Attamen quiduis potius, quàm quod verum erat, de illo sentiunt. Et quia promissum redemptorem non agnoscunt, in quo omnis salutis fiducia collocari debeat, non prodest quòd illum in prophetarum ordine recensent. Talem enim agnoscere oportet, qualis reuera est, non qualem ipsi nobis illum fingimus. Vides ergo quàm nihil tribui debeat hominum iudicijs in ijs, quæ ad regnum Dei faciunt. Cæca enim est in illis mysterijs carnis nostræ ratio, nec unquam scopum attinget, nisi Dei verbo & spiritu dirigatur.

Malach. 4.

Gene. 49.
Dan. 2. 9.

Vulgi ignorantia de Christo, & peruicatia.
Marc. 12.

Interim simul obseruabis, quòd licet honorificè de Christo sentiant, & prophetam aliquem eximium esse fateantur, eidem tamen non credunt, nec illius doctrinæ obediunt. Simile quid designant, quando de censu Cæsari reddendo illum interrogant, &c. Est hoc proprium impijs, quòd etsi interdum in Dei ministris eximia dona agnoscant, nec præclara virtutis ipsorum testimonia negare possint, eosdem tamen contemnere & odisse non desinunt, quàm diu illos prauis ipsorum studijs obstare vident. In quorum numero censeri debent, qui hodie Diuos in ore habent, et illorum cultu gloriantur, interim verò illorum fidem atq; doctrinam hæreseos accusant, & extinctam volunt. Sed non offendant hæc, quando ita solet mundus, qui Veritatis spiritum capere non potest: sed in vnum Dei verbum intenti, Christum Iesum amplectamur, qualis in eo nobis proponitur: cui debetur benedictio honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Ioannis 14.

HOMILIA L.

Nam ipse Herodes missis satellitibus prehenderat Ioannem, & uinxerat eum in carcere, propter Herodiadem uxorē Philippi fratris sui: quia duxerat eam uxorem. Dicebat enim Ioannes Herodi: Non licet tibi habere uxorem fratris tui. Herodias autem insidiabatur ei, cupiebatq; eum occidere, nec poterat. Herodes enim metuebat Ioannem, sciens eum esse uirum iustum & sanctum, & obseruabat eum, auditoq; eo multa faciebat, & cum uoluptate eum audiebat.

Argumentum & usus præsentis loci.

POstquam Diuus Marcus exposuit, vt Christus discipulos ad docendum emiserit, & quàm prosperè ijsdem cesserit eius muneris administratio, mox subiecit absurda & iniqua tum vulgi tum magnatum de Christo & doctrina ipsius iudicia. Facit hoc ea ratione spiritus sanctus, vt ministri simul & reliqui fideles, exemplis hisce admoniti, non offendantur, si quando mundum de Veritatis doctrina minus dextrè iudicare videant, quin potius aduersus ista sese præparent, sicuti Christus alibi pluribus docet. At quia simul Ioannis Baptistæ mentio facta est, quem Herodes à mortuis resurrexisse putat, ea occasione mortis ipsius historiam Marcus subijcit, quæ Euangelij ministros plenius edocet, quid sibijpsis de mundo hoc polliceantur, quando primum noui testamenti præconem tam indignis modis tractatum vident.

Matth. 5. 10.
Luc. 12. 14.

Cæterùm

Cæterùm ne plenius nobis hæc omnia pateant, principiò historiæ totius summam & ordinem probè teneamus oportet: qua in re non inutile fuerit, Iosephum legisse, licet is in Philippi nomine aberrarit, dum huius loco Herodem alium, nostri huius patruum (vt quidam volunt) nominat. Postquam mortuo magno illo Herode, qui infantes Bethlehemiticos occidit, filij ipsius, Archelaus, Philippus, Herodes Antypas & Lysanias de regno disceptarent, Augustus litem ita diremit, vt regnum totum in tetrarchias diuideret, ex quibus Iudæa quidem cum Idumæa & Samaria Archelao, Galilæa autem Herodi Antypæ, Lysaniæ Abylena, Philippo (qui Herodiadem, suam ex Aristobulo fratre defuncto neptim, vxorem duxerat) Ituræa & Trachonitis cessit. Accidit verò, vt Herodes Romam euocatus ad Philippum fratrem ex itinere diuerteret, apud quem plusculos dies commoratus Herodiadem deperire cœpit, quæ illi de nuptijs ipsam compellanti ea conditione assensit, si vxorem, quam habebat, Aretæ regis filiam, repudiaret. Quare Romam reuertens, illam secum abductam vxoris loco habuit. Docebat tunc temporis Ioannes & pœnitentiæ prædicatione homines ad regnum Dei præparabat, qui inter alia facinus hoc indignissimũ liberè & grauiter accusauit. Itaq; Herodes veritus, ne populus, quem rei indignitas haud dubiè offendebat, & apud quem summa erat Ioannis authoritas, res nouas moliretur, Ioannem captum in Macherunte asseruari curauit, & eundem postea ab Herodiade circumuentus (vt suo loco audiemus) occidit. Hæc historiæ summa est, cuius personæ singulæ, quoad præsentem locum, nobis modò inspiciendæ sunt, ubi multa obseruatu dignissima occurrent.

Summa præsentis historiæ. Vide Ioseph. lib.18. cap.9. & 10.

Et in Herode quidem tyrannorum mores & ingenium est videre: quibus hoc cumprimis proprium est, quòd cùm sibi quod lubet licere putent, omnia pro sua libidine instituũt, siquidem aliquid vel lucri vel voluptatis sperare possunt. Quòd si quis reprehendat, id demum facinus indignissimum esse putant, & aduersus monitores hostiliter insurgunt. Cuius mali authores præcipui sunt adulatores, qui ementitis laudibus & ambitiosis titulis aures eorum ita implent, vt nihil præterea ferre possint, quod studijs suis corruptissimis contrarium esse vident. Interim ne sese ad impietatum deuouisse videantur, publicam pacem prætexunt, & scelerum suorum correptores pro turbarum & seditionum authoribus habent. Talis olim Pharao fuit, talis Achab, talis Zedechias, & infiniti alij: quos in præsenti Herodes egregiè imitatur. Nam libidine excæcatus eius amore ardet, à qua ob consanguinitatis vinculum abstinere debebat, eò quòd neptis ex fratre & simul fratris vxor esset. Nec eo contentus legitimam vxorem, qua cum vixerat, reijcit. Præterea violato simul fraternitatis & hospitij iure, fratris vxorem, illo adhuc viuente, sibi ducit. Et hæc quideu non occultè facit, sed in publico, & scelus illud suum plus quàm canina impudentia omnium oculis ingerit: nec vel fratris recordatione vel eiusdem filiæ conspectu, quam simul cum matre abduxerat, commouetur, vt de sceleris tanti atrocitate cogitet. Ita denique scelus sceleri accumulat, vt non immeritò quis miretur, quomodo tellus hominem vsque adeò sceleratum ferre potuerit. At ubi se corripi & officij admoneri sentit, mox quasi atroci contumelia affectus excandescit, & pro seditioso populi turbatore in carceres abduci iubet eum, qui publicæ pacis & salutis studio hoc omne faciebat. Sunt hæc nobis probè obseruanda, ne impiorum calumnijs mox credamus, qui etiam hodie Christi ministros ijsdem criminibus grauant, sed rem ipsam potius inspiciamus, & facilè patebit publias calamitates, turbas item & seditiones, non aliunde frequentius quàm ex magnatũ libidine exoriri, & eosdem ideò Euangelij ministros persequi, quòd illos affectibus ipsorum corruptissimis obstare vident. Interim discant principes libidinem suam frenare, & principijs obstare: ne tandem illa abrepti scelera accumulent, & verbi diuini contemptu atq; persecutione tum sibijpsis tum populis suis interitum consciscant. Discant priuati quoq; incestas nuptias fugere, quarum hic ferè finis est, vt aut parum fidæ sint quæ contra Dei leges ducuntur, aut infinitis alijs malis causam præbeant.

Ingenium & mores tyrannorum.

Exod.1.5. 1.Reg.18.22. Ierem.38.&c. Leuit.18.

Sed omisso Herode, Ioannem audiamus, qui illius peccatum liberè admodum & grauiter corripit. Nec enim in genere dicit, eos iniquè facere, qui tale quid designãt, sed palàm ipsi Herodi loquens, Non licet (inquit) tibi habere vxorem fratris tui. Quasi diceret: Putas fortassis ô Rex, tibi licere quodlibet: sed longè aliter sese res habet. Nam reges quoq; legibus astrinxit Deus, qui eosdem exemplo suo alijs præire vult, simulq; innocentiæ & iustitiæ tutores atque vindices constituit. Facis ergo præter officium, quòd vxorem alienam contrectas. At grauius peccas, quòd eandem habes vxoris

Ioannes Herodem reprehendit.

loco. Longè verò grauißimum est & nulla venia dignum, quòd fratri iniuriam tam atrocem facis, simulq; & coniugij & consanguinitatis iura libidine plusquam belluina polluis, &c.

Magistratus Dei uerbo debent subesse. Rom.13. Quo exemplo primùm admonemur, magistratus quoq; Dei verbo subditòs esse debere. Quia enim potestatem suam omnem à Deo acceperunt, hanc illi gratiam debent, vt se eidem morigeros præbeant. Deinde postulat hoc publica salus, quæ vt illis commendatißima esse debet, ita ex verbi Dei studio maximè dependet. Præterea non alia re suo honori & authoritati melius consulent, quàm si de Dei honore propagando soliciti sint, quando huius vox est: Honore prosequar eos, qui me honorauerint: & qui me contemnunt, ignominia afficientur. (1.Sam.2.) Ideò legis librum penes se perpetuò habere iubentur reges, & Ieremiæ dicitur, quòd ipsum non minus regibus & sacerdotibus quàm populo prophetam Deus dederit. (Ierem.1.) Id quod prophetas omnes diligenter obseruasse patet ex illorum sermonibus, quibus reges & iudices officij sui magna libertate admonuerunt: nec id grauiter tulerunt reges pij & sancti, quales Dauid, Ezechias, Iosias & alij horum similes fuerunt, quorum fidem & pietatem scriptura prædicat. Nec enim prophetas in se contumeliosos putabant, si quando ab illis corriperentur, sed hos potius officium facere cogitabant, nec se maiori honore ab illis affici posse credebant, quàm si per illos ab interitu reuocarentur. Fuerunt hi omnes felicißimi, & in periculis Deo vindice atque protectore vsi sunt: cum infelices & calamitosi è contra fuerint, quicunque Dei seruis ausi sunt obstrepere, & verbi diuini correptiones reiecerunt. Quod ipsum si hodie etiam cogitarent quotquot in magistratu versantur, multò felicius Respub. suas administrarent.

Quomodo publica scelera debeant corripi. Deinde ministros suo exemplo docet Ioannes, vt publica scelera ab ipsis corripi debeant. Primò disertè dicendum quàm illa grauia sint & atrocia, & quia caro vndique prætextus quærit, Dei verbum constanter vrgeri oportet, quod hæc vel illa nemini licere docet. Deinde personis applicari debet correptio, vt qui peccarunt, ista de se dici intelligant. Nisi enim id fiat, plerique de alijs agi arbitrentur, & proinde nihilo meliores discedunt. Verè enim dixit ille, nemini dici quod omnibus dicitur. Et qui ita concionantur, medicorum similes sunt, qui de morbis quidem verba faciunt, ægrotis verò pharmaca nulla adhibent, quorum virtute ab interitu reuocentur. Præterea quando in apertum iam eruperunt scelerà, & illis multi offenduntur, publicè coram omnibus argui debent, & instar tubæ vocem minister exaltet, vt si nihil proficiat, saltem alij timore aliquo concepto exempla mala imitari desinant. (1.Tim.5. Isa.58.) Has regulas Ioannem obseruasse videmus, & ante hunc sanctißimos Dei prophetas, quorum libertatem & constantiam Apostoli quoque secuti sunt sicuti illorum sermones & scripta testantur. Has quicunq; negligunt, & mundo placere student, ij (vt Paulus ait) non Dei serui, sed ventris mancipia & canes muti sunt, qui & sibijpsis tandem & ecclesijs, quas sua indulgentia corrumpunt, Dei iram constant, qua tandem miserè absumuntur. Vide Galat.1. Esa.56.

Herodes & Herodias Ioannem occisum uolūt. Porrò ad Herodem & Herodiadem reuersi, quid illi fecerint videamus. Insidiatur hæc Ioanni & omnem ipsum occidendi occasionem solicitè captat: nimirum quòd famam suam turpiter laborare sentiret, nec videret quò se posset recipere, si Herodes ab Ioanne persuasus ipsam dimitteret. (Matth.14.) Quare extinctum cupit, sed quod cupit effectum dare non potest. Primò enim Herodes populum metuebat, ne in illo turba aliqua oriretur, si Ioannem occideret, quem plerique eximium Dei prophetam esse credebant. Deinde propriæ conscientiæ testimonio conuictus, ipsum quoque Ioannem reuerebatur, quem virum bonum & sanctum esse sciebat, & proinde illū aliquando audire, & ipsius consilijs vti consueuerat. Tanta enim innocentiæ vis est, vt hostes quoque in admirationem rapiat, & Dei verbum in reprobis etiam suos aculeos interdum exerit, vt vel inuiti illud reuereantur. Quod tamen ad salutem non sufficit, quando illud in ijs non admittunt, quæ cumprimis ad illius præscriptum emendare debebant. Et frustra sibijpsis blandiuntur, qui se verbi Dei studiosos esse iactitant, interim verò à fidei obedientia abhorrent, qui præcipuus prædicationis verbi finis atq; scopus est.

Ministrorum uerbi sors. Ioan.3. Est autem nobis obseruanda hoc loco ministrorum sors, quibus peßimam ferè semper gratiam rependit mundus, cuius salutem illi vnicè quærunt. Nequeunt enim veritatis lucem ferre ij, quorum opera praua sunt: quapropter ab ipsa mundi origine aßiduis persecutionibus agitatos fuisse legimus, quorum ministerio Deus mundum ab interitu reuocare studuit. Non offendamur ergo, si quid simile hodie

bodie nobis quoq; contingat. Consoletur autem, quòd tyranni non semper possunt quod volunt. Nam capillos quoq; nostros Deus numeratos habet, neq; unicum vitæ diem præter Dei voluntatem impij nobis eripient. Et frequenter fit, vt impij magistratus eos timere cogantur, quibus ipsi formidolosi esse debebant, quæ iustissima tyrannidis pœna est. Horum itaq; memores Dei vocationem sedulò sequamur, & fortes simus in asserenda ueritate & iustitia: nec deerit sanctis conatibus propitius Deus, qui & in præsenti seculo tyrannorum furores cohercere potest, & tandē nominis sui fidos assertores in regnum suum transferet, ubi vita & gaudio nunquam finiendo fruentur, cum filio suo Iesu Christo, cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen. Matth. 10.

HOMILIA LI.

Et cùm dies opportunus adesset, quando Herodes in natilitijs suis cœnam faciebat suis proceribus & tribunis & primoribus Galileæ: & introisset filia ipsius Herodiadis, ac saltasset, placuissetq; Herodi ac simul discumbentibus, rex ait puellæ: Pete à me quodcunq; uolueris, & dabo tibi. Iurauitq; ei: Quodcunq; à me petieris, dabo tibi, usq; ad dimidium regni mei.

Audiuimus nuper qua de causa Ioannes Baptista in carcerem abductus sit: nimirum quòd incestam Herodis libidinem ea libertate arguit, qua fideles verbi Dei ministros vti decet. Quo exemplo admonemur, quæ in hoc mūdo illorum sors sit, qui impios docere & corrigere instituunt. Attamen consolationis plenum est, quòd Herodes captiuum in pretio habet, & occultis conscientiæ stimulis agitatus, priuatim audit & consulit, quem publicè docentem ferre non potest. Ita enim tyrannorum furores Deus cohercet, & intra animos suos conuincit, vt inexcusabiles reddat. Sequitur, vt Herodias diu captatam occasionem inuenerit, qua Ioannes sublatus est. Quo loco multa concurrunt, quæ nos de impiorum ingenio, moribus & studijs edocent: quorum cognitio vtilissima & necessaria est, quò facilius illorum insidias euitare possimus. Argumentum & usus loci præsentis.

Primò tempus notatur, & diem opportunum illuxisse scribit Euangelista, quando Herodes natalitia sua celebraturus satrapis & proceribus suis conuiuium pro more instituit sumptuosum & magnificum. Ex eo sibi occasionem obuenturam esse Herodias sperauit, eò quòd conuiuium sciret fore plenum intemperantiæ, et Herodis ingenium nosset, qui ebrius quiduis polliceri & facere soleret. Vix enim fieri potest, vt à conuiuijs lautis & opiparis luxus omnis & intemperantia excludatur. Nam hilaritate abrepti largius bibunt conuiuæ, & sermones serunt parum verecundos, sibiq; ipsis ad multa viam sternunt, de quibus sobrij vix cogitarent. Vidit hoc olim Iobus, qui filijs suis conuiuia agitantibus sacrificare solebat, & pro illis à Deo peccatorum veniam petere. At longè alia mente de his rebus Herodias cogitauit, quæ in conuiuiorum luxu vindictæ occasionem captabat. Ita verò animi inquieti & veritatis odio flagrantis exemplum præbet. Ioannem enim odio habuit, quòd libidini ipsius obstaret, nec dubium est, quin Herodem sæpe aduersus illum incitarit: quod licet in vanum fecerit hactenus, non cessat tamen, sed solicitè omnem occasionem obseruare pergit: adeoq; omnibus in lætitiam & gaudium publicum effusis, ipsa furijs tristibus agitata cædes & sanguinem spirat. Est hoc proprium omnibus impijs. Sentiunt hi intra sese vehementissimos pessimorum affectuum motus, qui in ipsis veritatis odium gignunt. His ergo incitati, quiescere non possunt, sed dies et noctes in hoc sunt, vt quod animo conceperunt exequantur, & (vt Christus inquit) prudentiores sunt quàm filij lucis, si quid tale agendum sit. Tales postea pontifices quoq; & scribas vnà cum Iuda proditore videbimus. Debent ista nos excitare, vt quæ ad salutem nostram faciunt eò maiori studio agamus, nec impios ex nostra socordia æstimemus, qua pij plerunque laborare solent. Simul verò illius nos pudere debet, qui cùm sciamus quo cum hoste nobis res sit, tamen securi omnem bene agendi occasionem præterlabi sinimus. Natalitia Herodis morti Ioannis occasionem præbent. Iob. 1. Lucæ 16. Philip. 2.

Habemus præterea hic statum siue conditionem regni omnibus modis corruptissimum. Flagrat infanda libidine Rex, & incestis nuptijs seipsum totumq; regnum polluit, nec aliquis est qui illum Exemplū regni corruptissimi.

admoneat, præter Ioannem, quem in optima causa omnes turpiter deserunt. Interim impurus homo more gentilitio diem natalem celebrat, quasi illo die omnes gaudere debeant, quo tyrannus truculentissimus erat natus. Idem conuiuium satrapis, tribunis & primoribus instruit, nullam verò subditorum aut pauperum rationem habet, qui interim immodicis exactionibus expilabantur, vt tantis sumptibus posset sufficere. Insuper dum ista fiunt, in carcere detinetur Ioannes, cuius indigna mors tandem funesto conuiuio finem imposuit. Est hic ferè magnorum Regum mos, qui ubi bellis temerè susceptis populo suo maximorum malorum authores fuerunt, tandem triumphos, nuptias, spectacula & conuiuia regalia instituunt, vt quod ex bellis populo reliquum est, per lusum absumant. Interim miserrima est sub illis piorum conditio, qui aut fortunis spoliati oberrant, aut carceribus immersi contabescunt, aut suo sanguine tyrannorum oculos exatiant. Quorum obseruatio ad hoc nobis seruire debet, vt libertatem à Deo nobis concessam eò constantius tueamur, nec illi regum insidiosa munera præferamus, quorum potentia nobis aliquando intolerabilis fiat. Simul verò magistratus discant, se diu regnare non posse, si horum mores & vitia imitentur. Istis enim moribus potentissima regna corruisse, ex historijs patet, & quid Herodi tandem acciderit, suo loco audiemus.

Herodias filiæ petulantia ad ad uindictam abutitur.

Sed ad Herodiadem reuersi, vt hac temporis opportunitate vsa sit, videamus. Vbi regem videt inani gloria, ambitione, fastu, & fortaßis vino quoq; ebrium, iam tempus fore putat, quo quiduis ab illo impetrari poßit. Filiam ergo Salomen subornat, quæ conuiuium ingressa saltat. Est hoc matris corruptißimæ argumentum, cui sua libido non sufficit, nisi filiam quoq; sui similem reddat. Et huius exemplum non minori infamia imitantur, qui liberos suos hodie à teneris annis ad fastuosum vestiũ luxum, ad ebrietatem, ad vsurarias artes, ad deierandum, & alia peccata assuefaciunt, & puellas choreis exercent, vel easdẽ turpes amores decantare docent. In quibus si quando liberos aliquid profecisse vident, sibijpsis mirificè placent, & illis probè consultum putant. Ita verò teneros animos inficiunt, & illis interitus authores sunt, quorum saluti vnicè studere debebant. Ingens ergo bonum est, parentes habere pios, qui in pietate suos instituunt, quæ sola facit, vt Deo probari & illo propitio viuere poßint: quo nomine illam quæstum longè vberrimum Paulus esse dixit.

Herodiadis filia saltatrix.

Est autem diligentius paulò inspicienda nobilis hæc saltatrix: in qua primùm impudentia summa elucet, quando in principum consessu non veretur saltare, & quidem tanta cum lasciuia, vt homini impurißimo placere potuerit, cui nihil placebat, quàm quod libidini ipsius insatiabili seruiret. Vnde verò impudentiam hanc enatam fuisse dicemus? Hinc nimirum, quòd & ipsa sic assueuerat, & saltandi lasciuia iam vulgò recepta & diuturno vsu confirmata erat. Solent enim vitia per longã consuetudinem turpitudinis existimationem exuere, nec inhonestum putatur, quod paßim ab omnibus fieri consueuit. Nec dubito puellam hanc istud sibi laudi duxisse, quòd suam illam agilitatem tam Regi quàm reliquis accumbentibus placere audiret. Et fortaßis non magnum peccatum quibusdam videbitur, quòd iuuencula adhuc ex matris iussu coram Rege saltarit, qui iam illi patris loco erat. At si effecta consyderes, quæ mox inde secuta sunt, aliud senties. Primò enim libidinis fomitem nouum Regi suggeßit, qui nisi Herodiadis turpi amore sese mirificè titillari sensisset, nunquam in promittendo tam liberalis fuisset, vt dimidium regni sui polliceretur. Auxit ergo Regis libidinem impudica saltatrix, simulq; causa fuit, vt Ioannis salutares admonitiones minus admitteret. Deinde officij sui ipsum obliuisci fecit, dum illi author est, quòd regni partem ipsi pollicetur. Quid verò à Regis officio magis alienum facere potuit, quàm regnum saltatrici offerre, & illi subijcere populum, cuius nec ætas nec sexus ad regnandum erat idoneus? Grauia sunt hæc, sed grauiora audiemus. Nam religionis quoque sensum omnem impuro homini saltationis lasciuæ spectaculum excußit, cuius rei argumentum euidens est iusiurandum temerè susceptum, cuius sacrosancta est apud pios & religiosos authoritas. Accedit his indigna & truculenta viri sanctißimi cædes, & saltatrici turpißimæ illud caput mercedis loco datur, quod ad regnũ Dei paulò ante quosuis salutari doctrina præparauerat. Et ita impietatis mensuram Herodes implet, & incurabilis redditur, de quo aliqua hucusque spes haberi poterat. Nec procul abfuit pœna, qua Deus serui sui mortem vindicauit. Mox enim ab Areta rege, socero suo, prælio vincitur, quam cladem (sicuti Iosephus scribit) pleriq; Iudæorum ideò illi accidisse putarunt, quòd Ioannẽ iustitiæ præconem occidisset: nec multò post cum impura sua Herodiade Lugdunum Galliæ in exilium ablegatur. Atqui omnibus

nibus hisce malis non minimam causam præbuisse constat impudicam puellæ istius saltationem, quæ libidine æstuantem regis animum eò vsq; deduxit.

Fuerunt hæc paulò fusius exponenda, vt hinc de choreis & saltationibus quæ hodie in vsu sunt, indicare discamus. Est illud perquàm necessarium, quando multos summæ dignitatis & authoritatis viros hîc etrare constat, qui lasciuiæ huic patrocinantur, vt interim de vulgo Christianorum nihil dicam, qui omnes modestiæ terminos transgredi solent, dum saltando furere potius quàm ludere videntur. At primò cogitandum erat, saltationes eiusmodi nunquam in vsu fuisse pijs Dei cultoribus, quos scriptura nobis imitandos proponit. Nam quod de Maria sorore Mosis, de Dauide & choris psallentium apud prophetas obijcitur, nimis friuolum est, cum de choris sacris intelligi debeat, in quibus vel solæ mulieres vel viri soli eximia Dei beneficia carminibus ad eam rem compositis, non sine concinno & decoro corporis motu celebrabant. Saltationes autem, de quibus agimus, à gentibus originem duxêre, quæ illis primùm inter sacra sua vsæ sunt, ita nimirum illas exagitante diabolo, cui superstitiosi cultus tum demum gratissimi sunt, si lasciuiæ & illicitis voluptatibus simul inseruiant. Gentium morem Israelitæ imitati fuerunt, quando post peracta vituli aurei sacra lusisse dicuntur. Postea in ludis & spectaculis publicis saltari cœptum, à quibus tamen antiquitus fœminæ arcebantur, ne quid suo sexu indignum viderent. At vbi pudor & honestas extingui cœpit, fœminæ etiam & virgines admissæ, & illis choreæ propriæ concessæ sunt. Tandē longo post tempore eò impudentiæ progressum est, vt viri fœminis intermixti saltarent. Etsi verò passim obtinuerit saltandi licentia, illā tamen viris grauibus & honestis semper displicuisse constat, nec de illa aliter, quàm de Herodiadis & filiæ ipsius saltatione iudicandum est. Primo enim quid magis indecorum sexui mulierum, quàm virginem aut fœminam à viro quouis in publico prehensari, trahi, circumagi, & illam spectantibus omnibus corporis sui agilitatem lasciuo motu ostentare? Quid à disciplina Christiana alienius, quæ nos non à malo duntaxat, verumetiam specie mali abstinere iubet, & obscœnitatē atq; scurrilitatem inter Christianos vel nominari indignum putat? Neque illud cum vocatione nostra conuenit, quos Christus abnegatis nobisipsis & relictis operibus tenebrarum, crucem tollere, & se insequi iubet, qui nobis modestiæ, humilitatis, charitatis & innocentiæ perfectissimum exemplum præbuit. Quàm verò ab his aliena sit saltandi libido, mox patebit si illius effecta corsyderes, quæ non alia sunt, quàm quæ modò in Herodiadis filia annotauimus. Inflammatur enim libidinis igne concupiscentia, datur scortandi & mœchandi occasio, officij & conditionis suæ obliuiscuntur, qui mundo mori & Deo viuere debebant: accedunt sermones lasciui, promissiones inconsyderatæ, amantium obtestationes & periuria, & frequenter rixæ & pugnæ incidunt, quas non rarò cædes miserabiles comitari solent. Nec est quòd aliquis obijciat, ista non semper fieri. Fateor enim: at vix vnquam saltari dico, quin saltem aliqua fiant eorum, quæ modò recensuimus. Et si nihil aliud fiat, certè concupiscentiam carnis & oculorum à choreis abesse nemo sanus dixerit. Si enim illa non ibi regnat, cur non viri soli saltitant? cur non solæ fœminæ & virgines choreas ducunt? cur cum illa potius quàm altera saltare iuuat? cur puella hunc potius quàm illum sibi saltatorem obuenire cupit? Atqui Ioannes concupiscentiam carnis & oculorum inter ea, quæ ex mundo sunt, numerat, quibus qui delectantur, eos à patris dilectione alienos esse scribit. At vbi nulla est Dei patris dilectio, ibi nec Christus est, qui patrem nobis reconciliauit. Vbi Christus non est, ibi peccatum est, ibi mors est, ibi interitus est & damnatio. At nullum (inquiunt) Dei mandatum extat, quo saltare prohibeamur. Audio. Sed cum ea prohiberi constet, quæ à saltatione seiungi non possunt, hanc quoq; diuinis legibus vetitam esse fateamur oportet; nisi cum ratione insanire libeat. Iubet Dominus ne concupiscas vxorem filiam aut ancillam proximi tui. Multò minus ergo concupiscentiæ tuæ tantum indulgere debes, vt eas contrectare velis, & tibi saltatrices deligere, quas concupiscere nefas est. Et cùm Christus illum in corde iam adulterium commisisse dicat, qui vxorem alterius viderit ad concupiscendum illam, quid de ijs dicemus, qui lasciuo intuitu non contenti, illam manibus prehensant, contrectant & petulanti saltatione hinc inde rapiunt, vt æstuantem carnis cupiditatem aliquo modo foueant? Monet præterea Christus, vt bonas arbores faciamus & fructus bonos, nisi excindi & in ignem abijci libeat. At quis obsecro bonam arborem esse dicet saltationem viri cum fœmina, cuius fructus adeò malos esse constat? Sed adhuc aliqui obijciunt, ferri non posse saltationes, si abusus tollatur, & eædem modestiæ legibus coher-

De choreis & saltationibus Christianorū.
Exod.15.
2.Sam.6.
Iere.31.
Saltationis origo.
Exod.32.
Saltationis turpitudo.
1.Thess.5.
Ephes.5.
Matth.16.
Rom.13.
Matth.11.
Ioan.13.15.
Saltationis effecta.
Obiectiones diluuntur.
1
1.Ioan.2.
2
Exod.20.
Matthæi 5.
Matth.12.
3

ceantur. Quibus ergo respondeo, hoc perinde esse, ac si aliquē cum ratione insanire iubeas. Quis enim modestiæ locus erit in ea re, quæ soli lasciuiæ seruit, & prauis cupiditatibus fomites suggerit? Dico præterea nullum omniuo vsum bonum esse posse rei per se malæ & illicitæ, nec sufficere, si quoad externos gestus modestiam & honestatem præ se ferant saltatores, nisi simul concupiscentiam restinguant, quod non alia ratione fiet, quàm si oculos quoq; à contemplanda vanitate, nedum manus à contrectandis alienis auerterint. Quòd si concupiscentiam carnis restinxerint, mox saltationes illas non vnius assis facient. Hæc & plura alia huius generis olim sanctissimi patres viderunt, qui Conciliorum decretis publicis censuerunt, Christianos homines à choreis & lasciuis spectaculis arcendos esse: & hodie non vulgarem laudem merentur pij magistratus, qui licentiam istam sanctis legibus cohercent, quæ si non alio, certè hoc vno nomine Christianis exosa esse debebat, quòd ista occasione sanctissimum virum, Ioannem, indignam mortem obire contigit.

Psalm. 119.

Herodis uanitas & inconsyderata promissio.

Sed restant quædam de Herode dicenda. Placuit illi lasciua & impudens saltatrix. Placuit & reliquis conuiuis, qui & Regis similes erant, & illi in omnibus assentari assueuerant. Istis ergo adnumerari merentur, quibus eadem vanitas hodie sic placet, vt illius patronos sese præbere non pudeat. Deinde libidine & vino inflammatus Herodes, se puellæ daturum promittit quicquid petat, vsq; ad dimidium regni sui, & promissionem iureiurando confirmat. Adeò verum est, quòd vinum & mulieres cor hominis auferre propheta dixit. Quàm indignum enim rege facinus hoc fuerit, quàmq; temerarium, suprà diximus, & quiuis id facilè intelliget, qui regis officium consyderauerit. Solent boni reges de successoribus dignis sibi diligenter prospicere, & in eo potissimùm populi & reipub. amorem testantur. Quis ergo bonum principem dixerit, qui uel minimam regni partem in impudici scorti, aut lasciuæ puellæ potestatem venire velit? Nec præteriri debet hoc loco, quàm infeliciter cesserit Herodi Magno sua tyrannis, qui vt regnum suum stabiliret, humana simul & diuina iura euertit, nec in alienos modò, quos regnum affectare suspicabatur, verumetiam in vxorem Mariamnem & liberos, Alexandrum & Aristobulum, crudelissimè grassatus est. At illius filius, de quo hîc agitur, effreni prodigalitate dimidium regni lasciuæ & turpissimæ saltatrici promittit. Fit hoc frequenter, vt quæ infinitis laboribus parentum contra ius & fas corrasa sunt, à liberis postea & nepotibus in res turpissimas & homines nullius pretij, lenones, mimos, scurras, scorta & alios eius farinæ prodigantur. Vbi simul humani ingenij peruersitas obseruanda venit, qua fit, vt nullorum sumptuum in res turpes eos pigeat, qui in rebus honestis & diuinis parcissimi & sordidissimi esse solent. Quot enim in Herodis regno pauperes & famelicos fuisse putabimus, quos ille prorsus neglexit, interim satrapis conuiuium luxuriosissimum instruit, & insuper regni dimidium puellæ meretricijs artibus instructæ pollicetur. Fiunt eius generis multa hodie, non modò in Regum aulis, verumetiam à priuatis hominibus, qui cùm in ijs quæ ad Dei cultum, ad pauperum subuentionem & honesta studia faciunt, tenacissimi sint, interim in vestium luxum, comessationes, ludos, venationes, scorta & scurras totum patrimonium consumunt. De temerario Herodis iuramento sequenti Sermone dicetur, si Deus volet. Nostrum fuerit mundi artes & studia agnoscere, vt illius insidias cauere, nosq; Christo incolumes seruare possimus, quoad illi nostra opera vti placuerit. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Hos. 4.

Parentum auaritia liberorum prodigalitate punitur.

Mundus in diuinis parcissimus est, in turpibus prodigaliss.

HOMILIA LII.

At illa egressa dixit matri suæ: Quid petam? Illa uerò dixit: Caput Ioannis Baptistæ. Et ingressa statim cum festinatione ad Regem, petiuit dicens: Volo ut protinus des mihi in lance caput Ioannis Baptistæ. Et dolore affectus Rex, propter iusiurandum eosq; qui simul accumbebant, noluit eam reijcere. Missoq; confestim spiculatore, iussit inferri caput eius. Ille uerò abijt, & decollauit eum in carcere: & attulit caput eius in lance, deditq; illud puellæ, & puella dedit matri suæ. Quo audito uenerunt discipuli eius, & sustulerunt cadauer eius, posueruntq; illud in monumento.

Historia

Historia Ioannis Baptistæ non modò indignam ministrorum Dei sortem in hoc mundo continet, verumetiam docet, quibus causis impij aduersus Veritatem irritentur, quantas item in illis vires habeat Veritatis odium, qua deniq; pertinacia & quibus dolis causam suam agant, vt quod animo conceperunt exequantur. Facit huc cumprimis Herodias, quæ vt libidini suæ consulat, Ioannem occisum vult, & quamuis hactenus frustra laborarit, non cessat tamen occasionem omnem capere, quæ illi tandem in Herodis natalitijs commodissima obuenit. Cum enim regem gloriæ inani simul & vino inebriatum videret, filiam subornat, quæ lasciua saltatione illius libidinem magis inflammet, & ad promissa temeraria excitet. Nec illam spes sua fefellit, quando Herodes, se illi quid uis daturum esse pollicetur, & pollicitationem iureiurando confirmat. Qua regis temeritate, vt impia & impudica mulier ad occidendum Ioannem abusa sit, in præsenti ita describit Marcus, vt multa simul comprehendat, quæ ad nostræ fidei & vitæ institutionem faciunt: de quibus singulis ex ordine dicemus. Argumentum & usus præsentis loci.

Et primò quidem puella exiuisse & matrem consuluisse dicitur, quid nam potissimùm peteret. Vbi mirum videri potest, lasciuam saltatriculam matris suæ adeò obseruantem fuisse, vt absq; illius consilio nihil sibi faciundum putarit: cùm pij & honesti parentes liberos suos ferè inobedientissimos & contumacissimos experiantur. At nouerat illa matris ingenium nec aliud ab illa consilium expectabat, quàm quod illius libidini & improbæ cupiditati seruiret. Et ita natura comparatum est, vt improbi liberi parentibus sui similibus libenter obtemperent, qui pijs & sanctis piorum parentum iussis nunquam sese accommodarent. Deinde hæc ita fieri proderat, ne quid ex composito agi videretur. Porrò mater de Regis promissione edocta, illam caput Ioannis postulare iubet. Nec mora, redit in conuiuium impudens saltatrix, & insigni audacia simul & impudentia, Volo (ait) vt protinus des mihi caput Ioannis Baptistæ. O crudelem impudentiam, & crudelitatem impudentissimã. Horrent natura à vulnerum & sanguinis aspectu mulieres. At ista vix dum nubilis adhuc caput cruentum & recens abscissum sibi dari vult, vt illud in lance instar ferculi lautissimi ad matrem deferat: nec illam in tanto principum consessu eius petitionis pudet, quæ illi turpissimam amissi pudoris & animi ab omni humanitate alienissimi suspicionem apud omnes bonos & cordatos viros conflare poterat. Sed elucet hîc quantum possit apud impios Veritatis odium. Habent istæ promissionem à Rege amplissimam & quiduis acquirendi occasionem. At omnibus quæ in mundo optari poterat, caput Ioannis præferunt. Cuius optionis non alia causa est, quàm quòd ille ipsarum libidini obstabat, nec ferre potest Herodias, vt ab ipso arguatur. Est hoc proprium impijs: qui cùm nihil perinde odisse soleant vt Veritatis lucem, illam quoq; extingui cumprimis optant. Ita enim demum se felices fore arbitrantur, si nemine prohibente turpissimis suis affectibus indulgere possint. Nec desunt etiam in alijs historijs huius generis exempla. Iesabel certè olim Eliæ caput potius quàm quiduis aliud habere cupiebat. Et impij Zedechiæ aulici Ieremiam multò intolerabiliorem putat, quàm Chaldæos, à quibus grauissima obsidione premebantur. Quin Christum ipsum postea Iudæi tanto studio ad crucem deposcunt, quasi tunc demum ipsorum genti consultum sit, si ille mortem subeat. Facit huc quod in Apocalypsi scribitur, terrenos homines muneribus hinc inde transmissis suum gaudium testaturos esse, si quando Veritatis testes siue præcones occidi contingat, quorum doctrina sese excruciari senserunt. Vbi simul elucet admirabilis verbi diuini vis, cuius sensu Herodias ita tangitur, vt Ioannem ne captiuum quidem & vinctum ferre possit. Nec enim vinciri potest Dei verbum, sed impiorum quoq; animis obstrepit, dum ipsius ministri in carceribus detinentur. Quare miserè admodum falluntur, qui sibijpsis securitatem promittunt ex ministrorum morte, quæ ipsis plerunq; maiorum malorum causam afferre consueuit, &c. Puella ex matris consilio petit caput Ioannis Baptistæ. Quàm graui ueritatis odio impij laborent. 1. Reg. 19. Ierem. 22. 37. 28. &c. Matth. 27. Apoc. 11. Verbi Dei uis. 2. Timoth. 2.

Porrò ad Herodem transeamus, qui indoluisse dicitur: nimirum quòd hoc illi præter omnem expectationem accideret, & Ioannem in pretio haberet, nec ignoraret, quàm fœdam ignominiæ notam sibijpsi esse inusturus. Nec enim illis consentio, qui illum dolorem simulauisse putant, quando aliter Euangelistæ scribunt. Attamen inutilem fuisse dico illũ dolorem, eò quòd non Dei verbo regeretur: quæ causa fuit, quòd sui promissi & conuiuarum maiorum rationem habuit, quàm Dei & officij, ad quod illum Deus destinarat. Et hîc quidem consyderanda venit misera & infelix eorum conditio, qui excusso Dei timore, affectibus suis indulgere consueuerunt. Habet aliquam veri & boni co- Herodes ad puellæ petitionem indoluit. Infelix impiorum conditio.

gnitionem Herodes, qua motus Ioannem crebrò, nec illibenter audiuit. At quia libidini sese addixit, monitori fido non obtemperat, sed in vinculis detinet, quem tueri debebat. Mox libidine abreptus promissione & iuramento temerario fidem suam obstringit. Vbi se circumuentum & captum vidit, dolet quidem, sed quid faciat non videt. Nefas esse intelligit, hominem innocentem occidere. E contra verò vrgetur iuramenti religione & conuiuarum præsentia, ne illi hominem fluxæ fidei existiment, si promissa præstare detrectet. Et hîc præposterè religiosus est, cui antea lusus fuerat sacrosanctum coniugij vinculum dissoluere, fidem vxori datam fallere, simulq; diuina & humana iura violare. Est hæc omnium eorum sors, qui carnis affectibus ducti, hominum potius quàm Dei oculos & iudicium verentur. Habent quidem in cordibus suis naturæ legem & à propria conscientia
Rom. 2. sese accusari sentiunt. Quò fit, vt Dei verbo interdum assentiantur, & dolore quodam sese affici sentiant, si quid contra ius & fas agendum fuerit. At quia carnis affectibus simul locum dant, & humanæ rationis consilia audiunt, inefficax & inutilis est dolor iste, imò perniciosus, quando vt pro-
2.Sam.11.et 12. ximam quamq; infamiam subterfugiant, peccata peccatis accumulare solent: quod Dauidi quoque accidit, donec Dei timore correptus, de peccato suo reuera dolere cœpit. Obseruent istud, qui hoc vanissimo dolore sibijpsis blandiuntur, & eundem sufficere putant, licet nunquam desinant peccare: qui nisi principijs obstent & seriò agant salutis negotium, tandem magno suo malo experientur, quid sit cum Deo ludere, & seipsum vanissimorum peccatorum blanditijs lactare.

De iureiurãdo. At quia Herodes propter iusiurandum puellæ petitionem admisit, adeoq; parricidium hoc iuramenti prætextu excusauit, nec hodie desunt, qui similia eodem argumento defendere solent, de iurandi ratione quædam dicenda erunt, quæ ad præsentis loci tractationem sufficiant. Est autem iusiurandum promissio solennis, qua Deum eorum quæ pollicemur testem, & fidei violatæ vindicem
Hebr. 6. constituimus. Vsus illius est in rebus dubijs & controuersis, quas eius authoritate vel confirmari vel dirimi oportet, qui tam nos quàm reliquos omnes excellit, & cuius fides apud omnes certa & indubitata habetur. Est is vnus Deus, per cuius solius nomen iurandum esse, omnis scriptura do-
Deut.6.10. cet. Solus enim ille cordium arcana nouit, solus vera dicentes tueri, solus item perfidos & periu-
Iof.23. ros punire potest. Quæ causa est, quod sancti martyres olim iusiurandum ad fidei confessionem
Isaiæ 65. &c. pertinere putarunt, & nota est illa Ambrosij ad Valentinianum Imperatorem scribentis senten-
Lib.5.epist.30. tia: Quid est iurare, nisi eius, quem testaris fidei tuæ præsulem, diuinam potentiam confiteri? At
Exod.20. quia Dei nomen adhibetur, quod ille in vanum & temerè vsurpari non patitur, duo hîc præcipuè ob-
Leuit.24. seruanda sunt. Primum, ne temerè suscipiatur iusiurandum: quò facit, vt non nisi in re graui illo vtamur, & quidem seriò, nec absq; religione. Deinde, ne illud quibusuis committatur, quorum fides & religio non temerè suspecta est. Præterea ne quid iuremus quod cum Dei voluntate pugnet, & ab officio nostro alienum sit. Alterum est, vt quod iurauimus, sanctè præstemus. Cum enim omne mendacium Deus exosum habeat, non potest non illi execrabilis censeri, quisquis sub ipsius prætextu & nomine mentiri non veretur. Viderunt hoc Ethnici olim, apud quos turpissimum facinus visum fuit, fidem datam fallere, nec desunt exempla, quæ in eos Deus edidit, quos aut temerè aut falsò iurare non puduit. Hîc tamen probè obseruabis, ea demum iuramenta præstari debere, quæ & ritè suscepta sunt, & in quibus nihil impium aut iniustum siue iniquum promiseris. Nam si in eo erratum fuerit, satius erit peccatum agnoscere & de illo pœnitere, quàm præstando quod impiè iurauisti scelus sceleri accumulare. Qui enim sub diuini nominis prætextu faciunt quod impium & iniustum est, hi Deum sceleris authorem constituunt, quasi illo vrgente & cogente illud faciant. Peccauit ergo Herodes dum temerè iurat, et idem maiori scelere temerarium iuramentum præstat, quod absq;
1.Sam.25. parricidio præstari non poterat. Rectius multò Dauid, qui cum ira abreptus iurasset, se Nabalis domum omnem deleturum esse, vbi Abigaelis oratione mitigatus est, manus abstinuit, nihil eius iuramenti religionem veritus, quod non nisi innocentis sanguinis effusione impleri poterat. Est ergò
Isidory probè tenenda Isidori regula: In malis promissis rescinde fidem, in turpi voto muta decretum, quod incautè vouisti ne facias. Erant hæc ijs obseruanda, qui vota monastica tuentur, quibus incauti & stulti homines ad ea sese obstringunt, quæ vel palàm impia sunt, vel vires humanas superant, & maiorum scelerũ causam præbent. Iis item, qui mercenariam militiam, & quicquid illa malorũ parit, fœderum religione defendunt, quibus sese exteris principibus temerè & iniquissimè obstrinxerunt, &c.

Cæterum

Cæterum ad Herodem reuersi, illius quoque conuiuas videamus, propter quos Ioannem decollari iussit, ne parum religiosus iurisiurandi obseruator haberetur. Patet hinc illos corruptissimos fuisse, quando ne vnus quidem reperitur, qui in re indignissima sese interponat. Atqui tales ferè sunt Regum aulici, qui vbi illis assentiri in animum induxerunt, ad omnia conniuent, vt & ipsi principum exemplo licentiosius peccare possint. Describit horum mores graphice Hoseas cap. 7. his verbis: Dies (inquiunt illi) est regis nostri: fecerunt principes ægrotare vere vini: iungit rex manum suam cum illusoribus. Tales autem in pretio habentur, regum mensis assident, eorundem consilijs intersunt, cum interim fidi monitores aut exulent, aut in vinculis teneantur, aut morte pœnas luant. Discant autem Herodis exemplo non reges modò & principes, verumetiam priuati quiq; quàm noxia sit hominum improborum consuetudo, qui vt multorum scelerum occasiones præbent, ita volentes pedem retrahere multiuariam impedire solent, &c.

Herodis conuiuæ.

Regum aulici pri... Hoseæ 7

Sequitur ipsa Ioannis mors, cuius singulæ circumstantiæ aliquid habent, quod ad rei indignitatem declarandam facit. Primò enim rex ebrius inter pocula fert capitalem sententiam, non alia causa, quàm incesti scorti & impudentis saltatriculæ petitione motus. Atqui olim Porcius Cato L. Flaminium è numero Senatorum sustulit, quòd in prouincia quendam damnatum securi percussisset, tempore supplicij ad arbitrium muliercule, cuius amore tenebatur, electo. Multò minus ergo Herodis facinus aliquis probus & cordatus probare poterit, qui innocentem damnare non est veritus, vt meretrici turpissimæ gratificaretur. Nec mora, satelles siue miles impurus ex stipatorum regis numero mittitur, qui sententiam iniquissimam exequatur. Solebant enim veteres in sontibus plectendis militum opera vti, cuius rei exempla non modò Romanorum, verumetiam sacra historia habet, vbi Solomonis res gestas describit. Miles verò iste non in publicum producit Ioannem, sed in carcere illum occidit: quod vt contra morem fit, ita pijs non potest non molestissimum esse, qui publicè mori cupiunt, vt fides ipsorum & innocentia omnibus testata sit, vtq; spectatorum precibus adiuuentur, inter quos plerunque aliqui boni & pij interesse solent. Sed ne hoc quidem beneficio Ioanni frui datur, quem in tetro carcere prophanus miles decollat. Qui idem caput sanctissimum, cruore adhuc horridum, luxurioso conuiuio infert, & lasciuæ saltatriculæ tradit, quæ illud mox ad matrem defert, quam credibile est, non oculos modò hoc tam nefando spectaculo satiauisse, verumetiam omne conuitij & contumeliæ genus effudisse, quod non multò ante aduersus Ciceronem Fuluia Antonij vxor fecerat. In his verò incredibilis Dei longanimitas elucet, qui sanctissimum virum & seruum fidelissimum tam indignis modis tractari passus est. At quod hic fecit, hoc ipsum olim quoque factum est, quando non minori sæuitia in prophetas impij grassati sunt: & eòdem pertinet, quod cum in Apostolos eadem iniustitia & crudelitate mundus vteretur, vindictam diu distulit. Proponantur autem ea in hunc vsum, ne offendamur, si quid simile hodie contingat. Cogitemus potius, nos in afflictionibus Christo conformes fieri, Deum verò fidelem esse, nec vnquam admissurum, vt supra vires tentemur. Consoletur præterea, quòd non hic modò pijs consolationibus Deus suos confirmat, verumetiam ijsdem præmia proposuit amplissima, quibus ipsorum tribulationes abundè compensabit. Cum Christo enim in regno patris sui edent & bibent, qui in tentationibus cum ipso perseuerarint. Quoad verò impios tyrannos, non dormitat Deus, iustus scelerum vindex, cuius iudicium nemo subterfugiet, licet interdum suorum oblitus esse videatur. Sensit hoc impura Herodias, quando cum marito incesto exulauit, & suæ impuritatis atque tyrannidis fœdam memoriam ad posteros transmisit. Quod non illi soli accidisse, exempla aliorum docent, quæ historias legentibus passim occurrunt.

Ioannis decollatio.

1

2 De morte Joannis Baptistæ ... lib.

2 ... 13

1. Reg. 2.

3

Longanimitatis Dei exemplum

Matth. 5.
Rom. 8.
1. Corinth. 10.
2. Corinth. 1
Psalm. 31.
Lucæ 22.

Postremò de discipulis agitur, quos magistri sui corpus, quod inhumanum crudelis carnifex reliquerat, sepeliuisse, & inde Christo rem omnem nunciauisse, Euangelistæ scribunt. Est hoc fidei constantis exemplum, quo & pietatis officium præstat, nec se adhuc eius doctrinæ pudere testantur, cuius causa Ioannes indignam mortem subierat. Imitata est hos primitiua ecclesia, quando Stephanum, à Iudæis lapidatum, similiter sepulturæ mandauit. Imitemur eosdem nos quoq;, vt mortuis præcepto vltimæ gratitudinis officium præstemus, & in periculis quoq; fidem profiteamur, qua dum tuta essent omnia gloriati sumus. Est enim immanis planè illorum inhumanitas, qui eos conuitijs proscindunt, à quibus salutis doctrinam hauserunt, si quid præter expectationem sibi accidere videant. Admone-

Discipuli Ioannis corpus sepeliunt.
Matth. 14
Acto. 8.

Tobias corpora omnium Judæorum ... abscondit et nocte sepeliuit ~

Quid officij defunctis debeat impendi. mur præterea, quid defunctis impendi debeat. Nulla fit hîc superstitiosarum ceremoniarum mentio, nec illos sancti viri ossa siue reliquias collegisse, aut eundem nescio qua Canonisatione inter Deos retulisse scribitur. Solius sepulturæ honorem ipsi impenderunt, cuius institutio ad Deum authorem refertur, qui Adamo dixit: Terra es, & in terram reuerteris: quam item resurrectionis symbolum esse ex ijs facilè patet, quæ de hac ab ipso Christo apud Ioannem, deinde à Paulo quoq; ad Corinthios dicuntur. Debemus ergo hanc quoq; defunctis præstare, ne dum illorum corpora contumeliose abijcimus, inhumanitatis accusemur, vt Moabitæ olim, quos Deus omni venia indignos dicit, eò quòd ossa regis Idumæi combussissent. Quod in Christianis hominibus eò magis obseruari debet, quorum corpora Christus sanguine suo in templa spiritus sancti consecrauit. Curandum tamen, ne superstitiosis exequijs & immodico luctu, vel Christi merito aliquid derogemus, qui in se credentes à morte in vitam trasire ait, aut gentium similes reddamur, quæ spem resurrectionis ignorant. Faxit Deus, vt vera fide illuminati, vitæ huius cursum sanctè consummemus, & coronam iustitiæ assequamur in Christo Iesu, cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Gene. 3. Ioan. 12. 1. Cor. 15. Amos 2. 1. Cor. 6. Ioan. 5. 1. Thes. 4.

HOMILIA LIII.

Et congregantur Apostoli ad Iesum, & renunciauerunt illi omnia, & quæ egissent, & quæ docuissent. Et ait illis: Venite uos soli in desertum locum, & requiescite pusillum. Erant enim multi, qui ueniebant & & abibant, ut ne cibum quidem capere uacaret. Et abijt in desertum locum nauigio seorsum. Et uiderunt eos abeuntes turbæ, & agnouerunt eum multi, & itinere pedestri ex omnibus urbibus concurrerunt illuc, & præuenerunt eos, conueneruntq; ad illum. Et egressus uidit turbam multam Iesus, & misericordia commotus est super eis, quia erant uelut oues non habentes pastorem, & cœpit illos docere multa.

Argumentum & vsus præsentis loci. CVm Apostolorum Iesu Christi legationem supra exposuisset Marcus, illi præclaram de morte Ioannis Baptistæ historiam subijcit, eo nimirũ exemplo docens, quæ ministrorum verbi in hoc mundo sors sit, & quanta tum crudelitate tum astutia impij illos persequi soleant. Ne quis tamen de doctrinæ successu desperet, modò ad Apostolos reuersus, quid tam ipsi quàm Christus fecerint narrat, postquam Ioannes indigna morte sublatus fuit. Et Apostolos quidem ad Christum redijsse scribit, qui primùm quidem illos humaniter exceptos quiete & otio sancto recreauit, mox verò magno cum fructu ad docendi munus et miracula redijt. Vbi docemur, Veritatis doctrinã nullis tyrannorũ conatibus impediri vel extingui posse, nec Deum unquã illorum studijs defuturum esse, qui in eius propagatione fidelem operam nauauerint: id quod omnium seculorum exemplis iam inde ab ipsa mundi origine probatũ est, & hîc abundè patebit, si singulas huius loci partes paulò attentius inspiciamus.

Apostoli ad Christum reuersi, illi omnia quæ egerunt renutiant. Primò de Apostolis agitur, qui cùm à Christo bini essent emissi, & hactenus diuersis in locis docuissent, ad Christum rursus congregantur, & illi omnia renunciant, adeoq; rationem reddunt omnium quæ fecerunt & docuerunt. Nam felici successu illos vsos fuisse, supra indicatum est. Vbi consolationis plenum est, quòd licet Ioannem Herodes occiderit, non desunt tamen qui eandem doctrinam proponunt, in quos illi nihil licet, quiá fideliter suo officio functi, tutò ad Christum redeunt. Nec enim impiorum tyrannidi ita habenas laxat Deus, vt quiduis illis in quosuis liceat, sed vt mari suos limites constituit, ad quos fluctus suos deponat, ita tyrannorum quoque furores certis finibus coercet, quos illi nunquam transgredi poterunt. Exempla eius rei passim in prophetarum & regum historijs occurrunt, & eòdem pertinet, quòd cùm Christus à sacerdotum seruis caperetur, nihil illis in discipulos licuit, ipso nimirum dicente: Si me quæritis, sinete hos abire. Quid, quòd cùm Hierosolymis Stephanus lapidatus esset, & persecutio grauis ecclesiam maxima ex parte dissipasset, Apostoli tamen in vrbe intacti & illæsi remanserunt, qui præ alijs periculo expositi esse videbantur? Hinc ergo consolationis argumenta petenda sunt, si quando impij Veritatis hostes ecclesiam totam vastaturi videntur.

Iob. 38. Ioan. 18. Actorum 7. 8.

At

At hic simul officij admonentur ministri. Non incerti vagantur Apostoli, sed à Christo emissi, quod ille commisit prædicant, & vbi hoc fecêre, ad eundem redeunt, & illi suæ functionis rationem reddunt. Decet hoc omnes ministros, vt se à Christo missos esse intelligant, & proinde non incertis doctrinis vel seipsos vel alios circumducant, sed quod à Christo acceperunt, ecclesijs fideliter tradant. Curent autem, vt ministerium suum Christo probare, & huic illius rationem reddere possint, nec corrupti & infelicis mundi iudicium curent, cui quotquot placere student (vt Paulus in propria causa de semetipso pronunciat) ij Dei ministri esse non possunt, quando duobus dominis simul seruire impossibile est. Adhæc ad Christum omnia sua referant, huic omnem sui ministerij effectum & gloriam transcribant, qui solus nos idoneos reddit, & solus incrementum dare potest, sine quo frustra ministri plantant vel rigant, vt multis Apostolus docet. 1. Corinth. 3. Sunt ergo Apostolorum multùm dissimiles, qui pro suo arbitrio omnia faciunt, neq; ad reddendum rationem possunt adduci, interim verò rebus gestis perinde gloriantur, ac si suo studio & industria omnia confecerint. Ministrorum verbi officium. Matth. 28. Galat. 1. Matth. 6. 2. Cor. 3.

Sed Christum videamus, qui Apostolos multo labore defessos in locum desertum secedere, & aliquantisper quiescere iubet. Causa assignatur, quòd tanta fuerit venientium & abeuntium turba, vt ne cibum quidem sumere illis vacauerit. Adeò non terruit populum Herodis tyrannis & indigna Ioannis mors, vt potius nouo studio & zelo erga illius doctrinam inflammatus esse videatur. Christus Apostolos quiescere iubet.

Est autem ingens humanitatis Christi argumentum, quòd discipulos nihil tale petentes quiescere iubet. Hinc enim patet, illum labores nostros simul & imbecillitatem nostram probè nouisse, nec suis unquam negaturũ respirandi et sese recreandi spacium, vt nouis laboribus sufficiant. Quod enim hic factum est, hoc ipsum passim publicè & priuatim fieri consueuit. Facit huc quod cùm propter peccatum laboribus & curis assiduis humanum genus addixerit, sabbatum tamen instituit, quo & corpora à laboribus quiescant, & animi ex prædicatione verbi & beneficiorum illius diligentiori meditatione consolationem accipiant. Similiter morbos nobis immittere solet & omnis generis pericula, quibus carnis nostræ lasciuiam coerceat. At quia idem nos terram & puluerem esse nouit, interea fidei consolationibus nos sustentat, nec vltra quàm ferre possimus tentari patitur. Idem in publicis persecutionibus ecclesiæ fieri videmus, quas lætis quibusdam vicibus temperat, vt respirare & nouis viribus confirmari possint, qui iam toti succubituri videbantur. Quod cùm nostro seculo frequenter factum sit, non est, quòd huic loco diutius immoremur. Christi humanus & paternus erga suos affectus. Psal. 103. & 94. 1. Cor. 10.

Interim Christus suo exemplo officij admonet omnes eos, qui in alios homines aliquid iuris aut potestatis habent: ne videlicet suos nimijs laboribus enecent. Quietem enim laboribus diuturnis deberi, ipsa natura docet, & eandem Deus in lege tanta diligentia commendauit, vt non modò seruorum & ancillarum, verumetiam iumentorum nos rationem habere velit. Quare non iniquum modò, verum etiam cum sacrilegio coniunctum est, si quod ipse Deus largitus est, tuis eripias. Curandum tamen, vt quies nostra sancta sit in Christo, quem tunc maximè nobis adesse oportet, ne caro à laboribus necessarijs vacans in peccandi licentiam erumpat. Quies concedenda ijs, qui labore suo defuncti sunt. Exodi 20.

At vbi turbæ Christum cum discipulis nauigio secedere vident, mox illum pedestri itinere sequuntur, & relictis vrbibus tanta festinatione vtũtur, vt illos præueniant. Est hoc magni zeli argumentum, quòd & domus suas relinquunt, & pedites veniunt, & tanta celeritate festinant. Attamen probari non potest, quòd nõ tam doctrinæ & æternæ salutis ergò, quàm propter signa & priuata carnis commoda Christum secuti sunt, sicuti ipse illis apud Ioannem exprobrat. Illorum ergo typum gerunt, qui nostro quoq; seculo Euangelij amore & studio flagrare videntur, mox autem vbi se spe sua frustratos vident, qua insignes honores, opes ingentes & impunem quiduis agendi licentiam animo conceperant, turpiter deficiunt. Interim horum exemplo turpis & fœda illa socordia arguitur, quæ electis etiam ferè obrepere solet. Qui non nisi carnalia quærunt, omnia deserunt, & quemuis laborem & quæuis pericula subeunt, vt spe sua potiantur. Nos verò, qui carnalia relinquenda esse scimus, certam autem & infallibilem bonorum cœlestium spem in Christo repositam habemus, adeò ignaui sumus & torpidi, vt omnem laborem & omne periculum subterfugiamus. Quis verò non turpissimum facinus esse dixerit, Christi seruos ab impuris satanæ mancipijs studio & zelo superari? Turbæ Christũ sequuntur. Ioan. 6.

Sed ad Christum redeamus, qui non minori humanitate erga populum, quàm prius erga discipulos vsus est. Primò enim ad illos egressus, ipsos amicè excipit, vt Lucas testatur. Est hoc miræ fa- 1. Christus ad se uenientes

humaniter excipit. Luce 9. cilitatis indicium, quòd nec superbè fastidit quos carnalia potius quàm cœlestia quærere sciebat, nec inhumaniter reijcit eos, qui ipsius & suorum quietem interturbabant. Quis enim vel principum vel monachorum hodie istud patienter ferret? Imò qui se Christi vicarios esse gloriantur, ne turpes quidem ludos suos relinquere volunt, vt salutis consilium quærentibus succurrant. Deinde, illis visis toto animo commouetur, eò quòd instar ouium essent, quæ pastore destituuntur: quem affectum alibi quoq; illi Matthæus tribuit. Hinc discamus, qualem habeamus Pontificem Christum: talem nimirum, qui nostris infirmitatibus compati solet, & qui vel solo aspectu nostræ miseriæ tangitur. Vbi illorum error confutatur, qui illius seueritatem atq; rigorem ita verentur, vt nescio quibus intercessoribus nobis apud illum opus esse existiment. Atqui cum in terris esset, omnes laborantes & oneratos rectà ad se venire iussit, & idem tum discipulos tum Virginem matrem pro aliquibus intercedentes, duriusculè reiecit, ne quam superstitioni & errori occasionem præberet. Quæ igitur ratio nos mouet, vt in cœlis ad dextram patris sedentem ingenium suum mutasse, & ex mansueto mitiq; durum & inexorabilem factum esse putemus? Obseruabis autem hoc loco, quæ nam sit populi conditio, qui doctoribus fidis & salutari Veritatis doctrina destituitur. Eadem nimirum, quæ ouium pastore carentium. Oues autem natura stolidissimas finxit, adeò vt nisi pastorem ipsas ducentem & defendentem habeant, ipsæ sibi non quicquam consulere possint. Nam & gregem deserunt, nec ad illum sua sponte reuertuntur, & ita semetipsas lupis dilaniandas propinant. Ad eundē modum homo animalis, cum non percipiat ea quæ sunt spiritus Dei, instar ouis à via salutis aberrat, & vbi semel aberrauerit affectuum illecebras secutus, non redit unquam, nisi Dominus ipsum per verbum suum reduxerit, in cuius prædicatione hominum abs se delectorum ministerio vtitur. Quibus quotquot destituuntur, ij instar dispersarum ouium, diaboli insidijs patent. Qui eò infeliciores sunt, si hanc suam miseriam non agnoscunt, & doctores fidos odiunt, illosq; vnà cum doctrina extinctos cupiunt: quales omnibus seculis multi fuerunt, & hodie passim inueniuntur, qui à lupis potius deuorari, quàm Dei verbo regi atq; pasci volunt. Tertiò multa illos docuisse dicitur Christus, & quidem de regno Dei (vt Lucas habet) veram nimirum illius consequendi rationem tradens. Doctrinam verò suam (vt idem ille cum Matthæo testatur) miraculis confirmauit, dum omnibus qui malè habebant, clementer subuenit: ita nimirum doctrinam suam salutarem esse ostendens, vt quæ in ipso veram tum corporum tum animarum salutem nobis offerat. Vbi præter Christi fidem & industriam, videre est, in quanto pretio Euangelij doctrina haberi debeat. Miseretur horum Christus, & haud dubiè beneficium summum in illos conferre voluit. At cùm in præsenti nihil præter Euangelij doctrinam miraculis confirmatam conferat, hanc summi beneficij loco habendam esse ostendit. Præterea quis dubitet, Dei filium ei rei potissimùm vacauisse, quæ & sanctissima est, & hominum saluti maximè seruit? At illum in docendo assiduum fuisse, nec quicquam aliud frequentius fecisse legimus. Quare doctrinam ipsius & sanctissimam & saluberrimam esse fateamur oportet, nisi ipsius Christi morem & institutum improbare libeat. Agnoscamus itaq; illius fidem & studium, quo non minus hodie salutem nostram quærit & prouehit. Audiamus in Euangelio loquentem, & illum fidissimum pastorem sequamur, vt in gregis ipsius vnitatem collecti, in ipso vitam & salutem obtineamus æternam. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

[Marginal notes: 2. Christus populi miserijs afficitur. Matth. 9. Hebr. 4. 5. — Matth. 11. et 15. Ioan. 2. — 1. Cor. 2. Isaiæ 53. — 3. Christus docet & sanat. Matth. 14.]

HOMILIA LIIII.

Cum autem iam multus dies esset, adierunt eum discipuli eius, dicētes: Desertus est locus, & iam multus dies est. Dimitte eos, ut digressi in cicumiacentes agros & uicos, emant sibi panes: nam quod edant, nō habent. At ille respondens ait eis: Date uos illis quod edant. Et dicunt illi: Num profecti emamus ducētis denarijs panes, & demus illis quod edant? At ille dicit eis: Quot panes habetis? abite & uidete. Et cùm cognouissent, dicunt: Quinque & duos pisces. Tunc præcepit eis, ut discumbere faceret omnes sigillatim per conuiuia super uiridi gramine. Discubuerunt igitur sigillatim per areolas centeni & quinquageni. Et acceptis

acceptis quinq; illis panibus & duobus illis piscibus suspiciens in cœlum, benedixit, ac fregit panes, deditq; discipulis suis, ut apponerent illis: & duos pisces partitus est omnibus. Comederuntq; omnes & saturati sunt. Et sustulerunt fragmentorum duodecim cophinos plenos, & de piscibus. Erant autem qui comederant quasi quinquies mille uiri.

Argumentum & usus præsentis loci. Matth. 6.

PErquàm memorabilis & diligenti obseruatione digna est Christi Iesu Domini nostri sententia, quæ apud Matthæum habetur: Quærite primùm regnum dei & iustitiam eius, & reliqua omnia adijcientur vobis. At quoniam caro terrenis addicta & de victu sollicita, hoc sibi difficulter persuaderi patitur, non præceptis modò & promißionibus, verumetiam exemplis illam excitari & vrgeri oportet. Proponuntur ergo eius generis multa in patriarchis, in Israelitis per desertũ agentibus, in Dauide & prophetis, Apostolis item & illorum successoribus qui dei fidem in hisce promißionibus constantißimum & infallibilem experti sunt. Inter omnia tamen illa præstantißimum est, quod in præsenti historia habetur, quam spiritus sanctus singulari consilio ab omnibus Euangelistis describi curauit. Prius enim de magno populi zelo dictum est, qui relictis vrbibus Christum est secutus, vt vocem audiret. Excepit hunc Christus humanißimè, & illius misertus ea docuit, quæ ad regnum dei faciunt, & simul ægros, quos secum adduxerant, mirabiliter curauit. Quibus omnibus modò nouum beneficium addit, quo totam illam turbam miraculose cibat: ita nimirum promißioni suæ reipsa fidem faciens, simulq; omnibus carnis nostræ rationibus occurrit, quibus illa nos à regni Dei studio retrahere consueuit. Quæ vt melius intelligatur, primùm historiæ ordo & contextus inspiciendus erit: deinde vt hæc præsenti instituto seruiant, & quid inde nobis discendum sit, videbimus.

Matth. 14. Lucæ 9. Ioan. 6.

Populi studium miraculo occasionẽ præbuit.

Occasionem miraculo præbuit populi studium, qui totum diem ad vesperam vsq; cum Christo perseuerauit. Est hoc magni zeli argumentum, tam in Christo quàm in populo, cùm hi relictis domi rebus omnibus eò vsque maneant, vt aut foris pernoctare, aut noctu domum redire cogantur: ille verò eosdem tam diu sustinet, seq; totum illis impendit. qui vt discipulos suos recrearet, in illum locum secesserat. Vtrumq; imitentur, qui dei verbum cum fructu vel audire vel prædicare volunt. At procul hodie ab hoc studio absunt tum ministri, qui vt otio suo consulant, & quorundam sui similiũ gratiam mereantur, vel raras admodum vel breuißimas conciones habent: tum pleriq; auditores, quibus molestißimum est, si vel horæ vnius spacio in cœtibus sacris detineantur.

Discipuli peccant arrogãtia & diffidentia.

Porrò quoad nostros hosce, ubi discipuli diem ad occasum vergere, nec vllam de populo dimittendo mentionem fieri vident, ipsi ea de re Christum admonent, & rationes à loco & tempore & ipsius populi conditione adducunt, qui famelicus iam cibum non aliter inuenire poßit, nisi dimittatur. Et hic quidem charitatis officium præstare videntur Apostoli, sed quia fidei imbecellitate laborant, variè in hoc ipso ab illis peccatur. Primò enim arrogantiæ est, quòd Christum monitore opus habere putant, & quid faciat illi præscribunt. Diffidentiam verò illorum arguit, quod promißionum Christi immemores, populum hunc nisi dimittatur, ali & pasci non posse arbitratur: nec seipsos inspiciunt, quibus cum Christo agentibus nihil hactenus defuerat. Ita verò fieri solet, si quando ex nobis ipsis sapere & Christo præscribere libet: vt multis & absurdis erroribus nostram insipientiam ipsi prodamus. Quare tutißimum fuerit, ab vno dei verbo pendere, & huic per fidei obedientiam omnes sensus nostros simul & intellectum subijcere, quem Euangelicæ prædicationis finem esse, quoad vitæ huius conuersationem, iam sæpe admonuimus.

Lucæ 22.

Christus & discipulorum errorem arguit, & miraculi ueritatem asserit.

Porrò Christus discipulorum errorem, pro sua bonitate, non tam verbis corripere, quàm reipsa arguere, & simul illos ad miraculi quod iam parabat, consyderationem diligentiorem excitare volens, iubet vt ipsi populo conuiuium instruant, quod tamen ab illis fieri non posse sciebat. Nec ipsi hoc diffitentur. Aiunt enim: Vis ne, vt pro ducentis denarijs emamus panes, quos istis demus? Quasi dicant: Non panes modò desunt, verumetiam pecuniæ, quæ tantæ turbæ alendæ sufficiant. Sed iubet Christus illos abire & videre, quot panes habeant. Illi verò & suis & aliorum vasis peruestigatis, non plures quinque panibus (& ijs quidem hordeaceis) & duobus piscibus inueniunt, quos puer quidam secum attulerat, vt Ioannes scribit. Voluit autem ea inuestigatione Christus tam discipulos quàm populum totum de miraculi ueritate certiorem facere, ne quis illud postea in dubium vocaret,

quando iam omnibus constabat, hunc solum commeatum ad manus fuisse. Quia enim salutis nostræ ergò omnia fecit, nihil eorum quæ fecit uel obscurum vel ambiguum esse voluit, sicuti passim vulgi confessiones testantur. Nimis ergò ridiculi sunt, qui vt crassam illam corporis Christi in Cœna præsentiam probent, ad Dei omnipotentiam confugiunt, & miraculum fingunt, cuius scriptura nusquam meminit, & quod fidei articulis repugnat, quibus fatemur, illum peracto salutis nostræ negotio corpus suum in cælos subuexisse, vnde nouissimo die ita venturus sit, sicuti abeuntem viderunt Apostoli. Acto.1. *Sed ad Christum redeamus, qui de panum & piscium numero à discipulis edoctus, iubet vt populum discumbere faciant, centenos nimirum & quinquagenos, quod ipsum quoque ad miraculi perspicuitatem faciebat, cùm sic conuiuæ facillimè numerari possent, & omnes simul alijs videntibus epularentur. Simul verò discipulorum obedientiam probare voluit, dum illud iubet, quod humanæ rationi valde ridiculum videri poterat. Quis enim non ineptum aut stultum dicat, qui multa millia hominum iubeat discumbere, si præter quinque panes & duos pisciculos non habeat, quos illis comedendos apponat? At iubet hoc Christus, & iubenti obediunt discipuli simul & populus. Nec deest illis diuina gratia, vt quid nobis expectandum sit intelligamus, si Christi monitis obtemperare libeat. Accipit enim ille panes, & videntibus omnibus in cælum suspicit, benedicit vel gratias agit (ita enim benedicendi verbum Ioannes interpretatur) deinde eosdem frangit, fractos discipulis tradit, inter quorum manus per diuinam Christi virtutem ita multiplicantur, vt ex illis omnes isti non modò comedant, verumetiam saturentur, & tandem ex Christi mandato fragmentorum cophini duodecim colligantur, & reliquiæ panes atque pisces, qui initio fracti fuerunt, plus duodecuplo excedant. Hæc historiæ siue miraculi summa est, in quo præter luculentum diuinitatis Christi testimonium, duo potissimùm considerari debent. Primum quòd Christo verè adhærentibus & (vt initiò dictum est) regnum Dei quærentibus nihil eorum defuturum sit, quæ ad victum & vitæ huius conseruationem faciunt. Alterum vt hæc per Anagogen siue allegoriam ad ecclesiæ ministerium, de quo hactenus egit Marcus, referri debeant.*

1. Christus suis etiam in hac uita prospicit. Lucæ 12. Marc.10.

Quoad primum, obseruabis primò, Christum etsi nobis æternæ salutis author sit, suis tamen ea quoque promittere & largiri, quæ huic vitæ conseruandæ seruiunt. Est hoc videre in ea promissione, quam initiò huius sermonis ex Matthæo adduximus, quæ apud Lucam multis illustratur. Eodem facit, quòd infra centuplam retributionem ijs pollicetur, qui propter ipsum & Euangelium ipsius vel fratres, vel domus & agros, vel aliquid bonorum huius seculi reliquerint. In veteri autem Testamento huiusmodi promissiones passim occurrunt, præsertim in Psalmis, quas ad nos quoque pertinere Paulus testatur, quando pietatem maximum quæstum esse ait, eò quòd & præsentis & futuri seculi promissiones habeat. Psalm.37.33. 34.112.&c. 1.Timoth.4. *Nec desunt exempla, quibus promissionum istarum fides quotidie asseritur. Etsi enim nihil tale experiamur, quale hic contigit, nemo tamen negare poterit, annuos agrorum prouentus, si cum hominum multitudine conferantur, nequaquam omnibus alendis sufficere posse, nisi singulari Dei benedictione augerentur, qua fit, vt non modò in cibum sufficiant, verumetiam ex illis semen supersit, quo anni venturi spes sustentur, vt interim de eo nihil dicamus, quòd ebrij belluones non minimam illorum partem prodigiosa intemperantia dissipant. Quorum consyderatione fidem nostram ita confirmari oportet, ne inopiæ & famis metu vocationem nostram deseramus, quando fieri non potest, vt in se credentes Deus negligat, qui impijs quoque victum tanta liberalitate suppeditat, imò brutis animantibus cura plusquam paterna prospicit.* Matth.5. Psal.104. & 147. *At hic simul obseruabis, Christum hordeaceis panibus suos humi discumbentes excipere, nõ in regum palatijs omni cupediarum genere saginare. Docet hoc præsentis seculi promissiones cum cruce coniunctas esse, ad quam Christus suos passim vocat, & quam eos necessariò ferre oportet, quicunque in ipso piè viuere voluerint.* Christi promissiones cũ cruce cõiunctæ sunt. Matth.16. 2.Timoth.3. *Nec enim aliter fieri potest, quando veritatis lucem mundus hic odit, & piorum quoque vitia atque lapsus crucis disciplina castigari opus est: quæ simul eò etiã nobis seruit, vt inter huius mundi motus ecclesiam diuino auxilio conseruari intelligamus, nec ab hominum potentia & defensione pendere.* Ioan.3. 1.Corinth.11. Hebr.12. *Semper ergò illud Dauidis occurrat. Multæ sunt tribulationes iustorum, sed ex omnibus liberat illos Dominus. Et ad crucem quidem nos præparemus, non dubitemus autem de Dei bonitate, qui suis non deerit, quoad illos in huius seculi palæstra exerceri voluerit.* Psalm.34.

Secundò

2. Quomodo huius seculi promißiones excipi debeant.

Secundò Christi exemplum nos inspicere conuenit, vt discamus, quæ nobis ratio sit tenenda, vt promissa nobis huius seculi bona assequi, & ijsdem frui poßimus. At Christus in cœlum suspexisse, deinde gratias egisse dicitur, perinde ac si panes istos & pisces cœlitus à patre accepisset. Primum ergo fuerit, vt Deum omnium, quibus nobis opus est, largitorem agnoscamus, quando homines frustra plantare & rigare & ædificare scriptura testatur, nisi Dominus incrementum dederit. Ab hoc igitur assiduis precibus petenda sunt quæ ad victum faciunt: quod & Christus monuit, quando nos panem quotidianum à Deo patre postulare iubet. Petenda autem sunt eo ordine & ratione, ne ante omnia de Dei regno soliciti simus, temporaria verò hæc ideò nobis conferri optemus, vt neceßitati nostræ inseruiant, neue caro nostra egestatis dolore impatiens facta, vel Deum abneget, vel ad malas artes conuertatur. Obseruauit hunc ordinem Solomon, qui cùm illi Deus quiduis postulandi optionem detulisset, cælestem sapientiam omnibus bonis præsentis seculi antetulit, & idem alibi Dominum orans, ait: Inopiam & diuitias ne dederis mihi, sed fac vt decerpam panem demensi mei, ne aut te negem & dicam: Quis est Deus? aut per inopiam furer, & abiurem nomen Dei mei. Ne quis tamen sub religionis prætextu otium ignauum captet, tenendum est, quòd laborem Deus nobis commendauit, quo victum nos acquirere iubet, cui etiam ille benedicit, si cum fide & iustitiæ studio coniunctus sit. Vrget hoc Dei institutum paßim scriptura, nec eos in ecclesia tolerari volunt Apostoli, qui nullo labore honesto occupantur, quo sibi victum parent. At vbi nobis victum diuinitus dari sentimus, minimè negligenda est gratiarum actio, qua Paulus cibos omnes sanctificari scribit. 1. Timoth. 4. Per hanc enim fit, vt Deum horum authorem, & nos illius conuiuas esse agnoscamus, & ijsdem non abutamur per luxum & intemperantiam. Hanc tanta diligentia olim pij obseruarunt, vt solennia conuiuia nō ordirentur, nisi illis vel sacerdos vel alius quispiam primæ dignitatis vir benedixisset, qui idem poculo gratiarum actionis epulum exordiebatur, vt in Samuelis historia, imò in Christi exemplo est videre, qui eundem morem (vt Lucas scribit) in vltima Cœna secutus est. Non temerè ergò damnantur, qui diuinæ beneficentiæ parum memores, ad mensas instar porcorum accedunt, & conuiuia sua non gratiarum actione consecrant, sed impuris sermonibus, obtrectationibus, lasciuis cantilenis, vel tympanorum, cythararum, tubarum & aliorum eius generis organorum insano strepitu prophanant: quorum mores olim prophetæ magna seueritate taxarunt. Discant ergò Christiani à Deo victum petere, honesto labori vacare, & pro acceptis beneficijs Deo gratias agere, ijsq́ sobriè & temperanter vti.

1 1.Cor.3. Psalm.127. 2 1.Reg.3. Prouerb.30. 3 Genesis 3. 1.Thess.4. 4 2.Thes.3. Ephes.4. Psalm.116. 1.Sam.9. Lucæ 22. Isaiæ 5. Amos 6.

3. Vsus bonorum huius seculi.

Tertiò quis victus nobis à Deo concessi vsus esse debeat videndum erit. Frangit panes Christus, vt distribui poßint in multos, nec pauculos illos vel sibi vel discipulis solis reseruat. Ita nimirum beneficentiā nobis commendans, cuius ne ij quidem obliuisci debent, quibus tenuior fortuna contigit, sed & ipsi pro suo modulo egentibus aliquid conferant. Pertinet huc illud Isaiæ: Frange esurienti panem tuum, &c. Vult enim hoc charitatis officium Deus à nobis nunquam negligi: quo nomine Christus diuites dispensatoribus confert, quos credita sibi bona ita administrare iubet, vt ipsi olim suæ dispensationis rationem reddere poßint, & non vno loco damnantur, qui opibus suæ duntaxat gulæ & libidinis, aut etiam auaritiæ insatiabili seruiunt, deposita interim pauperum cura, quos sibi cōmendatißimos habere debebant. Deinde comederūt isti, & saturati sunt. Licet ergo edere & bibere, & quidem ad satietatem vsque: nec nos ieiunijs immodicis aut inutilibus deus excruciari vult. Cauenda tamen crapula & ebrietas, quæ & dei dona impiè dißipat, & hominis sensus atque rationem obruit, & plerunq́ grauißimis peccatis atq́ sceleribus occasionem ministrat. Pòstremò isti fragmenta ex Christi mandato collegisse dicuntur. Debent enim quæ supersunt religiose colligi & reponi, vt futuræ neceßitati inseruiant, quod olim pios homines publicè & priuatim fecisse legimus. Quò cumprimis pertinet Iosephi historia, quem ideò in Ægyptum à deo præmissum fuisse Psalmus 104. testatur, vt prouida eius cura fruges reponerentur, quæ imminentis famis tempore multis alendis sufficerent. At hodie bifariàm peccatur, quando alij à colligendo initium faciunt, nondum exaturatis ijs qui egent siue esuriunt: alij verò non contenti edisse & bibisse, insuper modum omnem excedunt, & quæ reliqua sunt porcorum instar dißipant, multis interim fame pereuntibus quorum necessitati illa poterant succurrere. Nec dubium est, quin maximam malorum nostri seculi partem hisce vitijs debeamus, quando illis non priuati modò homines impunè indulgent, verumetiam ma-

2.Corinth.8. Isa.58. Lucæ 16. Luc.12.16. Iacobi 5. Luc.21. Prouerb.21. Ephes.4.

gistratus & multi antistites toti immersi sunt.

Allegorica historiæ expositio.

Ceterum tempus est, vt mysticum quoq; huius historiæ sensum excutiamus, qui ijs quæ hoc cap. hactenus dicta sunt, probè conuenit. Nam de Apostolorum missione & ecclesiæ siue verbi Dei ministerio egit Marcus, & in præsenti panes isti Christum referunt, qui se verum panem vitæ esse, alibi profitetur. Franguntur panes isti, & Christus in cruce fractus, id est, mortuus, nobis cibus factus est. Fractos turbæ apponunt Apostoli. Sic Christi mortem & meritum ministri docendo proponunt: quorum est videre, ne quid aliud, quàm quòd ab ipso Christo acceperunt, ecclesijs prædicent. Christus in cœlum sublatis oculis gratias egit Deo. Ita non sine precibus & gratiarum actione doctrina proponi debet, eò quod nostro studio nihil proficitur, nisi spiritus sancti operatio accedat. 1. Cor. 3. Nec aliter Christus excipi potest quàm animis per fidem in cœlum sublatis, quæ & precibus ad Deum ardentissimis & gratiarum actione assidua vtitur. Edunt illi & saturantur: Ita Christus fide exceptus & manducatus animas saturat, vt nunquam vel esuriant vel sitiant, quicunque per illum salutis reuera certi facti sunt. Saturatis omnibus non defecerunt panes, sed supersunt qui pluribus alijs alendis sufficere potuissent: Ita etsi Christum ederint electi omnes ab ipsa mundi origine, non deficit tamen ille, sed vnus & idem manet hodie, heri & in secula, omnibusq; ijs ad salutem sufficiet vsque ad mundi consummationem, quotquot in illum credunt. Iubentur fragmenta colligere discipuli: ita curandum pijs Christi seruis vt doctrinæ fragmenta conseruentur, ne quando posteris nostra negligentia obstare videatur, quò minus illi Christi cognitione frui possint. Quo loco scholarum & studiorum institutio maximè requiritur, quorum cura magistratibus & ecclesiarum ministris commendatissima esse debet: qua de re alibi commodius dicetur. Faxit Deus pater, vt hoc nouissimo seculo filij sui Iesu Christi cognitio passim innotescat, vt hoc viuifico pane saturati, & conscientiæ terroribus liberati, cum illo verè & beatè viuamus. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Ioan. 6.

Ioan. 4.

Hebr. 13.

HOMILIA LV.

Et statim coegit discipulos suos conscendere nauim, ut præcederent transmisso lacu ad Bethsaidam, dum ipse dimitteret turbam. Et cùm dimisisset eos, abijt in monem ad orandum. Et cùm aduenisset uespera, erat nauis in medio mari, & ipse solus in terra. Viditq; eos laborãtes in remigando (erat enim uentus eis contrarius) & circa quartam uigiliam noctis uenit ad eos, ambulans super mare, & uolebat præterire eos.

Argumentum & usus loci præsentis.

Postquàm diuus Marcus hoc Cap. de missione Apostolorum & verbi ministerio disseruit, simulq; Ioannis Baptistæ exemplo docuit, quæ & quàm grauia pericula fidos Christi ministros maneant: mox ijs occurrit, quæ illos in officio suo remorari possunt. Inter quæ duo præcipua sunt. Alterũ est inopiæ metus & anxia victus acquirendi solicitudo, quæ carni non potest non obrepere, quando exilium & bonorum confiscationem sibi ob oculos positam videt. Sed contra hanc præcedenti miraculo nos abundè instruxit, quo docemur, nihil vnquàm ijs defore, qui Christum sequuntur, & illius voluntati sese accommodant. Alterum verò est omne tribulationum & periculorum genus, quibus fideles assiduè & grauiter tentantur, quæq; infirmos (nisi Dei gratia confirmentur) vel ad illicita media confugere, vel etiam Christum abnegare cogunt. De hoc itaq; in præsenti agitur, dum reipsa Christus docet, se suos in quouis periculo asserere & tueri velle simul & posse. At cùm in hoc potissimum versetur fidei constantia, ex qua salus nostra non minima ex parte dependet, singulas huius historiæ partes penitius inspexisse multùm proderit.

Afflictiones nõ absq; Dei prouidentia oriuntur.

Primùm afflictionum omnium causa & origo notatur. Christus enim vbi quinq; millia virorum miraculose cibauit, mox discipulos nauim ingredi, & in alterum littus Bethsaidam traijcere cogit: & inuitos quidem cogit, cùm quid ipsis euenturum esset, nequaquam ignorare posset. Quo exemplo patet, afflictiones nobis non absque Dei prouidentia contingere. Quia enim is exercituum Dominus in scripturis dicitur, & creaturis omnibus potenter imperat, facillimum illi esset, prohibere ne quid damni suis afferrent. Quoties ergo vel mali spiritus, vel homines improbi, vel bestiæ, vel

tempestates terra aut mari obortæ, nos infestant, illius consilio hoc fieri cogitemus, qui aut suos tentare & illorum fidem exercere decreuit ad nominis sui gloriam (sicuti Abrahami, Iobi & multorum aliorum exemplis edocemur) aut eorundem peccata castigare statuit, siue etiam præuenire, ne peccandi licentia abrepti cum mundo infelici & pœnitere nescio malè pereant: id quod paterni in Deo fauoris indicium esse, Paulus ex Solomone luculenter probat. Quàm enim hoc necessarium sit, ob ingenitam naturæ nostræ corruptionem, quæ otio & securitate magno nostro malo abutitur, Dauidis & multorum aliorum exempla abundè docent, & nos ipsi quotidie experimur. Plurimum verò consolationis affert ista consyderatio, cùm inde constet, nos afflictionum disciplina omnino opus habere, felicissimas verò & saluberrimas esse eas, quæ in Dei vocatione versantibus incidere solent. Genesis 22. Iob 1. 2. 1. Cor. 11. Hebr. 12. Prouerb. 3. 2. Sam. 11.

Quid autem Christus, postquàm ipso impulsore Apostoli nauim soluerunt? Primùm dimittit à se turbas, & (vt ex Ioanne patet) plerisq; discedere nolentibus & ipsum regem facere volentibus sese subducens in montem secedit. Quia enim promissiones & prophetias de Messia iuxta literam intelligebant Iudæi, regnum quoq; sub illo terrenum & carnale somniabant: quo errore etiam Apostolos diu detentos fuisse, crebræ illæ inter ipsos contentiones de primatu abundè testantur. Rectè autem secedit Christus, & suo exemplo ministros docet, ne regna huius mundi affectent, neue aliquam de se suspicionem præbeant eorum, de quibus Euangelij doctrina falsò insimulari consueuit. Sciebat enim doctrinam de Messia, tum Herodi regi tum Romanorum præsidibus hoc potissimùm nomine suspectam esse, quòd Iudæos hoc prætextu spem libertatis recuperandæ fouere, & de excutiendo iugo consilia varia inire intelligerent. Diligenter ergo cauet, ne quam de se regni affectati suspicionem præbeat: quin à Pilato ea de re interrogatus, regnum suum non esse de hoc mundo, ingenuè fatetur. Erat hoc hodie obseruandum Rom. Pontificibus, qui cùm se Christi vicarios esse glorientur, in omnia mundi regna sibi ius & imperium vendicant, & vt suam illam tyrannidem tueantur, reges nouis subinde & iniustis bellis committunt. Nec minus nobis etiam publicè & priuatim imitandum erat Christi exemplum. Scimus enim Euangelium vulgò accusari, quòd turbis & seditionibus causam præbeat, & effrenem peccandi licentiam inducat. Quare omni studio nos anniti decebat, ne calumnijs hisce nostro exemplo fidem faceremus apud rudes & imperitos, qui vitam potius nostram, quàm doctrinam inspicere solent. Vidit hoc Paulus, qui à licitis quoq; abstinuit, si quando libertatem suam alijs offendiculo esse videret. Quantò grauior ergo illorum culpa est, qui sub Euangelicæ libertatis prætextu ea impudenter faciunt, quæ cum publica honestate pugnant? &c. Christus turbis dimissis sese subducit. Ioan. 6. Matth. 18. 20. Lucæ 22. Matth. 2. Ioannis 8. 1. Cor. 8. 9.

Deinde Christus in montem digressus orat. Atqui oratione siue precibus illi minimè opus erat, cùm illi pater omnem potestatem dederit. At mediatoris officio illum fungi oportuit, simulq; suo exemplo preces nobis commendat, & quomodo hæ institui debeat, docet. Nam si totum illud conuersationis Christi in terris tempus inspicias, vix vnquam illum maiori successu vsum fuisse patebit, quàm in præsenti, quādo tot millia hominum illum Messiam esse palàm fatentur, & ipsi regnum deferunt. At non latebat illum eorundem inconstantia & leuitas, qua mox ab ipso defecturi erant, simulq; suos in tempestate grauissima periclitari sciebat, quos suis apud patrem precibus adiuuari oportebat. Illius ergo exemplum imitati, iuxta Pauli præceptum, indesinenter oremus, nec vnquam huius seculi successibus efferamur. Instabilis enim est, quæcunq; in hoc mundo contingit felicitas: & licet nobis succedant omnia, non desunt tamen interea pij fratres, qui dum nos pace & otio fruimur, sub cruce laborant & infinitis periculis exercentur: quibus nos condolere oportet, cùm & fratres & eiusdē corporis membra sint sub Christo Iesu, quem nobis Deus caput & communis vitæ authorem constituit. Cuius vtinam hodie meminissent, qui inter publicas ecclesiæ afflictiones securi voluptuantur, & ita palàm ostendunt, se ad ecclesiæ corpus nequaquam pertinere. Christus in mōte orat. Matthæi 28. Ioan. 3. 1. Thess. 5. Rom. 12. Hebr. 13. 1. Cor. 12.

Sed ad secundam huius historiæ partem transeamus, quæ discipulorum Christi periculum continet, quod grauissimum fuisse, omnes circumstantiæ docent. Fuit enim ventus illis contrarius [illegible] quidem adeò vehemens, vt nauis à fluctibus affligeretur, sicuti Matthæus tradit. Leue tamen videri poterat, nisi noctis tenebræ periculi metum auxissent. Accedit his diuturnitas quoque, quando sub quartam demum noctis vigiliam Christus illis assertor & saluator aduenit. Solebant enim veteres noctem in quatuor vigilias partiri, quarum postremam non ita multis horis antequàm aurora illucesceret exordiebantur. Vnde patet, totam ferè noctem discipulos inter ventorum & fluctuum Tempestate periclitantur discipuli. Matth. 14.

procellas de vita periclitatos fuisse. Indicantur hæc in eum vsum, ne nobis mirum & insolitum videatur, si quando ipsi quoque periculis grauibus & diuturnis exercemur. Tunc enim Apostoli nobis imitandi sunt, quos nec aduersus Deum murmurauisse, nec Christum accusauisse, nec inter sese conuitijs & opprobrijs certauisse, sed in remigando sedulos & strenuos fuisse audimus. Nec est quod illos vnius modò noctis spatio laborasse, nos autem indesinentibus malis affligi dicamus. Nec enim hæc modò nox illis laboriosa & periculosa fuit, sed si vitam illorum omnem inspicias, nihil præter continuos & sibi inuicem assiduè succedentium periculorum & persecutionum atq; peregrinationum laboriosissimarum Euripes inuenies. Quibus adeò non fracti sunt illi, vt tandem magno & forti animo vitam quoque pro Christo & Euangelio ipsius deposuerint. Eandem olim patrum quoq; conditionem fuisse constat, inter quos Iacob, cùm ad extremam vsq; senectam peruenisset, dies vitæ vel peregrinationis suæ paucos & malos fuisse fatetur. Nec temere Moses scripsit: Dies annorum nostrorum anni sunt septuaginta, aut ad summum octoginta, & præcipuum horum labor est & molestia. Et Iob hominis vitam militiæ confert, quam similitudinem in Christianos potissimùm conuenire, Paulus ad Ephesios multis docet. Præparemur ergo ad labores & pericula ô fratres, & in ijsdem duremus constantes & intrepidi, nec deerit nobis Christus, quem hic quoq; discipulis fidum saluatorem affuisse Marcus scribit.

Gene.47. Psal.90. Iob.7. Ephes.6.

1. Christus discipulos periclitantes uidet. Psal.34.

Et primò quidem, qui cum discipulis aut perfidè aut negligenter egisse videri poterat, dum illos nauigare coegit, ipse verò in littore solus substitit, illos laborantes vidisse dicitur. Minimè ergo illorum curam deposuit, sed illis oculis eos respexit, quos Dauid nunquam non super iustos intentos esse testatur. Hinc nobis vniuersalis consolatio petenda est, Deum nostri curam haud vnquàm abijcere, nec illum aliquid eorum latere, quæ nobis in huius mundi palæstra accidere solent. Aperti sunt enim (vt propheta ait) oculi ipsius super omnes vias hominum, & prouidentiam ipsius ad minima quæq; extendi, Christus multis admonet. Ita olim afflictionem filiorum Israel in Ægypto vidit, & eosdem sæpe postea à vicinis gentibus & tandem à Babylonijs oppressos clementer respexit. Nec minori cura se erga ecclesiam atq; singulos fideles affici, per Isaiam promittit, cum ait: Num obliuiscitur mulier infantis sui, quò minus misereatur filij vteri sui? Sed esto, obliuiscantur illæ, ego tamen tui non obliuiscar. Ecce in manibus hisce ambabus insculpsi te, muri tui perpetuò coram me sunt. Sunt hæc plena consolationis. Si enim iucundum est inter homines aliquem habere, qui rebus tuis prospectum velit, quantò præstantius putari debet, quòd Deum nostrarum afflictionum inspectorem & vindicem esse scimus? Dauidi certè hoc olim præcipuam consolationem attulit, quòd Deum fugas suas numerare, & lachrymas in conspectu suo semper habere sciret. Debent autē hæc ita accipi, vt solum Deum per Christum nos tueri & asserere credamus, & proinde ad illum unum in periculis confugiamus, qui vt solus nos in omni angustia videt, ita solus etiam nos saluare vult & potest, sicuti passim scripturis docemur.

Iere.32. Matth.6.10. Luc.12. Exod.3. Isa.49. Psal.56.

2. Christus sub quartam uigiliam discipulis succurrit. Gene.15. Psal.27.

Deinde sub quartam vigiliam demum illis saluator aduenit. Habet enim certum saluandi tempus, quando nimirum & impiorum iniquitas impleta est (vt olim de Amorrheis dicebat) & nos afflictionibus meliores facti, fidei nostræ documenta clara præbuimus. Expectandus ergo est nobis patienter, ne dum illi aliquid temerè præscribimus, illius vel potentiam, vel voluntatem, vel sapientiam in dubium vocemus. Vbi illorum exempla consyderauisse proderit, qui olim diutinis malis afflicti, tandem fidam Dei opem senserunt: quæ cùm scripturas legentibus passim occurrant, non est quòd illis recitandis diu immoremur. Necessariam item esse cogitemus patientiam & obedientem diuini auxilij expectationem. Qui enim illa destituuntur, reluctando cruciatus sibijpsis adaugent, & tandem impatientia superati, ad media illicita confugiunt, quibus Dei iram magis incendunt. Et si quando Deus opem diutius æquo differre videtur, in temetipsum descēdens vide, quàm parum hactenus castigando profeceris, & mox intelliges, te grauioribus adhuc virgis ad carnem domandam opus habere.

3. Christus super mare ambulat.

Tertiò super mare ambulat Christus, ita nimirum diuinæ potentiæ signum edens, seq; maris dominum esse docens, quod ipsum olim in maris rubri diuisione ostenderat. At non aquis modò, verumetiam reliquis elementis & omnibus creaturis imperat, ne suis præter ipsius voluntatem nocere possint. Sic olim ignis vim cohibuit, ne in fornacem coniectis sui nominis confessoribus noceret: & leonum

& leonum fauces constrinxit, ne Danielem læderent. Et multa extant eius generis exempla, quorum omnium vsus est, ne periculorum magnitudine territi de Dei auxilio desperemus, cui nihil impoßibile est. Interim obseruabis, quòd se præteriturum simulat, nimirum vt ipsorum fidem magis exerceat. Fit idem hodie non rarò, quando exerit quidem non obscura suæ potentiæ signa, sed eiusmodi, quæ nihil ad nos facere videantur, dum nos aßiduis afflictionibus exerceri sinit. Vbi quod in alijs liberandis præstat, ad nos transferre debemus, nec dubitare, quin eundem ipsi etiam experturi simus, vbi nostræ redemptionis dies aduenerit. At de hoc in sequenti sermone commodius dicetur. Discamus modò, Deum iusto iudicio & consilio salutari suis varias tribulationes immittere, sed eundem illos clementer tueri. Armemus ergo nos patientia & fide in Christum constanti, cuius ope omnibus aduersis superiores aliquando reddemur. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Dan. 3. 6.

4. Christus simulat se discipulos præteriturum esse.

HOMILIA LVI.

At illi ut uiderunt eum ambulantem super mare, putauerunt spectrum esse, & exclamauerunt. Omnes enim uidebant eum, & conturbati sunt. Et statim locutus est cum eis, dixitque eis: Confidite, ego sum, ne timeatis. Et ascendit ad eos in nauim, quieuitque uentus: & ualde ex abundanti apud sese percellebantur, & mirabantur. Non enim intellexerant de panibus. Nam cor eorum occalluerat.

Hominis vitam, Christiani imprimis, laborum & periculorum plenam esse, omnis scriptura testatur, & experientia quotidiana abundè probat. At quia his superata caro frequẽter peccat, dum aut Deo impatienter obmurmurat, aut ad media illicita confugit: necesse est aduersorum, quibus exercemur, rationem probè cognitam habere, vt quid in illis fieri conueniat, & vnde auxilium peti & expectari debeat, intelligamus. Id cùm scriptura paßim tradat, Christus tamen in præsenti historia, ceu speculo nobis contemplandum proponit. Primò enim dum ab ipso impulsi nauigant, & nauigando periclitantur Apostoli, nihil nobis absq́ue suæ prouidentiæ consilio accidere docet. At idem interea suos periclitantes videt, pro ijsdem orat, & sub quartam vigiliam super fluctus tumescentes miraculosè ambulans, illis opem laturus accurrit: ita nimirum ostendens, se nostri curam nunquam deponere, & mediatorem esse fidelem, qui pro nobis apud patrem nunquàm non intercedat, & tandem opportuno tempore ex quouis periculo potenter asserat. In præsenti autem altera historiæ pars consyderanda venit, quæ primùm vt Apostoli ad Christi conspectum affecti fuerint, narrat: deinde illius bonitatem simul atque diuinam potentiam: & tandem miraculi effectus luculenter describit.

Argumentum & usus præsentis loci.

Apostoli, cùm Christum insolito modo super aquas ambulantem viderent, spectrum esse putant: qualia noctu nauigantibus sæpe occurrunt: & cuius generis multa hominibus satan obijcit, quibus vel terrere, vel superstitionum causas offerre conatur. Inter Christianos certè purgatorius ignis & quæstuosa Missarum pro defunctis atq; exequiarum nundinatio ex apparitionibus & spectris diabolicis ortum habuit: de quibus facilè iudicare poßunt, qui ex Dei verbo didicerunt, credentium spiritus à morte in vitam transire, impios verò similiter ad eos colligi, quorum vestigia secuti sunt. Et Apostoli quidem tale quid esse putantes, adeò terrentur, vt præ metu exclament. Facit hoc ad periculum augendum, quando iam sibi non modò cum vento & fluctibus, verumetiam cum malo dæmone rem fore arbitrantur. Nobis autem obseruanda est discipulorum infirmitas: qui etsi cum Christo diu conuersati, miracula eius plurima & maiora hoc præsenti vidissent, nunc tamen metu superati, illum ne agnoscunt quidem, nec eorum, quæ antea viderant, recordantur, vt saltem ex illis aliquam spem siue consolationem concipiant. Simile quid illos post resurrectionem Christi passos fuisse, Lucas scribit. Discamus hinc nostram infirmitatem agnoscere, quæ in pijs quoq; & electis tanta esse solet, vt apparitionibus & reuelationibus diuinæ potentiæ & gloriæ cælestis totis animis consternentur, priusquam consolationem, quæ per has offertur, percipiant: cuius rei exempla alibi etiam in Apostolis &

I. Apostoli Christum putant spectrum esse, & terrentur.

Ioan. 5.

Ezech. 32.

Isaiæ 14.

Luc. 16.

Lucæ 24.

Daniel. 10.

Matth. 17.

Actorum 9. Apoc.1. &c.

prophetis plurima habemus. In impijs verò ita animos excæcat ista naturæ corruptio, vt & Christum & doctrinam ipsius instar spectri terribilis & abominandi semper odisse & subterfugere soleant. In quorum consyderatione ita nobis versandum est, vt & horum terroribus falsisq; iudicijs non offendamur, & nostræ ipsorum infirmitati assiduis precibus & indefesso verbi Dei studio mederi satagamus, &c.

Pericula augentur, dum liberatio appropinquat.

At simul hîc Dei morem obseruabis, qui tunc pericula augere omnemq; bene sperandi occasionem quasi eripere solet, quando salus in propinquo adest. Ita olim Israelitarũ infantes occidi patiebatur, cùm liberationis tempus instaret, & Mosem prius in exilium eijci oportuit, quàm populi liberandi munus susciperet. Nec eosdem prius per mare rubrum traduxit, quàm Ægyptijs à tergo imminentibus toti trepidarent. Et Dauid priusquam ad regnum perueniret, regni finibus eiectus inter Philistæos asylum quærere cogitur. Ezechiæ item tunc demum aduenit saluator angelus, quando arctissima obsidione pressis, nulla in humanis spes salutis reliqua erat. Quò & illud referri debet, quòd cùm Iudæorum res deploratissimæ essent, iamq; regni sceptro amisso (sicuti Iacob olim prædixerat) Romanorum Cæsarum tyrannidi subiacerent, Dei filius, Christus Iesus, nasci uoluit. Quin priuatim & publicè huius generis multa experimur, quæ ad hũc modum Deus administrare solet, vt illustrius sit liberationis beneficium, & nos tribulationum disciplina emendati, nihil posthac nostris viribus tribuere, sed ab illo vno pendere discamus. Nec enim interea de illius gratia & auxilio nos dubitare decet: quando fidelem esse constat, qui suos vltra vires tentari non patitur: sicuti ex ijs etiam, quæ modò sequuntur, abundè patebit.

1.Sam. 27. Isaiæ 63. 37. Gen. 49. Luc. 2. 1.Cor. 10.

II. Christus territos cõsolatur.

Nam nouo terrore correptos & præ metu exclamantes amicè cõpellat Christus, & humanissimè consolatur. Confidite (inquit) ego sum, ne timeatis. Atqui tempestatem subitò sedare, aut nauim miraculosè in portum subducere poterat. Sed diffidentiæ malo prius mederi uoluit, quod maximè obstat, ne oblatam à Deo salutem amplectamur. Et fide opus esse ijs, qui Dei opem & auxilium implorant, vniuersa scriptura docet. Fides autem eiusmodi exigitur, quæ Christum talem agnoscat, qualem scripturæ proponunt, verum scilicet Deum & hominem, qui nobis à Deo patre doctor & redemptor datus sit, quiq; nos in quouis periculo iuuare possit & velit. De hoc in præsenti admonet, quando discipulos consolaturus, non alio argumento vtitur, quàm quòd se adesse dicit. Ego sum, inquit. Quasi dicat: Ego vester ille præceptor, magister & saluator, qui communis salutis hominum causâ è sinu patris in mundum veni, vt vobis succurram adsum. Si ergo me rectè nouistis, & eorum quæ hactenus feci, recordamini, non est quòd ad meum conspectum timeatis, &c. Et sanè qui Christum verè nouerunt, & hunc sibi adesse credunt, facilè omnes terrores & omnem periculi metum superant. Quomodo enim de illius erga se voluntate dubitabunt, cuius tot argumenta passim occurrunt? At nec de illius potentia dubitare licebit, quando illum cum patre vnum esse, & omnem à patre potestatem accepisse constat. Nondum ergo Christum nouerunt, qui in quouis periculo vel fidem omnem abijciunt, vel illo relicto ad creaturas conuertuntur.

Fide opus est ijs, qui diuinitus iuuari uolunt.

Ioan. 3. 10. Matth. 28.

Singuli promissiones uniuersales sibijpsis applicent. Matth. 11, 28. &c.

Quod autem Apostolis dicitur, singuli mortalium sibi priuatim dictum esse intelligant, & vniuersales Christi promissiones, quibus laborantes omnes ad sese inuitat, suamq; opem præsentem ecclesiæ pollicetur, sibijpsis inter pericula constituti accommodent: sic vt se quoq; à Christo inuitari, & se Christum præsentem habere, firmiter credant, nec etiam fidei infirmitate offendantur, quæ interdum in electis quoq; tum sese exerit, quando toti feruere videntur. Docet hoc in præsenti historia Petri exemplum, quod à Matthæo descriptum, Marcus breuitatis causa omisit. Is enim vbi Christum adesse audit, illumq; ex voce agnoscit, mox eum ad se quoq; priuatim pertinere credens, illi per medios fluctus occurrere cupit. Nec illius zelum Christus improbat, sed ipsum ad se venire iubet. Qui magno animo nauim relinquens, aliquò vsq; progreditur, quàm diu nimirum constanti in Christum fide sustentatur. Tandem vento vehementiori exorto diffidere incipiens subsidit. Clamantem verò & opem suam inuocantem Christus liberat, & amicè reprehensum secum in nauim deducit. Quæ historiæ pars vt nos officij admonet, ita plurimum consolationis habet, cùm ostendat fidei zelum, etiam inconsyderatum, Christo placere, & eundem nos in fide interdum nutantes non abijcere. Qui enim nos nutare patitur, vt nostram nobis infirmitatem ostendat, idem ad se clamantibus manum porrigit, & nouas vires suppeditat, quibus aduersorum fluctus & procellas omnes superemus. Prædixit hoc olim

Isaiæ 42.

Isaias

Isaias, quando illum nec arundinem quassatam conterere, nec linum fumigans extinguere ait. Et exempla huius diuinæ bonitatis multa passim occurrunt, inter quæ cumprimis memorabilia sunt, quod supra in Iairo vidimus, & quod infra Cap. nono in patre dæmoniaci vel lunatici cuiusdam proponitur. Debent ista nos consolari, ne mox desperemus, si quando nos in fide minus firmos esse sentimus. Interim infirmitati nostræ nequaquam indulgendum est, sed curandum, vt indies progressus maiores faciamus, & fidei nostræ professionem tum innocentiæ & charitatis studio, tum inuicta in periculis animi constantia testemur. Marc. 9.

Restat postrema historiæ pars, qua miraculi tanti effectus continetur. Et primò quidem Christo nauim ingresso ventus quieuit, & proinde periculo liberati sunt, qui iam perituri videbantur. Est hoc diuinæ potentiæ in Christo euidens argumentum, quo simul docemur, hunc solum esse, qui ecclesiam inter huius seculi vndas fluctuantem conseruare atq; tueri possit. Admonemur præterea, quid nos facere conueniat, qui vel conscientiæ fluctuantis æstibus vel aliunde incidentibus malis liberari, & pace vera frui cupiunt. Qua de re hodie ab omnis loci & ordinis hominibus tam publicè quàm priuatim disputatur. At vnica pacis assequendæ ratio est, si Christo locus detur, qui solus nos patri reconciliat, solus conscientijs pacem confert, solus aduersa omnia vel pacare, vel ita gubernare potest, vt nobis in bonum cooperentur. At locus illi datur per fidē, quæ cū vera ipsius dilectione & præceptorum eiusdē obseruatione coniuncta est. Sic enim ipse ait: Si quis diligit me, sermonē meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionē apud eum faciemus. Porrò Christi sermo siue doctrina nihil præter fidem charitatis & innocentiæ studio flagrantem exigit. Hanc quicūq; præstant, & Christo & bonis omnibus fruentur, quæ ille nobis suæ mortis merito acquisiuit. Hanc verò quotquot reijciunt, ij & Christo carent, & Dei ira sese exagitari sentiunt, & omne genus malorum perpetiuntur. Quid mirum ergo, hodie terrarum orbem tot malis infestari, quādo vix vspiam Christo locus est, sed illo eiecto immanissima scelera passim impunè grassantur?

III. Miraculi finis & effectus.

Christo locum dent, qui periculis liberari uolunt.

Matth. 3. 17.
Rom. 5. 8.
Isaiæ 66.
Ioannis 14.

Postremò omnes obstupuisse dicuntur præ admiratione rei insolitæ, quamuis nonnulli ipsum Dei filium esse profiteantur, & adorent, sicuti Matthæus scribit. Sunt ergo inter electos quoq; duo hominum genera. Primum perfectiores habet, qui Christum ex suis operibus & voce mox agnoscunt atq; venerantur. Et hi nobis imitandi sunt: vt sicut isti solum Christum adorarunt, non Petrum, licet ipse quoq; aquis inambulasset: ita nos quoq; vnum Christum salutis omnis authorem agnoscamus, & illum solum colamus. Alterū genus imperfectiorū est, qui etsi opera plusquam humana videant, & illa admirentur, veram tamen eorundē causam non intelligunt, sed ingenito stupore adhuc impediti, priorum etiam obliuiscuntur, ex quibus de reliquis iudicare debebant. Nobis autem hîc Dei bonitas est agnoscenda, qui (vt antea quoq; diximus) eiusmodi imperfectionem in suis clementer ferre, & eosdem, donec proficiant, paternè admodum fouere consueuit. Vidēdum tamen, ne illius indulgentia abutamur, sed ipsius vocationem secuti, per quæuis pericula intrepidè penetremus, donec superatis huius mundi ventis & fluctibus optatum salutis æternæ portum ingrediamur, per Christum Iesum, cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen

Inter electos alij alijs infirmiores sunt.

Dei bonitas & indulgentia.

HOMILIA LVII.

Et cùm traiecissent, uenerunt in terram Genezareth, & appulerūt. Tunc ipsis egressis è naui, statim agnito eo, cùm percurrissent totam circumiacentem regionem illam, cœperunt in grabbatis malè affectos circumferre, ubicunq; audiebant illum esse. Et quocunq; introisset in uicos, aut urbes, aut agros, in foris ponebant infirmos, & precabantur eum, ut uel fimbriam uestimēti eius tangerent: & quotquot tangebant eum, seruabantur.

EXposuit hucusq; Euangelista duo eximia Christi Iesu miracula, quæ Apostolorum emissioni & Ioannis Baptistæ decollationi cōmodè subiecit, vt doceret, nihil unquam defuturū ijs, qui Christum verè secuti fuerint, & quòd idem suos inter quæuis pericula tueri possit simul & velit. At quia

Argumentum & usus præsentis loci.

nostræ salutis ratio in hoc maximè versatur, vt Christum nobis quoq; talem esse & semper fore credamus, nec aduersis offendamur, quæ in ipso piè viuere volentibus multa & varia incidunt: in præsenti multa miracula simul coniungit Marcus, quibus ille promiscuè quibusuis ad se confugientibus opem tulit. In quorum consyderatione nobis eò diligentius versandum est, quòd non modò diuinam Christi Iesu potentiam simul atq; bonitatem luculenter spectandam proponunt, verumetiam docent, quales nos esse oporteat, si illo ad salutem frui velimus.

2. Timoth. 3.

Christus uenit Genezareth.

Primùm transmisso lacu in terram Genezareth Christus cum suis appulit. Quem vt aduenisse audiunt eius loci incolæ, mox totam regionem circumiacentem obeunt, & quoscunque morbis affectos inueniunt, ad ipsum deferri curant, vt illius virtute curentur. Quo facto satis docent, se iam ante Christi cognitionem habuisse cum fide coniunctam, quæ illos, vt hoc facerent, impulit. Sed vnde hanc illis obtigisse dicemus? Ex verbi prædicatione nimirum, & miraculorum fama, quibus doctrinam suam Christus confirmabat, simulq; de sua diuina virtute publicè testabatur. Et quidem aliàs quoque in illis finibus Christum fuisse, patet ex Gadarenorum historia, qui ob porcos amissos illum abs se repulerunt. At eò luculẽtior est istorum fides, qui Christi beneficia potius, quàm vicinæ gentis exemplum, & huic irrogatam pœnam, respicere voluerunt. Quos vtinam imitarentur hodie, qui studiosè obseruant si quæ mala temporaria Christi doctrinam comitantur, & illam sibi propter ea cauendam esse censent, nec Dei iudicia propius inspiciunt, vt per ea emendentur. Interim videmus, qua via illis insistendum sit, qui ad veram Christi cognitionem & fidem peruenire cupiunt. Hanc quidem Dei donum esse Apostolus ait, & idem Christus multis in locis testatur. Attamen medijs quoq; Deus vtitur, quibus nos accommodemus oportet. Præcipuum in his est, Euangelij prædicatio, ex cuius auditu fidem enasci, idem Apostolus testatur: quàm qui audire detrectant, ad fidem nunquam peruenire poterunt. At quia hæc carnis prudentiæ vel absurda & offendiculi plena, vel stulta & ridicula putatur, simul ad opera Christi miraculosa nos respicere oportet, quibus doctrinæ suæ veritatem ita olim asseruit, vt illam rude vulgus agnosceret, & eandem improbißimi hostes negare nullo modo possent. Quò facit, quod apud Ioannem dicit: Si non facio opera patris mei, nolite credere mihi: sin verò facio, etsi mihi non credatis, operibus credite. Nec est, quòd noua miracula hodie à nobis requirant aduersarij. Cum enim Christi nomine glorientur, vetera illa ab Euangelistis descripta, ipsis sufficere debent, cùm illa propter nos scripta esse, Ioannes testetur. Quòd si tamen miracula quærunt, illa nostro etiam seculo non deesse reperient. Nam vt multa singularia omittamus, quod obsecro miraculum maius & excellentius dabunt, quàm quòd fides in Christum & fidei huius doctrina ab ipso mundi exordio in hunc vsque diem, inter persecutiones grauißimas, incolumis durauit, & toties non absque hostium stupore emersit, quando iam tota oppressa & extincta videbatur? Nam si gentium religiones spectemus, nemo illas vnquam armis excindere studuit: attamen ad verbi Dei prædicationem omnes conciderunt, vt plerorumq; Deorum, quos olim cæcus mundus coluit, vix nomina nuda extent. At veri Dei cultum & fidem in Christum Iesum, quem primis parentibus saluatorem Deus promisit, inter Chananæos olim saluam tenuerũt patriarchæ, & eandem ad posteros propagarunt: quæ licet & armis sæpe petita, & falsis dogmatibus non rarò obscurata fuerit, durat tamen hodie, toties q; exusti sacræ scripturæ libri, singulari diuinæ prouidentiæ consilio seruati sunt, vt ex illis instaurandæ religionis certa regula omnibus temporibus peti posset. Quis ergo non Dei manum agnoscat? Quis miracula noua exigat? Gamaliel certè olim fatebatur, religionẽ quæ Deum authorem habet, humanis viribus excindi non posse, humanas verò adinuentiones spontè dissolui: & quisquam de eius fidei siue religionis veritate dubitabit, quam inter medios ignes & enses hucusq; miraculosè conseruatam esse videmus? Quin potius ista consyderatione excitati ad scripturæ fontes recurramus, & mox in fide confirmabimur, vt nec impiorum exemplis, nec persecutionum fluctibus nos ab ea abduci patiamur.

Genezarethani fidem habent in Christum.

Marc. 5.

Quæ ratio sit perueniendi in Christi cognitionem.

Ephes. 2.

Matth. 11. 16.

Ioan. 6.

Rom. 10.

1. Cor. 1.

Ioan. 10.

Ioan. 20.

Gen. 3.

Actorum 5.

Cæterum ad Genezarethanos reuersi, videamus, quibus officijs fidem suam in Christum testati sint. Inter quæ primum occurrit, quòd saluatorem agnoscunt, qui malè affectis mederi poßit, eumq; vt id faciat, enixè rogant. Quamuis in hoc interim suam infirmitatem prodant, quòd non nisi fimbriæ contactu ægrotos curari posse arbitrantur: qua in re multò imperfectiores sunt Centurione, qui vnicum Christi dictum sufficere sciebat. Interim obseruabis, hanc propriam fidei notam esse, quòd salutẽ

Genezarethani fidem suam dignis officijs testantur.

Matthæi 8.

omnem

omnem in vno Christò quærit, quem nobis à Deo patre sapientiam, iustitiam, satisfactionē, et sanctifi 1. Corinth. 1.
cationē factum esse intelligit. Quotquot ergo salutem & quæ salutis sunt extra hunc quærunt, hi & Ierem. 2.
fide carent, et dubij hinc inde vagantur, eorū similes, de quibus apud prophetā Dominus cōqueritur,
quòd relicto fonte aquæ viuentis, cisternas pertusas sibijpsis effoderint. Deinde non ipsi modò ad Chri
stum concurrunt, verumetiam quoscunq; habent ægrotos, ad eundem deferunt, vt & ipsi illo frui pos
sint. Est hoc veræ dilectionis argumentum, quæ à fide separari nequit, & per quam illa (teste Apo Galat. 5.
stolo) operari solet. Simul verò & suum erga Christum studium & proximi amorem testantur, dum
omnes alios in illius cognitionem adducere student, & suorum omnium saluti consultum volunt. Quo
studio accensi, nec labores nec sumptus subterfugiunt, quos sibi sustinendos esse videbant. At nobis imi
tandum proponitur istorum exemplum, vt ipsi quoq; ijsdem officijs fidem nostram testemur: ne (quod
multi solent) illius professionem factis polluamus. Quid enim aliud faciunt, qui in periculis constitu
ti, alibi quàm apud hunc opem quærunt? Qui item de illius gloria nihil aut parum soliciti, susq; deq;
ferunt, si falsis cultibus & doctrina falsa simplices & incautos circumduci, & à salutis via exorbi
tare videant? Vt interim de illis nihil dicam, qui vel vitæ exemplo vel alijs impijssimis studijs ru
des à Christo abstrahunt. At cum horum culpa grauissima sit, istos potius nobis imitandos propo
namus, de quibus in præsenti Marcus agit, & in aduersis siue tentationibus ad vnum Deum confu
giamus per Christum, sine quo (vt ipse ait) nemo ad patrem venire potest. Neq; sufficiat nobis, si ipsi Ioan. 14.
salute in Christo fruamur, sed eidem plures alios adducere cura sit, eos maximè quos nobis Deus præ
alijs commendatos esse voluit. Hoc qui facere negligunt, hi nec Christi zelo flagrant, nec optatum in
illo salutis donum adhuc gustarunt, vtut illo gloriari soleant.

Porrò ad Christum transeamus, in quo bonitatem simul & potentiam diuinam Marcus com Christus ad se uenientium infirmitati sese accommodat.
mendat. Et quidem bonitatis argumenta luculenta proponit. Primum, quod illorum infirmitati sese
accommodat, & fimbriæ contactum illis concedit, quos eo nomine reijcere poterat, quod hunc sibi ne
cessarium esse putarent. Fert tamen imperfectionem istam, cùm infirmi licet, fidem tamen & spem sa
lutis in ipso uno collocatā haberent. Obseruat hoc frequenter Deus. Quia enim caro nostra tardior est
& crassior, quàm vt regni cælorum mysteria, si nuda proponantur, percipere queat, externis symbolis
illa velare, sicq; infirmitati nostræ subuenire consueuit. Sic olim salutis in Christo promissiones sacri 1. Corinht. 10.
ficijs adumbrauit, in quibus veteres exerceri voluit, quò minus in fide vacillarent, quam eiusmodi
fulcris quodammodo sustentari oportebat, Et licet in Christo impleta sint quæcunq; ad nostræ salu
tis negotium pertinebant, adhuc tamen baptismo & Cæna mystica illud totum obsignare, & nobis
quasi ob oculos statuere voluit: vt sicuti multa extrinsecus incidunt, quibus fides nostra labefactari
solet, ita externis quoq; symbolis & ritibus eadem conseruetur. Nec ab his omnino diuersum est,
quod in præsenti describitur. In Christo salutem contineri isti credebant. At nondum eò vsq; profece
runt, vt Christum solo verbo & diuina virtute quiduis perficere posse intelligerent, sed illius corpo
ralem præsentiam & contactum sibi necessarium esse arbitrabantur. Ne ergo infirmos reijcere vide
retur Christus, hoc illis tribuit, vt illorum spem atque fidem alat, donec maiores progressus faciant.
Interim obseruabis, quod supra in historia mulieris sanguinis fluxu laborantis monuimus, Christi Marci 5.
veste illius humanam naturam denotari, quam induere voluit, vt nobiscum in terris versari, nosq;
sua mortis merito saluare posset. Hanc nos fide contingere, & illius meritum firmiter retinere opor
tet, & sic peccati noxa liberabimur, quæ animæ vires debilitare, & (nisi tollatur) æternæ morti man
cipare solet. Ita verò simul illorum error arguitur, qui superstitiosum reliquiarum Christi & san
ctorum cultum hoc exemplo confirmari arbitrantur. Nam quod hîc factum est, infirmitati istorum
hominum Christus dedit, quos paulatim ad altiora euehere, non in superstitiosa externorum obserua
tione detinere voluit. Deinde supra indicauimus, virtutem saluificā ex ipso Christo, non illius veste,
exiisse, id quod Lucas quoq; disertè fatetur. Præterea, Apostoli miracula, quæ per ipsos edebantur, Lucæ 6.
ne sibijpsis quidem, nedum ipsorum vestibus ascribi voluerūt. Interim non ignoramus & Petri vm Acto. 3. 14.
bram & Pauli sudaria nōnullis ad salutē adminiculo fuisse, & olim ad martyrum sepulchra multa Actorum 5. 19.
miraculose facta esse. At illa non alia ratione facta esse dicimus, quàm quòd Deus illorum fidei &
doctrinæ testimonium ferre voluit, quæ cùm totam nostræ salutis rationem ad vnum Christum au
thorem referat, nos quoq; miracula ista ad illum referre, non inde superstitionis alicuius occasionem

arripere conuenit. Nam qui id faciunt, Dei consilio aduersantur, qui eiusmodi miraculis in Christi sui cognitionem nos adducere conatur.

Christus promiscuè omnibus medetur.
Isaiæ 49.
2. Corinth. 6.
Psal. 143. 139.
Isaiæ 64.

Deinde aliud bonitatis & beneuolentiæ Christi argumentum est, quòd promiscuè omnibus medetur, nec rigidi censoris aut iudicis instar in alicuius vitam siue mores inquirit. Iam enim salutis & beneplaciti tempus erat (vt propheta ait) non iudicij: & quàm hoc nobis necesse sit fieri, res ipsa abundè testatur. Nam si in iudicium nobiscum descendat Dominus, & iniquitates nostras obseruet, quis sustinebit, quando iustitias quoq; nostras abominabiles esse constat? At non iudicio nobiscum contendet Christus, si dum tempus est, ad ipsum conuersi, illius opem ex fide imploremus: cuius clementiæ infinita exempla in scripturis habentur. Simul verò Christi facilitatem nos imitari decet, ne præpostera seueritate & rigidiori censura in fratres tunc vtamur, quando afflictis rebus potius succurrere, quàm iudicio contendere, proximi necessitas iubet. Quò imprimis referri debet quod Solomon in Ecclesiaste suo de obseruandis temporum occasionibus tradidit. Vt enim tempus est occidendi, & tempus medendi: Ita tempus esse cogitemus, quo hominum vitia corripiamus, aliud verò tempus, quo ijsdem misericordiæ & charitatis officia præstemus.

Diuina Christi potentia.

At non minus hîc diuina Christi virtus elucet, quæ omnium morbis ita subitò mederi potuit. Hanc ita consyderemus ô fratres, vt illum non minus animabus nostris mederi credamus, quas suæ mortis merito à peccati noxa & æternæ damnationis supplicio redemit, & ijsdem ex suo spiritu renatis nouas vires indidit, quibus satanæ tentationibus resistere, seq; deo puras & impollutas seruare possint. Quorum consyderatione ita nos excitari oportet, vt ardenti salutis studio inflammati, hanc in Christo quæramus, inuentam fide vera amplectamur & constanter teneamus. Ita fiet, vt illius merito restituti, cum eodem æternum viuamus. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

CAPVT VII.

HOMILIA LVIII.

ET conueniunt ad eum pharisæi & quidam ex scribis, qui uenerant Hierosolymis. Et cùm uidissent quosdam ex discipulis eius pollutis manibus (id est illotis) edere panes, questi sunt. Nam pharisæi & omnes Iudęi, nisi crebrò lauerint manus, non edunt, tenentes traditionē maiorum: & à foro reuersi, nisi loti fuerint, non edunt. Et alia multa sunt, quę acceperunt tenenda, nempe lotiones poculorum, & sextariorum, & æramentorum & lectorum. Deinde interrogant eum pharisæi & scribæ: Quare discipuli tui non ambulant secundùm traditionem Seniorum, sed illotis manibus edunt panem? Ille uerò respondens, dixit eis: Enimuero bene prophetauit Isaias de uobis hypocritis, ut scriptum est: Populus iste labijs me honorat, cor autem eorū procul abest à me. Frustra autem me colunt, docentes doctrinas, mandata hominum. Nam omisso mandato Dei, tenetis traditionem hominum, lotiones sextariorum & poculorum, aliaq; similia eiusmodi facitis multa.

Argumentum & vsus præsentis loci.



VT Deus iam inde ab exordio mundi salutarem verbi sui doctrinam reuelauit, qua homines in vera salutis ratione instituerentur: Ita communis noster hostis satan omnibus seculis illam falsis & erroneis traditionibus corrumpere studuit: nimirum, vt ea occasione homines à vera Dei cognitione abducti, circa fidem simul & vitæ officia omnia errarent. Quæ causa est, quòd fidis verbi Dei præconibus semper cum falsa doctrina & illius ministris contentio fuit, quodq; in scripturis non modò vera doctrina proponitur, verumetiam falsa acerrimè oppugnatur. Quem morem Christus quoq; in præsenti obseruat. Postquam enim discipulos, quos

Euangelij sui præcones constituerat, in omnibus ijs plenißimè instituit, quæ ad ipsorum officium pertinebant: modò cum falsis doctoribus congreditur, & de illorum traditionibus iudicare docet. In quorum consyderatione ita nobis versandum est, vt ipsi quoq; falsam doctrinam & hominum traditiones oppugnare & fugere discamus.

Primùm enim falsi doctores, Christi aduersarij producuntur, quos Marcus commodè Apostolis, de quibus supra egerat, opponit. Illos autem ex pharisæorũ & scribarũ numero fuisse, & Hierosolymis venisse scribit. Et pharisæos quidẽ eos fuisse scimus, qui propriæ iustitiæ fiducia inflati, fidei iustitiam, quæ in Christo offertur, semper acerrimè oppugnarunt. Scribæ verò legis interpretes habebantur, & scripturarũ quidem cognitionẽ sibi vendicabant, cum interim circa humanas traditiones potius occuparentur. Omnibus verò illius loci & ordinis præstabant, qui Hierosolymis erant, eò quòd illic externæ religionis sedes esset, & celeberrima totius gentis schola, penes cuius antistites ius erat inquirendi in omniũ doctrinã, qui fidem & religionẽ nouam inuehere videbantur. Vnde ad Ioannem quoq; Hierosolymis sacerdotes & Leuitas ex pharisæorum ordine missos fuisse legimus, qui in illius doctrinam inquirerent. Et ex eorundẽ numero hîc prodeunt, qui Christo litem mouent, vt falsas & inutiles hominũ traditiones defendant. Hinc verò patet, vnde pleriq; prodeant falsi doctores & grauißimi veritatis hostes. Nimirum ex ipsa ecclesia, & quidẽ ex illorum ordine, qui sibi in illa primatum vendicant. Nec enim aliter fieri potest, quando illi posthabita Dei gloria, priuatum cõmodum quærere, et suo honori studere incipiunt, quales hosce fuisse, Christus alibi testatur. Et quod hîc illi accidit, hoc ipsum olim prophetæ experti sunt, quos ferè Hierosolymis cæsos fuisse, ipse Christus testatur. Et Hierosolymis primam aduersus Christi ecclesiam persecutionẽ à sacerdotibus excitatam esse, & postea ex Iudæa descendisse qui gentium ecclesias iustificationis legalis doctrina turbarent, nemo ignorat. Idem quoq; postremis temporibus euenturum esse Paulus prædixit, quando Antichristi sedem in templo dei monstrat, & ex Episcoporum numero lupos illos graues prodituros ait, qui gregem Domini deuastent. Horum itaq; nos meminisse oportet, quando hodie Romanos Pontifices vbiq; locorum suos à latere legatos habere videmus, quorum insidiosis consilijs veritas oppugnatur, nec nos alicuius loci auohoritas moueat, quando ex Hierosolymis aduersarios Christi acerrimos prodijsse videmus. Obseruanda sunt hæc aduersus eos etiam, qui ecclesiam errare posse negant, & sub huius nomine multa obtrudunt, quæ scripturis nullis confirmari possunt. Nam vt hîc videmus, non semper vera ecclesiæ membra, multò minus eius veri antistites sunt, quicunq; ex ea prodeunt: sed tam de illis quàm eorum dogmatibus ex Dei verbo debet iudicium fieri, &c.

Christi hostes Hierosolymis ueniunt.
Matth. 6.
Lucæ 18.
Actorum 15.
Ioan. 1.
Veritatis hostes ex ipsa ecclesia prodeũt.
Ioan. 2. 5.
Malach. 23.
Lucæ 13.
Act. 3. 4. 5. 6. 15. &c.
2. Thess. 2.
Acto. 20.

Quid verò isti faciunt? Vident Apostolos illotis manibus cibum capere, & de eo conqueruntur, eò quòd illud cum more communi pugnaret, qui ex veterum traditionum obseruatione ita inualuerat vt hoc discipulorum factum immane scelus esse ipsis videretur. Videntur autem discipuli hæc vel iuxta exemplum Christi (de quo simile quid apud Lucam legitur) vel etiam illius iussu fecisse, qui hoc ita fieri voluit, non quòd illi sordities placeat, sed quòd aduersus illos disputandi occasionem caperet. Obseruabis autem hoc loco, circa quæ ferè versentur humanæ traditiones, & in quibus rebus consistat, quæ illis nititur, religio. Deum spiritu & veritate coli velle, Christus docet: vnde animum omnesq; interiores hominis facultates potißimùm requirit, & quæcunque instituit externa fidei exercitia, eò dirigit, vt animi per fidem ipsi facilius & firmius vniantur. At quia hæc deo præstare, carni durum & graue videtur, interim omnes religiosi & dei cultores videri volumus, ferè fit, vt his omißis, vel solis externis inhæreant homines, vel etiam à Deo traditis non contenti quædam ex semetipsis instituant, illis deinde occupentur, & si illa præstiterint, omni se officio defunctos putent. Est hoc in Iudæis videre, qui cùm legem à Deo accepissent, quæ sanctificationem omnem ab vno Deo per Christum nobis conferri docebat, & eandem circumcisione, sacrificijs & externis purificationibus adumbrabat, quibus illi simul officij admonebantur: horũ tamẽ omniũ immemores, externis solis confidebant, nec tamen legalibus purificationibus contenti, nec in eam intenti, quæ his adumbrata in vno Christo plena & perfecta habetur, simulq; omisso puritatis & innocentiæ studio, lotiones externas instituerant, quibus non modò corpora sua, verumetiam omnis generis vasa indies abluebant, quasi ipse etiam animæ istis purificari possent. Nec diuersa ab hac est hodie eorum religio, qui diuersis vestium generibus, chameunijs, candelis & cereis, exorcismis, crucibus, aquæ lu-

Scribæ Apostolos ob manus illotas accusant.
Lucæ 13.
Humanæ traditiones in quibus uersentur.
Ioan. 4.
Deut 6.

strali, igni purgatorio, baptismis campanarum, & alijs eius farinæ nænijs lustrandi siue purificandi vim tribuere consueuerunt: cùm interim vitæ innocentiam, charitatis officia & fidem in Christum, qua sola animos nostros purificari Apostoli docent, securi negligant, &c.

Act. 15.

Apostoli patrũ contemptores esse insimulantur.

Porro videamus, quibus argumentis suam accusationem nostri illi cõfirment. Quare (inquiunt) tui discipuli non ambulant secundùm traditionem seniorum? Seniores, & horum statuta allegant, vt Christo inuidiam concilient, vt qui de Senioribus siue patribus cõmunis Iudæorum gentis parum honorificè sentiat. Solet enim vulgus patrum memoriam & authoritatem magni facere. & inexpiabile scelus putatur, si quis illorum authoritati aliquid deroget, maximè in ijs, quæ ad salutis negotium spectant. Ita enim illorum & fides & salus in dubium vocari videtur. At qua obsecro in re Seniorum traditiones transgressi sunt Apostoli? Cur (aiunt) illotis manibus comedunt panem? Papè, hoc ne tam graue scelus est, quod à tantis viris tanto cum conatu accusari mereatur? At talia ferè sunt, quæ verbis tragicis hypocritæ amplificare & exagitare solent. Nam hodie etiam auitam patrum religionem euertisse, Dei cultum dißipasse, fidem abnegasse, ab ecclesia seceßionem fecisse, vetustißimos ecclesiæ mores atque ritus sustulisse, & sacrosanctam patrum memoriam parum honorificè traduxisse accusantur. At cùm causæ quæruntur, ob quas tam horrendis criminibus grauemur, nõ alia obijci queunt, quàm quòd Papam ecclesiæ caput esse negemus, quòd Missæ sacrificium sustulerimus, imagines templis eiecerimus, præpostera votorum religione monachos & moniales liberauerimus, purgatorium ignem, exequias pro defunctis, Diuorum interceßiones, passagia, Romanas bullas, indulgentias & infinita alia ludibrio habeamus, quæ patres nostri iam annis plus sexcentis in maximo pretio habuerint. Sed bene res habet ô fratres, quando non alia nobis exprobrari possunt, quàm quæ per se nullius momenti sunt, & inani duntaxat patrum nomine pallientur. Potest nos excusare Christi exemplum, cui hæc ipsa ab hostibus exprobrata sunt. Defendit nos item piorum Imperatorum authoritas, apud quos olim pagani suas idolomanias ijsdem argumentis tuebantur. Sic olim Symmachus aras & idola restitui volens Valentiniano, Theodosio & Arcadio dicebat. Sequendi sunt nobis parentes, qui secuti sunt feliciter suos, &c. Sed tenendum est in religione omnibus seculis duo fuisse patrum genera. Alterum eorum, qui fidei & religionis formulam à Deo acceptam ad posteros transmiserunt, quales in veteri testamento Adam, Noe, Abraham, Moses & huius interpretes prophetæ, in nouo autem Ioannes Baptista, Apostoli & viri Apostolici fuerunt. Alterum verò eorum est, qui posteris temporibus secuti, præter verbum Dei multa bono quidem zelo, sed non secundum scientiam cõmenti sunt, quæ ritibus à Deo traditis adiecerunt, vt vel cultum dei externum illustriorem redderent, vel maiorem animorum deuotionem excitarent, vel etiam eò sanctiores haberentur, quò pluribus ceremonijs essent occupati. Tales in veteri testamento fuêre, quorum hîc fit mentio: at nouißimis temporibus plures eiusmodi exorti sunt, quorum alij in Concilijs publica authoritate ad nouos ritus inuehendos abusi sunt, alij priuatis apparitionibus gloriando rudibus & incautis imposuerunt. At cùm nulli hominum in dei uerbum ius sit, vt illi aliquid vel adijcere vel adimere liceat, frustra illorum authoritas allegatur, quorum audacia in scripturis iam olim damnata est. Quoties ergo Patres allegantur, ad primos illos recurrendum est, vt ab illis traditam fidei doctrinam firmiter teneamus, nec ab illa nos vllo prætextu abduci patiamur. Sed de hoc in sequentibus plura dicentur.

De patribus quid sentire conueniat.

Deut. 4. 12.

Christus scribarum accusationem diluit.

Isaiæ 29.

Respondet enim hisce Christus grauißimè & hypocritas vocat, non conuitiandi studio, sed vt ipsorum impietatem se nequaquàm latere, omnes intelligant. Et quia scribæ erant, Isaiæ prophetæ testimonium adducit, quo simul ostendit, hanc ipsorum hypocrisim non nouam, sed auitam & inueteratam esse, adeò vt olim prophetis quoq; cum illa negotium fuerit. Admonet autem suo exemplo, primùm hypocritas, traditionum inanium authores siue propugnatores, publicè arguendos esse, quo citius errore liberentur, qui in illis religionem & salutem consistere putant: Deinde omnes controuersias de religione ex scripturis dirimi debere, quibus Dei voluntas nobis manifestatur: id quod apud Ioannem disertè monet, cùm dicit: Scrutamini scripturas, &c. Quoad verò Isaiæ testimonium, quid in illis reprehendat, probè consyderandum erit. Primùm, labijs (inquit) honorant me, cor autem procul abest à me. Fidei profeßionem externam & hypocriticam intelligit, qua gloriabantur, cùm animos

Ioan. 5.

Humanarum traditionum uanitas.

[..]os haberent à religione alienißimos. Alterum est, quòd vniuersa illorum religio hominum traditionibus niteretur. Id verò pulchre suis aduersarijs accommodat Christus, & mox euidenti exemplo docet, maiorem apud illos esse humanarum traditionum, quàm præceptorum diuinorum authoritatem: sicuti in sequenti Sermone patebit. Hinc verò generalis doctrina peti debet: Vanißimam esse omnem religionem, in qua hæc duo habentur, hypocrisis nimirum & superstitio humanis traditionibus suffulta. Primò enim Deum externis non indigere, nec illis coli posse, omnis scriptura testatur. Psal. 50. 51. Idem nec nostro zelo delectatur, nisi quatenus verbi sui regula dirigitur, & externis omnibus obedientiam præfert, cuius rei euidens exemplum in Saule scriptura proponit. Isaiæ 66. Actorum 17. Et Iudæos zelum Dei habere Apostolus fatetur, sed eosdem salutis iacturam fecisse scribit, dum illo seducti, Dei iustitiam respuerunt, suam verò ipsorum iustitiam stabilire conati sunt. Nume. 15. 1. Sam. 13. 15. Rom. 10. Præterea corporalem exercitationem parum vtilitatis habere, idem Paulus monet, nisi quatenus fidei regendæ & confirmandæ seruit, quæ [..]o Dei verbo nititur: pietatem verò ad omnia vtilem esse ait, vt quæ vita tum præsentis tum futuræ promißiones habeat. 1 Timoth. 4. Quid ergo de monachorum regulis & Papatu toto dicemus, in quo nihil præter externas sanctitatis fictæ laruas & frigidißimas hominum superstitiosorum & ambitiosorum traditiones est videre? Ita certè hac sententia iugulatur, vt frustra nobis patres, Concilia, longi temporis præscriptionem & principum regumq́ authoritatem obijciant, cùm omnia ista coram Deo nullius pretij esse, Christus in præsenti testetur.

At quæras fortaßis, quid de magistratuum legibus & mandatis iudicari debeat, si hominum statuta Deo probari non poßunt, & num illis obedire fas sit? *De magistratuum statutis & legibus.* Vbi respondemus, quæstionem hanc non rectè hoc loco moueri, vbi non de politicis decretis, sed de fide & religione agitur. Quoad verò politicas leges, aliæ ex Dei verbo desumptæ sunt, & proinde pro humanis constitutionibus haberi non debent. Aliæ verò ordinis causa feruntur, pro vniuscuiusq; gentis ratione, & circa res temporarias solummodo versantur, neq; vllum conscientijs laqueum aut scrupulum inijciunt. Quibus etiam parêre conuenit, tum ne seditionum authores simus, tum quòd magistratus à Deo ordinatos esse constat. 1. Pet. 2. Rom. 13. Quòd si verò illi non contenti suis finibus in religione nouas leges statuant, quibus verus Dei cultus aut euertitur aut impeditur, vel conscientiæ grauantur, tunc meminerimus Deo potius, quàm hominibus nos obedire oportere, & ita dandum esse Cæsari quod Cæsaris est, vt quæ Dei sunt illi integra & inuiolata maneant. Acto. 4. 5. Marc. 12. Sed de his alibi commodius agetur. Discamus modò in religione, non ab hominum authoritate pendere, sed iuxta Dei verbum illi seruire in spiritu & veritate per Iesum Christum Dominum nostrum: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA LIX.

Dicebat etiam eis: Sanè bene irritum facitis mandatum Dei, ut traditionem uestram seruetis. Moses enim dixit: Honora patrem tuum & matrē tuam: Et, Qui maledixerit patri uel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis: Si dixerit quispiam patri aut matri: Corban (id est, dono) quodcunq; ex me erit, iuuaberis. Et non permittitis amplius eum quicquam facere patri suo, aut matri suæ, irritum facientes sermonem Dei traditione uestra, quam tradidistis: & similia eiusmodi multa facitis.

VT homini doctrina & institutione diligenti opus est, eò quòd per se non percipit ea quæ sunt spiritus Dei: Ita cumprimis curandum est, vt doctrina hæc pura & sana sit, nec vllis hominum figmentis corrumpatur. *Argumentum & usus præsentis loci.* Nam vt corpora nostra cibis quidem ali & sustentari oportet, iisdem verò cibi, si venenati sint, exitium afferunt: Ita falsis hominum traditionibus animas iugulari constat, eò quòd illæ à Deo auocant, & multorum peccatorum causa sunt, ob quæ illius ira exardescit. Ideo de his multùm in scripturis agitur, & Christus Iesus, qui nobis à Deo patre catholicus & irrefragabilis æternæ veritatis & salutis doctor datus est, in præsenti de his disputationem grauißimam instituit: Cuius occasionem illi præbuerunt scribæ & pharisæi, qui discipulos ipsius violatæ patrum traditionis accusarunt, eò quòd manibus illotis ad cibum sumendum accessissent. Vidimus illic

nuper, vt circa res leuiculas & nullius momenti occupentur, qui religionem humanis traditionibus metiri solent, & vt plausibili patrum prætextu superstitione suas defendant, quando verbi Dei authoritate destituuntur. At Isaiæ locum illis Christus opposuit, & humanarum traditionum obseruationem prorsus inutilem esse ostendit, eò quòd Deus illis coli nec velit, nec possit. Sequitur modò altera responsionis istius pars, qua traditiones eiusmodi etiam noxias & perniciosas esse docet. Nobis verò totius tractationis hic vsus esse debet, vt ab vno Dei verbo pendere discamus, nec vllas doctrinas admittamus, quæ illi aduersantur.

Christus in aduersarios retorquet id, cuius discipuli accusabantur.

Quoad verò Christi verba, primò in aduersarios retorquet præcipuum accusationis caput. Nam impietatis notarant Apostolos, quòd illotis manibus accubuissent. Quorum factum priusquàm Christus defendat, illos potius accusandos esse docet, eò quòd maiori audacia & impietate Dei præcepta transgrediantur. Et sanè duplicis criminis reos agit. Primum est, quòd humanas traditiones diuinis præferant. Alterum, quòd suis traditionibus occupati, diuinas negligant, imò planè irritas faciant. Quorum criminum, vt illud absurdissimum, ita hoc cum immani & inexcusabili Dei contemptu coniunctum est. Docet autem suo exemplo Christus, cum impijs falsæ doctrinæ patronis ita congrediendum esse, vt illorum errores liberè arguamus, nec quicquam eorum dissimulemus, quæ illi aduersus dei leges designant. Sunt sanè grauissima quæ istis obijcit Christus, & intolerabilia videri poterant, cùm doctrinæ & religionis antistites haberentur. Obijcit tamen hæc, nec alicuius iudicium veretur, eò quòd hoc rei necessitas postularet, cùm hypocrisi nihil audacius sit aut impudẽtius, nihil item ad seducendum rudes & imperitos efficatius, nisi palàm & libere arguatur. Non igitur eos audire oportet, qui hodie multa à nobis dissimulari vellent, & modestiæ leges præscribunt, quando cum illis res est, qui iam olim in doctrina & religione corrumpenda omnem modum transgressi sunt, & hodie adhuc multorum simplicitate abutantur.

Christus crimẽ scribis intentatum probat.
Exod.20.
Leuit.20.

Ne tamen Christus affectibus indulgere, & immerentes tantis criminibus grauare videretur, euidenti exemplo hæc illos facere demonstrat, sic loquens: Moses dixit: Honora patrem tuum et matrem tuam. Et qui maledixerit patri, morte moriatur. Vos autem dicitis: Si quis dixerit patri vel matri: Corban (id est, dono) quod ex me erit, iuuaberis. Est autem ecliptica oratio, in qua subintelligi oportet: Is omni pietatis in parentes officio probè defunctus est. Vel, Is insons erit, etsi nihil prætere a officij parentibus contulerit. Ita enim dicere videtur Christus: Deus per Mosen parentes honorare & omni officio prosequi iussit. Quam legem adeò sanctè obseruari voluit, vt eum morte mulctare iubeat, qui vel verbulo in illos peccauerit. At qui vos audiunt, parẽtes facilè negligunt. Quæ enim in illos conferre debebant, ad vos in templum deferunt: & si deinceps illorum opem parentes implorent, illi quasi omnia abunde præstiterint, donaria sacra iactitant, quæ non minus parentum saluti quàm sibi profutura clamant. Ita fit, vt parentes senio confecti egeant, vos autem ex illis donarijs securè voluptuemini, quæ in illorum alimoniam liberi conferrent, nisi vestris traditionibus seducerentur. Num ergo negare poteritis vos, vt traditionum vestrarum authoritatem stabiliatis, Dei præcepta abolere & euertere? Nec tamen hoc contenti, insuper multa alia eius generis facitis, quæ nũc omitto, cùm ipsi illa non ignoretis, nec quenquam latere possint, qui vestra commenta cum Dei mandatis conferre voluerit, &c.

Quid sit Dei præcepta irrita facere?

Docet locus iste, quid sit Dei præcepta irrita facere: quod crimen illis quoq; intolerabile videtur, qui illo non minus quàm Iudæorum scribæ tenentur. Hoc enim faciunt, non modò qui illa obseruare prohibent, & illorum obseruatores hostiliter persequuntur, verumetiam quotquot incautos & simplices quocunque prætextu ab illorum obseruatione abstrahunt, & occasionem præbent, vt illis neglectis, circa alia quædam occupentur, quæ Deus nusquam præcepit. Ita olim scribæ & Pharisæi peccarunt, quos nusquam legimus vetuisse, quò minus liberi parentibus benefacerent: At quia ea docebant, quæ liberorum in parentes beneficentiam non parum remorabantur, Dei præceptum irritum fecisse dicuntur. At hoc ipsum faciunt, quotquot humanas tratiditiones vel inuehunt, vel defendunt. Etsi enim eorum, quæ Deus statuit, studiosissimi videri velint, nec diuinis scriptis & legibus quicquam palàm aut violenter derogent, quia tamen sub religionis prætextu priuatum commodum quærunt, multa instituere solent, quorum superstitiosa obseruatione dei præcepta in contemptum veniunt atq; negliguntur. Nam illorum planè similes sunt, qui in republica sedulò protestantur, se legum optimarum

marum authoritatem saluam velle, cùm interim multa consulant, quibus receptis illa consistere ne- Vt Papistæ Dei
quit. Fit hoc in Papatu palàm, adeò vt si omnes illius partes examines & cum his Dei præcepta & præcepta irrita
doctrinæ Christianæ articulos conferas, vix vnum reperias, qui non istius traditionibus vel totus faciant.
euertatur, vel saltem maxima ex parte labefactetur. Deus se vnum coli & inuocari vult, & ne deos 1 Exod.20.
alienos nobis fingamus seuerè prohibet. At Papa Diuis preces & sacra facere, & ijsdem festos dies Psalm.50.
instituere & vota nuncupare docuit. Deus imagines fieri vetuit, nec aliquem illarũ in religione v- 2
sum esse voluit. Sed Papa præcipuam religionis partem in imaginum cultu collocat. Deus, ne nomine Deut.4.27.
suo abutamur, grauiter præcipit. At Papa sub falso diuini nominis prætextu & impudenti verbi 3
Dei abusu errores quosuis in ecclesiam inuexit. Deus sabbatum sanctificare, reliquis verò diebus o- 4
pus facere iussit. At Papa non contentus sabbati, religionem fœdis superstitionibus & turpi peccan-
di licẽtia prophanasse, insuper infinitis ferijs eos grauauit, quos labore suo victũ sibi parare cogit ege-
stas, otiosis verò & malæ frugis hominibus maiorem peccandi occasionem præbuit. Deus parentes 5
colere & senio confectos alere & omni officij genere prosequi iubet. At qui Papam audiunt, Mo-
nachorum regulas ita huic præcepto præferunt, vt vel morituris parentibus adesse, nefas & im-
pium esse ducant. Deus magistratus sanctè reuereri, ijsdem obedienter subijci, & quod illis debetur 6
bona fide persoluere præcipit, adeò vt ne duris quidem & iniquis dominis quenquam seditiose resi- Exodi 22.
stere velit. At Papa sub ecclesiasticæ libertatis prætextu suis creaturis & suo chrismate perunctis Rom.13.
immunitatem concessit, qua fit, vt non modò à tributis censibus & vectigalibus persoluendis liberi Marci 12.
sint, verumetiam impunè scelera quæuis designent, dum ciuili gladio illos coercere impium & indi- 1.Pet.2.
gnum putatur. Dei præceptum est, Ne occidito. Illi verò & animas occidunt falsis doctrinis, & ijs- 7
dem non rarò corpora quoq; in extremum discrimen adducunt, quando miseros ad immodica ieiunia
adigunt, vel peregrinationes longinquas per terram & mare suscipere cogunt. Deus adulteria & 8
vagas illicitasq; libidines seueris legibus coercuit, coniugij verò vsum castum sanctumq; passim com Hebr.13.
mendat. At Papæ figmentum est cælibatus, cuius doctrina & coniugiũ maxima ex parte damnat, 1.Tim.4.
& libidine flagrantibus non ad stupra modò matronarum atque virginum, verumetiam ad incestus
& horrendum Sodomiæ scelus viam sternit. Dei lege furti genus omne prohibetur. Cæterum Papæ 9
coniurati, monachi & sacrificuli, sub religionis prætextu hæreditates alienas inuadunt, exclusis le-
gitimis hæredibus: adhæc prædonibus & furibus patrocinantur, quando rapto & furto acquisitis
donarijs scelus omne expiari posse docent. Deus falsum testimonium dicere vetat, & testem menda- 10
cem exosum habet. Illi verò ne Christo quidem & Apostolis parcunt, dum ab his tradita & institu- Prouerb.6.
ta esse clamant, quæ illis ne in mentem quidem venisse satis constat: quin imò Deum mendacij argue- 1.Ioan.5.
re non verentur, dum illius testimonio improbè contradicunt, quo ille cælitus de filio suo vnico huma Matth.3.17.
ni generis redemptore testatus est. Et hæc quidem de diuinis præceptis dicta sint, quæ Papisticis tra Papistæ dogma
ditionibus euerti & irrita fieri, nemo opinor posthac negauerit. Transeamus modò ad dogmata, & ta fidei irrita
hoc ipsum in illis etiam fieri, luce clarius patebit. Scripturæ hominem in peccato concipi & nasci, faciunt.
& eiusdem figmenta ab ineunte ætate praua esse, nec vllas ei vel ad cogitandum vires esse docent. 1 Psalm.50. Gene. 8.
At Papistici doctores liberum homini arbitrium & vires bene operandi proprias tribuunt. Scriptu 2 2.Cor.3.
ra nos sola fide in Christum iustificari tradunt. Illi iustificationem in nostrorum operum meriti osten- Gal.2.3.&c.
dunt, Scripturæ vnum inter nos & Deum mediatorem & intercessorem monstrant, Iesum Christum, 3 Rom.3.4.
qui idem gloriam suam se nemini daturum esse testatur. At illi quot Diui & Diuæ in cælis esse cre- 1.Tim.2.
duntur, tot quoq; mediatores & intercessores esse fingunt. Scripturæ nos vni Christo consecratos esse 4 1.Ioan.2.
iubent, in cuius nomine baptizati sumus, & quem ore profitemur. Illi monachorum regulis ecclesiam Isa.42.
in sectas diuersissimas sciderunt. Christus Cœnam suam mysticam mortis suæ memoriam esse voluit. 1.Corinth.1. 5
Illi eam in sacrificium pro viuis & mortuis conuerterunt. Christus proximum diligere & egenos iu- 6 1.Cor.11.
uare iussit. Illi vel mutas imagines donarijs ditare, aut mortuos rebus externis colere docent. Deus 7 Ioan.5.
laboribus vacare & illis victum quærere monuit. Illi in ignauo otio sanctitatem & Dei cultum col-
locant. Christus eos qui suum sermonem audiunt, & in Deum fidem atq; spem salutis omnem collo- 8
cant, rectà à morte in vitam transire, nec in vllum iudicium venire dicit. At illi purgatorium ignem
commenti, Missas pro defunctis instituerunt, quibus Christi promissio tota euertitur, &c. Possent
infinita eius generis recenseri, quæ hic sciens volens omitto, ne in immensum excrescat oratio. Ista

p 3

Gen.3. Ephes.4. 2.Thes.3.

enim cuiuis cordato de reliquis cogitandi occasionem abunde præbere possunt. Et hinc patet, quàm atrox sit humanarum traditionum pestis, & quid illis hodie responderi possit, qui nos patrum & Conciliorum atq; ecclesiæ statuta violare clamant: cum ipsi sub horum prætextu sacrosanctas Dei leges & scripturæ dogmata impiè euertant, &c.

Ioan.5.

Cur Christus præceptum de honorandis parentibus potissimum alleget.

Cæterum vt ad Christi verba redeamus, obseruabis præterea, quòd cùm multa alia illis obijcere potuisset, hoc tamē præceptum de parentibus honorandis, & illius violationem, adducere voluit. Etsi enim hoc fecisse videri possit, quòd perspecta omnibus esset, nec à quoquam negari posset huius criminis absurditas: simul tamen ad scripturæ morem respexisse videtur, quæ vt humani ingenij corruptionem arguat, creberrimam facit huius præcepti mentionem: quæ tamen alicui superuacanea videri poterat, quando naturæ legibus & communi sensu docemur, parentibus nunquàm parem gratiam referri posse, & proinde pro naturæ monstris censendos esse, qui illos violare audent. Notū enim est Solonis dictum, qui rogatus cur nullam aduersus parricidas legem tulisset, sibi nunquam in mentem venisse dicebat, aliquos eò impietatis progressuros esse, vt eos lædere vellent, à quibus vitæ principium accepissent. Et Romulus, cùm parricidis nullam pœnam constituisset, homicidium tamen omne parricidium dici voluit, quòd illud impium atque nefarium, hoc verò impossibile esse duceret. Accedit his vetustissima lex, quæ plerisque gentibus in vsu fuit: Liberi parentes alant, aut vinciantur. At non ideo superuacaneam putauit Deus huius præcepti crebram repetitionem, sed cùm nostræ naturæ peruersitatem magis quàm nos ipsi perspectam habeat, non in lege modò, verumetiam Apostolicis scriptis hoc ipsum frequenter inculcari voluit. Nec exempla desunt eorum, qui ob violatos parentes à Deo pessimè mulctati sunt, sicuti in Chamo & Absolone est videre. In quorum consyderatione vtinam hodie iuniores diligentius versarentur. Habentur quidem à nonnullis parentes in honore, dum illis plus æquo indulgentioribus vtuntur, aut illud sibi quæstuosum esse vident. Vt primum verò vel egenos alere, vel senio confectos & ob ætatis vitium morosiores fouere, & ægros iuuare oportet, plerīq; sese difficillimos & ingratissimos præbent: vt nihil iam de illis dicamus, qui fidas patrum admonitiones sannis excipiunt, & interdum conuitijs, vel etiam verberibus rependunt. Peccabant Christi tempore, qui religione præpostera decepti, parentes negligebant. Quid ergo de nostris hisce dicemus, aut quo non supplicio dignos censebimus? Sed tempus monet, vt dicendi finem faciamus. Illud modò repetijsse sufficiat, summam apud nos esse debere præceptorum Dei authoritatem, adeò vt nec prauis affectibus nec superstitiosis doctrinis locum demus, quæ ab horum obseruatione reuocare possunt. Ita enim fiet, vt nec à salutis via aberremus, & tandem beatum veræ felicitatis portum attingamus, per Iesum Christum Dominum nostrum: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Deute.27. Prouerb.30. Ephes.6. Colos.3. Gene.9. 2.Sam.15. 16.& 18.

HOMILIA LX.

Et aduocata tota turba, dixit eis: Audite me omnes, & intelligite. Nihil est extra hominem introiens in eum, quod possit eum polluere: sed quæ exeunt ab eo, illa sunt quæ polluunt hominem. Si quis habet aures ad audiendum, audiat. Et cùm introisset in domum à turba, interrogarunt eum discipuli eius de parabola. Et dicit eis: Itáne & uos sine intelligentia estis? non intelligitis, quòd omne quod extrinsecus introit in hominem, non potest eum polluere? Nam non introit in cor ipsius, sed in uentrē, & in secessum exit, purgans omnes escas. Dicebat autē: Quod ab homine exit, illud polluit hominem: Intus enim ex corde hominū malæ cogitationes exeunt, adulteria, scortationes, cædes, furta, auaritiæ, scelera, dolus, proteruia, oculus malus, conuitia, superbia, amentia. Omnia hæc scelera intus exeunt, & polluunt hominem.

Argumentum & usus præsentis loci.

Dominus noster Iesus Christus hucusq; aduersus hominum traditiones diligenter disputauit, & duobus potissimum argumentis docuit, quòd à pijs vitari & explodi debeant. Primum est, quòd

quòd circa res externas & nullius momenti versentur, quapropter inutilis sit earum obseruatio, cùm Deus illis coli non possit. Alterum, quòd perniciosæ sint & noxiæ, eò quòd per has corruat præceptorum Dei authoritas. At quia disputationi huic occasionem dederunt scribæ & pharisæi, qui discipulos violatæ religionis accusarunt, eò quòd illotis manibus mensæ accubuissent, in præsenti crimen istud diluit. Non autem de hoc cum scribis agit, quos incurabiles & calumniatores esse nouerat, & proinde indignos, quibus cum ageretur: sed cum rudi plebecula, quæ tum discipulorum facto, tum Christi responsione offendi potuerat, quasi minus honorificè de maiorum institutis sentiret, quæ ad pietatem & puritatem plurimum facere videbantur. Docet autem suo exemplo Christus, ita arguendos & confutandos esse falsos doctores, vt simul rudiores de articulis controuersis erudiantur. Interim præsens locus diligentem consyderationem meretur: nam veram puritatis & sanctitatis consequendæ rationem tradit, sine qua (vt Apostolus monet) Deum nemo videre potest. Et si quæ hîc à Christo dicuntur, probè teneamus, nullis unquam hominum traditionibus nos circumduci patiemur. Hebr. 12.

Et primò quidem totum populum conuocauisse dicitur Christus, relictis nimirum scribis & pharisæis, quos ob propriæ sapientiæ & iustitiæ fiduciam, & priuatæ gloriæ studium, sanioris doctrinæ nequaquam capaces esse sciebat. Quo nomine Ioan. 5. illis dicebat: Quomodo vos potestis credere, qui gloriam à vobis inuicem accipitis: & gloriam, quæ à solo Deo proficiscitur, non quæritis? Et licet ex illis quoq; nonnulli cum reliqua turba ad ipsum audiendum accesserint, adeò tamen nullam illorum rationem habuit, vt postea discipulis, qui illos grauiter offensos fuisse dicebant, responderit: Omittite illos, duces sunt cæci cæcorum. Populum verò graui hortatione attentum reddit, dum ad omnes perinde ait, quod modò dicturus sit, nec illos aures tantum, sed potius animos præbere iubet, vt quod audiunt, rectè intelligant. Audite, inquit, me omnes, & intelligite. Vbi quod illis dicitur, nobis quoq; dictum esse cogitemus. Admonet enim quales auditores requirat, & quid eos facere conueniat, qui verbum ipsius cum fructu audire velint. Primò audiant oportet verbum Domini, non quidem obiter & quasi aliud agentes, sed discendi & obsequendi studio, quo nisi flagrent animi, nullus ex auditione verbi ad nos fructus redibit. Ea enim carnis natura est, quòd interea dum verbum prædicatur, vanissimis cogitationibus & affectibus prauis locum dat, quibus semen illud verbi mox aufertur, vt in animis nostris ne radices quidem agere, nedum fructus ferre possit. Et eiusmodi auditores apud Ezechielem Dominus describit, quorum hodie ingens vbiq; copia est, qui Dei verbum instar cantilenæ nihil ad se pertinentis audiunt, nec vnquam quæ audiuêre, ad fidei aut vitæ suæ institutionem transferunt. Non temere ergo Christus tam hîc quàm alibi auditores suos attentos esse iubet, cuius exemplum olim prophetas, postea verò etiam Apostolos secutos fuisse legimus. At quia audiuisse non sufficit, nisi audita intelligas, de hoc quoq; Christus admonet, & eorum quæ audituri sint, diligentem meditationem requirit, qua verum & germanum illorum sensum percipiant. Longè ergo alia Christi mens est, quàm eorum, qui verborum Dei sensum inquiri nolunt, & simpliciter credendum esse clamant: quiq; populi ignorantia adeò oblectantur, vt linguæ peregrinæ vsum in ecclesiam induxerint, contra Pauli regulam, & infelici populo persuaserint, vt tunc se omni officio circa religionem probè defunctum putarit, si lectionibus & cantionibus non intellectis interesset. Quin eò usq; istorum hominum audacia progressa est, vt ne domi quidē à laicis scripturas lingua vernacula legi voluerint: nimirum vt inter cæcos & planè ignorantes ipsi strabi & asini regnum obtinere possent. At longè aliter Christus, qui de falsa doctrina & vulgò receptis ritibus aduersus scribas disputans, omnes ista audire vult & intelligere. Et primò quidem sententiam suam paucis verbis comprehensam proponit, dicens: Nihil est extra hominem introiens in eum, quod possit eum polluere: sed quæ exeunt ab eo, illa sunt quæ polluunt hominem. Et mox denuò attentionem requirens, addit: Qui habet aures ad audiendum, audiat.

Doctrina Christi ad totum populum pertinet.

Matth. 15.

Quales esse conueniat verbi auditores.

Ezech. 33.

1. Cor. 14.

At licet perspicua sit hæc Christi sententia, & ijs probè conueniat, quæ hactenus de superstitiosis ablutionibus & purificationibus externis dicta fuerunt: ab ipsis tamen Apostolis minus intellecta est. Quare postquam relicta turba domum ingressus est, parabolam hanc sibi planius exponi rogant. Quo exemplo admonemur, non sufficere simplicem verbi Dei vel lectionem vel recitationem, sed simul expositione opus esse, propter carnis tarditatem & peruersitatem, quæ vel non intelligit verbum, vel ne quid ignorare videatur, quiduis temere fingit: aut alio quodam affectu abrepta, qua simVerbum Dei expositione opus habet.

pliciter dicta sunt, in sensum falsum detorquet. Ideo verbi ministros Deus constituit, quorum labia (vt Malachias ait) scientiam custodiant, & ex quorum ore populus legem & verum illius sensum requirat. Vbi tamen verborum Petri meminisse debemus, scripturas non priuatæ interpretationis esse, nec licere ministris, vt ex suo cerebro quiduis statuant, sed scripturarum diligentem collationem fieri oportet, ne quis sensus proferatur, quem alibi scripturæ oppugnent, nec fidei analogiæ conueniat. Sed hæc obiter annotasse sufficiat.

Malach. 2.
2. Pet. 1.

Verbi ignorantia reprehenditur.
Matth. 5.

Audiamus nunc Christi responsionem qui priusquam exponat quod illis obscurius dictum videbatur, ipsorum stupiditatem corripit: Itáne (inquit) & uos sine intelligentia estis? Vos (inquam) quos ego lucem mundi esse dixi, & quos orbis totius doctores constitui, quiq; tanto tempore mecum familiariter versati estis? Docet autem ista increpatio, illos nequaquam culpa carere, qui cùm Dei verbum multùm diuq; audiuerint, adhuc tamen ignorantes manent, & de ijs dubitant, quæ omnibus notissima esse debent. Est enim hoc non modò ingeniti stuporis, verumetiam socordiæ inexcusabilis indicium, quam tot admonitiones excutere nequiuerunt. Quid ergo de illis olim iudicabit Dominus, qui ne discere quidem volunt, & oblatam sibi veritatis doctrinam hostiliter insectantur? Quia tamen discipulis discendi studium inerat, ignorantes non abijcit, sed amicè docet, vt quod dixerat à nobis debeat intelligi. Sunt autem doctrinæ huius partes duæ, de quibus singulis dicemus.

1. Vera purificatio non in externis, sed animi synceritate consistit.

Prima scribas conuincit, qui hominem pollui docebant, si illotis manibus cibum sumeret, simulq; hominis purificationem in externis eiusmodi ceremonijs constituebant. Nam in genere docet, nullo cibo (nimirum temperanter sumpto & cum gratiarum actione) hominem pollui posse. Argumentatio Christi talis est: Nihil quod per os ingreditur, hominem polluit. At cibus qualiscunq; etiam illotis manibus sumptus, per os ingreditur. Ergo hominem polluere nequit. Maiorem probat: Quia quod per os ingreditur, non in cor hominis penetrat, sed in aluum transit, & per secessum eijcitur. Quibus verbis admonemur, hominis purificationem, non in rebus externis, sed in cordis synceritate & integritate consistere. Si enim ea duntaxat hominem polluunt, quæ in cor vsq; penetrant, vicissim eundem hæc quoq; sola purificare poterunt, quæ cor ipsum attingunt, & in illo operantur quæ Deo placent. Ideò in lege Deus, etsi externos purificandi ritus tradidisset, præcipuè tamen cordis puritatem requirit, & illum circumcidere atq; purificare iubet. Ratio eius præcepti est, quod in corde omnium actionum fons habetur, qui nisi purus sit, impura & vitiosa erunt, quæcunq; ex illo promanarint. Idipsum passim prophetæ monent, & Dauid ab ipso Deo sese purificari & cor mundum creari petit: nimirum quòd externas illas purificationes ad eam, quam Deus requirit, puritatem nihil conferre nouisset. Viderunt hoc ipsum Apostoli, quando sola fide hominum animos purificari docuerunt, quæ non externis inhæret, sed vnius Christi merito nititur (cuius sanguine nos ab omni peccato mundari, Apostolus testatur) nosq; totos in illius obsequium vendicat. Errant ergo vehementer, qui hodie externis ritibus conscientias grauant, imprimis verò, qui Christi doctrinæ parum memores, sub religionis prætextu ieiuniorum nouas regulas & ciborum discrimina induxerunt, quasi nonnullorum esus hominis animum polluere, eorundem verò abstinentia purificare queat. Quorsum ergo Christus ea, quæ per os introeunt, in cor hominis penetrare, & illum cibo qualicunq; pollui negat? Quorsum item Paulus regnum Dei neq; in cibo neq; potu consistere dicit, si ab istis cõstituta ciborum discrimina obseruare necesse est? Vel cur alibi decreta eiusmodi inter dæmoniorum doctrinas cõnumerat? Nec est quòd nobis ecclesiæ authoritatem obijciant, quæ non religionis ergò, sed disciplinæ causa hæc instituerit, vt facilius caro coerceatur, quæ cibis delicatioribus nutritu magis ferocire solet. Ecclesia enim vt ex Dei verbo generatur, ita eodem regitur, nec ipsa sibi nouas leges condit, sed à Deo latis fideliter obtemperat. Deinde, si non religionis ergò ista præcipiunt, cur præceptis eiusmodi conscientijs laqueum inijciunt? cur horũ transgressores pro hæreticis habent? cur illos ferro & igne persequũtur, cùm interea ex hominũ pauperũ sudore & sanguine viuẽtes, aut virginũ & matronarũ carne per adulteria et stupra abutẽtes, impunitos dimittãt? Vel si adeò illis cordi est disciplina ecclesiastica, cur vini vsum permittũt, et exquisitissima fercula ipso ieiuniorũ tẽpore concedunt ditioribus, qui præ alijs lascimire solent? At cũ ista faciant, illos partim tyrãnide, partim superstitione peccare cõstat. Nec propterea verum & legitimũ ieiuniorũ vsum reijcimus, quem pij non certo tẽpori alligare, sed tunc sibijpsis imponere solent, quando carni lasciuienti freno opus esse sentiunt: qua de re supra Cap. 2. diximus, &c.

Deut. 10. 30.
Isaie 1. 33.
Ierem. 4. &c.
Psal. 51.

Actorum 15.
1. Ioan. 1.

Rom. 14.
1. Corinth. 8.
1. Timoth. 4.
1. Pet. 1.

Altera parte de ijs differit Christus,quæ necessariò ijs cauenda sunt,qui conscientijs & animis suis pollui nolunt.Ea sunt quæ ex corde(prauo nimirum nec dum regenerato)prodeunt.Vt enim in cordis integritate hominis purificatio consistit,ita ne illud pollutum sit, & suis figmentis vniuersam vitæ conuersationem polluat,cumprimis videndum est ijs,qui puri & mundi coram Deo censeri volunt. At ne quid hîc nos lateret,quæ nam illa sint,enumerat.Et primum locum cogitationibus tribuit,quas vanas & prauas esse,scriptura alibi testatur,& ipsi in nobis quotidie experimur.Cùm autem scelerum omnium irritamenta simul atq; fomenta sint,illas mortificare & restinguere scriptura docet.Ex ijs enim nisi coerceantur, adulteria & stupra prodeunt, cædes item & furta,auarorum artes infinitæ, omnis generis scelera, quæ vel iræ vel odij vel ambitionis affectibus abrepti patramus, adhæc doli,lasciuia,inuidia (quæ per oculum malum, vt etiam alibi, denotatur) conuitia in Deum & proximum,superbia,fastus et alia flagitia,quibus tandem homo eò dementiæ abducitur,vt instar Nabalis,quem in Psalmis Dauid describit,Deum esse neget,qui mortalium res inspiciat atq; regat. Hæc(inquam) sunt,quæ hominem polluunt,& à Dei sanctißimi consortio abducunt. Quia enim in corde dominantur,qui (vt supra diximus) omnium actionum fons est, fieri nequit,quin vniuersam vitæ conuersationem inficiat. At quomodo cum Deo,qui & sanctitas ipsa atq; ignis consumens est, conuersabuntur,qui omnibus modis polluti atq; infecti sunt?

[margin: 2. Quid cauendum ijs,qui ueram purificationem quærunt. — Psalm.48. Gene.8. Colos.3. — Matth.20. Psalm.14.53. 49.&c. — Isaiæ 33.]

Horum vtinam meminissent,qui omnia ista pro lusu & ioco habere solent. Cogitationes hominum liberas & immunes esse dicunt,quas nec reges coercere queant. Adulteria & scortationem opus naturæ vocant,& vix patienter eos audiunt,qui libidinis rabiem coercendam esse docent. Cædes & immane sanguinis studium fortitudinis nomine palliant. Furta & omnis generis imposturæ industrij & ingeniosi hominis artes censentur. Lasciuia vrbanitatis laudem sibi vendicat: Inuidia, obtrectatio,& si quæ alia sunt huius generis,iustitiæ prætextu excusantur. Superbiam & fastum immodicum nobiles decere aiunt,quorum fortaßis hoc etiam esse dicent, vt nec Deum agnoscant, nec aliqua verbi ipsius reuerentia tangantur,nec sacra vlla curent. Sunt isti ex illusorum numero,quos nouissimo seculo exorituros esse, Petrus olim prædixit. At longe aliter de istis omnibus in præsenti Christus, pronunciat,qui hominem istis pollui,& hæc cum sanctimonia pugnare docet, sine qua (vt initiò monuimus) nemo videbit Deum. Nec desunt de singulis horum manifesti scripturæ loci,quibus Dei ira & damnatio illis denunciatur,qui hisce vitijs absq; pœnitentiæ studio indulgent. Nostrum ergo fuerit,ista fugere. & fidei in Christum studere,quæ vt corda purificat:ita cum vera Dei cognitione & charitate coniuncta malarum cogitationum illecebras restinguit,sceleribus manifestis resistit,& tandem æterni gaudij consortes reddit in Christo Iesu Domino nostro, cui debetur benedictio,honor, gloria & potestas in æternum.Amen

[margin: Cōtra illusores & scelerum patronos. — 2.Pet.3. — Colos.3. 1.Cor.6.]

HOMILIA LXI.

Et illinc surgens, abijt in confinia Tyri & Sidonis: & ingressus domum, neminem uoluit scire, sed non potuit latere. Cùm enim de eo audisset mulier, cuius filiola habebat spiritum immundum, uenit, & accidit ad pedes eius, (Erat autem mulier Græca, Syrophœnissa genere) & rogabat eum, ut dæmonium eijceret ex filia sua. Iesus autē dixit ei: Sine prius saturari liberos. Non est bonum, capere panem liberorum, & obijcere catellis. Ipsa uerò respondit, & dicit ei: Etiam Domine, etenim catelli eduntsub mensa de micis liberorum. Tunc ait ei: Propter istum sermonem abi, exijt dæmonium ex filia tua. Cùm autem abijsset domum suam, inuenit dæmonium exisse, & filiam proiectam super lectum.

Etsi Dominus & saluator noster, Iesus Christus salutis beneficium Iudæis magno studio proposuerit, insuperabilis tamē fuit illorum contumacia, qua aduersus eum aßiduè luctati sunt, adeò vt nec doctrina & admonitionibus ipsius, nec miraculis lucrifieri potuerint. At huius mali præcipua causa fuit, quòd humanarū traditionū laqueis irretiti, propriā iustitiam coram Deo statuerūt: cuius

[margin: Argumentum & usus præsentis loci.]

fiducia decepti, nec Christi iustitia sibi opus esse putarunt, nec Euangelij lucem ferre potuerunt, quæ omnes homines peccatores esse docet, & omne nostrorum operum meritum euertit. Ideò Christus huc usq; aduersus traditiones & externas purificationes diligenter disputauit, & cordis puritatem sectari docuit, quæ nobis ex ipso per solam fidem gratis obtingit, sicuti scripturæ alibi copiosius docent. Cæterum incredulis & incurabilibus hypocritis, scribis nimirum & pharisæis, Euangelista memorabile veræ & constantis fidei exemplum in muliere ethnica opponit, vt illorum quidem mores & contumaciam abominari, huius verò fidem imitari, & per omne genus tentationum constanter eluctari discamus.

Christus à Iudæis ad gentes digreditur.

Priusquam verò illius narrationem exordiatur, Christum à Iudæis in confinia Tyri & Sidonis digressum esse scribit, quasi ad gentes migraturus esset. Et quamuis aduentum suum nollet omnibus innotescere, eò quòd nondum adesset tempus illud, quo Iudæis omnino reiectis gentes vocari debebāt, latere tamen non potuit, quin mulier gentilis illius opem imploraret, & veræ fidei exemplum fieret. Fuit hoc præludium quoddam repudij Iudæorum, quo illos admonere voluit Christus, quid de ipsis futurum esset, si increduli & contumaces esse pergerent: nimirum quòd illis relictis, ad gentes concedere vellet, & regnum Dei in illas transferre, quod illæ magno studio & ardore amplexuræ essent. Quod licet per Mosem olim & prophetas sæpe denunciauisset, & ipse postea non semel disertis verbis interminatus sit, non tamen crediderunt, donec Deus sublato ab illis gratiæ suæ patrocinio, ipsos Romanis tradidit, qui vrbe & patria exutos per totum orbem dißiparunt, adeò vt per omnium populorum & nationum terras miseri vagentur, & quorumuis hominum ludibria sustineant. Voluit autem illorum exemplo Deus docere, quid tandem omnes eos maneat, qui veritatis Euangelicæ doctrinæ sese hostiliter opponunt, vt hominum traditiones, & cultus superstitiosos tueantur. Qui enim (vt Paulus ait) naturalibus ramis non pepercit cum infrugiferi essent, illis multò minus parcere poterit, qui in radicem ecclesiæ aliunde translati & insiti, priorum contumaciam imitantur. Relinquet Christus tales, nec tamen ipsi deerunt alibi locorum, qui ipsum recipiant, & inter quos regnum suum instauret. At cumprimùm Christus recesserit & Euangelij doctrinam sustulerit, mox infinitæ calamitates subsequuntur, quibus verbi sui contemptum Deus vlcisci consueuit. Exempla sunt passim obuia, in quorum consyderatione vtinā attentius versarentur, qui sibijpsis, sublata disciplina Euangelica, peccandi impunitatem & omnia tuta promittunt, & proinde minis eiusmodi nihil aut parum commouentur.

Deute.32. Isaiæ 65. Hos.1.2.&c. Matth.21.

Mulieris descriptio.

Sequitur mulieris historia, quam Marcus primò Græcam, id est, gentilem fuisse dicit (solebant enim illo tempore gentes Græci dici, sicuti ex Pauli Epistolis colligere licet:) nimirum quòd Iudæis sua veteri lingua vtentibus, Græca inter gentes ferè communis & apud omnes vulgatissima esset, deinde Syrophœnissam vocat, nimirum quòd ex ea Phœniciæ parte oriūda esset, quæ Syriā proximè attingit. Matthæus Cananeam fuisse scribit, quam gentem olim Deus totam excindere iusserat. Venit illa ad Christum, vt filiæ suæ consulat, quæ à malo dæmone miserè diuexabatur. Faciunt hæc omnia ad fidei commendationem, quæ in muliere ista tanta fuit, vt omnia facilè superarit, quæ ipsam impedire videbantur, quò minus à Christo aliquid impetrare posset. Quare non oscitanter inspicere oportet quid fecerit, vt illius exemplo discamus, quid nos facere conueniat.

Matth.15.

Mulier Christū ex auditu didicit.

Primùm de Christo audiuisse dicitur, cuius miracula & propensum quosuis iuuandi studium fama (vt fieri solet) longè lateq; vulgabat. Hac igitur excitata adest, vt ipsius opem imploret. Ita verò vnde illi cognitio Christi & fides obtigerit, indicatur. Est hæc Dei donum, nec quicquam hîc possunt hominis vires, nisi interna spiritus suggestio & operatio accedat, vt iam sæpe monuimus. Attamen verbi prædicatione vtitur Deus, qua nos erudiri vult & institui, & cui nos aures præbere oportet, siquidem animos nostros fide illuminari volumus. Notum est enim illud Pauli: Quomodo credent ei, de quo non audierunt? Quomodo audient absq; prædicante? Ergo fides ex auditu est, auditus autem ex verbo Dei, Item: Dei ministri sumus per quos credidistis, vt cuiq; Dominus dedit. Sunt hæc probè obseruanda, Primùm aduersus eos, qui etsi scripturas negare non ausint, verbum tamen aliquod Dei non scriptum fingunt, quod ex spiritus reuelatione discatur: & ita seipsos simul & eos, qui ipsorum commentis credunt, diaboli illusionibus exponunt, vt ex spiritus instinctu se facere arbitrantur, quæ praua libido et hostis communis suggestio ipsis suggerit. Deinde obseruationis istius

Ephes.2. Rom.10. 1.Cor.3.

hic

hic quoq; vsus est, ne verbi doctrinam contemnamus, cuius studium scriptura passim cõmendat: néue nobis inani fidei gloriatione imponant, qui verbũ improbè contemnunt, et vel suis ipsorum opinionibus vel aliorum placitis circumducuntur. Si enim fides ex verbi Dei auditione obtingit, & qui per fidem Dei filij facti sunt, verbum ipsius audiunt (vt alibi Christus monet) fieri nequit, vt fide vera illuminati sint, qui verbum audire dedignantur, & ab incertis opinionibus dependent. Ioan. 8.

Deinde, quibus indicijs hæc fidem suam declararit, indicatur, quæ sanè multa & præclara fuerũt. Inter illa primas tenet charitas, quam fidei indiuulsam comitem, adeoq; cooperatricem esse, Paulus docet. Elucet hæc in illo, quòd filiæ suæ miserabili conditione perinde vt proprijs cruciatibus afficitur. Nam apud Matthæum clamat: Miserere mei Domine, &c. Se ergo non minus, quàm filiam, miseram esse arbitratur, & ita illi condolet, vt se quoq; in illa excruciari sentiat. Deinde proprium & germanum fidei opus est, quòd non ad falsos gentium Deos (quales apud Phœnices & Syros colebantur Hercules, Astarte, Dea Syria & plures alij) nec ad veneficorũ & Magorum siue Exorcistarum illicitas artes, sed ad vnum Christum cõfugit. Ita enim reipsa testatur, omnem salutis spem sibi in hoc vno repositam esse. Accedit his tertio loco humilitas, quam verbis simul & gestibus testatur. Nam ad Christi pedes procidit, et illius misericordiam implorat, nec aliquid allegat, quo se opem meruisse glorietur. Adhæc ne quis illam filiæ periculo potius, quàm aliqua Christi cognitione, impulsam putaret, Christum disertè & Dominum vocat & Dauidis filium, quibus verbis illum promissum humani generis saluatorem esse fatetur. Constat enim Dauidi promissiones factas esse, & prophetas Messiam ex illius stirpe proditurum passim docuisse. Quàm verò absurdum videri potuit suæ gentis hominibus quòd illum saluatorem agnoscit, quem ne Iudæi quidem, ex quibus ille natus erat, agnoscebant? At non mundi iudicium respicit, sed fidei motum atq; dictata sequitur. Postremò, non momentanea est ista fiducia, sed incredibili constantia suffulta: cuius plura testimonia ex Matthæi descriptione colligi possunt. Licet enim initiò nihil respondeat Christus, non tamẽ illa spem semel conceptam abijcit. Deinde cùm pro illa intercedẽtibus discipulis ita respondeat, vt se ad ipsam pertinere neget, illa tamen denuo vt sibi succurrat, petit. Tandem cùm & tẽpus adhuc obstare dicat Christus, quò minus ad gentes pertingat salutis gratia, & ipsam inter canes connumeret, qui gratia Dei & salutis beneficio indigni sint: adeò tamen non deficit animo, vt inde potius aduersus Christum piè disputandi occasionem arripiat. Esto (inquit) Domine, canis sim, quem me esse fateor libens. Tua tamen sum. Cur ergo mihi minus quàm canibus sub dominorum suorum mensis reptantibus liceat? Excipiunt illi micas & reliqua, quæ vel labũtur de mensa, vel à dominis, vt parum idonea esui, proijciuntur. Liceat ergo per te eodem beneficio frui, nec dubito tantas esse tuæ bonitatis & gratiæ diuitias, vt vel solæ micæ illius mihi & filiæ meæ ad salutem sufficiant. O incredibilem & ingeniosam fidei constantiam. Tonitrua & fulmina dira videri poterant Christi voces, quibus illam reijcere videbatur: sed adeò non terretur hæc, vt potius maiores ex his fidei vires concipiat, & disputãdo vincat eum, qui non alia de causa interdum se nobis minus propitium ostendit, quàm vt fidem nostram probet & ardentiorem faciat.

Quibus indicijs mulier hæc fidem suam testetur.
Galat. 5.
2. Sam. 7.
Psal. 89. &c.
Isaiæ 11. &c.

Sunt autem hæc nobis sic considerãda, vt eadem à nobis etiam requiri cogitemus, ne inani modò fidei professione turgidi ea omittamus, sine quibus illa consistere nequit. Testemur ergo fidem charitatis operibus, inter quæ non postremum est, vt mutuæ, quæ nobis in Christo est, coniunctionis memores, aliorum periculis & miserijs tangamur, & doleamus cum dolentibus perinde ac si in illorum corpore versaremur. In periculis autem, siue nostris siue alienis, ad Christum solum confugiamus, qui nobis à Deo patre assertor & saluator datus est. Inuocationi tum publicæ tum priuatæ Confessio iungatur, nec pudeat nos Christi coram mundo adultero & degenere. Talem verò confiteamur, qualem scripturæ proponunt, quæ hunc vnicum & solum humani generis redemptorem esse docent. Veniamus autem ad illum, non nostrarũ virium siue meritorum fiducia elati, sed propriæ indignitatis agnitione humiliati, quales Dei cultores semper fuisse constat. Abraham certè se puluerem & terram esse fatetur, quando illi cum Deo sermo est. Petrus Apostolus præsentis Christi potentia cõsternatus clamat: Exi à me Domine, quia homo peccator sum. Et Centurio dicebat: Domine, non sum dignus, vt tectum meum subeas. Peccatrix item illa Euangelica ad Christi pedes considens, illos lachrymis ex corde humiliato & peccatorum agnitione contrito manantibus abluebat: cui non absimilis publica-

Fidei ueræ indicia & exercitia.
1. Charitas.
Rom. 12.
Hebr. 13.
2. Inuocatio.
3. Confessio.
4. Humilitas.
Gen. 18.
Luc. 5.
Matth. 8.
Lucæ 7.18.

nus fuit, qui oculos ad cælum attollere veritus, dicebat: Domine, propitius esto mihi peccatori. Atqui hæc est illa humilitas, quam Deus gratia sua dignatur, quem superbis resistere, Apostolus ait. Cauendum tamen, ne nostræ indignitatis agnitione absorpti, desperemus, sed interea inuicta fidei constantia tentationes omnes superemus, quæ multæ & graues interdũ incidere solent. Etenim non rarò Deus se nos uidere uel audire dissimulat, dum diutius nos clamare patitur, nec ulla gratiæ suæ indicia præbet. Sed hic ad Dei uerbum recurrere oportet, quo docemur, Deum nihil latere posse, & ita nos illi cordi esse ut materni amoris affectus illius pro nobis cura longè superet, & capitis quoq; pilos numeratos habeat. At simul etiam terret propria indignitas, cuius cognitio ex lege oritur quæ nos peccatores & filios iræ esse docet. Huic igitur Euangelij promissiones opponere conuenit, quæ nobis iustitiam & satisfactionem in Christo monstrant, qui nos mortis suæ merito patri reconciliauit, et omnibus ad se venientibus pacem & salutem certissimam pollicetur. Nec exempla desunt quibus promissiones istæ confirmantur, quando maximos peccatores apud Deum per Christum gratiam inuenisse legimus. Accedit his longè grauior tentatio, qua dubitamus, an ex electorum numero simus, ad quos salus in Christo parta pertineat. Vbi cumprimis mulier ista imitanda erit. Audit illa, Christum non nisi ad perditas oues Israelis missas esse, seq; à Christo non inter filios, sed canes numerari. Attamen ne sic quidem animum despondet, nec in voces blasphemas & desperabundas erumpit (vt quidam hodie solent) nec curiosam de arcanis Dei consilijs disputationem instituit: sed ad preces conuersa, Christi misericordiam sancta quadam pertinacia implorat, & quod nos facere iubet scriptura, constanter facit. Ad eundem modum nos quoq; omissis Dei arcanis, quæ imperuestigabilia esse Paulus ait, ad promissiones ipsius recurrere conuenit, quas scriptura vniuersales proponit, quæ fidem nostram, etsi imperfecta adhuc & infirma fuerit, non tamen à Deo abijci docent. Iungamus illis preces ardentes, & exemplis tum veteribus tum recentibus, imò quotidianis illis, quæ in rerum natura passim occurrunt, nosmet ipsos confirmemus: nec deerit nobis misericors Dominus, qui tentationibus superiores reddet, & salutem petitam benignè conferet.

1.Pet.5.
5. Constantia in tẽtationibus.
Isaiæ 49.
Matth.10.
Rom.7.
1.Cor.1.
Matth.11.17.
Rom.11.

Docet hoc præsentis historiæ catastrophe, quæ multæ consolationis plena est. Primò enim mulieris fidem commendat Christus, vt Matthæus scribit. Deinde addit, Fiat tibi sicuti vis, exiuit dæmonium ex filia tua. Atqui omnia ista soli fidei tribuit, ne quis salutem hanc vel matris operibus vel discipulorum intercessione impetratam putaret. Nec inanis fuit Christi promissio. Nam domum reuersa filiam in lecto quidem iacentem (nimirum quòd ex spiritus immundi discessu aliquantum debilitata esset) sed dæmonio liberatam inuenit. Vbi admirabilis tum bonitas tum potentia Christi elucet. Nam & mulieris voluntati totum hoc negotium subijcit, & vt olim verbo suo omnia creauit, ita in præsenti solo verbo dæmonium eijcit, licet quoad corpus à puella longius abesset. Quæ exempla vtinam obseruarent qui hodie de corporis Christi vbiquitate disputant, quasi ea ad salutem necessaria sit, nosq; illius virtutem & maiestatem negare dicunt, si illud in cœlis agere doceamus. Atqui eò illustrior est Christi gloria & potentia, quòd nulli præsentiæ corporali alligatus, pro sua bona voluntate operatur vbicunq; voluerit. Nos ergo omissis disputationibus, quibus fidei quoq; articuli in dubium vocantur, eius bonitati simul & virtuti fidamus, qua nos quoq; è diaboli tyrannide asseruit, & cumprimis in hoc simus, vt libertatem nostram sedulò tueamur, quò nobis cum illo cælesti gaudio & vita æterna olim frui liceat. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Fidei effectus adud Deum.

HOMILIA LXII.

Et regressus è finibus Tyri & Sidonis, uenit ad mare Galilææ per medios fines Decapolis. Et offerunt ei surdum, difficulter loquentem, & precantur eum, ut imponat ei manũ. Et cùm accepisset eum de turba priuatim, misit digitos suos in auriculas eius, & cùm spuisset, tetigit linguam eius, ac suspiciens in cœlũ ingemuit, dicitq; ei: Ephphatha, quod est. Adaperitor. Et statim adapertæ sunt eius aures, & solutũ est uinculum linguæ eius, & loquebatur rectè. Et imperauit eis ut nulli dicerent: sed quantumcunq; ipse eis imperasset, multò amplius prædicabant. Et

supra

supra modum percellebantur, dicentes: Bene omnia fecit: facit ut & surdi audiant, & muti loquantur.

Argumentum & usus præsentis loci.

VT Christus Iesus, Dominus noster, laborantes & oneratos amicè inuitat: ita neminem ad se venientem reijcit, sed benignè susceptos omni officio subleuat, & indies miraculosis operibus suam erga humanum genus bonitatem & virtutem diuinam declarat. Nobis verò illorum omnium hic usus esse debet, vt illum promissum Saluatorem esse agnoscamus, & in illum credentes salutem consequamur æternam. Eòdem ergo etiam præsens hoc miraculum referri debet, quod ob multa, quæ illo continentur, mysteria Marcus singulari diligentia describit.

Christus redit ad eos, quos prius reliquerat.

Matth. 15.

Primò locum indicat, dum Christum è finibus Tyri & Sidonis regressum, per medios fines Decapolis ad mare Galilææ venisse, ait. Addit Matthæus, quòd illic in monte quodam consederit. Atqui paulò ante ab ingratis & contumacibus humanarum traditionum atq; superstitionum assertoribus discesserat, quos nunc denuò accedere dignatur. Sed vt discessu suo, quid incurabiles maneat, adumbrare voluit: ita reditu suo nouam salutis spem facit ijs, qui ipsum nunc maiori desyderio exceperant. Et sanè multa huius generis videre licebit, si quid olim in ueteri testamento cum Iudæis egerit Deus, probè inspiciamus: quos sæpe quidem ad tempus deseruit, & hostibus diuexandos tradidit, semper tamen eosdem fauore suo clementer respexit, & ex hostium tyrannide asseruit. Facit idipsum etiam hodie, nec ràrò peccatis nostris ita irascitur, vt omnem gratiam nobis subduxisse videri possit, mox tamen nouas quodammodo occasiones captat, vt ad nos redire queat, & saluos facere.

Isaiæ 28.

1. Timoth. 2.

Atqui hoc illud est, de quo Isaias loquitur, quando Deum alienum opus facere ait, vt tandem opus suum verum perficiat. Opus enim à Dei natura alienißimum dici potest, quando irascitur & perdit, suis flagellis cædit (natura enim nostri amantißimus est, & saluos cupit omnis generis & loci homines) cædit tamen et flagellat eos, qui hoc meruerunt, sed ideò cædit, vt emendatos in gratiam recipiat, & nouo fauore prosequatur, quod opus eius proprium meritò dixeris. Debent ista nos consolari in tribulationibus, ne dubitemus patêre nobis diuinæ gratiæ & bonitatis fores: interim tamen non aspernemur eam gratiam, quam hodie indignis et ingratis offert, ne dum illam multoties repellimus, iram nobis conflemus prorsus implacabilem.

Surdus & difficulter loquens ad Christum adducitur.

Porrò ad Christum reuersum magnam vndiq; populi turbam confluxisse, & ægrotos multos ad illum adduxisse Matthæus scribit, inter quos etiam surdus iste & linguæ impeditioris homo fuit, cuius historiam præ cæteris sibi describendam Marcus sumpsit. Adduxerunt (inquit) ei surdum, & difficulter loquentem, & precantur eum, vt impònat ei manum. Mouit illos hominis miseri calamitas, quem auditus & linguæ defectus rebus gerendis ineptum omnino reddebat, & Christo adducunt, quòd istis vitijs nullam humanam artem mederi posse viderent.

Typus conditionis omnium nostrum.

Nobis autem in misero hoc vniuersalis nostræ corruptionis typus consyderandus venit, quando eadem est, quoad animam, omnium nostrum conditio, quæ miseri huius fuit quoad corporis vitia. Quia enim diabolus saluti nostræ perpetuò insidias struit, totus in hoc esse solet, vt ea nobis eripiat, quibus illa aut parari aut retineri potest. Inter illa præcipuum est Dei verbum, quo edocti & illuminati, in Christi cognitionem adducimur, in illo salutem fide apprehendimus, per eundem patrem Deum inuocamus, eidem gratias agimus, tales denique efficimur, vt pro veris Dei cultoribus & filijs poßimus agnosci. Quid satan?

Diabolus surdos reddit, & linguam impedit.

Primò surdos reddere conatur, ne Dei verbo aures præbeamus. Fit hoc multiuariàm. Alij enim ipsius prauis suggestionibus persuasi, superuacaneum esse putant verbi studium, cùm homo per se abundè sapiat, & naturæ lex nobis ad vitam rectè instituendam sufficere poßit. Alij propter obscuritatem sibi à verbo Dei abstinendum esse arbitrantur, quam tantam esse sibi persuaserunt, vt ex eo nihil certi elici posse dicant. Sunt item, qui carnis affectus secuti, verbum hostiliter odisse & persequi solent, eò quòd illud studijs suis aduersari vident.

Psal. 58.

Qui instar aspidis (vt Dauid ait) aures obturant, ne quid suis cupiditatibus inimicum audire cogantur. Et hi quidem omnes verbum vel omnino nunquam audiunt, vel nulla cum animi attentione audiunt, vel auribus sinistris audiunt, dum ex ijs, quæ benè & rectè dicuntur, calumniandi occasiones captant. Est hæc surditas omnium nocentißima, & manifestum salutis periculum sibi coniunctum habet. Quæ enim de illorum salute spes esse potest, qui verbum & nuntium salutis non admittunt? Nec tamen hoc loco subsistit diaboli rabies, sed vlterius

progressa linguam quoque inuadit, quam suis artibus adeò impeditam reddit, vt nec Christum confiteri, nec Deum inuocare, nec illius beneficia gratiarum actione celebrare, aut ea loqui possit, quæ ad proximi ædificationem faciunt. Eosdem verò ad blasphemias, deierationes, turpiloquia, illusiones & ad omnia, quæ bonis moribus officiunt, expeditissimos & loquacissimos reddit. Talium hominum hodie magnus vbique est numerus, qui cum ad omnia pietatis præcepta & officia surdi & muti & inepti sint, impuris tamen sermonibus assiduè student, illis delectantur, nec vnquam ijs vel audiendis vel dicendis fatigari possunt, quæ ab hominum Christianorum auribus atque oculis alienissima esse debebant.

Vt cum surdis & mutis agi oporteat.

Cæterum quia tales in summo salutis suæ periculo constituti sunt, nō parum proderit videre, quid cum illis agi oporteat, si quo modo liberari & sanari queant. Docet hoc præsens historia illorū exemplo, qui miserum hunc ad Christū adduxerunt, & rogarunt vt ipsi manum imponeret. Primò igitur ad Christum ducantur, qui se apud Matthæum cap. 9. verum & fidelem animarū medicum esse profitetur, & quem à patre nobis datum esse Isaias ait, vt surdorum aures aperiat, mutorum linguas in iubilum soluat, & omnibus vitijs medeatur, quæ saluti nostræ officere possunt. Et hic quidem singulos officij sui meminisse decet. Christo adducant ministri quoscunq; illius ope indigere vident: & quia tales plerunq; reluctari solent, & medici manum difficulter admittunt, inuitis quoq; & reluctantibus instent tempestiuè & intempestiuè, & cunctabundos vrgeant, si fortè ipsorum saluti consulere possint. Eadem cura ad magistratus quoq; pertinet, quibus cum publica salus cumprimis commissa sit, id nequaquam negligere debent, sine quo ne priuata quidem cuiusquam salus consistere potest. Curent ergo vt sublatis hominum traditionibus, silentium ijs imponant, qui rude vulgus à Christo abducere consueuerunt, fides autem Euangelij ministros tueantur, quorum studio veritas & salutis cognitio ad omnes propagetur. Sed & singulorum est, hac in re charitatis officium facere, si quos Christo medico opus habere viderint. Si enim inimici bouem vel asinum errantem aut nimio pondere depressum negligere scelus est, quantò grauior illorum culpa est, qui fratres negligunt, quos ad Dei verbum surdos esse, & in diuinis linguas impeditas, in turpibus verò & noxijs plus satis liberas habere vident? Accedant autem admonitionibus & hortationibus ardentes ad Deum preces, vt talium hominum misertus, suam manum ipsis porrigere, & miseros sua gratia curare dignetur. Sed ô deploratam nostri seculi socordiam, quando alij quidem ista nihil ad se pertinere putant, alij neminem vrgeri aut cogi debere clamant, multi verò eiusmodi homines in delitijs habent, & ex illorum tum inscitia tum impijs illusionibus voluptatem capiunt, plerique etiam in precibus frigidi sunt. Quò fit, vt malum hoc indies latius serpat, & plures quotidie inficiat.

Isaie 35.

2. Timoth. 3.

Exod. 23.

Christus surdo & muto medetur.

Sed Christum videamus, qui ad se venientem amicè suscipit, & ita illi medetur, vt non modò diuinæ suæ virtutis specimen edat, verumetiam rationem tradat, quam eos sequi oportet, qui in ipso salutem assequi cupiunt. Primò à turba seorsum abducit. Vt enim suos è mundo selegit, ita nequaquam mundo addictos esse vult eos, qui ex suorū numero censeri volūt. Frustra enim medicina illis adhibetur, qui ex morbidorum contagio nouos indies morbos sibijpsis asciscunt. Deinde digitos in aures illius immittit, & sputo suo illius linguam contingit. Diuina enim virtute animos nostros aperiri & trahi oportet, vt Dei verbum attentè audiant, nec vnquam salutaria & sancta loquemur, nisi cœlestis sapientiæ saliua animos nostros imbuat & linguas gubernet. At hanc solus Christus habet, qui nobis à Deo sapientia factus est, & in quo omnes sapientiæ et scientiæ thesauros reconditos habemus. Tertiò in cœlum suspicit Christus, vt ostendat, salutem & quæcunque ad hanc faciunt à patre cœlesti peti debere, à quo omne bonum dari, Apostolus quoque testatur. Quartò ingemuisse dicitur, nimirum quòd in vno hoc vniuersalem humani generis corruptionem deploraret. Fidelis enim est Pontifex, qui vt nobis compati potest, ita dolet illi hominum infelix sors, quos natura cæcos, surdos, mutos, & ad capessendum regnum Dei ineptos esse videt. Vnde alibi illachrymasse legitur, cùm horribilem vrbis Hierosolymorum occasum animo suo versaret. Quinto ait, Ephphatha, quod est, Adaperitor. Etsi enim sola diuina virtute saluamur, salutem tamen per verbum nobis Christus offert, quod fide nos excipere conuenit, vt alibi prolixius dictum est. Voluit autem vocem Hebraicam, siue Syriacam potius, Marcus apponere, non vt incantatoribus & Magis occasionem daret, qui voces eiusmodi ex diaboli suggestione diligenter conquirunt, & quasi illis aliqua virtus

Ioan. 15.

Ioan. 6.

1. Corinth. 1.
Colos. 2.
Iacobi 1.

Hebr. 2. 4. 5.
Luce 19.

virtus insit, eas aut demurmurare aut ex collo suspendere solent, vt hominum, vel etiam pecorum, morbis medeantur. Sunt hæc cum superstitione coniuncta, & à gentium sapientibus improbata, sicuti de Theophrasto legitur, qui Periclem eo nomine deprehendit, quòd ægrotantem schedulis eiusmodi aliquid tribuere videret. Longè ergo aliud fuit Marci consilium, nimirum vt sciremus, Christum in miraculis edendis nihil præstigiose fecisse, nec incantatorum & exorcistarum more verbis conceptis & superstitiosis demurmurationibus, adhæc vocibus peregrinis & vix vlli antea auditis, sed vulgò notis vsum esse, & quidem talibus, quæ præsenti negotio pulchre conuenirent. Nec mora, verba ipsius effectus sequitur, non quia ipsis virtus ea inesset, sed quòd ab eo proferrentur, cuius nutui omnia obediunt. Aperiuntur ergo surdi aures, soluuntur linguæ vincula, & iam rectè & expeditè loquitur, qui prius nec aurium nec linguæ vsum integrum habuerat.

Docent hæc, qua via nobis insistendum sit, si Dei verbum cum fructu audire, & salute vera frui volumus. Relinquamus mundi infelicis consortium, qui totus in malo constitutus est, & tum exemplo suo, cum improbis sermonibus à Deo retrahit, & bonos etiam mores corrumpit. Inde ad Christum concedamus, in quo dedit pater, quæcunq; saluti nostræ inseruiunt. Nec modò verbum audiamus, sed simul preces & gemitus iungamus ardentes, nec interim de Christi fide & Dei bonitate dubitemus. Liberati verò, rectè & dextrè loquamur & faciamus omnia. Fidem in Christum ingenuè profiteamur, precibus & gratiarum actioni aßiduè vacemus, temperemus autem nobis à spurco sermone, & verba nostra diuino atq; cœlesti sale condiamus, vt & gloria Dei, & audientiũ ædificationi seruiant. Qui secus agunt, nisi haudquaquam adhuc liberatos esse declarant, aut spreto Christi beneficio seipsos diabolo rursum vinciendos tradiderunt. Officia eorum, qui salute in Christo frui uolunt. 1. Ioan. 5. Ephes. 4. Colos. 3. Psalm. 34.

Sequitur historiæ catastrophe, quæ duo habet. Præcipit Christus ne cui hoc dicerent. Ita verò modestiam docet, ne auram popularem ambitiosius affectemus. At populus (quæ altera huius epilogi pars est) vndique tam hoc quàm reliqua illius miracula diuulgat, illumq; omnia benè & rectè facere testatur: nihil nimirum pharisæos veritus, quos Christo & discipulis ipsius indesinenter insidiari nouerant. Est hoc memorabile confeßionis fidei & gratitudinis exemplum, quæ duo paßim à nobis scriptura requirit. Præstemus ergo illa hodie, & cùm certò nobis constet, Christum Iesum, qui nobis à Deo patre doctor & saluator datus est, vtroq; officio rectè functum esse, nequaquam nos illius pudere decet. Quin potius amplectamur illum vera fide, fidem verò tum ore tum vita profiteamur. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen. Gratitudinis et Confeßionis fidei exemplũ.

CAPVT VIII.

HOMILIA LXIII.

IN diebus illis, cùm turba omnino multa esset, nec haberent quo uescerentur, aduocatis ad se Iesus discipulis suis, dicit eis: Misericordia commoueor erga turbam: quia iam triduum manent apud me, nec habent quo uescantur: & si dimisero eos ieiunos domum suam, deficient in uia: quidam enim eorum è longinquo uenerunt. Et responderunt ei discipuli eius: Vnde istos quis poterit hic satiare panibus in deserto? Et interrogauit eos: Quot panes habetis? Ipsi uerò dixerunt, Septem. Et præcepit turbæ, ut discumberet humi: & acceptis septem illis panibus cùm gratias egisset, fregit, deditq; discipulis suis ut apponerent, & apposuerunt turbæ. Habebant item pisciculos paucos: & cùm benedixisset, dixit ut hos quoq; apponerent. Comederunt autem, & saturati sunt, & sustulerunt, quæ superfuerant, fragmentorũ septem sportas. Erant autem qui comederant, quasi quater mille: dimisitq; eos.

Argumentum & usus praesentis loci.



ETSI Deus in filio suo, Iesu Christo, omnes suae gratiae & aeternae salutis thesauros proponat, quorum causa meritò negligi debent, quaecunq; in hoc mundo eximia, vel etiam necessaria esse videntur: ea tamen est nostrae carnis corruptio, vt praesentis seculi bonis intenta, Christū facilè negligat, imò hoc potissimùm nomine negligat, quòd ventri metuit, ne victus inopiam patiatur. Ideò Christus ad se venientibus non modò doctrinam regni Dei proponit, verumetiam beneficia corporalia confert, quibus suam erga nos bonitatem & diuinam virtutem testatur. Quò cumprimis referri debet praesens miraculum, cuius simile etiam Cap. sexto vidimus: vt nimirum discamus, Christi & verae pietatis sectatoribus nihil eorum defuturum, quae ad praesentis vitae sustentationem faciunt, & proinde neminem propter temporaria haec à Christo deficere, aut verbi ipsius studium intermittere debere. Quod cùm ad salutem nostram plurimùm faciat, proderit singulas miraculi partes diligentius considerare.

Populi studium miraculo occasionē praebuit.

Vbi primò omnium populus occurrit, qui miraculo occasionem praebuit. Fuit is multus admodum, nimirum fama aduentus Christi excitatus. Nam quidam è longinquo venisse dicuntur. Manserunt autem apud illum toto triduo, vt & doctrinam ipsius audirent, & miraculis eiusdem iuuarentur. Est hoc ardentis studij & magnae constantiae indicium, cui maius quiddā accedit, quòd interea temporis commeatu caruerunt, quem aut planè nullum, aut per quàm exiguum domo secum attulerant. Solent enim pij tum pietatis studio, tum simplicitate ingenita abrepti, ferè minus circumspecti esse in ijs, quae ad victum & res huius seculi faciunt, cùm filij huius seculi in ijsdem prudentissimi & astutissimi esse soleant. Sed benè habet, quando errorem hunc (siquidem ita dici meretur) Christus sua cura & diuina prouidentia fideliter sarcit, vt paulò post audiemus.

Luce 16.

Quales esse cōueniat Christi sectatores.

Matth. 10. 16.

Obseruabis autem in praesenti, quales eos esse conueniat, qui Christi sectatores videri, & salutem in illo consequi volunt. Requiruntur ab illis duo potissimùm. Primum, ne ipsis graue videatur propter Christum & verbum ipsius terrena & temporaria relinquere. Si enim homo semetipsum abnegare, & parentes vnà cum vxore & liberis relinquere debet, vt Christo potiri possit, certè inexcusabiles erunt, qui vel quaestui, vel voluptatibus ita addicti sunt, vt conciones sacras potius negligant, quàm vt hisce suis studijs aliquid decedere patiantur. Alterum est, vt cum benè coeperunt, in finem vsque perseuerent, ne vllis difficultatibus sese absterreri patiantur, quae multae & variae occurrunt. Nam aut res domestica negligi videtur, aut multorum odia metuenda sunt, aut minus indulgendū est carni, quae ocium & voluptates quaerit, aut etiam de fortunis & vita periclitandum, si doctrinā Christi eiusq; confessionem tueri velimus, quam pleriq; odisse & persequi solent. Atqui omnia ista horum animis obuersari potuerunt, de quibus hîc agitur. Vicit tamen Christi amor & salutis studium, quo incensi omnia facilè neglexerunt, vt Christo potirentur. Illos ergo imitari nos conuenit, nec à tergo respicere, vbi manum aratro admouimus, ne idem nobis accidat, quod de Lothi vxore narratur, quae in salis statuam conuersa & perpetuum vindictae diuinae exemplum facta est, quòd Sodomas iam egressa, rerū relictarū studio & desyderio respicere ausa fuit. At hoc hodie plerique faciunt, imò matutinos somnos, pocula, aleam, choreas, spectacula & faedissima illicitarum voluptatum exercitia Dei verbo praeferunt. &c.

Lucae 9. 17.
Gen. 19.

Christus suorū cura tangitur, & ijsdem prospectum cupit.
Matth. 6.
Lucae 12.
Zach. 2.
Matth. 15.

Porro Christum videamus, quia paternam, quā suos prosequitur, curam atq; prouidentiam multis argumentis testatur. Primò enim à nemine requisitus, cum discipulis de populi fame subleuanda agit. Ita verò Dei patris ingenium refert, qui cùm sciat nobis victu & amictu opus esse, de his liberalissimè prospicit. Atqui vnum hoc plurimum consolationis afferre potest, si nos Christo curae esse, nec illum nostra ignorare cogitemus. Sequitur enim illum dixisse: Misericordia cōmoueor erga turbam, &c. Non ergo otiosus rerum nostrarum spectator est, nec regum instar, suorum penuriam, famem, labores & clamores immisericorditer negligit: sed cùm nos pupilla oculi sui (vt apud prophetam ait) chariores babeat, nostris miserijs, perinde vt proprijs afficitur, maximè si quid nobis in ipsius vocatione versantibus aduersi accidat. Nec inanis siue inefficax est ipsius misericordia, sed cum praesenti auxilio coniuncta. Addit enim apud Matthaeum: Et nolo eos dimittere ieiunos. Causa, ne deficiant in via, cùm multi illorum è longinquo aduenerint. Vbi obseruabis, Christum non modò praesenti necessitati consulere, sed in futurum quoque prospicere, ne quid iam abs se dimissi aduersum & incommodum patiantur. Minimè ergo eorum similis est, qui nemini, nisi in extrema necessitate

iam

iam constituto, subueniendum esse putant: cùm maiorem laudem mereantur, qui ne quid mali proximus patiatur, præuidere & cauere solent. Quæ cura vt ad singulos priuatim pertinet, ita imprimis cordi esse debet magistratibus, qui cùm populi patres & pastores esse debeant, officij ipsorum fuerit, populi luxum coercere, leges sumptuarias vel condere vel conditas tueri, peregrinis delitijs portas occludere, imprimis verò iniquis fœneratoribus pœnas graues constituere, ne vel monopolijs vel vsuris, aut alijs modis quos radix omnium malorum auaritia excogitat, populo egestatis & famis autores sint. magistratuum officium.

Non temere autem ista cum discipulis cõfert Christus. Nec enim hæc dicendo sibi viam modò ad miraculum, quod animo versabat, sternere, & illius veritatem asserere voluit: verumetiam (vt antea monuimus) de suo erga nos studio & fide luculenter testari, simulq; suo exemplo tam discipulos quàm nos omnes cõmonefacere, vt eodem affectu ipsi quoq; erga proximos egentes atq; laborantes tangamur. Charitatem enim ab omnibus exigit, & ex hac suos discipulos agnosci debere, docet. At charitatis est, opis indigo succurrere, & afflicti misereri, licet ille vel pudore, vel ignorantia, vel alijs causis impeditus opem tuam non imploret. Nota enim est illa Ioannis sentetnia: Qui habuerit substantiam mundi, & viderit fratrem suum egentem, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas dei manet in eo? Vt enim affectibus omnibus hoc cõmuni adeoq; proprium est, quòd in opus erumpere conantur, & quod volunt effectum dant, nisi grauioribus causis impediantur: Ita misericordia quoq; cùm ipsum cor tenerrimè afficiat, qui cogitationum atq; actionum omnium fons est, fieri nequit, quin operibus sese conspicuam reddat, nec in verbis inanibus & promissionibus vacuis subsistit, sed vlterius progressa, opem quam potest, fidelissimè præstat. Sunt hæc nobis sic consyderanda, vt Christi exemplum sedulò imitemur, cùm vndiq; occurrant, qui si non apertis clamoribus certè reipsa & aspectu miserabili opem nostram implorant. Quos vtinam æquioribus oculis respicerent, qui non contenti in sua copia aliorum inopiam neglexisse, insuper vel vsuris iniquissimis, vel rapinis, & omni imposturarum genere miseros circumueniunt, & tunc demum se rebus suis probè consuluisse arbitrantur, si ex aliorum incommodis suum commodum quærant. Sunt illi à Christi ingenio alienissimi, & olim suæ illius crudelitatis horribiles pœnas exoluent.

Christi misericordiã quosuis imitari decet.

Ioan. 13. 15.

1. Ioan. 3.

Quid verò ad Christi sermonem discipuli respondent? Vnde quis (aiunt) istos poterit saturare panibus in deserto? Impossibile illis uidetur, quòd se ieiunos nolle dimittere dixerat. Sciebant enim se nõ plures septem panibus habere, hominum verò videbant adesse aliquot millia, nec in deserto plures panes reperiri posse, qui omnibus exsaturandis sufficiant. Atqui non multò ante Christus quinque panibus hominum quinque millia cibauerat, & tamen quod nunc tentat, factu impossibile esse arbitrantur. Sed ea est nostræ carnis corruptio, vt licet in ijs, quæ ad præsens seculum faciunt, astutissima sit, in diuinis tamen semper hallucinari & hæsitare soleat. Quia enim suum sensum sequitur, & de omnibus iuxta naturæ cursum aut præsentem rerum faciem iudicat, Dei promissis fidem habere nequit, vt primum illa cum his non per omnia conuenire videt. Et tanta est huius mali vis, vt in electis quoq; frequenter sese exerat. Nam quod discipulis in præsenti accidit, hoc ipsum Mosi etiam accidisse videmus, quando murmurantibus Israelitis ad Deum dicebat: Vnde mihi caro, vt dem vniuerso populo huic? Atqui hæc tunc dicebat, cùm admirabilem Dei potentiam iam multo tempore expertus esset, & non minori cum miraculo panem quotidie ex nubibus dari videret. Experimur huius generis multa in nobis ipsis quotidie, id quod nos excitare debet, vt Dei verbo indesinenter studeamus, quando vix vllum studiũ sufficere potest: Etsi enim multa audiamus, multa videamus, multa item legamus quotidie, tamen cùm tentationes incidunt, difficulter admodum eorum recordari possumus, quæ tunc cum primis scire oportebat.

Discipulorum Christi tarditas & stupor.

Num. 11.

Porro his omissis, ad ipsius miraculi consyderationem transeamus, in qua breuiores erimus, cùm illi, quod sexto Cap. vidimus per omnia conueniat: nisi quòd in panum & conuiuarum atq; fragmentorum, quæ superfuerunt, numero aliqua æst differentia: quam ideò annotari voluit spiritus sanctus, vt intelligamus, Dei virtutem nulli numero alligatam esse, sed pro suo arbitrio omnia agere, & tam in paucis quàm in multis seruare posse, sicuti olim Ionathan dicebat. Nobis autem principalis miraculi scopus obseruandus est, quo admonemur, nihil defore ijs, qui sancto regni Dei studio inflammati Christum sectantur, & illum fideliter colunt. Generale enim & perpetuum esse, quod hîc ad-

Christus suos miraculosè cibat.

1. Sam. 14.

Christi sectatoribus non desunt uitæ necessaria.

Leuit.26. Deut.28. 1.Ioan.3. Hos.2.&c. Psal.34. Psal.37.

umbratur, ex promissionibus patet, quas in scripturis multas & varias habemus. In lege certè rerum copia & omnis generis felicitas ijs promittitur, qui Dei præceptis obtemperant, quorũ summam esse dicit Apostolus, vt credamus in Iesum Christum, & diligamus nos mutuò. In prophetis & Psalmis passim obuia sunt, quæ Dei prouidentiam cõmendant qua ille suos cultores prosequitur. Dauid ait: Leunculi, id est, violenti & raptores, penuria & fame laborant, at qui Dominũ inquirunt nullo bono destituuntur. Item: Nouit Dominus innocentiũ tempus, & hæreditas eorũ perpetua erit. Iuuenis fui, & nunc senui, nec vidi iustum derelictum, aut posteros eius mendicantes panem. Omitto, quæ in Euangelio Christus pollicetur, quorum fiducia fretus Paulus, maximum quæstum esse dicit pietatem, vt quæ tam præsentis quàm futuri seculi promissiones habeat. Nec exempla desunt, quibus promissionum istarum fides asseritur. Huc enim patriarchæ pertinent, qui Dei vocationem secuti, magnis etiam diuitijs aucti sunt. Eòdem referri debent Israelitæ, quos totis annis quadraginta cœlitus in deserto Deus aluit. Vidua item Sareptana, quæ ob Eliam hospitio exceptum, famis tempore mirabiliter seruata est. Quid? annon Apostoli, etsi relictis rebus omnibus Christum secuti sint, in vltima Cœna sibi nihil vnquàm defuisse fatentur? Et eandem Dei prouidentiam hodie multuariam experimur, sed quæ nostra est stupiditas, minus obseruamus.

1.Timoth.4. Deut.8. 1.Reg.17. Luc.22.

Cur pij interdũ egeant & esuriant.

At obijcis: Cur ergo interdum egent et esuriunt, qui Christi fidem profitentur? Cur modò fori angustia & annonæ caritate premimur? Respondeo, huius seculi promissiones plerunq; crucem coniunctam habere, tum quòd hac carnem in officio cõtineri oportet, tum quòd ita merentur peccata nostra, quæ interdum in electis quoq; maxima reperiuntur. Non ergo abbreuiatam esse putemus manum Domini, nec illius iudicia accusemus, sed in nosmetipsos descendentes videamus quales simus, & quibus pœnis castigari mereamur: & mox patebit, nullam à Deo nobis iniuriam fieri. Dum enim frugũ abundantiam Deus concessit, alij luxu & intemperantia peccarunt, alij Deo parum grati fuerunt, alij immites pauperum nullam habuerunt curam, alij auaritia excæcati abundantiam illam molestè tulerunt, vt qui ex annonæ caritate maius lucrum sperabant. Quid ergo mirum, si lasciuientibus pabulum subducit Deus? Imò, nisi emendemur, nos grauiora passuros esse cogitemus. Emendemus ergo vitia ista, modus statuatur luxui, frænetur libido & vanitatis studium, magis grati simus Deo, beneficentiam exerceamus erga egenos & inopes, nec famis tempore corrogandis, sed potius erogandis & dispensandis opibus studeamus, deniq; omissis rerum vanissimarum studijs, regnum Dei ante omnia quæramus, nec deerit promissis suis Deus, sed omni periculo exemptos tandem in regnum suum cœleste transferet per Christum Iesum, cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Isaiæ 59.

Oblivio dej in afflictis ... lib: 8 ... i pag 183 ...

... 13.

Mat: 6

HOMILIA LXIIII.

Et statim ingressus nauim cum discipulis suis, uenit in partes Dalmanutha. Et uenerunt pharisæi, cœperuntq; disceptare cum eo, quærentes ab eo signum è cœlo, tentãtes eum. Et cùm altè ingemuisset spiritu suo, dicit: Cur generatio hæc signum quærit? Amen dico uobis, si dabitur generationi huic signum.

Argumentum & usus loci præsentis.

EVangelistæ non modò doctrinam & miracula Iesu Christi describunt, verumetiam concertationes & pugnas, quæ illi cum hostibus suis grauissimæ simul & frequentes intercesserunt. In quarum consideratione ita nobis versandum est, vt discamus, veritatis doctrinæ nunquàm defore hostes, qui se illi acriter opponant, eandem verò concertationibus eiusmodi adeò non obscurari vel extingui, vt potius clarior & illustrior fiat. Imitemur ergo Christi exemplum, & ad certamina eiusmodi præparemur, nec animum despondeamus, licet & noui quotidie hostes insurgant, & nouis indies artibus vtantur. Et huc quidem præsens quoq; certamen referri debet, quod breuiter quidem, sed ordine commodissimo Marcus describit.

Pharisæi & Sadducæi aduersus Christum conspirant.

Primò aduersarios producit, qui Christum mox vt traiecto lacu in Dalmanuthæ fines venit, hostiliter exceperunt. Pharisæos enim nominat, & solos quidem hos, nimirum quòd illi totius negotij authores, & quasi duces fuerunt: Matthæus autem illis Sadducæos coniungit, vt ostendat duas hasce sectas in præsenti aduersus Christum conspirauisse, quas inter se alioqui diuersissimas & maximè

ximè contrarias fuisse constat. Sadducæi enim & mortuorum resurrectionem negabant, & nullos omnino spiritus vel bonos vel malos esse contendebant, cùm in hisce omnibus pharisæi rectè sentirent, in eo autem errarent, quòd legem nostris viribus impleri posse docerent, & proinde salutem nostrorum operum meritis tribuerent. At licet in præcipuis articulis dissentiant, aduersus Christum tamē consentire possunt, & coniunctis copijs illum oppugnant.

Matth. 16.
Actorum 23.

Sunt hæc nobis in eum finē obseruanda, vt discamus, qui nam semper veritatis hostes futuri sint. Primatum inter hos facilè tenent Iustitiarij, qui & suorum operū merita iactitant, & sub religionis prætextu quæstum suum & gloriam priuatam quærunt. At quia ijdem se non multū effecturos esse vident, nisi ab ijs adiuuentur, quorum aliqua est in mundo potentia & authoritas, toti in hoc sunt, vt illos in suas partes pertrahant, nec illos offendit, quòd tales plerūq; ab omni religione alienißimi, & nec cœlum nec inferos credere, vitamq; prorsus Epicuræam viuere solent. Facilè enim hoc omne illis condonant, modò illis adsint in Christi doctrina opprimenda, quæ sola ipsis intolerabilis esse videtur. Et vicißim carnales isti iustitiaros hypocritas ferre possunt, cùm ab ipsis minimè impediatur, quò minus pro suo more viuant. Hinc est, quòd hodie in corruptißimis regum aulis sanctuli illi, monachi & sacrifici, versentur, qui tamen mundo mortui videri volunt, imò in castris visuntur, & inter cruentas impijßimorum militum acies volitant. Similiter in episcoporum aulis & beatißimi Papæ curia locum habent, qui sacra omnia negare & turpißima quæque flagitia designare audent. Interim verò vtrumq; hoc hominum genus eos hostiliter persequitur, qui unum Christum profitentur, Deum in spiritu & veritate colunt, & vitæ innocentiam sectantur. Est hæc deploranda sanè mundi calamitas: non tamen nos illa offendi decet, quando hæc ipsi Christo accidisse videmus, caueamus autem, quoad eius fieri potest, vtrosq;, nec de illorum vel amicitia vel emendatione nobis multum polliceamur, quando illos immutari impoßibile est, nisi potenti Dei manu coerceantur.

Qui semper ueritatis hostes sint.

Secundò, quid isti fecerint, narratur. Cœperunt (inquit) cum illo disceptare siue disputare, petentes signum è cœlo. Quo autem animo hoc fecerint docet, quādo illos Christum tentauisse dicit, id est, subdolè occasionem captasse, qua ipsius miracula suspecta facerent, propter quæ illum à populo magni fieri videbant. Et cùm illa negare non possent, nouum tamen aliquod signum è cœlo petunt, quo nimirum testetur, se cælitus missum esse, & virtute cælesti atq; diuina hæc omnia facere, nō diabolica, sicuti alibi calumniantur. Est hoc incurabilis malitiæ atq; contumaciæ argumentum. Audiebant quotidie docentem, & in doctrina singularis quædam vis elucebat, quam indoctum quoq; vulgus obseruare poterat. Nec quicquam docebat, quod Mosis & prophetarum scriptis non posset probari, quorum discipuli haberi volebant. Accedebant doctrinæ miracula, quæ nō diabolica, sed diuina esse, vel hinc constabat, quòd non inania & ridicula essent (qualia ferè præstigiatorum esse solent) nec noxia (qualibus satan delectatur) nec dubia & incerta (qualia sunt, quibus impostores rudi vulgo fucum faciunt) sed seria erant, salutaria erant, vera & aperta erant, adeò vt ab omnibus videri, sentiri & palpari possent. His tamen contemptis signum è cœlo petunt, incertum, ambiguum & inutile, nec alio animo petunt, quàm vt calumniandi occasionem habeant. Similes horum sunt hodie, qui cùm scripturis sacris se credere profiteantur, & insuper fidei articulos habeant, orationem item dominicam cum decalogo, nec aliud per Euangelium prædicari sciant, quàm quòd hisce fidei principijs probè conuenit: adhuc tamen contradicunt, & signa petunt, quibus prædicationem nostram confirmemus. At ijdem nec signa obseruant quibus Deus Euangelio suo fidem facit, quæ sanè magna & stupenda quotidie eduntur. Quis enim non videt vt præter omnem spem Euangelij cursus propagetur? vt animis totis illuminentur, & relictis mundi studijs Christo viuant, qui antea errorum tenebris excæcati peccato & iniustitiæ seruiebant? vt item Deus hostium conatus mirificè eludat, & interdum horrenda in illos exempla edat, qui iam ecclesiam ipsius oppressuri videbantur? Attamen cùm ista videant, simulq; impleri videant quotidie, quæ de nouißimo tempore Christus & Apostoli prædixerunt, & intra conscientias suas abunde conuicti sint, nihilominus signa petunt, & vndequaq; occasiones captant, quibus Euangelij doctrinam in dubium vocent, & omnium ludibrio exponant. Sunt hi Iudæorum planè similes, & magno suo malo olim sentient, quantū scelus sit Deo & verbo suo tam impudenter illudere, nec rarò in ipsis signa edit Deus, quibus de verbi sui veritate & scelerum vindicta publicè testatur.

Pharisæi signū petendo Christum tentant.
Matth. 12.
Matth. 5.
Ioan. 5. 9.
1. Corinth. 1.

Christus hominum impietate dolet.

Sed Christum videamus, quem grauiter admodum cum istis egisse Marcus scribit. Primùm altum ingemiscit in spiritu, quod doloris magni indicium est. Indoluit enim ob illorum cæcitatem incurabilem, quod ipsum alibi quoq; non semel fecisse legimus. Est hoc euidens misericordiæ & bonitatis Dei argumentum, quod consolationi nostræ quàm plurimùm seruire potest. Si enim hostium interitu dolet Christus, quantò magis illum in se credentiũ cura tangi putabimus? Interim nostrum fuerit, ipsius exemplum imitari, & non minus fratrum salutem cordi habere, vt ex hac quidem gaudium, ex eorundem verò interitu dolorem & tristitiam concipiamus. Exigit hoc Dei gloria, quam cum nostra salute coniunctam esse, scriptura passim testatur. Idem requirit fidei & charitatis lex, qua nos eiusdem corporis membra esse docemur, sub capite Christo, quem vnicum & communem omnium nostrum redemptorem profitemur. Vehementer ergo peccant qui vel aliorum interitu gaudent, vel etiam alijs malorum authores sunt, vt qui vel falsa doctrina simplices circumueniunt, vt ex illis quæstum faciant, vel miseros vsuris grauant, vel ebrietatis studio aliorum tum fortunis tum corporibus officiunt: quæ omnia ita vulgò hodie fiunt, vt vel hinc colligi possit charitatem omnem refrixisse.

Christus aduersariorũ improbitatem arguit.

Deinde aduersariorum malitiam Christus arguit, dicens: Cur generatio hæc signum quærit? Generationis vocabulo vniuersalem et auitam siue ingenitam corruptionem & impietatem exprobrat, & indignos esse docet, qui plura signa videant, idq; apud Matthæum proprio ipsorum exemplo probat. Cùm cœperit esse vespera (inquit) dicitis, Serenitas erit, nam rubet cœlum. Et manè, Hodie tempestas, rubet enim cœlum triste. Hypocritæ, faciem cœli scitis dijudicare, signa verò temporum non potestis? Signa temporum vocat, quæ illo tempore fiebant, & quæ Messiæ temporibus euentura esse, prophetæ olim prædixerant: nimirum quòd sublato sceptro à Iuda Saluator venturus esset, quòd miraculosis morborum curationibus diuinam suam virtutem esset declaraturus, et quæ alia sunt eius generis. Vult ergo dicere: Cùm tempestatum signa adeò diligenter obseruetis, annon eadem opera obseruare poteratis quæ ego quotidie facio, & illa cũ scripturis conferre, vt qui nam sim intelligatis? Annon enim veteribus de Messia oraculis omnia mea conueniunt? Annon sceptrum omnemq; potestatem regiam cum veteri libertate amisistis? Annon illa iam sunt tempora, quibus humani generis redemptionem fieri oportere, Daniel prædixit? Annon cæcorum oculos aperiri, surdorum aures reserari, & claudis suas vires restitui quotidie cernitis? Quid ergo signis è cœlo opus est, cùm in terris plura habeatis, quàm quibus consyderandis possitis sufficere? Sed plura quæritis, non quòd hæc quotidiana ignoretis, quæ vel nolentiũ oculis incurrunt, sed quòd hypocritæ estis impij & degeneres Abrahami filij, nec aliud quàm calumniandi occasionem captatis. Ad eundem modum illorum quoq; impietatem arguere conuenit, qui hodie signa requirunt. Habent enim illi quæ nouissimis temporibus euentura esse, olim prophetæ, deinde Christus & Apostoli prædixerunt. Turbatur orbis terrarum continuis bellis & bellorum rumoribus, fame & peste passim vrbes & populi affliguntur, visuntur in cœlis & terra adeoq; omnibus mundi partibus signa & prodigia omnis generis. In templo Dei sedet magnus ille Christi aduersarius, & immani tyrannide ecclesiam opprimit. Audiuntur passim dæmoniorum doctrinæ, quæ nuptias & ciborum quorundam vsum prohibent. Et dum hæc omnia fiunt, pleriq; tamen hominum oscitantes & securi voluptatibus indulgent, vt à temporibus Noæ & Lothi nostra hæc nihil differant. Quid ergo signis alijs adhuc opus est, quando hæc ad demonstrandam Euangelicæ doctrinæ veritatem sufficiunt? Vel num in ijs eos errauisse putabimus, quæ ad præsentem salutem hominum faciunt, qui de futuris tam certa tamq; infallibilia tradiderũt? Impij ergo hypocritæ sunt, nec digni qui audiantur, qui hodie Euangelij prædicationem in dubium vocant, eò quòd nullis signis confirmetur, qualia nimirum & ipsi exigunt.

Gene. 49.
Isaiæ 35. &c.
Dan. 9.
Matth. 24.
Marc. 13.
Luc. 17. 21.
2. Thes. 2.
1. Tim. 4.

Christus signũ Ionæ proponit.

Faciunt huc reliqua Christi verba, quibus signum illis negat, quale nimirum ipsi petebant, cùm dicit: Amen dico vobis, si dabitur generationi huic signum. Aposiopesi vtitur, quæ Hebræis inter iurandum familiaris est, & qua spiritus sanctus in iurando modestiæ admonet, ne nosmetipsos temerè deuoueamus. Apud Matthæum verò Ionæ signum illis in mentem reuocat, cuius mysterium illis antea Cap. 12. exposuerat. Quasi dicat: Quoniam salutaribus signis non mouemini, sequetur quidem aliud adhuc, sed quod pœnitere nescijs præsens exitium afferet. Vt enim Ionas, cùm triduo in ceti ventre latuisset, terræ redditus, Nineuitis intra dies quadraginta excidium imminere denuntiauit

Ion. 1. 2. 3.

tiauit: Ita ego, postquam tertio die resuscitatus fuero (quod euidens erit meæ diuinitatis argumentum) uobis quadraginta annorum spacium concedam, quo pœnitentiam agatis, & ad hanc assiduis meorum discipulorum hortationibus excitabo. At quia non desinetis aduersus veritatem pugnare, incurabiles & contumaces horribilis manebit interitus.

Quo loco obseruabis, Ionam Niniuitis signi loco fuisse, quando in mare eiectus, & à ceto deglutitus fuit. Ergo quæ pijs incidunt afflictiones, imminentis iræ Dei signa sunt. Oportet enim vindictam à domo Dei incipere, vt quid impios & incurabiles maneat, ex eo colligamus, quòd suorum peccata Deus adeò seueriter punit. Ita Christus suam mortem signum esse ostendit, ex quo sibi imminentes pœnas Iudæi colligerent, quando ait: Si in humido ligno hæc fiunt, quid fiet in arido? Consyderemus hoc diligenter, quando pios Christi cultores exulare, egere, esurire, occidi & affligi videmus, & quid ipsi mereamur, inde colligamus, id quod ad veram pœnitentiam plurimùm momenti afferet. At ea est multorum impietas, vt non contenti sceleribus, quæ maxima & plurima designarunt, insuper pijs aliquid aduersum patientibus insultant, & ex illorum calamitatibus disputandi occasionem arripiunt, vt suam impietatem excusent, piorum verò fidem & religionem scurriliter damnent. Sed non dormitat Deus, quin grauiter puniat eos, qui ijs etiam abutuntur ad scelera, quibus ad pœnitentiam debebant excitari. Piorum afflictiones signi loco sunt. 1. Pet. 4. Lucæ 23.

Postremò Christus illis relictis discedit, ita docens, indignos esse, quibus cum diutius versetur. At quid homini grauius accidere potest, quàm si à Christo deseratur, in quo vno nobis salus proposita est? Non agnoscit hoc infelix mundus, & proinde eiusmodi minas facilè contemnit: nec dubium est, Pharisæos & Sadducæos sibijpsis mirificè placuisse, quòd Christum à se discedere coegissent. Sed magnò illis constitit ista victoria, vt alibi non semel diximus. Nos ergo illorum exemplo admoniti, in hoc simus, vt Christum retineamus, & in eodem salute fruamur æterna. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen. Christus à contumacibus discedit.

HOMILIA LXV.

Et obliti fuerant sumere panes, & non nisi unum panem habebant secum in naui. Ac præcepit eis, dicens: Videte, cauete à fermento Pharisæorum, & fermento Herodis. Et disceptabant inter sese, dicentes: Panes non habemus. Quod cùm nosset Iesus, dicit eis: Quid disceptatis, quòd panes nõ habetis? Nondum animum aduertitis, nec intelligitis? adhuc occæcatum habetis cor uestrum? Oculos habentes non cernitis? & aures habentes non auditis? & nõ meministis? Cùm quinque panes fregissem in hominum quinque millia, quot cophinos fragmentis plenos sustulistis? Dicunt ei: Duodecim. Cùm autem septem illos in quatuor millia, quot sportas plenas fragmentorum sustulistis? Illi uerò dixerunt: Septem. Tunc dicit eis: Quomodo non intelligitis?

Dominus & saluator noster, Iesus Christus, non modò veram salutis rationem doctrina simul & miraculis comprehensam proponit, verumetiam omnibus ijs diligenter occurrit, quæ nos ab illius studio auocare possunt. Sunt inter hæc duo præcipua, quibus reliqua omnia comprehenduntur. Primum est falsa doctrina, quæ vel hypocritas facit, vel impios sacrorum contemptores. Alterum est rerum huius seculi & victus cura nimia, ad quam voluptatum quoque studium pertinet. Aduersus vtrunque in præsenti suos discipulos instruit, & quidem commodissima occasione. Præcessit enim non multò ante miraculum, in quo septem panibus quatuor hominum millia cibauit, vt ostenderet, sectatoribus suis nihil vnquam defuturum esse. Deinde cum Pharisæis & Sadducæis congressus, suã doctrinam & authoritatem aduersus illos grauiter asseruit. At quia in vtroque oscitantiores fuerunt discipuli, modò de vtriusque vsu illos admonet, vt in rerum omnium inopia ipsi fidere discant, nec vel his doctrinis falsis, siue aduersariorum conatibus offendantur. Quæ duo nobis quoque in horum consyderatione cumprimis obseruanda sunt. Argumentum & usus præsentis loci.

Occasio præsentis tractationis.

Præmittitur autem tractationis totius occasio, quæ talis fuit. Cùm Christus ab ingratis & contumacibus subitò discederet, discipuli in illum potius quàm alia intenti, obliti sunt panes secum deferre, nec quicquam, præter vnum panem, edulij secum habuerunt. Quo exemplo fidelium Christi ingenium exprimitur, qui diuinis & cœlestibus intenti, plerunq; de terrenis minus cogitant. Tale quid nuper quoq; in ijs vidimus, qui absque commeatu Christum secuti cum eodem toto triduo permanserunt. Vbi diligenter notabis, ardorem hunc in discipulis fuisse, quibus multa adhuc deerant, quæ ad plenam Christi cognitionem faciunt, vt postea audiemus. Non ergo temerè damnandi sunt, qui in multis adhuc hallucinantur, vel qui in rebus huius seculi aliqua negligunt. Pudeat potius suæ socordiæ eos, qui cùm plenam & perfectam Christi Iesu cognitionem profiteantur, solis tamen terrenis intenti cœlestia & Christi doctrinam facilè negligunt. Vt verò nuper populi incogitantia miraculi causam præbuit, ita in præsenti Christus hac ipsa occasione discipulos de rebus grauissimis & cognitu maximè necessarijs admonet: nec temerè Paulus dixit, Deum diligentibus omnia cooperari ad bonum. Roman. 8:

Christus prohibet fermentum Pharisæorũ & Herodis. Matth. 16.

Sed ad Christum transeamus, qui inde occasionem arripiens admonendi discipulos de ijs, quæ minus diligenter obseruarant, ait: Videte, cauete à fermento Pharisæorum, & à fermento Herodis. Matthæus his Sadducæos coniungit, quos Marcus sub Herode comprehendit, quem impiæ Sadducæorum sententiæ & doctrinæ, qua resurrectionem negabat, consensisse, illius vita satis declarat. Per fermentum verò doctrinam intelligi debere, idem Matthæus disertè monet. Sensus ergo verborum Christi est, vt & Pharisæorum & Sadducæorum siue Herodis dogmata caueant. Nec temerè ea coniungit, quæ toto cœlo (vt dici solet) dissidebant. Pharisæi enim (vt nuper monuimus) operum suorum iustitiam statuebant, & externam vitæ morumq; sanctimoniam anxiè affectabant. Sadducæi verò nec mortuorum resurrectionem, nec spiritus vllos, adeoq; nec animas à corporibus digressas, esse aut viuere credebant, qui proximus ad omnem impietatem gradus est, Apostolo teste, qui eiusmodi sermonibus mores bonos corrumpi scribit. Admonemur ergo hac Christi sententia, vtrumq; hoc in salutis negotio caueri debere. Primò nimirum, insolentem propriæ iustitiæ fiduciam, omnemq; doctrinam, qua homines salutem in externis potius ceremonijs & nostrorum operum meritis, quàm in Dei gratia per Christum Iesum, quærere docet. Qui enim hac fiducia inflantur, iustitiæ Dei, quam ille nobis in vno Christo confert, consortes esse non possunt, quod Iudæorum exemplo Paulus disertè probat. Et hodie non alios obstinatiores Euangelij Christi hostes esse videmus, quàm quos eadem fiducia dementat. At ne dum calcariam fugimus, in carbonariam incidamus, secundo loco nõ minus impiæ hominum Epicuræorum opiniones vitandæ sunt, quæ omnem religionis sensum excutiunt, & ad effrenem peccandi licentiam carni viam sternunt. Tales sunt, quibus decepti, Deum aut omnino nullum esse, aut illum mortalia non curare, nobis persuademus, quorum impias cogitationes & sensus Dauid in Psalmis non vno loco describit. Quibus adnumerari debent, qui mortuorum resurrectionem in dubium vocant, animarum immortalitatem negant, de fine mundi & nouissimo Christi aduentu adeoq; vniuersa verbi Dei doctrina scurrilibus dicterijs nugantur. Sunt hi omnes illusores isti, quos passim scriptura cauere iubet, & quorum ingentem numerum nouissimis temporibus fore, Petrus olim prædixit. Nec temerè vtrumq; hoc malum fermento Christus confert. Vt enim fermentum totam massam inficit, inflat item & acidam reddit: ita tam Pharisaica quàm Sadducæa doctrina hæc ipsa in nobis præstare solet. Illa enim totam hominis conuersationem inani hypocrisi inficit, animos aduersus Deum simul & homines extollit, vt & Dei gratiam contemnant, & omnibus alijs sese insolenter præferant, imò quosuis improba temeritate condemnent. Hæc verò vitam omnem & mores fœdissimis sceleribus conspurcat, verbi Dei contemptores & feroces aliorum oppressores facit. Vtrisque autem commune est, quòd sectatores suos Deo ingratos reddit, & tales, quos ille, vt cibum per omnia insipidum, nullo modo ferre potest. Non minus ergo ad nos, quàm ad discipulos, Christi præceptum pertinere putemus: nec eos audiamus, qui coram Deo bonam animi intentionem sufficere, aut nobis licere putant, vt impunè cum illo ludamus. Humiliemur potius sub potenti manu Domini, & agnoscamus ingenitam nobis corruptionem, cui solus Christus mederi potest, qui nobis à Deo iustitia, sapientia & satisfactio factus est. Nec dubitemus de Dei iustitia, sed illum remuneratorem esse credamus, qui vnicuiq; in nouissimo die retribuet in corpore suo, prout fecerit, siue bonum siue malum.

1. Corinth. 15.
Quæ in salutis negotio potissimum caueri debeant.
Rom. 9. 10. etc.
Psal. 14. 53. 94. &c.
Psal. 1. &c.
2. Pet. 3.
Fermenti allegoria.
1. Corinth. 5.
Matth. 9.
1. Corinth. 1.
Hebr. 10.
2. Cor. 5.

Hæc

Hæc si diligenter meditemur, aduersus infelix hoc & noxium fermentum satis instructi erimus. Et hæc quidem singuli priuatim facere debent. At qui publicam populi Dei siue Ecclesiæ curam sustinent, ij nō modò sibijpsis priuatim caueant, verumetiam fermentum omne, tam Pharisaicum quàm Sadducæum extirpent, ne dum quiduis à quibusuis fieri & dici patiuntur, aliquādo totum populum miserè infectum & corruptum videant.

Quid autem discipuli, cùm Christum hæc admonentem audiunt? Quid velit ignorant, quin anxij nimis inter sese disceptant, iamq; de victu soliciti esse incipiunt, quibus cum Christo agentibus nihil hucusq; defuerat, sicuti in vltima Cœna testantur. Elucet in his carnis ingenium, quod in electis quoq; non rarò sese exerit, & quidem tunc, quando toti feruere videntur in vero pietatis studio. Quia enim solis præsentibus intenta est, vbi illa deficiunt, mox de salute in vniuersum actum esse putat atq; desperat, nec priora beneficia recolit, quorum consyderatio fidem atque spem fulcire poterat. Habebant multa eius generis discipuli. Sed ne quicquam, cùm carnem in consilium admittant. Tales in deserto fuisse videmus Israelitas, quamuis in Ægypto admiranda Dei opera vidissent, quibus se nunquam ipsis defuturum esse testatus erat. Quò etiam referri debet, quòd Iudicum tempore toties liberati, regem tamen sibi dari postularunt, quasi ipsis aliter consuli non posset. Eandem carnis stupiditatem hodie priuatim & publicè videmus. Nam etsi Deus ecclesiam in hunc vsq; diem mirabiliter seruarit, & singuli quotidie experiamur, quàm potens sit ad saluandum dextera ipsius, in periculis tamen illico concidimus, nisi præsens aliquod auxilium nobis pro voto affulgeat.

Discipuli Christi præceptum non intelligunt. Lucæ 22.

1. Sam. 8. 10.

Sed ad Christum redeamus, quem discipulorum diffidentia sic offendit, vt nunquam illos simul omnes acrius corripuerit. Primò hanc ipsorum curam reprehendit, vt inutilem & superuacaneam, Quid, inquit, disceptatis, quòd panes non habetis? Quasi dicat: cùm illis non opus esse, toties iam expertisitis? Deinde stultitiæ & stupiditatis accusat: An nondum animum aduertitis, nec intelligitis, tot iam miraculis de mea fide & potentia admoniti? Tertiò addit: Adhuc occæcatum habetis cor vestrum, vt cùm vobis oculi & aures sint, tamen nec videre nec audire velitis? Est hoc grauissimum crimen, quod in reprobis alibi scriptura notat, adeoq; pœnam esse docet omnium grauissimam, qua Deus illorum contumaciam mulctare solet. Quartò obliuionem exprobrat earum rerum, quas indesinenter memoria tenere debuerint, cùm ait: Et non meministis? Mox verò miracula quinque & septem panum repetit, & eorundem confessionem ex ipsorum ore elicit, vt illos magis conuincat.

Christus discipulos acriter corripit.

Isaiæ 6. &c.

Admonent autem hæc Christi verba, vnde in nobis diffidentia oriatur, cui anxia victus & rerum huius seculi cura siue solicitudo coniuncta est. Causa huius præcipua in nobis est, qui solis externis inhærentes, illa adeò necessaria esse putamus, vt sine illis uita consistere non possit, nec eius dicti meminimus, quo hominem non solo pane viuere scriptura docet, sed quouis verbo, quod ex ore Dei progreditur. Hinc fit, quòd Dei promissiones non intelligamus, quas qui non intelligunt, ij nec miracula & beneficia Dei obseruant, quibus hic illas confirmat, adeoq; abiecto rationis vsu cæcis & surdis similes fiunt in ijs, quæ ad fidem stabiliendam faciunt. Vnicum ergo et præsentissimum tanti mali remedium erit, si à Deo solo pendere discamus, absq; cuius benedictione nihil proficitur. Nisi enim Dominus ædificauerit domum, frustra laborant qui ædificant, & nihil est qui plantat, neque qui rigat, sed Deus qui dat incrementum. His veterum beneficiorum Dei consyderationem assiduam iungamus, & mox nos in fide confirmari sentiemus. Quàm assiduo autem studio & indefesso nobis hîc opus sit, discipulorum exemplo docemur, qui tot auditis Christi promissionibus et tot visis miraculis, adhuc hæsitant.

Diffidentiæ origo & remedium.

Deute. 8. Matthæi 4. Luc. 12.

Psalm. 127. 1. Corinht. 3.

Est verò simul obseruandum Christi exemplum, qui discipulos hæsitantes grauiter quidem corripit, eosdem verò non abijcit, sed clementer sustinet, docet atq; monet, etsi nihil eorum haberent, quæ à fidelibus requiruntur, præter vnum hoc, quòd illum sectabantur, & proficere cupiebant. Seruit hoc primùm consolationi, ne infirmitatibus nostris desperemus. Modò enim non abijciamus salutis & gloriæ Dei studium, non deerit nobis Christus, qui nobis compati potest, & arundinem quassatam nō confringit, nec linum fumigans extinguit. Præterea officij nos admonet Christus, vt ipsi quoq; fratrum quidem vitia corripiamus, non autem in vniuersum damnemus infirmos, sed (vt Paulus monet) assumamus & feramus, donec etiam ipsi proficiant. Peccant in hoc plurimùm Anabaptistæ, rigidissimi aliorum cēsores, qui dum omnes propter externa aliqua vitia damnant, propriam hypocrisim

Christus infirmos corripit, sed non abijcit.

Hebr. 2. 4. Isaiæ 42. Matth. 12. Rom. 14.

& superbam suæ iustitiæ fiduciam non agnoscunt, propter quam Deo non minus exosi sunt. Omissa
Philip. 2. igitur alios iudicandi audacia, nostram ipsorum salutem operemur cum timore & tremore, nec de Dei bonitate desperemus, qui infirmitatibus nostris abunde medetur per Christum Iesum, cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA LXVI.

Et uenit Bethsaidam, & offerunt ei cæcum, & precantur eum ut ipsum tangeret. Tunc apprehensa manu cæci eduxit eum extra uicum, & cùm spuisset in oculos eius, imposuissetque ei manus, interrogauit eum si quid uideret. Et cùm suspexisset, dixit: Video homines, nam instar arborum cerno ambulantes. Deinde rursum imposuit manus super oculos eius, fecitque illum suspicere, & restitutus est, uiditque dilucidè omnes. Et dimisit illum in domum suam, dicens: Neque in uicum illum ingrediaris, neque cuiquam in uico dixeris.

Argumentum & usus præsentis loci.

ETsi Deus regni sui mysteria per verbum suum fideliter reuelet, simulque de omnibus admoneat, quæ ad salutis nostræ rationem & vitæ totius conuersationem faciunt: ea tamen est carnis nostræ cæcitas, vt nec ipsi ex nobis ea percipiamus quæ sunt spiritus Dei, nec etiam verbi lucem admittamus, vel ex operum ipsius consyderatione proficere studeamus. Quia enim à cœlestibus caro abhorret, graue ipsi videtur mentis oculos in illa intendere, & terrenis libentius occupatur, quæ à cœlestibus nos retrahere consueuerunt. Exemplum huius mali in discipulis habuimus, qui cùm promissiones de victu amplissimas à Christo haberent, & illum paulò ante vidissent pauculis panibus aliquot hominum millia cibare, tamen vbi ipsius præceptum de cauendo Pharisæorum & Herodis fermento audiunt, nec plures vno pane se habere vident, mox de victu soliciti esse incipiunt, & nec Christi promissiones in mentem reuocant, nec illius præceptum intelligunt, quod allegoricum siue mysticum esse, vel hinc colligi poterat, quòd hactenus in Herodis regno versantibus nihil tale vnquam dixisset, & ipse non semel à pharisæis sese inuitari passus esset. At quod illis hîc accidit, nobis etiam non rarò accidere solet in ijs, quæ maioris momenti sunt, & quæ maximè ad Dei cultum & vitæ totius conuersationem spectant. Imò hinc murmur cõtra Deum, diffidentia, defectio à fide, & interdum horrenda flagitia originem ducunt, quòd nostris rationibus intenti, Dei promissiones & præcepta minus expendimus. Non temere ergo Christus discipulos grauiter corripuit, vt diffidentiam hãc Deo cumprimis displicere & nocentissimam esse ostenderet. At quia idem nos saluos vult, non corripit modò, sed mox reipsa docet, vnde tanti mali remedium peti debeat. Cæco enim medetur, qui humani generis typum gerit, & sic in ipso nos lucem inuenturos esse ostendit, quæ omnes ignorantiæ & diffidentiæ tenebras discutiat. Præstat ergo singulas huius miraculi partes excutere, vt plus inde consolationis & institutionis percipiamus.

Matth. 6. Lucæ 12. Luc. 7. 14.

Cæcus Christo adducitur.

Primò quidam cæcum hunc Christo adducunt, & vt illi manus imponat, rogant. Vbi infirmitatis quidem indicium est, quòd illum non aliter, quàm manuum impositione, curari posse existimant, laudem verò meretur, quòd Christo illum adducunt, quem multis alijs antehac opem tulisse viderant. Hinc verò generalis doctrina peti debet, animorum lucem in vno Christo quæri debere, quem Deus pater iam olim constituit, vt catholicus veritatis doctor sit, & cæcorum oculos aperiat: & quem Ioannes in mundum venisse ait, vt omnem hominem illuminet. Idem ille in Euangelio clamat: Ego sum lux mundi. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Falluntur ergo miserè, quotquot humani ingenij industria in ijs quæ ad Dei regnum spectant, aliquid profici existimant. Extra Christum enim meræ tenebræ sunt, & omnibus seculis hanc potissimam cæcitatis & superstitionum causam fuisse constat, quòd homines suo acumine freti, in diuinis ex semetipsis sapere voluerunt. Hoc enim in Iudæis prophetæ notarunt, & in gentibus Paulus, & hodie in regni Dei mysterijs cæcissimos esse videmus eos, qui extra Christum de illis philosophari consue-

In Christo quærenda animorum lux. Deut. 18. Isa. 53. Ioan. 1. 8. &c. Rom. 1.

sueuerunt. Ad Christum ergo accedant, & illum audiant, qui vel veram diuinorum cognitionem assequi, vel intra conscientias suas diuinæ gratiæ fulgore illuminari cupiunt.

At non ipsi modò ad Christum accedere debemus, verumetiam alios omnes illi adducere, quos ignorantiæ tenebris irretitos videmus. Est hoc præcipuum Christianæ charitatis opus, & ad Dei gloriam cumprimis facit, quæ non alia re magis quàm vera Christi & regni ipsius cognitione inter miseros mortales illustratur. Quæ causa est, quòd fidos & prudentes Christi ministros tantis preconijs scriptura celebrat, & ijsdem amplißimam in cælis gloriam pollicetur. Quæ tamen non ad solos ministros restringi debent, sed ad omnes extendi, qui vel priuatis admonitionibus aut etiam vitæ exemplo aliquos Christo lucrifaciunt. E contra ingens illorum scelus est, qui vel falsa doctrina miseros magis excæcant, vt quæstũ faciant & honorem suum tueantur: vel prauo exemplo seducunt, adeoq; obstant, ne ad Christum accedant. Vtrũq; nostro seculo nimis vulgare est, sed graues aliquando pœnas dabũt qui hæc faciunt, cùm & gloriæ Dei officiant, & multis interitus authores sint. Facit huc, quòd in lege Deus grauißimè monet, ne cæco offendiculum ponatur, & postea inter maledictiones, quas solenniter promulgari voluit, ista quoq; recensetur: Maledictus, qui cæcum errare aut impingere facit in itinere, & dicet vniuersus populus, Amen. Vide Leuit. 19. Deut. 27.

Ad Christum adducendi sunt etiam alij, &c.

Matth. 24. 25.

Dan. 12.

Sed Christum videamus, qui non subitò medetur, vt aliâs solebat, sed aliquo quasi apparatu vtitur, partim vt ostendat, se nulli certo ordini astrictum esse, sed pro suo arbitratu omnia agere: partim vt mysterio, quod hîc agebatur, totam actionem rectius accommodet. Et primò quidem extra vicum Bethsaidam educit cæcum, eò quod illa incredulitate & incurabili contumacia (vt apud Matthæum habetur) infamis, & proinde indigna erat, quæ plura signa videret. Mundi ergo typum gerit Bethsaida, & hoc suo facto docet Christus, ex impio & infelici mundo discedendum esse, si qui per Christum illuminari cupiunt. At secessio ista nec monastica est nec Anabaptistica: quando, nisi mutemur toti mundum in carne nostra circumferimus, vbicunq; locorum simus. Itaq; in hoc consistit, vt animos nostros à mundi sensibus ad verbi Dei contemplationem reuocemus, nec imitemur impiorum hominum exempla, sed tam animos quàm corpora nostra Deo pura & sancta seruemus. Errant hoc loco, qui ne parum commodi conuictores putentur, aut pro talibus habeantur qui soli præ alijs sapere velint, multitudinis exemplũ imitari solent, quasi huius authoritas nobis coram Deo seruire poßit. At cùm mundus tenebras amet, nunquam illuminari poterunt, qui hunc sequi voluerint. Quin Christus monet, ne multitudinem secuti, per viam latam et amplã portam ingrediamur. Vide Matth. 7. Attamen hîc diligenter obseruabis, quòd cæcum prehensa manu eius Christus educit. Nisi enim nos quoq; idem ille potenter trahat, à mundo nunquam diuellemur: quod olim in Lotho adumbratũ fuit, quem angeli è Sodomis quasi extraxerunt.

Christus cæco medetur.

1. Educit extra uicum.

Matth. 11.

1. Thes. 4.

Ioan. 3.

Gen. 19.

Deinde in oculos cæci inspuit, & eidem imponit manus. Externis vtitur propter eorum infirmitatem, qui illum adduxerant. Interim adumbratur nostræ illuminationis modus, & quibus medijs quóue ordine illam fieri oporteat. Sputo enim Dei verbum significatur, quod in Christo plenè reuelatum, & per ecclesiæ ministerium annuntiatum intellectu percipi oportet. Hoc ideò in scripturis lucerna dicitur, quòd per hoc Deus veram illam & cœlestẽ lucem animis nostris infundat, Quo nomine etiam ministri lux mundi dicuntur, quòd lucis istius dispensatores à Deo constituti sint. At quia verbi prædicatio nuda animos penetrare & illuminare nequit, spiritus sancti operatio accedat oportet, quæ per manuum impositionem in præsenti adumbratur. Qua de re sub agriculturæ parabola admodum diligenter Paulus in priori ad Corinthios disseruit. Et quod de Lydia in Actis dicitur, cuius cor Deus tetigerat, vt intenderet his quæ à Paulo dicebantur, idipsum in omnibus nobis fiat oportet, siquidem animis nostris illuminari volumus. Est enim vniuersalis hæc Christi sententia: Nemo venit ad me nisi pater meus traxerit eum. Et illa Pauli: Fides donum Dei est. Quibus tamen externa verbi prædicatio non abrogatur, ex cuius auditu fidem enasci, idem Apostolus testatur. Hæc verò verbi Dei studium commendant, & ad preces excitant, quibus spiritus sancti gratiam imploremus, sine qua nec audiendo nec legendo quicquam proficitur.

2. Inspuit in oculos & imponit manus.

Psalm. 119.

Matth. 5.

1. Corinth. 3.

Actorum 16.

Tertiò effectus miraculi gradus quosdam habet, quibus ad suum finem vsq; procedit. Nam primo conatu non plenè cæcum illuminat, sed aliquem modò oculorum vsum concedit, quo res sibi obiectas videt quidem, & illas moueri sentit, non tamen verè discernit. Homines enim se videre dicit,

3. Sensim & gradibus quibusdam illuminat.

instar arborum ambulantes. Vbi verò rursus manum admonet Christus, visus illi verè & perfectè restituitur. Habet ergo fides & hominis interni illuminatio sua incrementa, nec statim in virum perfectum adolescunt, qui benè cœperunt. Ideò Paulus olim lacte cibabat eos, qui cibi solidioris nondum capaces erant. Cuius nos meminisse oportet, ne omnes temerè damnemus, in quibus adhuc aliquid labis superest: & ne ipsi principijs contenti, segnes reddamur, sed quotidie proficere studeamus. Vult enim Dominus, vt talentis ab illo acceptis negotiemur, donec ipse venerit, vt rationem à nobis exigat. Docemur præterea hoc typo, quanti laboris & studij sit, inueteratam animorum & carnis cæcitatem tollere, quando subinde ad ea respicere solemus, quibus à pueris assueuimus, & multa quotidie obiecta accedunt, quibus impedimur, ne aciem oculorum nostrorum in cœlestia possimus intendere. Sic olim Israelitæ, etsi per Mosen quotidie erudirentur, & præclara ob oculos haberent gratiæ Dei indicia, subinde tamen in Ægyptum respiciebant, & ollas carnium animo versabant. Et vulgò inter Christianos homines gentilitiæ superstitionis vestigia extant, in quibus gentium Lupercalia, Bacchanalia, Cerealia, Palilia & alia eius generis festa agnoscas, quibus non immeritò astrologorum obseruationes & reliquas vaticinandi artes exorcismos item & infinitas eiusmodi anicularum præstigias adnumerabis. Imò inter eos, quos Euangelij lux propiori fulgore illustrat, nō pauci reperiuntur, quorum oculos vitreus ille terrenæ felicitatis fulgor, qui apud aduersarios plerunque resplendet, ita perstringit, vt ad Papatum non mediocriter inclinent, nec videant quanta in illo errorum & abominationum lerna sub plausibili religionis prætextu lateat. Magno igitur & indesinenti studio nobis opus est, imprimis tamen ministros hîc officij meminisse oportet, ne vnquam defatigentur, & creditum sibi munus intermittant.

Ephes.4. 1.Cor.3. Matth.25. Num.11.14.16.

Postremo, vbi visum homini restituit, domum remittit, et disertè prohibet, ne Bethsaidam redeat, nec alicui illius loci hominum, quid cum ipso factum sit, dicat. Nam vt initiò diximus, indigni erant, quibus Christus sese pluribus miraculis patefaceret. Est autem hoc graue & horrendum Dei iudicium, quando nec verbi sui nec operum cognitione nos Deus dignatur, quādo sine illa salus nostra consistere non potest. Interim obseruabis, quid eos facere conueniat, quorū mentes Christus verbo & spiritu suo illuminauit, eque regno tenebrarū clementer asseruit. Primum relicta cæci & infelicis mundi Bethsaida domum abeant, ad ecclesiam nimirum, quam communem omnibus pijs domum constituit Deus, in qua passer quoq; & hirundo (id est, homines natura vagi & instabiles) sedem sibi firmam & stabilem reperiunt. Nec semel modò illuc se recipiant, sed curent, ne vnquam ad mundum reuertantur. Nā qui hoc faciunt, porcis & canibus similes, postrema sua primis peiora esse experiuntur. Studeant præterea modestiæ, nec priuatam laudem quærant ex Dei donis, quæ ipsius gloriæ potissimùm seruire debent. Oremus Deum patrem, vt hoc nouissimo seculo, quando maxima hominum pars ad tenebras & interitum ruit, in luce ipsius nobis manere, & in eadem æternum gaudere liceat, per Christum Iesum, cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Quid cum restituto iam Christus egerit. Officia eorum quos Christus illuminauit. Psalm.84. 2.Pet.2. Matth.12.

HOMILIA LXVII.

Et egressus est Iesus ac discipuli eius in uicos Cæsareæ Philippi: & in uia interrogauit discipulos suos, dicens eis: Quem me dicunt homines esse? Illi uerò responderunt: Ioannem Baptistam: & alij Eliam, alij uerò unum ex prophetis. Tunc ipse dicit eis: Vos autem quem me dicitis esse? Respondens autem Petrus dicit ei: Tu es ille Christus.

Argumentum & usus præsentis loci.

QVoniam Apostoli nuper magnam fidei suæ infirmitatem prodiderunt, quando illos Dominus à fermento Pharisæorum & Herodis sibi cauere iussit, & propter illam grauiter correpti & reprehensi sunt, modò cum illis nouam tractationem Christus instituit, qua illos in vera fide aduersus varias & incertas mundi sententias confirmat. Et primò quidem veram fidei confessionem ab illis elicit. Deinde, quid ipse nostræ salutis ergò tum facturus tum passurus sit docet. Postremò monet, quid eos facere conueniat, qui salutis, quam nobis acquisiuit, consortes fieri volunt. In præsenti verò primam modò partem videbimus, qua abundè docemur, quid nostro seculo inter varias multumq;

multumq; diuersas de fide & religione sententias amplecti & credere debeamus.

Vt verò luculenter esset tota tractatio, primùm falsa huius mundi de Christo iudicia in medium adducuntur. Interrogat enim discipulos suos, quem ipsum esse vulgò dictitent. Interrogat autem non quòd ignoret quicquam, aut quòd ambitionis affectu exagitatus auram popularem captet: sed vt ista occasione veram de se confessionem eliciat à discipulis, & vt offendiculo mereatur, quod ex illa sententiarum diuersitate multi patiebatur. Adhæc discipulos simul & omnes alios verbi ministros admonet, vt non modò veram sui & fidei veræ cognitionem habeant, verumetiam aliorum de hac sententias perquirant, vt illas confutare queant. Interim cumprimis obseruandum est Christi exemplum, qui aliorum de se sententias audire & nouisse voluit. Imitemur hoc singuli, non quidem ambitiose, sed vt ex alijs discamus quid in nobis vituperio dignum sit, cum ex ingenita philautia ipsi nostra vitia vix vnquàm agnoscere possimus. Vidit hoc olim Apelles pictor nobilissimus, qui post tabulas abs se depictas latitare solebat, vt ex vulgi iudicijs disceret, num quid illis vitij inesset. Decet hoc ipsum omnes homines, ne insolenter aliorum de se iudicia contemnant: imprimis tamen eos decet, qui alijs præsunt, quorum authoritati plurimum seruit, si de ipsis honestè sentiant illi, quos suo consilio regere debent.

Christus hominum de se iudicia perquirit. Ioan. 1. Titi 1. Omnium est, aliorū de ipsis iudicia obseruare.

Porro ad Christi quæstionem liberè & ingenuè respondent Apostoli, & eorum sententias exponunt, qui de Christo non hostiliter, sed honestius iudicabant. Sunt hæc inter se admodum diuersæ, nisi quòd in hoc vno conueniunt, quòd aliquem ex mortuis resurrexisse putarent. Iam pridem enim (vt alibi annotauimus) error ille apud Iudæos obtinuerat, vt animas defunctorum in alia corpora transire crederent. Ideo nonnulli Ioannem Baptistam esse putarunt, nimirum quòd doctrinam ab illo eandem tradi viderent. Alij Eliam dixerunt, fortaßis ob arguendi libertatem, aut Malachiæ oraculo decepti, qui Eliam ante magnum illum diem Domini venturum prædixerat. Sunt qui Ieremiā aut alium aliquem è veterum prophetarum numero esse arbitrentur, cùm in illius doctrina prophetici spiritus haud obscura argumenta apparerent. Atqui tales fuerunt meliorum sententiæ, qui regni Dei studium nondum abiecerant. Quid autem pharisæi & scribæ senserint, alibi vidimus.

Diuersæ hominum de Christo sententiæ. Malach. 3. 4.

Obseruabis autem hoc loco, semper varias fuisse in mundo de fide & salutis ratione sententias. Quia enim caro non percipit ea quæ sunt spiritus Dei, ab externis modò dependens, suis opinionibus in diuersas partes distrahitur. Hinc illa sectarum diuersitas, quibus orbem omnibus seculis scissum fuisse constat. Ridiculi ergo nimis sunt, qui nostri seculi dißidijs offenduntur, & vniuersalem in fide & religione consensum expectant. Nec enim vnquam ingenium suum caro mutabit. Et sectas esse oportet (inquit Paulus) vt qui probati sunt, manifesti fiant. Adhæc de nouißimis temporibus olim à Christo & Apostolis prædictum est, venturos pseudochristos & pseudoprophetas, qui dißidia & sectas in religione diuersas excitaturi sint: id quod Euangelij emergentis infallibile argumentum est. Facile enim inter homines concordiam regnare patitur satan, si nullum ex ea suo regno periculum imminere videat. At si de illo agatur, & Christo incipiant accedere, qui prius erroribus excitati fuerunt, mox horrendum furit, & inter eos quoq; dißidia mouere satagit, qui veritatis & salutis publicæ studio tenentur: vt ea occasione causam hanc omnem mundo inuisam reddat. Et huc facit quod de forti armato alibi Christus in parabola dicit, qui tunc demum tumultuatur, quando se constringi & domum suam diripi uidet. Neminem ergo nostri seculi dissensiones offendant, sed his auditis veram de fide & salutis ratione sententiam eò studiosius inuestigemus, quam in Apostolorum confeßione paucis comprehensam mox videbimus.

Mundus in fide & religione nunquam consensit. 1. Corinth. 11. Matth. 24. 1. Timoth. 4. 2. Pet. 2. 1. Ioan. 2. 4. Luc. 11.

Pergit enim interrogando Christus, & quid ipsi de se sentiant quærit. Ita nimirum monens, fidei causam non leuem esse, in qua aliorum sententijs niti & insistere poßimus. Alioqui enim istis vel Herodis regis sui authoritas sufficere potuisset, qui Christum eundem esse putabat, qui Ioannes fuerat. Nec etiam excusari poterant, quòd homines essent indocti & scripturarum rudes, ad quos vulgò putant istarum rerum inquisitionem nequaquā pertinere. Nam cùm sua fide viuat iustus, unumquenq; fidei suæ certum esse oportet, & eiusdem confeßionem ab omnibus meritò exigi circa finem capitis discemus.

Christus quid Apostoli de se sentiant, interrogat. Habac. 2.

Audiamus ergo Apostolos, qui absque mora quid sentiant edisserunt. Nam omnium nomine respondens Petrus, ait: Tu es ille Christus. Apud Matthæum addit, Filius Dei viuentis. Habet itaq;

Apostolorum de Christo Confeßio. Maatth. 16.

confeßio iſta partes duas: alteram quidem qua Chriſti Ieſu officium deſcribitur, cui illum pater cæleſtis deſtinauit: alteram verò qualis ſit, quoad ſuam perſonam, denotat. Ad primam partem referri debent quæ Marcus habet: Tu es ille Chriſtus. Nam Chriſti vox Græca cum Hebræorũ Meßiah conuenit, & vtraq; Latinis Vnctum ſonat. Ita verò promiſſum ſaluatorem frequenter in ſcriptura veteri ſpiritus ſanctus nominauit, vt quid in illo maximè quæri debeat oſtenderet. Vngebantur enim ex Dei inſtituto Sacerdotes & Reges, qui ideò ipſi quoque non rarò Chriſti ſiue vncti Domini dicuntur. Cum ergo promiſſum humani generis ſaluatorem, Chriſtum aut vnctum vocant ſacræ literæ, illius officium denotant, & hunc nobis à Deo ſacerdotem & regem datum eſſe docent, eoq; præſtantiorem reliquis ſacerdotibus & regibus quòd non materiali oleo vnctus ſit, ſed oleo lætitiæ (vt Dauid inquit) quo illum pater præ omnibus hominibus inſtruxit, quorum conſors per incarnationem factus eſt. Et ſanè ſi ſacerdotum & regum officia inquiras, illa omnia in Chriſto Ieſu inuenies. Illorum enim fuit docere populum, iuxta illud Malachiæ: Labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem ex ore eius requirent, eſt enim legatus Domini exercituum. Eorundem fuit ſacrificare pro populo, & externis ritibus eos ſanctificare qui legali aliqua pollutione inquinati erant. Orare item & intercedere pro ijs, qui Dei iram prouocauerant. Adhæc ſolenniter populo benedicere, ſicuti ex formula diuinitus per Moſen illis præſcripta apparet, Num. 6. Regis verò officium eſt, ſuos ex hoſtium tyrannide aſſerere atque tueri, eoſdem legibus bonis inſtruere, iuſtitiam & iudicium facere, & ſua liberalitate quoſuis ditare. Atqui omnia iſta Chriſtus abundè præſtat. Is enim eſt catholicus doctor & inſignis propheta, quem venturum Moſes prædixit, & quem pater nos cælitus iuſsit audire. Qui vt docendi officio fideliſsimè functus eſt, quando in terris vixit: Ita hodie ſpiritus ſui dona largitur inter homines, & alios quidem dat Apoſtolos, alios verò prophetas, alios autem Euangeliſtas, alios paſtores & doctores ad inſtaurationem ſanctorum, &c. Idem vnico corporis & ſanguinis ſui ſacrificio omnium noſtrûm peccata expiauit, & ſuo merito atque ſpiritu omnes in ſe credentes ſanctificat, & nunc ad patris dextram conſidens ſemper pro nobis intercedit. Præterea benedictionis vnicus author eſt, in quo omnes gentes benedici oportere promiſsiones olim patribus datæ docent. Adhæc inſtar inuictiſsimi regis in mundum venit, & domum fortis illius, diaboli nimirum, ingreſſus illum deuicit, & ipſius vaſa (homines videlicet, in quibus ille ad ipſorum interitum dominabatur) diripuit, & in libertatem aſſertos vſque tuetur, nec ſuas oues ſibi eripi patitur. Idem verba vitæ æternæ habet, & ſuos legibus verè ſalutiferis inſtruit. Facit item iuſtitiam & iudicium, quando & ſuos cultores dignis præmijs remunerat, & impios meritis pœnis vlciſcitur. Quin ipſi omne iudicium dedit pater, & olim in nubibus cæli aduenienſ iudicabit viuos & mortuos. Interim in ſe credentes omni benedictione ſpirituali ditat in cæleſtibus, nec illis quicquam deſieri patitur. Hæc omnia paucis comprehendit Petrus, quando ait: Tu es ille Chriſtus.

Christi nomen quid ſignificet. Exod. 29. 30. Leuit. 8. 1. Sam. 10. 16. Pſal. 45. Sacerdotum & regum officia. Malach. 2. Chriſtus ſacerdos. Deut. 18. Matth. 17. Epheſ. 4. Hebr. 9. 7. Rom. 8. 1. Ioan. 2. Chriſtus Rex Luc. 11. Ioan. 10. & 6. Ioan 5. Matth. 25. Epheſ. 1.

Altera Apoſtolicæ confeſsionis pars eſt: Filius Dei viuentis. De quo autem iſtud pronuntiat? De eo nimirum, qui ex Maria virgine verus homo natus fuit, & qui in hac ipſa tractatione (vt Matthæus habet) ſeſe filium hominis, id eſt, hominem verum dixit. At eundem filium Dei viuentis, id eſt, veri Dei, qui & in ſemetipſo vitam habet, & qui idem omnia ſolus viuificat, eſſe fatetur Apoſtolus, non quidem adoptiuum, quales nos quoq; ſcriptura vocat, ſed naturalem (ſi ita loqui licet) verum & patri Deo conſubſtantialem ab æterno, qui & ipſe (vt Ioannes docet) vitam in ſe habeat, & eandem omnibus in ſe credentibus de ſuo conferat. Facit huc quod ipſe dicit in Euangelio: Sicut pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit & filio habere vitam in ſemetipſo. Eòdem itaque reſpiciens Petrus, Chriſtum Ieſum, quoad perſonam ſiue ſubſtantiam, verum Deum ſimul & hominem eſſe teſtatur: Deum quidem ab æterno, hominem verò factum ex Maria virgine, cùm iam veniſſet plenitudo temporis. Neq; id omittendum fuit, cùm talem eſſe oporteat eum, qui inter Deum & nos Mediatoris officio fungi debuit.

Chriſtus uerus Deus & homo. Rom. 8. Ioan. 1. Ioan. 5. Galat. 4.

Hæc itaq; eſt fides Apoſtolica & vera ſimplexq; fidei ſalutiferæ confeſsio, quam non è ſuo capite, ſed ex ſpiritus ſancti ſuggeſtione Petrus hauſit. Apud Matthæum enim illi Chriſtus reſpondet: Beatus es Simon Bar Ionæ, caro & ſanguis non reuelauit tibi hæc, ſed pater meus cæleſtis. Summa huius eſt, Ieſum Dei viuentis & Mariæ virginis filium, eſſe Chriſtum, id eſt, ſacerdotem & regem noſtrum, qui ſolus verba vitæ æternæ habeat, ſolus peccata noſtra ſuo ſanguine expiet, ſolus in ſe cre-

Fides Apoſtolica quæ ſit.

se credentes sanctificet, & ipsos quoq; vnctos Domini, id est reges & sacerdotes efficiat, solus pro nobis in cœlis intercedat, solus etiam nos asserat, saluet, tueatur, & cœlestis regni communione donet. Consentiunt in hac fide omnes Apostoli, inter quos Paulus Christum hac ratione fundamentum prophetarum & Apostolorum nominat. Hanc ergo ita nos amplecti conuenit, vt etiam ipsi omnem nostræ redemptionis gloriam tribuamus, in vno illo quæramus, quæ ad nostram salutẽ faciunt, ad unũ hunc confugiamus in tentationibus & in eodem aduersus mundi conatus spem inconcussam seruemus: qui quos sua morte asseruit, nunquàm deseret, sed huius seculi tribulationes æterno regni cœlestis gaudio compensabit. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen. Ephes. 2.

HOMILIA LXVIII.

Et interminatus est eis, ne cui de se dicerent. Et cœpit eos docere, quòd oporteret Filiũ hominis multa pati, & reprobari à Senioribus & principibus sacerdotũ ac scribis, & occidi, & tertio post die resurgere. Et apertè eum sermonem loquebatur. Tunc apprehendit illum Petrus, cœpitq; eum increpare. Ille uerò cõuersus, & aspiciens discipulos suos, obiurgauit Petrum, dicens: Abscede à me satana: Nam non sapis quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominum.

VT olim patres sibi delegit Deus, per quos veram suæ voluntatis cognitionem orbi terrarum patefaceret: Ita Christus Iesus Apostolos sibi familiares habuit, vt illorum ministerio salutaris regni sui nostræq; redemptionis notitia in mundo diuulgaretur. Quæcunque ergo cum illis egit, ita à nobis accipi debent, vt ad nos quoq; illa pertinere arbitremur. Id verò imprimis obseruandum est in præsenti tractatione, qua discipulos in vera fide aduersus falsa hominum iudicia confirmat, & iisdem disertè omnia tradit, quæ ad nostram salutem faciunt. Et prima quidem parte fidei Apostolicæ confessionem nuper vidimus, quæ docet, quid nos de Christo credere & sentire conueniat: Nimirum quòd ipse promissus ille humani generis saluator sit, sacerdos æternus & Rex ecclesiæ suæ supremus, in quo vniuersi salutis thesauri nobis à Deo propositi sint. Huic secunda tractationis pars subiicitur, qua ipse Christus modum & rationem exponit, quam ipsum in redimendo genere humano sequi & tenere oporteat. Qui locus cùm præcipua nostræ redemptionis capita comprehendat, attentius paulò consyderandus erit. *Argumentum & usus loci præsentis.*

Primò Christus magna cum seueritate, imò increpatione (vt Lucas scribit) discipulis prohibet, ne quod de ipso confessi erant, alicui prædicent. Cur verò hoc illum prohibuisse dicemus, cùm & vera esset illa confessio, & alibi iubeat, vt ipsum coram hominibus confiteamur? At temporis simul & Apostolorum ratio habenda fuit. Nec enim publicè vulgandus erat Christus, donec ea omnia peregisset, quæ illi nostræ salutis ergò peragenda erant. Et licet discipuli Iesum hunc, promissum Christum & saluatorem esse verè scirent & crederent, nostræ tamen redemptionis rationem & regni atq; sacerdotij ipsius mysteria adhuc ignorabant, vt qui communi Iudæorum more regnum terrenum in illo somniarent. Quare cùm Christi cognitionem perfectam nondum haberent, & multò minus illam alijs tradere possent, rectè illos silere iubet Dominus, ne quid temere effutiendo in populo, ad res nouas procliui, turbarum authores sint. Hinc verò nobis etiam doctrina petenda est, vt nec rudes ad docendum prorumpamus, nec absque iudicio quicquam proferamus, sed certam habeamus temporis & personarum rationem, vt omnia ad ædificationem faciant. *Christus prohibet ne discipuli ipsum uulgo patefaciant.* Matth. 10. Matth. 18. Lucæ 22. 24. Actorum 1.

Deinde discipulos apertè docet Christus, quid se facere & pati oporteat, vt is reuera sit, quem Petrus esse dixerat. Apertè autem & absq; vlla dissimulatione omnia illis edicit, nimirum ne quid postea offenderentur, si ea viderent fieri, quæ ipsorum spei carnali minus respondebant. Paucis verò vniuersa nostra redemptionis & salutis mysteria comprehendit, quæ in duobus potissimum capitibus consistit. Primum est ipsius passio siue mors, in quam omnia concurrunt, quæ ad doloris acerbitatem & ignominiam faciunt. Nam à discipulo Iuda traditum esse scimus, & à sacerdotibus ac Senioribus damnatum, qui summam doctrinæ & sanctimoniæ existimationem sustinebant. Adhæc à sacer- *Christus salutis nostræ rationem exponit.* *Paßio Christi.*

dotum seruis & militibus scurriliter illusus & consputus, flagellis item cæsus & tandem medius in-
Luc. 24. *ter latrones in crucem suspensus est. At hæc omnia sic fieri oportere ait, cùm hæc futura olim scriptu-*
ræ prædixissent. Faciunt autem hæc ad sacerdotium Christi, qui moriens seipsum Deo patri obtulit,
sicq; sui corporis et sanguinis sacrificio peccatorum expiationem nobis meruit: quod illum facere opus
Isaiæ 53. *fuit, eò quòd (vt Isaias docet) in illum Deus peccata nostrûm omnium conuenire fecerat, vt ipsius*
merito ab illorum reatu & pœna liberaremur. Vbi obiter de peccatorũ atrocitate admonemur, quam
horribilem esse oportet, cùm non aliter expiari potuerint: quod ijs diligentius obseruandum erat, qui
Resurrectio *peccatorum blanditijs decepti, de illis admodum leuiter iudicare solent. At quia peccatorum expia-*
Christi. *tio ad salutem minimè sufficiens erat, nisi mortis vires & imperium quoq; frangerentur, quæ per pec-*
Rom. 5. *catum ingressa, vniuerso hominum generi dominabatur: secundo loco de resurrectione sua discipulos*
Christus admonet, quam tertio post die secuturam dicit. In ea igitur salutis nostræ complementum
1. Cor. 15. *& Christi regis officium maximè consistit, cùm per hanc & mortem deuicerit, & hac deuicta peccati*
noxam omnem sustulerit, & nobis nostræ etiam resurrectionis & vitæ æternæ spem argumento om-
nium certissimo & infallibili cõfirmarit: maximè cùm illam mox gloriosa ipsius in cælos Ascensio sit
secuta, quæ triumphi instar salutarem illam & optatam ipsius de peccato, morte & diabolo victoriã
conclusit. Et in his quidem vniuersa nostræ salutis ratio consistit, quæ vt à Christo coniunguntur, ita
Apostoli eadem coniunctim proponere solent, si quando salutis mysteria tradere instituerunt. Pau-
Rom. 4. *lus certè Deum ad Abrahami exemplum omnes pro iustis habiturum scribit, qui in Christum credi-*
derint, qui traditus sit propter peccata nostra, excitatus autem à mortuis propter iustificationem no-
Rom. 8. *stri. Item: Christus est (inquit) qui mortuus est, imò qui & suscitatus est, qui etiam est ad dex-*
Rom. 10. *tram Dei, qui & intercedit pro nobis. Et rursum: Si confessus fueris ore tuo Dominum Iesum, & cre-*
dideris in corde tuo, quòd Deus illum excitarit à mortuis, saluus eris, &c. In his ergo nos manere con-
uenit, nec quicquam eorum admittere, quæ mortis & resurrectionis Christi meritum vel aliò trans-
ferant, vel aliqua ex parte imminuant. Interim nostri quoq; officij memores, ipsi quotidie peccato
moriamur, & resurgentes spiritu in Christo vitam nouam sanctamq; viuamus. Rom. 6.

Christus repro- *Obseruabis præterea, quòd disertè Seniores & principes sacerdotum nominat Christus, à quibus*
batus à Senio- *ista passurus sit. Prædixerat hoc olim Dauid, quando lapidem ab ædificantibus reprobatum in ca-*
ribus, &c. *put anguli exaltandum esse ait. Et crebrò hoc inculcatur, vt inde colligamus, quæ semper Christi &*
Psal. 118. *membrorum ipsius in hoc mundo sors futura sit: vt nimirum hostes habeant eos, qui in ecclesia sibi*
primatum vendicant, & vulgò eruditionis & sanctitatis titulis superbiunt. Senserunt hoc Apo-
stoli & horum successores, & idem nostro seculo frequenter experimur. At non offendi debemus,
cùm eandem sortem Christus ipse subire voluerit. Obseruemus potius admirabile Dei consilium,
qui inter ecclesiæ suæ architectos ijs etiam locum dat, qui destructores potius dici merebantur: quo-
rum perfidia & malitia ipse tamen bene vtitur, & ita reipsa docet, ecclesiæ suæ ædificationem ab ip-
sius gratia & spiritu pendere, cuius effectum nulli mortalium vnquam impedire poterunt.

Petrus Christũ *Cæterum ad præsentis loci tractationem redeamus, vbi indicat Marcus, vt Christi verba Apo-*
à cruce reuo- *stoli acceperint, quod in Petro maximè elucet. Assumit is Christum, quasi de re seria cum illo actu-*
cat. *rus. Deinde quasi in illum aliquod ius habeat, obiurgat & ait: Propitius tibi esto, nequaquam erit*
Matth. 16. *tibi hoc. Et hoc quidem ardentissimo Christi amore superatus facit, sed concurrit carnis affectus,*
qui illum Christi verbis diligentius intendere vetat. Quia enim hanc audit, rem omnibus modis in-
dignam, adeoq; impossibilem esse putat, illum hæc pati, quem promissum Messiam & Dei filium
Caro cruce *esse credebat. Adhæc pugnabant ista cum spe regni terreni, quam de illo conceperat. Elucet ergò hic*
offenditur. *carnis ingenium, quæ cùm cœlestia ex sese metiatur, cruce plurimum offenditur, & Christum quidem*
saluatorem agnoscit, sed eundem crucifixum horrere solet. Experimur hoc in nobis ipsis frequenter,
Ioan. 15. 16. *qui cùm Euangelio gloriemur, & ex illo nobis salutem polliceamur, attamen quoad crucem, quam*
Matth. 10. *Euangelij sui Christus indiuulsam comitem esse docet, nimium nobis ipsis propitij sumus, quasi in-*
dignum sit eos affligi in hoc mundo, qui per Christum Deo reconciliati, & illius hæredes & filij facti
sunt. Quod si verò illam inuitis imponat Deus, de illius iustitia impatienter admodum quiritamur.
Arguuntur præterea Petri exemplo Turcæ & Iudæi, qui etiamnum hodie Christi cruce offendun-
tur, &

tur, & hanc cum Saluatoris dignitate nullo modo conuenire putant: nimirum scripturarum ignorantia decepti, quæ passim docent illum per crucem in gloriam transiturum esse, &c.

Quid autem Christus, quando se à Petro admoneri, imò obiurgari audit? Conuersus discipulos inspicit, quos omnes haud dubiè eodem errore teneri nouerat, & mox increpat Petrum, dicens: Abscede à me satana. Nam non sapis quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominum. Atqui non immeritò miraberis, satanam nunc dici, quem paulò ante beatum dixerat: & nunc non ea quæ Dei sunt sapere eum, cui Deus pater ea reuelarat, quæ de Christo teneri & credi debent. Sed ea est humanæ naturæ conditio, vt in electis quoq; vitia & infirmitates locum habeant, & licet generalem salutis cognitionem sint assecuti; in multis tamen particularibus interdum hallucinentur. Quid ergo mirum, si in vitæ conuersatione ijdem aliquando grauissimè labantur? In quorum consyderatione nos assiduos esse decet, ne securi simus cùm nobis ipsis stare videmur. Simul verò exemplis hisce arguuntur, qui ecclesiam in hoc seculo sine ruga & macula somniant, nec aliquem in Christianorum numero censendum esse arbitrantur, in quo næuus aliquis appareat. Quorum morositatem si Apostoli imitari voluissent, nunquam Christi sanctificatos & Dei electos dixissent in epistolarum inscriptionibus quorum errores graues & horrenda peccata postea accusant & grauissimè corripiunt. Sed quia nouerant in vno eodemq; homine spiritus sancti dona eximia & simul satanæ suggestiones cócurrere posse (cuius rei euidens exemplum in Petro habebant) non vsq; adeò offendi potuerunt, si in toto aliquo cætu fidelium plures viderent, qui vitijs & næuis non vulgaribus laborabant: ideoq; de illis potius corrigendis quàm de damnandis totis ecclesijs cogitabant. Magna igitur est & execrabilis fanaticorum quorundam temeritas, qui quasi nuper cœlo delapsi sint, quosuis excommunicant, nec quenquam ferunt, qui non ipsorum placitis per omnia subscripserit.

Christus Petrũ obiurgat, & satanam dicit.

1. Cor. 10.

1. Corinth. 1.

Ceterum causam expendamus oportet, ob quam Christus Petrum satanam dixit. Exprimit hanc, cùm apud Matthæum addit: Scandalo es mihi. Satan enim Hebræis aduersarium sonat. Quia ergo Petrus Christo aduersabatur, & impedimento esse volebat in ijs, quæ illi ex patris æterno consilio peragenda erant, rectè & meritò satan dicitur. Eodem igitur loco nobis quoque habendi sunt, qui nos à Dei vocatione abstrahunt, vt qui à fide vera & eius confessione auocant, qui superstitiosos cultus suadét, qui ad scortandi libidinem, ebrias comessationes, militiam mercenariam & alia flagitia solicitant, aut quocunq; modò authores sunt, vt Deo inobedientes simus. Sunt hi nobis satanæ, & procul à nobis ablegari debent, donec ad mentem redeant. Ipsi verò cum indignè ferant, si quis eos impostores, idololatras, seductores, ebriosos, iuuentutis corruptores & pestes dicat, cogitent hæc nimis leuia esse, cùm ad Christi exemplum illos possimus Satanas dicere, eò quòd quàm plurimis obstaculo sint, quò minus in veritatis via progrediantur. Quòd si ipsi ad mentem meliorem redire nolunt, nos tamen salutem, quam Christus nobis acquisiuit constanter tueamur. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Cur Petrus satanas dictus.

HOMILIA LXIX.

Et cùm aduocasset turbam cum discipulis suis, dixit eis: Quicunq; uult post me uenire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.

Postquam Iesus Christus in præsenti tractatione primò quidem à discipulis veram fidei confessionem elicuit, deinde vniuersum nostræ redemptionis negotium in suæ mortis & resurrectionis merito consistere ostendit: subijcit modò tertiam huius loci partem, qua docet, quid eos facere conueniat, qui salutis in ipso consortes fieri cupiunt. Est ergo locus hic multa consyderatione dignus, cùm ea tradat, sine quibus nec vita nostra & fides rectè institui, nec etiam salus nostra consistere potest. Eo autem in illo consyderando ordine vtemur, vt primò videamus ad quos pertineat quæ hîc dicuntur: deinde qua conditione ista Christus proponat: postremò quid ille à nobis exigat.

Argumentum & usus præsentis loci.

Quoad primum, hactenus quidem priuatim cum discipulis egit Christus, & seueriter prohibuit, ne in vulgus efferrent, quod de ipso verè confessi erant: at nunc omnem populi turbam ad se vocat,

Regula Christi uniuersalis est.

& omnibus in genere loquitur. Vniuersalem ergo doctrinam siue regulam proponit, quæ ad omnes homines ex æquo pertinet, cuiuscunq; loci sint aut ordinis. At cùm ad vnam & eandem omnes eos astringat, qui saluari cupiunt, tolluntur vtiq; omnes aliarum sectarum regulæ, quæ extra hanc nobis salutem monstrant, & ecclesiæ vnitatem turpißimè scindunt. Nec enim illis locus posthac dari poterit, nisi per eas aliquid plenius & perfectius tradi dicamus, quod Christus vel inscitia, vel incuria, vel etiam maleuolentia quadam omiserit. At ista vel cogitare nefas est, nedum publicè affirmare. Plenè enim & perfectè omnia salutis nostræ & fidei mysteria Christus tradidit, nec quicquā eorum suos discipulos cælauit, quæ à patre suo audiuit. Adhæc vitam & mores ita instituit, vt qui ipsius præceptis insistunt, nullis alijs opus habeant. Sacramenta dedit pauca, sed quæ pijs sufficiant, & quorum administrationem simplicißimis quidem, sed plenis mysteriorum, ceremonijs constare voluit. Quòd si qui plura adijciunt, scimus in externis non consistere regnum Dei, et inutiles, imò noxios esse cultus omnes, qui humanis traditionibus nituntur.

Ioan. 15.

Rom. 14.

Regula Christi necessariò obseruanda.

Porrò quoad secundum huius loci caput, eam suæ regulæ conditionem statuit Christus, vt eam nobis necessariò obseruandam esse ostendat, cùm dicit: Quicunq; vult post me venire, id est quicunq; meus discipulus esse cupit & in me saluus fieri, is abneget semetipsum, &c. Non ergo liberum nobis facit, vt pro nostro arbitrio hæc vel præstemus vel omittamus, sed obseruationem huius regulæ discipulis suis ita iniungit, vt nemo sine illa discipulus ipsius esse poßit, nec salutis per ipsum partæ consors fieri: Et sanè nunquam ista præcepisset, quæ carni dura & grauißima sunt, nisi obseruatu cumprimis necessaria essent, cùm alibi iugum suum suaue & commodum esse testetur. Ita verò eos abs se reijcit, qui nudam & inanem Christiani nominis professionem sufficere putant, & interim factis negant quod ore profitentur: quorū hodie infinitus est numerus, &c. Vide Tit. 1. Iac. 2. Ioan. 15. &c.

Matth. 11.

Regula Christi tribus capitibus continetur.

His præmissis ad ipsam Christi regulam accedamus, in qua diuina ipsius sapientia simul & bonitas mirificè elucent, quando nostræ tarditati perspicua præceptorum suorum breuitate sic consulit, vt tribus capitibus complectatur omnia hominis pij & beati officia, quæ huius seculi sapientes infinitis & vastißimis voluminibus nunquam satis explicare potuerunt.

1. Abneget seipsum.

Et primò quidem à nobis ipsis exorsus, ijs occurrit, qui in hac causa proprijs viribus aliquid tribuunt. Iubet enim vt homo seipsum abneget, si ipsius discipulus esse cupiat. At cur seipsum abnegaret, si ex seipso salutem posset consequi? Sed ad ingenitam nobis corruptionem respicit, qua fit, vt quæ Dei sunt, nec intelligamus nec eadem assequi studeamus, vtpote terrenis modò & ijs addicti, quæ carnis cupiditatibus inseruiunt. Vult igitur vt & affectibus & placitis nostris renunciemus, nosq; totos per fidei obedientiam Deo & verbo ipsius regendos præbeamus: id quod alibi per regenerationis mysterium & carnis siue membrorum terrestrium mortificationem docemur. Abnegationis huius exempla in veris Dei cultoribus cumprimis luculenta habemus: vt in Abrahamo, qui Deo iubente patrium solum relinquit, peregrè proficiscitur, promissam sobolem constanter sperat, & eandem postea immolare paratus est. Quod sanè nunquam facturus fuisset, nisi carnis rationi & affectibus omnino renunciasset, adeò vt illorum suggestiones minimè admitteret. Eiusdem exempli etiam Iobis factum censeri debet, qui & fortunarum suarum omnium & liberorum iacturam cum gratiarum actione excipit, id quòd à carnis ratione alienißimum esse, nemo ignorat. Quid verò de Dauide dicemus, qui à filio Absolomo pulsus, sacerdotibus cum arca fœderis ipsum sectantibus dicit: Reducite arcam Dei in vrbem. Si inuenero gratiam coram Domino, restituet me, & ostendet mihi se & habitaculum suum. Quòd si dixerit, Non places mihi: præstò sum, faciat mihi quod sibi bonum visum fuerit. Quis hic hominis, qui seipsum abnegarit, indicia non agnoscat, cùm ad omnem euentum sese Deo paratum & obedientem statuat? Et huius quidem generis multa exempla in scripturis habentur, quæ breuitatis causa omittimus, cùm ex his quiuis facilè colligat, quomodo affecti sint, qui seipsos verè abnegarunt. In quorum consyderatione ideo etiam diligentius nobis versandum est, vt de illorum hypocrisi iudicare discamus, qui de sui ipsius abnegatione multùm gloriantur, quando vel eremiticum vel monasticum vitæ genus elegerunt: quasi verò illa in externis hisce consistat, quibus qui occupantur, sæpe interea carni & affectibus carnis quàm maximè addicti sunt. Nec ea nos abnegare aut relinquere iubet Christus, quorum vsus nobis à Deo concessus est, sed hoc potius vult, vt nosipsos relinquamus, quoad carnis nostræ affectus & studia diuinæ vocationi reluctantur.

1. Cor. 2.

Ioan. 3.
Colos. 3.

Gen. 12. 22.
Rom. 4.

Iob 1. 2.

2. Sam. 15.

At

At quia hoc carni perquàm durum & graue est, nouisse proderit, quibus adminiculis eò vsque homo proficere queat, vt semetipsum abnegare velit. Vbi ante omnia tenendum est, vires nostras omnino nullas esse, sed diuinitus nos regenerari oportere, vt tales efficiamur, qua de re ipse Dominus cũ Nicodemo prolixè & grauiter disserit. Ioan. 3. Attamen non otiosos nos esse uult Deus, sed exercitia quædam proponit, quibus plurimùm iuuari possumus. Inter quæ primus locus precibus debetur, in quibus pios semper assiduos fuisse constat. Horũ enim uoces sunt: Cor mundũ crea mihi Deus, &c. Vias tuas mihi commonstra, & assuefacito me semitis tuis. Item: Trahe me post te. Domine, adauge nobis fidem. Precibus verò assiduam et diligentem nostræ professionis siue vocationis meditationem coniungere decet, vt quid in genere à nobis omnibus Deus exigat, et quid nos ex singulari officio quod nobis iniunctum est, facere conueniat, seriò cogitemus. Ita enim fiet, vt minus loci demus ijs affectibus qui nos à vocatione nostra transuersos abripiunt. Et sanè hæc præcipua nobis maximorum peccatorum causa est, quòd nostræ conditionis rarò aut vix obiter recordamur, nec cogitamus nos olim Deo rationem reddituros esse, qui illorum quoque sanguinem à nostra manu requisiturus sit, qui nostra negligentia pereunt. Cuius considratio olim haud dubiè Dauidem impulit, vt se à peste occidi, quibus autem suæ fidei commissis parci postularet. Quem affectum Mosi etiam & Paulo scriptura tribuit. Accedat huic meditationi rerum huius seculi considratio, & vehementer nos adiuuari sentiemus. Quid enim in his omnibus certi & solidi inuenias, aut quod omni ex parte beatum sit? Quæ ergo stultitia, his ita intentum esse, vt propter caduca hæc carnis affectus abnegare nolis? At cum primis hîc proderit diligens à pueris institutio, quæ iuueniles affectus coherceat, vt à teneris statim ijs assuescamus, quorum vsus nobis perpetuò necessarius est. Nec enim durum videbitur ei aliquid præter carnis sententiam pati aut facere, qui iam dudum carnem frænare & cohercere didicit. Vnde Ieremias olim dicebat: Bonum est viro, si tulerit iugum ab adolescentia sua. Et hîc quidem parentes maximè sui officij meminisse debent, quorum negligentiæ hodie debemus quotidie in peius ruentem mundi licentiam.

Quibus medijs homo ad suijpsius abnegationem proficiat?
1 Psalm. 51. 25.
2 Cant. 1.
Luc. 17.
1. Sam. 24.
Exod. 32.
3 Rom. 9.
4
Thren. 3.

Secundum regulæ seu vitæ Christianæ caput: Tollat crucem suam. Cui apud Lucam additur, Quotidie. Crucis nomine scriptura omne genus tribulationum intelligit, nimirum ad Christum respiciens, qui in ara crucis pro nobis mori voluit. Nec temerè in præsenti eadem appellatione Christus vtitur. Ita enim docere vult, non leuiusculas modò afflictiones patienter ferendas esse, verumetiam grauissimas quasq;, quales eas fuisse scimus quas ipse sustinuit. Adhæc consolationis plenũ est, quòd afflictiones nostras suæ crucis titulo dignatur, vnde certò patet, nos gloriæ quoq; et beatitudinis cum illo consortes fore. At hîc tria nobis consyderanda veniunt.

2. Tollat crucem suam.

Primum, quam crucem homo Christianus subire debeat. Suam nimirum, id est eam, quæ illi à Deo ceu propria imposita fuerit, qui pro sua bonitate et sapientia ea singulis imponit, quæ ipsis vtilia & necessaria esse videt. Nihil ergo hic de cruce vel lignea vel lanea aut textili Christus loquitur quam multi in vestibus portare solent, vt Christi discipulos sese profiteantur. Sed de molestijs & afflictionibus à Deo impositis sermo est. Peccant igitur hîc primò impatientes, qui Deo præscribere solent, & aliorum cruces leuiores putant, et proinde permutationem fieri cupiunt. Deinde superstitiosi, qui relicta statione sua, sibijpsis afflictionum authores sunt, quas Deus non immisit: quod Monachos & Anabaptistas facere videmus, qui vt cruce gloriari possint, quam perpetuam Christianorum tesseram esse clamant, relictis parentibus, coniugibus & liberis, spontaneum exilium sibijpsis indicunt, magistratus pios etiam aduersum se prouocant, per quos illis domi manere & cultui diuino vacare liceret, nisi ipsi cum ratione insanire mallent. Ridiculi planè & iniqui homines, cùm non videant, ipsis in sua quoq; vocatione manentibus crucem non defuturam esse, nec Christi crucem censeri posse, quam ipsi nobis præpostero zelo imponimus.

Christiani suam crucem tollant.

Deinde vt nos in cruce ferenda geramus, videndũ erit. Facit huc tollendi verbum, quo animi alacritas notatur, quã pij in eo declarant, quòd non modò imposita à Deo onera patienter ferunt, sed ipsi illa volentes in se recipiunt, adeoq; gaudent, si Deo hac in re officiũ præstare possint. Ita Apostolos gauisos esse legimus, quòd digni habiti fuissent, qui pro Christi nomine cæderentur. Et frequenter in credentibus hoc Paulus commendat, quòd opũ suarum direptionẽ & alias afflictiones cum gaudio sustinuerint. Procul ergo à meta absunt adhuc, qui crucẽ vel cũ Christi abnegatione subterfugiunt, vel

Vt crux ferri debeat.
Actorum 5.
Colos. 1.
1. Thess. 1.
Hebr. 10. &c.

propter illam cum Deo expostulare nō verentur. At simul etiam consyderanda est particula, Quotidie, cuius Lucas meminit, quæ perseuerantiam nobis commendat, qua nisi in finem vsq; duremus non proderit bene cœpisse: cùm sua sit vnicuiq; diei afflictio, nec unquam defuturi sint, qui nos instar Simonis Cyrenensis cruci subijciant. Quare vehementer errant, qui vbi semel & iterum tribulationem aliquam senserunt, quasi suo officio iam defuncti sint, ipsi sibi ferias indicunt, & alios submitti volunt, qui onus illud subeant. Longè aliter Paulus, qui cùm labores, pericula, carceres, flagra, lapidationes, naufragia & nihil non afflictionum recensere posset, tamē non ad vincula modò, verumetiam mortem se paratum esse dicebat. Quem nisi imitemur, carnis impatiētia mox superabimur, dum nos nobis ipsis meritò & iure indulgere putamus.

Matth.6. Marc.14. 2.Cor.11. Acto.20.21.

At hîc iam tertio loco quærendum erit, quibus rationibus nos confirmari oporteat, vt hoc præstemus, quod carni durum & intolerabile videtur. Vbi non minus, quàm in nostri ipsius abnegatione, ad Dei auxilium confugiendum erit assiduis precibus, quarum exemplum Christus iam moriturus præbuit. Sunt tamen quædam, quorum consyderatio ad confirmandos animos nostros plurimum momenti habent. Primum est æterna Dei prouidentia, qui vt pilos capitis nostri numeratos habet, ita omnia nostra videt, nouit atq; gubernat, adeò vt absq; illius nutu & arbitrio nihil nobis mali accidere possit. At cùm idem iustus & benignus pater sit, nihil præter meritum nobis immittit, & simul ad eum finem omnia refert, vt nostræ saluti seruiant, nec suos vltra quàm ferre possint, tentari patitur. Huius consyderatio fecit, vt Iobus opum suarum direptionem patientissimè ferret, eò quòd non in Sabæos aut Chaldæos respiciebat, sed in Deum, qui illis ceu instrumentis vti voluerat. Similiter Dauid Semei conuitia patienter sustinuit, quòd ita à Deo decretum esse cogitaret, vt publicè proscinderetur, qui tam exiguam diuini nominis & gloriæ rationem habuisset, quando vt libidinis suæ dedecus velaret, fortissimum virum Vriam, hostium prophanorū gladijs obiecerat. Quin ipsum Christum huc respexisse constat, quando scripturas et Dei patris consilium toties allegat, quando de sua morte & cruce vaticinatur: & Pilato dicit: Non haberes contra me quicquam, nisi tibi datum esset è supernis. Minimè ergo audiendi sunt, qui in diuinæ prouidentiæ negotio nudam permissionem & contingentiam fingunt, quæ in Dei decretis nulla esse potest, nisi illum à rerum gubernaculis deijcere libeat. Et qui hanc inconsyderatè statuunt, eam nobis consolationem eripiunt, qua nulla in aduersis certior & efficacior haberi potest. Deinde multiplicem crucis fructum consyderare conuenit. Hæc enim & fidem nostram mirificè probat (vt Petrus ignis & auri parabola docet) & carnem in officio continet, quæ alioqui impinguata aduersus Deum calcitrat, & pœnitentiæ seruit ne cum mundo pœnitere nescio condemnemur, adhæc mundi huius tædium conciliat, & cœlestis patriæ desyderio inflammat, ad quam vix unquam aspiramus, si omnia nobis pro votis succedant. His coniungamus retributionem, quæ nobis in cœlo amplissima parata est. Vult enim Deus, vt cum Christo regnent, qui cum illo passi sunt: & cum illo in cœlis viuant, qui cum illo in tentationibus ipsius perseuerant. Vbi multum proderit terrenorum cum cœlestibus bonis comparatio quæ tanta sunt, vt propter terrena minimè negligi debeant. Hæc enim incerta, momentanea & noxia esse, res ipsa docet. In cœlis autem thesauri sunt, quos nec fures eripere, nec tineæ aut erugo corrumpere possunt. Ibidem ea nobis præmia præparata sunt, quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt. Hæc & alia eius generis si assiduè meditemur, plurimùm ad ferendā crucē roboris nobis accedere videbimus.

Quibus rationibus ad crucem ferendam confirmemur. Ioannis 17. Luc.22. Matth.10. Rom.8. 1.Corinth.10 2.Sam.16. Ioan.16. 1.Pet.1. 1.Corinth.11. 2.Tim.2. Lucæ 22. Matth.6. Isaiæ.64.

Sed transeamus ad tertium huius regulæ caput, quo dicit Christus: Et sequatur me. At Christum corporaliter sequi nobis non licet quoad in hoc seculo versamur, sicuti Petro dicebat: Quo ego vado non potes me nunc sequi. Spiritualis ergo est sequela hæc, & in duobus potissimùm consistit. Primùm in fide, qua vt olim Abraham illum, priusquam in mundum veniret, apprehendit: ita nos olim præstitum & nunc corpore suo iam in cœlis agentem assequimur. Quod tunc fit, quando illum vnicum humani generis assertorem agnoscimus, & salutis nostræ spem in illo vno collocamus. Nam qui id faciunt, illum apprehendere, illum manducare, & in illo manere dicuntur. Est hoc probè tenendum, ne dum priora nobis videmur præstare, nostris ipsorum meritis aliquid tribuamus, sicq; non Christum sequamur, sed nos ipsos in Christi gloriam insolenter subuehamus, adeoq; ex nobis ipsis nouos Christos fingamus, quod nouissimis temporibus multos facturos esse, ipse prædixit. Huc ergo celebris ille de iustificatione fidei articulus pertinet, de quo pluribus dicendi locus alibi dabitur. Altera

3. Sequatur me. Ioan.13. Ioan.8. Ioan. 6. Matth.24.

huius sequelæ Christi pars in exempli ipsius imitatione & vitæ conuersatione consistit, & ex priori dependet. Qui enim Christum salutis suæ autorem agnoscunt, ij & doctrinæ illius obtemperant, & vitæ ipsius exemplum sibijpsis imitandum proponunt. Semper enim in illorum auribus sonant voces istæ: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Item: Exemplum præbui vobis, vt sicut ego feci, & vos faciatis. Quò & illud Pauli referri debet: Imitatores mei este, sicuti ego Christi sum. Poterant hæc in immensum extendi, sed præcipua tantummodò capita inspexisse sufficiat, quorum nos imitatores esse conuenit, si Christi discipuli haberi velimus. Elucet in eo obedientia numeris omnibus absolutissima qua patri obediens factus est vsq; ad mortem, & quidem mortem crucis. Idem innocentiæ ita studuit, vt non inuentus sit in ore ipsius dolus, & acerrimis hostibus dicere ausit: Quis ex vobis arguet me de peccato? Patientiæ typum in eodem habemus perfectissimum. Nam vt ouis ad mactationem ductus est, & vt agnus coram tonsore non aperuit os suum: & cùm maledictis incesseretur, non regessit maledicta: cùm malis affligeretur, non minabatur. Humilitatis verò adeò studiosus fuit, vt de torrente in via biberit, & serui forma assumpta in terris versari, denique discipulorum pedes abluere voluerit. De charitate verò illius quid dicere attinet, cuius simile exemplum nusquam reperiri, vel ex eo patet, quòd pro inimicis suis mori dignatus est. Fidei autem constantissimæ in Deum patrem, tum vbiq; aliàs tum in passione ipsius, indicia luculẽtissima apparent. Ista omnia nos imitari conuenit, nec offendi, etsi ad illius perfectionem nunquam eniti possimus. Quia enim totus noster est, ipse supplebit quod in nobis defuerit. Nec errabimus in tenebris, si illum sequamur, qui lux est & veritas. Idem cùm pastor bonus sit, nõ exemplo tantum præiuit, sed oues fessas fouere, languentes portare, errantes reducere, dissipatas colligere, saucias obligare, deniq; omnibus infirmitatibus fideliter mederi consueuit. Adhæc ipse panis simul & fons vitæ æternæ est: Nunquam ergo vel cibus vel potus animarum eos deficiet, qui ipsum sequuntur. Et cùm velit nos secum esse, vbi ipse est, vires haud dubiè suggeret, quibus confirmati eò vsq; peruenire possimus. In horum igitur consyderatione ita versemur, vt quod Christus iubet, præstemus sedulò. Renunciemus carni nostræ, nec illius blanditijs nos seduci patiamur. Subeamus alacres crucem nobis à Deo impositam. Sequamur Christum fide constanti & illius exemplum imitemur, qui per huius vitæ periculosas ambages tutos saluosq; perducet, & tandem regni sui cœlestis hæredes faciet. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Matth. 11. Ioan. 13. 1. Corinth. 11. Philip. 2. Isaiæ 53. Ioan. 8. Isaiæ 53. 1. Pet. 2. Psalm. 110. Philip. 2. Ioan. 13. Rom. 5. Ioan. 8. 14. Ioan. 10. Lucæ 15. Ezech. 34. Ioan. 6. 7. Ioan. 12. 14. 17.

HOMILIA LXX.

Nam quisquis uoluerit animam suam seruare, perdet eam: quisquis autem perdiderit animam suam causa mea & Euangelij, iste seruabit eam. Quid enim iuuabit hominem, si lucratus fuerit totum mundum, & animæ suæ iacturam fecerit? Aut quam dabit homo compensationem animæ suæ? Quemcunq; enim puduerit mei & sermonum meorum in natione hac adultera & peccatrice, illius pudebit & filium hominis, quando uenit in gloria patris sui cum angelis illis sanctis. Et dicebat illis: Amen dico uobis, quòd sunt quidam ex ijs qui hîc astant, qui nequaquam gustabunt mortem, donec uiderint regnum Dei uenisse cum potestate.

Dominus noster Iesus Christus apud Matthæum ait: Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, introibit in regnum cœlorum, sed qui fecerit voluntatem patris mei, qui in cœlis est. Quibus verbis partim quidem docet, nudam Christiani nominis professionem non sufficere ad salutem: partim verò officij admonet omnes eos, qui ipsius discipuli censeri volunt. Est hoc, vt patris voluntati obtemperent, quam qui facit (vt Ioãnes inquit) manet in æternũ. At quæ nam illa patris voluntas sit, nuper docuit, vbi tribus capitibus omnia ea complexus est, quæ ad vitam rectè & beatè instituendam faciunt. Cæterùm multa obstant, quò minus illa præstentur. Alios enim crux offendit, 1 quæ indiuulsa fidei Christianæ comes est, qui vt vitæ suæ consulant, Christum abnegare solent. Alij 2

Argumentum & usus præsentis loci. Matth. 7. 1. Ioan. 2.

opibus suis metuunt, nec de illis periclitari volunt. Sunt item, quos mundi amicitia & ambitio fascinat, vt Christi fidem vel apertè negent, vel astutè dissimulent, ne infames fiant. Multis item stultitia videtur propter Christi confessionem periclitari, cùm incerta et dubia sint, quæcunque de futuro seculo & regno ipsius cælesti in scripturis traduntur. Aduersus omnia hæc Christus in præsenti loco nos abunde instruit, & fidem veram eiusq; professionem omnibus ijs præferre docet, quæ in hoc mundo eximia & chara habentur. Quare multa consyderatione dignus est locus hic, vt ex eo de omnibus illis iudicare discamus, quæ fidem nostram oppugnant, & in illa aduersus omnis generis tentationes confirmemur.

I. Aduersus uitæ periculum instruit. Ioan. 16.

Primò de illis agit, qui de vita periclitari nolunt, cuius periculum crebrò subeunt, qui Christo fideles esse volunt. Notum est enim illud Domini: *Veniet tempus, vt quisquis interficiat vos, videatur Deo cultum præstare.* Docet autem, plurimùm falli suis rationibus qui vt vitæ suæ consulant, fidem negant, & mundo placere student. Bimembri autem sententia vtitur, & paradoxa planè, si ad nostræ rationis calculum examinetur. Prima eius pars est: *Quisquis voluerit animam suam seruare, perdet eam.* De ijs verò loquitur, qui carnis prudentiam secuti, ipsum abnegant, & vocationem suam deserunt, ne quod vitæ periculum subire cogantur. Hos vitam suam & seipsos, quo ad corpus & animam, perdere dicit. Primò enim etsi præsens periculum subterfugiunt, adhuc tamen communi moriendi lege tenentur, nec certum aliquod vitæ tempus sibiipsis polliceri possunt. Deinde subit animos illorum conscientiæ terror, quo horribiliter flagellantur, nec pacem inuenire possunt, cùm Christum reiecerint, in quo solo pater nobis placatus est, & quam pacem nostram esse Paulus testatur. Quò fit, vt quod viuunt mors potius dici mereatur, cuius terrores quotidie sentiunt. Si enim viuens mortuus est, qui huius vitæ delitijs & voluptatibus totus immergitur (vt de vidua lasciuiete Paulus loquitur) quantò magis mortuus dicetur, qui mortis terrores nunquam non sentit: qui vel nunquam excuti possunt, vel si qui eos excutere volunt, hi omni simul excusso pietatis sensu, in omne scelus ruunt, & dum pro carnis libidine vitam instituunt, seipsos in singula momenta æternæ morti magis magisq; mancipant. Præterea, quando hinc migrant, nec prius ad mentem redeunt, idem illis quod diuiti epuloni accidit. Animæ enim ipsorum ad inferos delatæ æternis cruciatibus addicuntur, posteris verò aut nullam aut infamem sui nominis memoriam relinquunt. Postremò non consistere possunt in resurrectione iustorum, sed tunc quoad corpus quoq; nunquam finiendis inferorum pœnis adiudicabuntur. Quis ergo non verißimum esse dicat, quòd Christus tales animam suam seq; ipsos totos perdere testatur?

Anima seruando perditur.

Rom. 5. Phil. 2.

Lucæ 16. Psalm. 1.

Anima perdendo seruatur.

Altera huius sententiæ pars est: *Quisquis autem perdiderit animam suam causa mea & Euangelij, iste seruabit eam.* Animam perdere dicuntur, qui vitæ periculum subeunt, & mortem potius oppetunt, quàm quòd Christum negare & illius regulam deserere velint. Hi animas suas seruare dicuntur. Primò enim illas in Dei manus deponunt, qui illas benignè suscipit, ac fidelißimè tuetur. Deinde inter medias afflictiones & omnis generis pericula salutares vitæ æternæ consolationes sentiũt, & pace in Christo fruuntur, quæ omnem mundi intellectum superat. Quò fit, vt in tribulationibus glorientur & gaudeant, & earundem disciplina aduersus carnis cupiditates rectè vtantur, & mũdo mortui Christo viuant. Cùm verò hinc migrant, iuxta Christi promißionem à morte in vitam transeunt, & memoriam eorum Deus tuetur & asserit, vt illorum fidem postea mundus prædicet, quos dum viuebant, hæreticos & seditiosos esse arbitrabatur, sicuti in prophetarum & Apostolorũ exemplis est videre. Sed nec corpora ipsorum Deus negligit, quæ in spe requiescunt, & diem redemptionis expectant, in cuius aduentu resuscitata immortalitatem induent, & æternis regni cælorum gaudijs fruentur. Sunt hæc totius scripturæ testimonijs, adhæc ipsius Christi exemplo ita confirmata, vt de præsentis promißionis veritate nemo dubitare poßit, nisi quis vniuersa salutis fundamenta conuellere, & scripturas omnes in dubium vocare velit.

Phil. 4. Rom. 5. Ioan. 5. Psalm. 34. Psalm. 16. Lucæ 21. 1. Cor. 15.

Optima ratio seruandi res quaslibet. Hebr. 11. Marc. 10.

Cæterum quod de anima siue vita in præsenti dicitur, ad omnia similiter referri debet, quæ nobis chara sunt, quæq; cumprimis seruata volumus. Nec enim alia est certior & tutior res quaslibet conseruandi ratio, quàm si in Dei manum deponantur, quem fidelem remuneratorem esse scriptura testatur, & ipsi quotidie experimur. Sed & infra pollicebitur Christus, eos qui propter ipsum & Euangelium ipsius bona hæc terrena amiserint, eadem decuplo recepturos in hac vita, & simul in cœlis

victuros

victuros esse in æternum. Exemplum istarum promissionum quotannis terra nobis exhibet, quæ sulcis suis commissa semina cum fœnore incredibili reddit: & nos de Dei fide dubitabimus? Horum ergo memores simus, quando de opibus, honore, coniuge, liberis & alijs eiusmodi periclitamur, & Deo consecremus nostra omnia, qui (si ita nobis vtile & salutare sit) ista aut seruabit nobis integra, aut amissa abundè retribuet.

Obseruabis præterea quod dicit: Quisquis perdiderit causa mea & Euangelij. Se ergo ipsum cum Euangelio Christus coniungit, nec temerè, quando duo hæc abs se inuicem separari non possunt. Vt enim Christus Euangelij argumentum siue subiectum est: ita nobis non alium Christum fingere debemus, quàm qui in Euangelio prædicatur. Admonet de hoc quando iam mortem aditurus, pro illis se orare dicit, qui per Apostolorum sermonem in ipsum crediderint, id est, qui talem ipsum agnoscunt & amplexantur, qualem Apostoli prædicarunt. At de hoc supra in Petri confessione dictum est, & quoad hunc locum, in Apostolorum doctrina cumprimis obseruandum erit, illos omnem salutem in vno Christo monstrare, quem nobis à Deo patre sapientiam, iustitiam, satisfactionem, sanctificationem, mediatorem, aduocatum, pacem & vitam factum esse, vnanimi consensu testantur. Et nota est celebris illa sententia, quam coram Senatu Hierosolymitano protulerunt: Non est aliud nomen sub cœlo datū inter homines, in quo oporteat nos saluos fieri, &c. Seruiunt hæc illis confutandis, qui cùm Christiani dici & haberi velint, tamen vel Euangelij doctrinam omnino aspernantur, quasi sine ea possit aliqua nobis obtingere salutis cognitio, vel Christum longè alium sibijpsis fingunt, quàm Apostoli tradiderunt, eiusmodi nimirum, qui subsidiarijs quibusdam opus habeat, quorum intercessione & meritis nos non minus, quàm ipso Christo, coram Deo adiuuari oporteat. Sunt hi ex pseudochristorum numero, quos nouissimo tempore exorituros esse, ipse prædixit, sed eosdem seriò cauendos esse monuit Matth. 24. &c.

Christus & Euangelium coniunguntur.

Ioan. 17.

1. Cor. 1.
1. Tim. 2.
1. Ioan. 2.
Ephes. 2.
Actorum 4.

Cæterum redeamus ad præsentis loci tractationem, vbi secundo loco de illis agitur, qui de opibus suis periclitari nolunt, quarum cupiditas & studium in salutis negotio cumprimis noxia & perniciosa est. Nam qui illas acquirere student, in varias tentationes incidunt, & rarus est, qui non in aliquo peccet, vt non temerè omnis diues aut iniquus, aut iniqui hæres esse, vulgò dicatur. At qui opes iam acquisitas possident, ij vel animum illis consecrant, & idololatræ fiunt: aut illis ad luxum, libidinem & violentam aliorum oppressionem abutuntur. Vbi verò periculum illas amittendi imminet, quiduis faciunt, modò eas retinere possint: & si illarum iacturam euitare non possint, tandem impatientia superati, in horribiles blasphemias erumpunt, nec rarò in desperationem veniunt. Exempla passim occurrunt, & hodie ditescendi studium vt multis impiæ defectionis causa est, ita multos scientes & volentes in superstitionum cœno retinet, qui opes Christo & animarum saluti præferunt. At omnibus istis incommodis probè medetur Dominus, dum diuitias ad hominis salutem & incolumitatem nihil facere docet, nec in illarum abundantia (vt alibi ait) vitam nostram consistere. Quid iuuabit hominem, inquit, si lucratus fuerit totum mundum, & animæ suæ iacturam fecerit? Quia cum post hanc vitam nullus opum vsus est (vt enim nihil in mūdum intulimus, ita nulli quicquam eorum quæ habet, efferre licebit) & plerunq; cui nam cedant, ignoramus: nihil certè profuerit, opes quantumuis ingentes cum vitæ iactura acquisiuisse. Imò furiosa planè censeri potest illorum dementia, qui opes vita chariores habent, quibus nisi viuant, frui non possunt. At quantò dementiores sunt, qui non modò huius mortalis vitæ iacturam faciunt, verumetiam animas æterno exitio immergunt, vt incertas & fluxas opes vel acquirere, vel retinere possint? Atqui hoc illis accidere, qui Christū abnegant, paulò ante vidimus, & postea iterum ostendetur. In præsenti verò alia ratione probat quod dixit, addens: Aut quam dabit homo compensationem animæ suæ? Quia enim moriendi legem omnibus ex æquo Deus imposuit, & idem iustissimus iudex est, nemini propter opes immunitatem concedit, nec cuiquam pecunijs animam migrantem vel detinere, vel reuocare datur. Facit huc quod in Psalmis habetur: Nemo fratrē suum redimendo redimet, neq; Deo redemptionem eius persoluet. Sunt hæc notiora, quàm vt multis explicari debeant. Vtinam verò in illorum consyderatione diligentius versaremur, & maior esset in veræ fidei assertione constantia, maius item iustitiæ & charitatis studium, minus verò peccaretur auaritia, fastu, libidine, oppressione pauperum & sanguinaria bellandi rabie, quibus studijs ferè infelix mundus hodie distrahitur. &c.

II. Aduersus operum studiū instruit.
1. Timoth. 6.
Ephes. 5.
Colos. 3.

Luc. 12.

1. Timoth. 6.

Psalm. 49.

III. Aduersus mundi studium instruit.

Tertiò illis remedium adhibet, qui vt coram mundo magni habeantur, fidem veram vel apertè negant, vel mirificè dissimulant, si quando in eos incidunt, quos Christi & Euangelij hostes esse nouerunt. Quemcunque puduerit mei (inquit) & sermonum meorum in natione hac adultera & peccatrice, illius pudebit & filium hominis. Primò autem sceleris huius atrocitatem arguit, dicens: Quemcunque mei puduerit, &c. Quis enim non eum filium detestetur, quem patris sui pudeat, cuius virtus & probitas multis nota sit? Aut quis eum seruum ferat, quem ad nominis sui mentionem erubescere audiat? At quanto immanius scelus est, si hominem peccatorem & mortis æternæ reum Christi Iesu pudeat, qui nostra causa serui formam assumpsit, & in cruce medius inter latrones suspensus peccata nostra expiauit, & nunc in cœlis ad dextram Dei patris sedens cum illo regnat? Est hoc ingens peruersitatis nostræ argumentum, & incredibile videri poterat, hominem eò impietatis deuenire posse, nisi tot exempla essent eorum, qui ad hunc modum peccant. Ita enim Petrus lapsus est, quòd præpostero pudore deceptus, eius discipulus censeri nollet, quem vinctum teneri videbat. Et hodie plurimos licet videre, qui cum Euangelij studium plenis buccis profiteantur, vbi huius professionem sibi lucrosam esse vident, mox miris artibus quiduis simulant, & dissimulant, si quando cum professis Euangelij hostibus agendum est, aut si quod periculum persecutionis immineat. Huius leuitatis causa est, quòd nec de mundo hoc, nec de ipso Christo rectè iudicant: alioqui enim nec mundi minas timerent, nec illius amicitiam & inanes huius seculi honores Christo anteferrent. Prudenter ergo in præsenti seipsum cum mundo Christus confert, vt nos rectius iudicare doceat. Et mundum quidem adulterum & peccatorem vocat, ad ingenitam nimirum corruptionem respiciens, qua fit, vt qui ad Dei imaginem creati fuerunt, vt Dei filij essent, à sua dignitate excidant, & degeneres reddantur. Nec aliter fieri potest, quando Christum reijciunt, qui solus nos regenerat, & in se credentibus potestatem dat, vt filij Dei fiant. Quis verò sanæ mentis tales homines tanti faciat, vt illorum causa Christum dissimulet siue neget, & propriam salutem negligat? Deinde se quidem filium hominis vocat, at interim gloriosi sui aduentus ad iudicium meminit, cui nos omnes sisti oportet, & coram quo nemo consistet, nisi quem ipse pro suo agnouerit: nec quicquam proderit mundi huius authoritas siue fauor illis, qui tunc æterno supplicio adiudicabuntur. At quomodo pro suis agnoscat illo die Christus eos, qui illum periclitantem deseruerunt, & quos ipsius adeò puduit, vt hostibus sese coniunxerint? Horum ergo nos semper meminisse vult: & sanè qui hoc faciunt, eos Christi adeò non pudebit, vt potius cum Paulo dicant: Non me pudet Euangelij, nam potentia Dei est ad salutem omni credenti. Item: Absit vt glorier præterquàm in cruce Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Interim vides, quàm errent, qui fidei confessionem inter adiaphora numerant, & mundi iudicio sese accommodare student. Quia enim totos sibi vendicat Christus, nulla nostri pars illi negari debet, & vt illum cordi per fidem apprehendimus, ita eundem ore profiteri & omnem vitæ conuersationem ita instituere debemus, vt omnia nostra Christum loquantur & sapiant. Tales olim beati martyres fuêre, qui nec aliorum voces ferendas esse putarunt, qui præpostera misericordia moti, illos sacrificaturos aut per Cæsarum fortunam iuraturos esse pollicebantur. Et celebre est militum Iuliani exemplum, qui cùm per imprudentiam thura adoleuissent, eius admoniti, cum vitæ periculo culpam suam publicè accusabant, fidem veram profitebantur, & se Christi cultores esse magna animorum constantia dicebant. Quos qui imitantur, eos Christus quoque olim pro suis agnoscet, quando ad iudicium ipsius omnes gentes & tribus terræ sistentur.

Phil. 2. Psalm. 110. Matth. 26. Christi & mundi comparatio. Ioan. 1. Rom. 1. Galat. 6. Fidei confeßio non est indifferens.

IIII. Iis occurrit, qui de futuro seculo dubitant.

Cæterum quia multis incerta videntur, quæcunque de futuro seculo & Christi regno cælesti dicuntur, & fortassis pleriq; auditorum dubitabant, an regnum Christus vnquam habiturus esset, addit: Amen dico vobis, quòd sunt quidam ex ijs, qui hîc astant qui nequaquam gustabunt mortem, donec viderint regnum Dei venisse cum potestate. Quæ verba bifariàm exponi possunt. Primùm de Euangelij prædicatione, quæ ipsis adhuc viuentibus per totum orbem propaganda sit, adeò vt ex ea constet, se illum esse, cui pater regnum destinarit. Deinde de sequenti historia, in qua tribus discipulis in sui transfiguratione cælestis regni sui gustum præbuit, seq; illis ita conspiciendum dedit, sicuti olim ad iudicium venturus est. Nobis verò omnium istorum hic vsus esse debet, vt beneficij & salutis per Christum partæ memores, simul cogitemus illum aliquando omnis terræ iudicem fore: &

proinde nec mundum hunc, nec opes, imò nec vitam nostram illi anteponamus: semper verò ad mortem præparemur, vt quandocunq; ille veniat, ipsius conspectum ferre poßimus. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

CAPVT IX.

HOMILIA LXXI.

ET post dies sex assumit Iesus Petrum & Iacobum & Ioannem, & subducit eos in montem excelsum priuatim solos: & transformatus fuit coram illis, & uestimenta eius facta sunt coruscantia, candida ualde ut nix, qualia non potest fullo super terram dealbare. Et uisus est eis Elias cum Mose, qui colloquebantur cum Iesu. Tunc respondens Petrus, dicit Iesu: Rabbi, bonum est nos hîc esse, faciamus igitur tabernacula tria, tibi unum & Mosi unum, & Eliæ unum. Non enim sciebat quid loqueretur: erant enim exterriti.

Argumentum & usus loci præsentis.

CVm Dominus noster Iesus Christus vniuersalem rectè & beatè viuendi regulam præscripsisset, qua ab vno quouis homine carnis & ingenitæ naturæ abnegationem, patientiam in cruce & cum fide coniunctam exempli sui imitationem requirit: mox grauißimas rationes subiecit, quibus præsentis vitæ cupiditatem: diuitiarum illecebras & huius mundi studium reprimere voluit, quæ tria maximè obstant, quò minus ab illo præscriptam regulam sectemur. Fuit inter has præcipua, nouißimi adueutus sui ad iudicium denuntiatio, in quo se nequaquam pro suis habiturum minatur eos, quos coram mundo hoc adultero & omnibus modis corruptißimo, sui & Euangelij sui puduerit. Quia verò impij, quæcunque de futuro seculo dicuntur, negare solent, & ipse non ignoraret, nouißimis temporibus paucißimos fore, qui mundum hunc interiturum, & ipsius iudicio homines omnes sistendos esse credant: simul regni sui cœlestis & nouißimi sui aduentus specimen quoddam & gustum nonnullis promiserat. Et hunc in præsenti transformationis suæ historia exhibet, quam à tribus Euangelistis spiritus sanctus diligentißimè describi voluit, eò quòd multa illi insunt, quorum cognitio consolationi simul & institutioni nostræ plurimùm seruit. Ante omnia verò præcipuum illius scopum obseruare oportet, qui duplex est. Primò enim ostendit, quomodo olim ad iudicium venturus sit Christus, & quæ nam futura sit tum regni ipsius tum omnium piorum in cœlis conditio. Quia enim nos corpori Christi glorioso similes fore Paulus testatur, tales omnino erimus, qualem hîc sese discipulis conspiciendum exhibuit. Deinde perspicuè docet, Iesum hunc reuera esse promissum illum Saluatorem, quem regno suo instaurando Deus ab æterno prædestinarit, & quem omnes eos amplecti oporteat, qui regni illius ciues fieri velint. Ad primum ea pertinet, quæ modo perlecta sunt, & quæ diligentem omnium circumstantiarum descriptionem complectuntur.

Matth. 17. Lucæ 9. Philip. 3.

I Tempus.

Primum tempus notatur, & post sex dies, ex quo ista promiserat, hæc facta esse dicuntur. Lucas octidui meminit, nec tamen à Marco & Matthæo dissentit. Hi enim dies intermedios tantum numerant. Ille verò duos quoque extremos adijcit, primum scilicet, quo ista Christus promisit, & illum ipsum, quo transformatus est. Facit autem hæc temporis notatio ad Christi fidem declarandam, qui cùm ipsa sit veritas, promißis suis nunquàm deest, nec etiam illa diutius differt, quàm nobis conducere nouit. Quare hoc & eius generis alia exempla ad omnes illius promißiones extendere debemus, vt fidei nostræ confirmandæ seruiant, & fluctuantes nos in obedientiæ officio contineant.

II. Testes. Mar. 5. Matth. 26. Deut. 19. Ioannis 8.

Secundò personæ nominantur, quas huius rei spectatores esse voluit. Sunt autem tres numero, Petrus, Iacobus & Ioannes, quos alibi quoq; sibi præ cæteris familiariores habuit. Nam ijdem supra quoq; cùm Iairi filiam suscitaret, ipsi præstò fuerunt. Et ad Olïueti montem coram his ipsis extremam suam infirmitatem testatus est. Tres verò adhibuisse videtur, vt sufficiens de his testimoniũ possent reddere. Notum est enim illud in Lege: In ore duorum aut trium testium stabit omne verbũ.

Interim admonemur hoc exemplo, magna esse inter electos donorum discrimina, adeò vt alij alijs
2.Timoth.2. præstent, & excellentiores habeantur. Et vt in magna domo varia vasa sunt, nec idem precium est eorum quoque quæ ad honorem seruiunt: Ita pro functionum diuersitate Deus suos vel pluribus vel paucioribus donis instruit. Huius meminisse debent, qui rerũ gubernaculis præsunt, ne temere quiduis cuiuis committant, sed donorum rationem habeant. Et qui se præ alijs instructos esse, & proinde grauioribus negotijs adhiberi vident, non insolentius agant, sed cogitent, se à Deo accepisse quicquid
1.Corinth.4. habent, cui olim rationem reddent. Rursum qui se minus habere intelligunt, non ideò vel de Dei gratia desperent, vel fratribus suas illas prærogatiuas inuideant, sed Apostolos imitentur, qui etsi tres hosce sibi in multis præferri videant, minimè tamen aduersus Christum murmurant, nec quicquam illis inuidiose exprobrant. Quod ipsum si hodie omnes obseruarēt, et ipsi donis suis rectius vterentur, & minus simultatum atq; contentionum esset in ecclesijs.

III. Locus. Tertiò locus quoq; notatur, quando Christus discipulos hos in montem excelsum subduxisse dicitur, quem Hieronymus Thabor vocat. At illud Christo solenne fuisse videtur, vt de rebus magnis
Matth.5. & 14.&c. Luc.22. acturus, montes ascenderit. Ex monte enim nobilem illam concionem habuit, quam Matthæus prolixè describit. In monte illum orasse frequenter legimus. Et mortem aditurus ad Olíueti montem preces fundit, & ex eodem postea cœlos conscendit. Ita uerò docet, nos si quid rei sacræ tractare libeat, animos & cogitationes nostras à terrenis in altum subuehere nec humanis rationibus acquiescere debere. Vt enim caro spiritus mysteria non percipit, ita eidem aduersari solet. Quare nos, quo ad huius dictata audimus, in cœlestium cognitionem peruenire impoßibile est. Et huc facit, quòd Lucas eum, vt primùm eò peruenit, orauisse scribit, vt illum non tam corpore quàm animo in altum conscendisse
Psal. 25. ostendat. Constat enim oratione mentes nostras ad Deum attolli, vt cum eo colloquantur de ijs, quæ nobis maximè cordi sunt. Et sanè vt omnia alia diuinitus peti debent, ita cumprimis precibus opus est ijs, qui vel Christi iam in regno suo clarificati mysteria intelligere, vel futuræ clarificationis consortes fieri cupiunt.

IIII. Modus clarificationis. Porro his quarto loco clarificationem ipsam Marcus subijcit. Et primò quidem in genere rem complectens ait: Transformatus fuit coram illis. Deinde mox illud ipsum plenius exponit, dicens: Et vestimenta eius facta sunt corruscantia, candida valde vt nix, qualia non potest fullo super terram dealbare. Matthæus verò faciei quoq; meminit, quam Solis instar splenduisse scribit. Simul autem cum Christo visuntur Elias & Moses, quos ipsius excessum illi exposuisse Lucas ait, quem Hierosolymis completurus erat. Commodè verò de hoc sermonem faciunt, cùm paulò ante illius
Lucæ 24. mentione Petrus tam grauiter offensus esset. Hinc enim discebat, idem olim in lege simul & prophetis prædictum fuisse, quorum omnium personam duo isti modò sustinebant. Sed diligentior huius rei tractatio ad secundum huius historiæ scopum pertinet, de quo in sequenti sermone dicetur. Nunc duo excutienda veniunt.

Quomodo Christus ad iudicium uenturus sit. Primum, vt Christus nouißimo die ad iudicium venturus sit. Veniet autem idem ille Dei filius, qui ex Maria virgine homo factus est, & illo ipso corpore veniet, quod ex Maria assumpsit, & in quo cum hominibus in terris versatus est. Nec audiendi sunt, qui illum in cœlis agentem carnis creaturam deposuisse, & humanam naturam à diuina absorptam esse docent. Supra enim promisit discipulis, quòd talem visuri essent, qualis in suo regno & gloria venturus est. Viderunt autem verum hominem, qui nec faciem nec alia membra deposuit, sed nouo splendore & cœlesti gloria corpus
Dan.7. simul totum illustrauit. Quid? annon Daniel quoq; extremi iudicij typum in spiritu præuidens, filii hominis se vidisse testatur? Et ipse Christus de nouißimo suo aduentu disserens, frequenter filij ho-
Matth.24. & 25. Luc.18. minis vocabulum vsurpat. Videbunt (inquit) filium hominis venientem in nubibus cœli. Item, cùm venerit filius hominis in gloria sua, &c. Et rursum: Filius hominis cùm venerit, an reperturus est fidem in terra? Taceo infinita eius generis testimonia, quæ ex prophetarum & Apostolorum scriptis colligi poterant. Quare firmiter credendũ est, eo ipso corpore venturum Christum, in quo prius acerbam mortem sustinuit. At illud ipsum, etsi substantiam non exuerit, clarificatum tamen infirmitates eas deposuit, quæ nostris corporibus ex peccato inhærent, & quæ olim in Christi corpore locum habebant, eò quòd nostra peccata in sese recepisset. Et huc facit illud Augustini, quod in Epistola ad Dardanum habetur: Sic venturus est illa angelica voce testante: quemadmodum ire visus est in cœlum,

in cœlum, id est, in eadem carnis forma atq; substantia, cui profectò immortalitatem dedit, naturam non abstulit. Gloriosus ergo veniet & diuina maiestate plenus, quæ vt pijs & electis gaudium pariet incredibile, ita impijs terrorem afferet, quando mox propriæ conscientiæ testimonio conuicti, horrendum æternæ damnationis supplicium sibi imminere sentient. Sunt hæc in scripturis passim exposita, & frequenter occurrunt, quare illis in præsenti diutius immorari minimè opus est. Istius modò meminerimus, quòd vt consolationi plurimum ista seruiunt in aduersis, ita eorundem meditatione nosmetipsos in officio continere debemus, ne vel opum vel voluptatum cupiditate, aut mundi studio abrepti, ea committamus, quæ illum diem nobis terribilem reddant, quem pijs diem redemptionis fore Christus pollicetur. Vide Luc. 21. 1. Thess. 4. Apoc. 21. &c.

Alterum verò hic consyderandum venit, quæ nostra in resurrectione & regno cœlorum conditio futura sit. Nam vt supra ex Paulo annotauimus, Christus mortalia nostra corpora suo corpori glorioso conformia reddet. Ergo ijsdem corporibus resurgemus, quæ modò gestamus, & in quibus modò esurimus, sitimus, algemus, adhæc penuriam, morbos, exilium, vincula, ipsam deniq; mortem sustinemus. Exigit hoc Dei iustitia, vt ea corpora remunerationem habeant, quæ pro ipsius gloria certauerunt. Vt verò solida sit illa remuneratio, per clarificationem tollentur infirmitates & vitia, quibus corpora nostra, quoad hîc viuimus, infestari et deformari solent, qua de re multis Paulus in priori ad Corinthios disserit. Et Daniel de beatorum gloria in resurrectione loquens ait: Doctores splendebũt vt splendor firmamenti: & qui multos ad iustitiam adducunt, vt stellæ in sempiternum. Resuscitatis verò omnia ea contingent, quæ hic in Apostolis adumbrantur. Vident illi faciem Christi splendentem, & inde incredibilem voluptatem percipiunt, quæ illos omnium, quæ in terris habebant, obliuisci faciunt, sicuti ex Petri verbis conijcere licet: Ita & nos in Dei facie, quem tunc (teste Apostolo) coràm visuri sumus, satietate gaudiorum fruemur, nec vlla amplius restabit eorum memoria, quæ vel desyderium terrenarum rerum, vel dolorem & molestiam nobis conciliare possit. Deinde cum Christo simul Eliam & Mosen vident Apostoli, quos etiam agnoscunt, licet nunquam ante abs sese visos. Adumbratur hic conuersatio, quam cum beatis omnibus iucundissimam habebimus. Venient enim ab Oriente & ab Occidente (inquit alibi Christus) & accumbent in cœlis cum Abrahamo, Isaaco & Iacobo. Et sicut discipuli cœlestis gloriæ afflatu instituti Eliam & Mosen primo statim intuitu internoscere poterunt: Ita nos quoque sanctos omnes agnoscemus, quotquot à prima rerum origine in hunc vsque diem vixêre, & quotquot deinceps vsq; ad nouissimum Christi aduentum victuri sunt. Agnoscemus etiam nostros omnes, quorum conuersatio nobis in hoc seculo piè viuentibus iucunda fuit. Nec id mirum videri debet, quando scimus Adamum patrem nostrum Euam suam, quæ ipso dormiente condita fuerat, illicò agnouisse, quòd caro esset ex carne sua, & os ex ossibus suis. Quòd si ea fuit hominis nondum lapsi, attamen in terris agentis, cognitio, annon maiorem illis obuenturam putabimus, qui in cœlis omni ex parte perfecti erunt. Ita verò agnoscemus nostros, vt nulla simul subeat animos nostros offensarum memoria, nec vllus affectus carnalis interueniat, sicuti Christus aduersus Sadducæos de cœlitum statu disserens luculenter docet. Ideò de patrum veterum obitu scriptura loquens, illos ad maiores siue populos suos collectos fuisse dicit. Et huc facit, quòd in epistola ad Hebræos accedere dicimur, imò iam accessisse, ad ciuitatem Dei viuentis, ad Hierusalem cœlestem, & ad innumerabilium angelorum cœtum, & ad ecclesiam primogenitorum, qui conscripti sunt in cœlis, & ad iudicem vniuersorum Deum, & ad spiritus iustorum perfectorum, & ad noui testamenti conciliatorem Iesum Christum, &c. Horũ consyderatio vt animos incredibili cœlestis illius patriæ desyderio inflammat: ita aduersus mortis terrores efficacissimè consolatur, adeoq; nobis iucunda reddit, quæcunq; ad nostrum è terris in cœlos transitum faciunt: facit item vt nostrorum obitu minus consternemur, quando certum est, illos in cœlum nos præcedere, vbi illos paulò post reperturi sumus, & ibidem cum illis æternum viuemus. E contra de impiorum conditione miserrima hinc iudicare discimus, qui corporibus suis non quidem clarificabuntur ad gloriam, sed immortalitate donabuntur ad pœnam, & vbi magno cum dolore eos in gloria viderint, quos ipsi in terris persecuti sunt, tandem æternum cruciandi relegabuntur in eum ignem, qui paratus est diabolo & angelis eius.

Restat vt videamus, quomodo hoc cœlestis regni gustu discipuli affecti fuerint. Petrum quidem ita delectauit, vt cùm Mosen & Eliam (sicuti Lucas scribit) discedere videret, exclamaret: Rabbi,

Marginal notes: Quæ nostra futura sit in resurrectione conditio. — 1. Corinht. 15. — Daniel. 12. — 1. Corinth. 13. — Psal. 16. — Matth. 8. — Gen. 2. — Matth. 22. — Gen. 25. 35. 49. — Hebr. 12. — Sap. 4. 5. — V, Quomodo discipuli affecti sint.

bonum est nos hîc esse, faciamus hîc tria tabernacula, &c. At de eodem dicitur, quòd quid diceret ignorarit, & quòd omnes simul terrore & stupore, ceu somno, aggrauati fuerint. Accidit hoc illis, eò quòd in carne adhuc infirma & mortali agerent, nobis verò post nostrorum corporum clarificationē nihil tale metuendum erit. Elucet autem hîc infirmitas nostra quæ cœlestis gloriæ aspectum sustinere nequit, cuius multa in sacris literis exempla habemus. Iacob patriarcha ex angeli congressu claudus rediit. Mosi Dei faciem videre cupienti respondetur: Non videbit me homo, & viuet. Samsonis parentes ex angeli conspectu mortem timuerunt. Israelitæ ad montem Sinai magno cum terrore deprecati sunt, ne Deus cum ipsis loqui pergeret. Danielem quoq; in visionibus concidisse legimus, quod ipsum postea Ioanni Apostolo in Pathmo contigit. Zacharias verò Ioannis Baptistæ pater, cùm angelum vidisset, obmutuit. Seruiant hæc institutioni, ne altum sapiamus, & simul illorum arrogantiam suspectam habeamus, qui angelorum apparitionibus & visionibus impudenter gloriantur. Et hæc quidem de prima huius historiæ parte, & primo illius vsu dicta sint. Agnoscamus in his Dei bonitatem, qui vt nos per filij sui meritum cœlestis regni hæredes fecit, ita eiusdem gloriam nobis in eodem illo reuelare dignatus est: & huius spe inflammati, terrena relinquamus, & constanti fide per huius vitæ discrimina ad cœlestis patriæ hæreditatem contendamus, ubi cum Christo Iesu Dei filio vnigenito, & vnico saluatore æternum viuere dabitur: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Gene.32. Exod.33. Iudic.13. Exod.20. Dan.7.8.10. Apoc.1. Luc.1.

HOMILIA LXXII.

Et facta est nubes, quę obumbrauit illos, uenitq́ uox è nube, dicens: Iste est filius ille meus dilectus, ipsum audite. Et repentè cum circumspexissent, non amplius uiderunt quenquā, sed solum Iesum esse secū.

Argumentum & usus præsentis loci.

DVplex præsentis historiæ scopus & vsus est. Primò enim docet, quomodo Christus Iesus ad iudicium venturus, quæq; in resurrectione et regno cœlesti piorum conditio futura sit. Secundò Iesum hunc, qui ex Maria virgine homo natus est, simul Dei filium, & olim promissum humani generis saluatorem esse testatur, cui omnes eos consecratos esse & obedire oporteat, qui salutem consequi cupiunt. De priori nuper diximus, quantum per Dei gratiam datum fuit. Quare de posteriori modò agemus, cuius tractatio & cognitio vt nobis salutaris & necessaria est, ita fidem meretur certam & minimè fluctuantem, cùm non hominis alicuius aut angeli testimonium, sed ipsum Dei patris oraculum proponatur, qui cœlesti voce docet, quid de filio suo Iesu Christo teneri & credi debeat, imò paucis verbis vniuersam fidei & salutis nostræ rationem ita complectitur, vt illa sola ad omnes nostri seculi de fide & religione controuersias dirimendas sufficere possint. Quare vtilissimum fuerit singula ex ordine considerare.

Author oraculi Deus. Exo.13.14.16. Leuit.16. Nume.9.16. 1.Reg.8. Psal.97.104.

Primum author oraculi, Deus pater, certis quibusdam indicijs denotatur. Nam nubes lucida discipulos obumbrat, & ex nube illa vox auditur. At nubes diuinæ præsentiæ signa esse ex scripturis abundè constat. In nube enim Israelitarum castra præiuit, cùm ex Ægypto liberatos per mare rubrum & desertum duceret. Nubes quoq; tabernaculum operiebat, quando responsa deus dabat. Similiter nube templum replebatur, cùm illud diuinis cultibus Solomon dedicaret. Nubes denique dei vehiculum esse Dauid ait: nimirum quòd illis suam præsentiam & virtutem nobis declaret. Cùm ergo hic quoq; nubes mōtem simul & discipulos obumbrarit, & ex illa ipsa nube vox prodierit, dei hanc vocem fuisse, minimè dubium est. Et cùm alibi caliginis & nubium atrarum mentionem faciat scriptura, quæ horroris plenam dei irati maiestatem denotant, hic lucida nubes cernitur, quæ & præsenti clarificationis Christi negotio probè conuenit, & de dei fauore luculenter testatur, qui (vt postea audiemus) nobis in Christo reconciliatus est. Debent autem ista oraculi huius authoritatem & fidem commendare, ne dei patris de filio testimonium aliqua ex parte in dubium vocemus. Si enim hominū testimonium recipimus (vt Ioannes ait) maius vtique & ponderosius censeri debet dei testimonium, quod tanta cum grauitate & gloria filio suo reddidit.

1.Ioan.5.

Vnde petitum oraculum.

Cæterùm priusquàm ad huius testimonij siue oraculi explicationem descendamus, vnde illud desumptum sit, videre oportet. Ex scripturis nimirum veteris testamenti, in quibus singulæ illius partes ex-

tes expreßè ponuntur. In Psalmis enim habetur: Filius meus es tu, hodie ego te genui. Apud Isaiam verò de Christo Deus loquitur: Ecce seruus meus, quo nitar: electus meus, quo placatur anima mea. Moses verò, cùm prophetam illum magnum diuinitus promitteret, quem Christum Iesum esse Petrus & Stephanus testantur, addit: Hunc audite. Quid ergo dicemus? Num ex scripturis mutuatur Deus, quæ de filio pronunciet? Imò nisi hæc iam olim per spiritum suum in Mose & prophetis locutus esset, illi quod dicerent, non habuissent. Et licet alijs verbis filium suum commendare posset, illis tamen vti voluit, quæ in veteri scriptura continebantur, vt & scripturæ sacræ authoritatem assereret, & Iesum hunc eum esse testaretur, qui olim per Mosem & prophetas humano generi saluator promissus est. Quò cumprimis facit, quòd nuper cum Christo Mosem & Eliam à discipulis visos fuisse, & illos ipsius excessum siue mortem exposuisse, audiuimus. Et sanè, si Mosis & prophetarum scripta euoluamus, illos omnes Christi passionem & gloriam (vt Petrus ait) inuestigauisse patebit: vt non temere Christus resuscitatus dicat, oportuisse se mori & resurgere, vt implerentur, quæ in Mose, Psalmis & prophetis de se scripta extant. Plurimum ergo ad scripturæ sacræ commendationem facit hic locus, & eos confutat, qui veteris Testamenti libros nihil ad nos pertinere clamant. Quos si interrogaueris, cur Deus pater scripturæ verba cœlitus intonare, cur item Christus ipse & Apostoli Mosis & prophetarum authoritatem allegare voluerint, non habebunt quod respondeant, nisi ea quoq; fabulosa dicere velint, quæ ab Euãgelistis traduntur. Quòd si fecerint, Iudæis & Turcis deteriores sunt, nec digni, cum quibus de fide & religione disputetur. Potest etiam ex hoc loco ijs responderi, qui cùm de totius scripturæ fide dubitent, Deum, vt olim, cœlitus loquentem audire cupiunt, aut angelos doctores sibi dari petunt. Atqui hic Deus ipse loquitur, & paucis omnem nostræ salutis rationem simul et officium, quo ipsi obstricti sumus, comprehendit. Nec tamen aliud dicit, quàm quod ex eius suggestione iam olim Moses & prophetæ scriptis mandauerant. Neq; hodie aliud dicturus esset, si denuo nobis coram loqui dignaretur. Procul ergo facessant impiæ & scurriles illæ postulationes: Et Dei bonitatem potius agnoscamus, qui ne satanæ præstigijs locus esset, salutis doctrinam non ex reuelationibus incertis, sed certis scripturæ sacræ oraculis nos discere voluit. Eas ergo scrutemur, & in illis loquenti Deo credamus, nisi incertis traditionibus circũduci & malè perire volumus.

Psalm. 2. Isa. 42. Deute. 18. Acto. 3. 7. 1. Pet. 1. 1. Pet. 1. Lucæ 24.

His præmissis, ipsum patris Dei oraculum excutiemus, quod tribus partibus constat. Prima quis nam sit Iesus docet, quoad personam, siue essentiam. Secunda illius officium explicat, cui illum pater iam inde ab æterno destinauit. Tertia nostri nos officij admonet, quod illi debet, qui per ipsum saluari volunt. Oraculi partes tres.

Primò quis nam Christus sit, docetur, quando de illo loquens Deus pater ait: Iste est filius ille meus dilectus. Filium vocat, non ea ratione, qua nos propter adoptionis gratiam filij Dei censemur, sed sibi coæternum & consubstantialem esse testatur. Et huc facit, quòd ἄρθρον ista pronuncians, articulum & dilecti epitheton addit: Quasi diceret. Hic est vnigenitus ille & verus meus filius, quẽ vt ab æterno mihi consubstantialem genui, ita nunquam mihi inuisus & exosus, sed semper vnice dilectus fuit, nunc maximè, quando vt meo decreto obtemperet, vilem & miseram mortalium carnem assumere dignatus est. Asseritur ergo hac voce Christi diuinitas, & cùm de eo ista dicantur, quem hominem verum factum esse scriptura docet, eundem verum Deum simul & hominem esse constat, qua de re alibi prolixius est dictum. Est verò hoc euidens dilectionis Dei argumentum, qui vt nos, qui filij iræ eramus, ex morte in vitam assereret, filium suum vnigenitum, & qui solus diligi merebatur, pro nobis tradidit. Euertit hoc omnem nostrorum operum & meritorum fiduciam, quando hoc nulla alia ratione fecit Deus, quàm quòd nos immerentes dilexit, iuxta illud Apostoli: In hoc est charitas, non quòd nos dilexerimus Deum, sed quòd ipse dilexit nos, &c. Deinde vt hoc ipsum consolationi seruit, & de gratia Dei certos reddit, quòd qui filium dedit, nihil eorum negaturus sit, quæ nostræ saluti inseruiunt: Ita nostri nos officij admonet, vt Deum ipsi quoq; redamemus ex tota anima nostra, nec quicquam illo charius & præstantius habeamus. Qua enim venia digni erunt, qui huius mundi opes & voluptates, siue etiam vitam suam Deo præferunt, qui nos filio suo vnigenito & dilecto (vt ita dicam) chariores habuit?

1. Quis Christus. Rom. 3. Ioan. 3. 1. Ioan. 4. Rom. 8. Deut. 6.

Secundò officium Christi indicatur, ad quod illum pater ab æterno prædestinauit. Nam apud Matthæum additur: In quo mihi complacui. Quam particulam Marcus & Lucas sub dilecti epi- 2. Officium Christi.

1.Pet.1. *theto comprehendiſſe videntur, eò quòd filium pater ita diligit, vt propter illum nos quoque in gra-*
tiam receperit. Illum ergo mediatorem eſſe docet, qui vt nos Deo reconciliaret, in mundum venerit.
Conſtat enim nos omnes ex Adamo peccatores & filios iræ naſci. Nam cùm peccando à Dei imagi-
Gene.5. *ne & priori ſua dignitate Adam excidiſſet, iuxta ſuam imaginem filios ſuos genuit, ſicq; per vnum*
Rom.5. *hominem peccatum in mundum introiens vniuerſum mortalium genus peruaſit. At quia peccata à*
Iſaiæ 59. *Deo ſeparant (ſicuti ipſe per Iſaiam docet) nobis nullus ad thronum gratiæ aditus patebat, niſi me-*
diator aliquis Deum nobis iratum placaret. Hunc Chriſtum eſſe pater ipſe in præſenti teſtatur, &
ſic in illo nobis peccatorum remiſſionem & iuſtitiam, vnionem item cum Deo & vitam æternam
Iſaiæ 53. *commonſtrat. In hunc enim Deus conuenire fecit omnium noſtrum peccata, quæ mortis ſuæ merito*
1.Cor.1. *in ara crucis exipauit, ſicq; nobis à Deo factus eſt iuſtitia, ſatisfactio, ſanctificatio & redemptio. Fa-*
2.Corinth.5. *cit huc quod Paulus ſcribit: Omnia ex Deo, qui reconciliauit nos ſibi per Chriſtum Ieſum, deditq; no-*
bis miniſterium reconciliationis: quandoquidem Deus erat in Chriſto, mundum ſibi reconcilians non
imputans eis peccata ſua: & poſuit in nobis ſermonem reconciliationis. Itaq; nomine Chriſti legatione
fungimur, tanquam Deo vos obſecrante per nos, Chriſti nomine rogamus, Reconciliemini deo. Eum
enim qui non nouit peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iuſtitia Dei per illum. Cu-
ius generis multa extant in propheticis & Apoſtolicis literis, quæ paſſim magno conſenſu tradunt,
non alio mediatore nos cum Deo reconciliari & ſaluari poſſe, quàm Chriſto Ieſu, cui ipſe pater idem
teſtimonium cœlitus reddens, confirmat ea, quæcunq; in hanc ſententiam alibi habentur.

3. Officium noſtrum. *Tertiò noſtri nos officij Deus admonet, addens: Hunc audite. At dum nos illum audire iubet,*
vtiq; eum nobis doctorem conſtituit, qualem illum paſſim ſcriptura proponit. Moſes certè (vt ſupra
Deut.18. *diximus) prophetam vocat, quem qui audire nolit, excindi è populo mereatur. Apud Iſaiam verò*
Iſaiæ 61. *ſe à Deo vnctum & miſſum affirmat, vt pauperibus Euangelium, captiuis liberationem, & verum*
illum Iubilæum humano generi annunciet. Nec illum eò modò tempore docuiſſe putabimus, quando
1.Pet.1. *in carne inter homines verſatus eſt. Quin olim ſpiritu ſuo prophetis adfuit, qui ab ipſo illuſtrati*
2.Pet.1. *ſalutis myſteria veteribus tradiderunt. Idem Apoſtolos dedit, quorum miniſterio orbem terrarum*
Matth.28. *vniuerſum in Dei & ſalutis cognitionem adduxit. Quin in cœlis conſidens, etiam num dona ſua ho-*
Epheſ.4. *minibus largitur, & alios quidem facit Apoſtolos, alios verò prophetas, alios euangeliſtas, alios do-*
ctores & paſtores, quorum opera eccleſiam ſuam inſtaurare & ædificare ſolet. Perpetuus ergo &
Ioan.1. *vniuerſalis eccleſiæ doctor eſt, eoq; præſtantior reliquis omnibus, quòd è ſinu patris ad nos miſſus de*
ſuo accepit quæ nobis traderet, & quòd nemo prophetarum & Apoſtolorum tanta cum maieſtate or-
dinatus legitur, quantam hîc in Chriſti ordinatione diuinitus adhibitam fuiſſe videmus. Debent
iſta nos excitare, vt eò diligentius præſtemus quod hîc à nobis pater exigit, dum nos illum audire iu-
bet. Nec enim inanem auſcultationem præcipit, quam multis non profuiſſe ſcimus, qui illum docen-
tem frequentius audiuerunt. Sed primò quidem attentionem animorum requirit, deinde fidem quæ
Marc.4. *cum ſancto & ardenti obedientiæ ſtudio coniuncta ſit. De attentione ſupra egit in parabola ſeminis.*
Ioan.5. *Reliqua ſimiliter comprehendit, quando apud Ioannem ait: Amen dico vobis, qui audit verbum*
Matthæi 7. *meum, & credit ei, qui miſit me, habet vitam æternam. Item apud Matthæum: Qui audit ex me ſer-*
mones hos, & facit eos, illum ſimilem dicam viro prudenti, &c. Primus ergo noſtri officij gradus eſt,
Ioan.10. & 8. *Chriſtum in Euangelio loquentem audire. Nam oues meæ (inquit) vocem meam audiunt, & ſe-*
quuntur eam. Item: Qui ex Deo natus eſt, audit verba mea. Secundus, ijs credere, quæ ille loquitur.
Tertius per fidei obedientiam ſe totum illi accommodare. Qui hæc præſtant, ij fide in Chriſtum iu-
ſtificantur & iuſtificati peccare deſinunt, & vitæ innocentiam cuſtodiunt.

Summa eorum, quæ ad noſtram ſalutẽ ſpectant. *Habemus ergo in his vniuerſa fidei & ſalutis noſtræ myſteria, ſicut initio monuimus. Nos enim*
peccatores & propter peccata mortis reos ac iræ filios eſſe conſtat. Aliunde ergo quærendus erit, qui
peccatis liberet, qui vitæ reſtituat, & filios Dei faciat. Atqui de hoc hodie paſſim diſputatur. Sunt
enim qui ſuorum operum meritis iſtud ſe conſequi poſſe putant. Sunt qui diuis mediatoribus nitun-
tur. Sunt qui fidei & ſalutis ſuæ incerti, Concilij generalis determinationem expectant. At omnibus
Concilium Thaborinum. *iſtis mederi poterat vnicum hoc dei patris oraculum, quod non temere illi elapſum, ſed in Concilio*
omnium ſanctiſſimo pronunciatum eſt. Nam in ſancto illo monte conuenit quicquid vſpiam, ſiue
in cœlis ſiue in terris, aliquam authoritatem meretur. Aſcẽdit eò Chriſtus cum tribus diſcipulis, quos
ſibi fa-

sibi familiarissimos habuit. Adsunt ex defunctorum numero Moses & Elias, qui omnium veteris Testamenti sanctorum personam sustinent, & ijdem Christi excessum siue mortem exponunt. Mox Deus pater in nube lucida descendens alta voce decretum æternum & inuiolabile denunciat: Iste est filius ille meus dilectus, in quo mihi complacui, hunc audite. Et cùm ad Christi contactum (vt Matthæus scribit) discipuli, quos diuinæ maiestatis fulgor exterruerat, repentè circumspicerent, neminem præter Iesum solum viderunt. Solus ergo ille Dei filius magno suo merito dilectus est. Solus ille mediator est, in quo patri complacuit. Solus nostra est satisfactio atq; iustitia. Solus catholicus & orthodoxus fidei & salutis doctor est: quem omnes audire oportet, qui cum Deo reconciliari, & salutem consequi volunt. Quid ergo contendimus? quid frustra disputamus? Quid Deo ipsi ex nobis nouos mediatores obtrudimus? Quin illum in propheta clamantem audimus: Ego Dominus, hoc est nomen meum, & gloriam meam alteri non dabo. Item: Ego sum via & veritas: Nemo venit ad patrem nisi per me. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego vos refocillabo. Audiamus item Apostolos, quos vnanimi consensu testari scimus, non esse aliud nomen sub cœlo hominibus datum in quo saluari possint, præterquam Christi Iesu. Hæc si hodie audiret infelix mundus, mox controuersijs omnibus, finem impositum videret, & neq; Concilij generalis expectatione se suspensum teneri pateretur, neq; vllos præterea audiret, qui diuersam ab hac fidei & salutis rationem tradere audent. Quia verò plerisq; insanire libet, qui humana placita diuinis oraculis præferunt, nostrũ tamẽ fuerit, ista firmiter tenere, nec incertis opinionibus extra Christum vagari, in quo omnes salutis thesauri nobis repositi sunt. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Isaiæ 42. Ioan. 14. Matth. 11. Act. 4.

HOMILIA LXXIII.

Cum autem descenderent de monte, præcepit eis ne cui narrarent quæ uiderant, nisi cùm filius hominis à mortuis resurrexisset. Et tenuerunt apud se uerbum hoc, quærentes mutuò, quid illud esset, A mortuis resurgere. Et interrogarunt eum dicentes: Cur scribæ dicunt, quòd Eliam oporteat uenire prius? Ipse uerò respondens dixit illis: Elias quidem cùm uenerit prius, restituet omnia: & ut scriptum est de filio hominis, oportet ut multa patiatur, & pro nihilo habeatur. Sed dico uobis, quòd Elias uenit, & fecerunt ei quæcunque uoluerunt, sicuti scriptum est de eo.

Dominus noster Iesus Christus in præcedenti suæ clarificationis historia tribus discipulis gloriæ & regni sui cælestis gustum exhibuit, ad quos simul vox cælestis delata est, quæ Dei patris de Christo testimonium continet. Omnium verò hic præcipuus finis est, vt nostræ salutis in Christo certi nullis aduersis siue periculis, nullis item hominum amicitijs nos ab ea fide abstrahi patiamur, quæ & patris Dei reconciliationem, & vitam æternam nobis in Christo verissimè cõmonstrat. At quia adhuc in nonnullis discipuli hærebant, de illis in præsenti disserit. Nobis verò istius colloquij hic vsus est, vt plenius adhuc discamus, in vno Christo impleta esse, quæcunq; de humani generis saluatore & tota salutis nostræ ratione olim prædicta sunt, & proinde nec fabulosis hominum traditionibus locum demus, quæ salutem hanc dubiam & incertam reddunt, nec cruce & tribulationibus offendamur, quando ipsum Dei filium, & cum hoc omnes credentes omnibus seculis persecutionem sustinuisse videmus.

Argumentum & vsus præsentis loci.

Exordium colloquij ipse Christus facit, qui descendentibus ex monte grauiter præcipit, ne alicui narrent quæ viderant, donec ipse à morte resurrexit. Ad eundem modum supra præcepit, vt Dei filium esse cuiquam dicerent. Causæ præcepti sunt, quòd Apostoli nondum satis instructi erant, vt tanta mysteria dignè tradere possent: & Christũ prius extremè humiliari oporteret, ac crucifigi, priusquam regni ipsius gloria omnibus innotesceret: ne videlicet crux postea Apostolorum prædicationem suspectam redderet, & omnium ludibrio exponeret. Prudentiam ergo (vt etiam alibi) in ministris Christus requirit, quæ tempora & occasiones rerum obseruet, vt maiori cum fructu doceant.

Christus prohibet, ne discipuli diuulgent quod uiderunt, &c. Marci 8. Matth. 24.

Discipuli resurrectionem Christi non intelligunt.

Porrò quoad discipulos, laudem meretur ipsorum obedientia, qua negotium hoc omne fideliter celant: simul verò ijdem suam ignorantiam & stupendam cæcitatem egregiè produnt, dum de Christi resurrectione inter sese disputant, nec quid illa sibi velit, intelligunt. Et quamuis de morte simul & resurrectione sua paucis diebus ante illos docuisset, nunc tamen perinde ac si quid nouum & inauditum diceret, inter sese altercantur. Causa tanti erroris est, quòd in Christo regnum terrenum somniabant, & proinde non poterant ijs animum attendere, quæ de ipsius passione & morte dicebantur. Quomodo autem resurrectionis mysterium intelligerent, qui passurum & moriturum ignorabant? Admonemur exemplo hoc, quanto nobis studio opus sit in ijs, quæ ad nostram salutē faciunt. Si enim Apostoli in ijs hallucinati sunt, quæ per omnes scripturas decantatissima erant, & quæ Christus illis quotidie inculcabat, quid nobis fiet, si oscitantiores simus? At non minus obseruanda est Christi bonitas, qui tantam ignorantiam patienter in illis suffert, nec illos instituere dedignatur, in quibus huc usq; adeò parum profecerat. Non desperent ergo, qui aliquam ignorantiam & imperfectionem in semetipsis deprehendūt, caueamus autem, ne quid à nobis malitia peccetur, néue reuelatam nobis veritatis lucem scientes volentes reijciamus. Nam qui id faciunt, indurari & excæcari merentur, vt dignas suæ impietatis pœnas tandem exoluant.

Quæstio discipulorum de aduentu Eliæ.

At postquam de Christi resurrectione aliquantum disputarunt discipuli, simul quæstionem proponunt, quæ illos magis incertos & dubios tenebat. Scribæ enim vt populum à Christo auerterent, multa comminiscebantur, quibus docerent, illum nequàquam pro Messia olim promisso recipi debere: & inter alia Malachiæ loco abutebantur, qui Eliam aduentus Messiæ præconem & præcursorem fore prædicit, & illum de Elia Thesbite, qui olim Achabi temporibus floruit, exponentes, ad hunc modum argumentabantur: Eliam ante Messiam venturum esse, prophetæ luculenter docent. At nullus hactenus Elias vspiam visus est. Ergo nec Messias aduenit, & multò minus Iesus hic Mariæ filius Messias esse credendus est. Saberat in hoc argumento aliqua veri apparentia, & cùm illud soluere non possent discipuli, qui tamen Iesum hunc Messiam promissum esse credebant, rem omnem ad illum referunt, dicentes: Cur scribæ dicunt, quòd Eliam prius venire oporteat? Quasi dicat: Te quidem Messiam esse antehac credidimus, et nunc Dei patris voce certius sumus edocti: at angit nos quod ex Malachia adducitur, Eliam prius venire oportere, priusquàm optatus ille promissi saluatoris aduentus sperari debeat. Quid ergo hîc sentiri debeat, edoceri cupimus.

Malach. 4.

Diaboli astutia in detorquendis scripturis.

Venit hîc obseruanda diaboli astutia, qui scripturis & Dei promissionibus contra veritatem & salutem nostram abuti potest. Prædixerat quidem Deus, se Eliam missurum, qui Messiæ faciem præcederet. At idem qualis ille Elias futurus esset, non obscurè indicarat: nimirum legatus aliquis, qui Eliæ spiritu et virtute instructus, pœnitentiam prædicaret, & hominum mentes ad Dei regnum, quod Christus instaurare debebat, præpararet. Nota enim sunt, quæ in hanc sententiam idem Malachias dixit, & ante hunc Isaias, quorum verba de Ioanne Baptista angelus Domini & ipse Christus disertè erant interpretati. Sed & ipse Ioannes suo officio ita functus erat, vt Eliæ spiritum quiuis in illo facilè agnoscere posset. Adhuc tamen satan per scribas non modò rudi & stolido vulgo imponit, verumetiam discipulis aliqua Christi cognitione illuminatis negotium facit. Eodem astu veram Messiæ cognitionem apud Iudæos obscurauit, dum illos regnum terrenum sperare docuit, vt huius spe decepti, Christum humilem & contemptum aspernarentur. Eiusdem artificij est, quòd signa quædam horrenda excogitauit, quæ nouissimum Christi aduentum præcessura sint, quorum expectatione homines ab illorum obseruatione abducit, quæ nobis ab ipso Christo sunt tradita, & quæ in literis propheticis & Apostolicis passim describuntur. Vides ergo quanta cautione opus sit ijs, qui diaboli dolos effugere cupiunt: quando tunc maximè seducit, quando diuini verbi authoritatem rudibus & incautis prætexit. Nec enim solummodo quid scriptum extet videre oportet, sed quæ spiritus sancti mens sit, quem scripturæ authorem esse constat. 2. Timoth. 3. 2. Pet. 1.

Malach. 3. Isaiæ 40. Lucæ 1. Matth. 11.

Matth. 24. Marc. 13. 1. Timoth. 4. 2. Thess. 2. 1. Thess. 5. 2. Pet. 2. 3. &c.

Discipuli rectè ad Christū referunt, quæ cōtra illum disputabantur.

Præterea memorabile est discipulorum exemplum, qui quod aduersus Christum argutè disputabatur, non statim admittunt, licet hoc ipsi confutare non possint, sed ad Christum deferunt, vt ab illo instituantur. Est hoc animi pij & constantis indicium. At hodie aliqui leues nimium & stolidissimi homines quouis vento doctrinæ sese agitari sinunt: aliqui verò maligni nimis gaudent, si quos argutius paulò & aliquo cum applausu aduersus receptam veritatis doctrinam & illius ministros di-

sputare vident. Sed ijdem suæ improbitatis dignas pœnas exoluunt, dum seipsos impostoribus decipiendos & vexandos propinant.

Porrò Christum discipulis suis respondentem audiamus. Est autem ecliptica & obscurior illius oratio, cuius hîc omnino sensus esse videtur: Verum est quod de Elia venturo scribitur, qui omnia instauret, & homines ad Dei regnum præparet. At sicuti de me scripturæ testantur, quòd multa passurus sim: ita hunc quoq, qui meus in spiritu Eliæ præcursor erit, multis & varijs malis exercendum fore docent. Et hoc omne iam pridem impletum est. Venit enim Elias, nimirum Ioannes, quem adeò non receperunt, vt potius illum pro sua libidine tractauerint: & nunc eum expectare & obseruare docent, quem ipsi occiderunt. Non est ergo quod illorum paralogismis moueamini, &c. Christi responsio de Eliæ aduentu.

Hîc verò obseruatione dignum est, quòd toties in scripturis Messiæ præcursor tribuitur, qui mundum in melius restituat, adeoq, homines ad illum excipiendum præparet. Imò hinc Euangelium debuisse suum initium sumere Marcus in libri sui exordio testatur. Ergo non salutem modò Christus nobis affert, verumetiam melioris naturæ restitutionem & hominis totius regenerationem exigit, quæ in illis manifestè cernitur qui illum rectè amplexi sunt. Et huc illa Christi pertinent: Nisi homo renatus fuerit è supernis, non potest videre regnum Dei. Item quòd Apostoli docent, nos in Christo ab æterno electos esse, & in eodem ex gratia iustificari & saluari, vt irreprehensibiles simus, nec amplius peccato seruiamus. Vnde colligimus, nequaquam pro Euangelicis eos agnosci debere, in quibus nulla restitutæ melioris naturæ indicia apparent, sed in scelerum sordibus perpetuò volutantur. Christo præcursor tribuitur qui hominum mentes præparet. Ioan. 3. Ephes. 1. Rom. 6. &c.

Præterea elucet hîc mundi huius ingenium erga eos, quos Deus suæ veritatis & humanæ salutis ministros constituit. Absentes enim colit & obseruat, quos præsentes odit & persequitur. Iudæos enim in Eliæ simul & Messiæ expectationem totis animis erectos fuisse, nemo ignorat. At cùm Ioannes in spiritu & virtute Eliæ pœnitentiam prædicaret, & illum Christus secutus regnum Dei in se credentibus offerret, vtrumq, hostiliter persecuti sunt. Simili ratione ijdem prophetarum sepulchra colebant, & maiores suos ob horum cædes accusabant, quorum tamen impietatem imitabâtur, imò superabant, cùm Christum extinctum vellent, in quo vno propheta nobis omnem salutem monstrat. Tales sunt, qui hodie inter doctrinæ et religionis dissidia, veritatem sibi manifestari cupiunt: at cùm illa secus quàm ipsi sentiunt, prædicatur, immani rabie eandem lacerant. In horum etiam numero censeri debent, qui benè & rectè agendi studium simulant, ministris autē verbi sese hostiliter opponunt, à quibus scelera ipsorum accusari, & viuendi regulam à suis moribus diuersam præscribi audiunt: quales olim fuerunt, qui per Ieremiam diuinitus de rebus agendis volebant edoceri, & mox ex Dei ore respondentem mendacij arguebant. Nec desunt, qui cùm Diuos & Diuorum cultus quotidie in ore habeant, quorum ossa, vestes & quicquid est eius generis exosculantur, interim verò eorundem doctrinam falsi & hæreseos accusant, eiusq, sectatores ferro & igne persequuntur. Mundi ingeniū erga Veritatis ministros. Matthæi 23. Ierem. 42. 43.

At hîc simul Dei longanimitatem obseruabis, qui ista fieri patitur. Habet illa suas causas: primùm in ipsius Dei natura, qui cùm homines saluos velit, non subitò illorum scelera vlciscitur, sed pœnitendi spacium concedit. Deinde in impijs & incurabilibus quos interea mensuram impietatis implere oportet (sicuti de Amorrhæis olim Deus Abrahamo dicebat) vt tandē pro meritis suis puniantur. Tertiò in pijs & electis, quorum carnem ad hunc modum coerceri, & peccata castigari conuenit, ne cum mundo incurabili pereant: & ijdem interea Christi sub cruce conformes fiunt, vt cum eodem cœlestis regni gloria & gaudio fruantur. Et hîc quidem consolationis plenum est, quòd & Ioanni & Christo ea modò acciderunt, quæ Deus olim decreuerat fieri, & quæ scripturis olim prædicta fuerant: Ita nec nobis quicquam præter Dei prouidentiam accidet, quam ad passerculos vsq, & capitis pilos extendi Christus testatur. Nec obscura sunt scripturæ loca, quæ omnes in Christo piè viuere volentes persecutionem passuros docent. At nisi ita hoc decreuisset Deus, illa scripturæ nunquā prædixissent. Nec tamen ideò excusantur impij veritatis & piorum hostes. Etsi enim suo freno illos Deus cohibeat, ne quid amplius designent, quàm ipse constituit: grauissima tamen illorum culpa est, eò quòd non Dei decretum respiciunt, sed veritatis odio & corruptissimis suis affectibus ducuntur, quibus interim Deus pro sua sapientia ad suorum decretorum executionem abuti solet. Quoad ipsos ergo, suam voluntatem perficiunt, et pœnam merentur: quoad verò Dei prouidentiam, illius decretis Dei longanimitas erga suos hostes. Rom. 2. Gen. 15. 2. Corinth. 11. Rom. 8. Actorum 4. Matth. 10. Lucæ 12. 2. Timoth. 3. Acto. 14. &c. Impij non excusantur per Dei prouidentiam.

& iudicijs inseruiunt. Seruiant hæc consolationi, ne impiorũ conatibus terreamur, sed patienter feramus illorum malitiã, qua Deus iustè & magno nostro cum fructu vtitur: interim salutis spem omnẽ in vno Christo collocemus, cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA LXXIIII.

Et cùm uenisset ad discipulos, uidit turbam multam circum eos, & scribas altercantes cũ eis. Et statim uniuersa turba uiso eo obstupuit, & accurrentes salutauerunt eum. Tunc interrogauit scribas: Quid altercamini aduersus eos? Et respondens unus è turba, dixit: Magister, adduxi filium meum ad te, habentem spiritum mutum, qui ubicunq; eum corripuerit, lacerat eum, & ille spumat, ac stridit dentibus suis, & arescit: & dixi discipulis tuis ut eijcerent, sed non potuerunt. Ipse autem respondens ei, dicit: O natio infidelis, quousq; tandem apud uos ero? quousq; tandem tolerabo uos? adducite eum ad me. Tunc adduxerunt ipsum ad eum: cùm autem eum uidisset, continuò spiritus discerpsit illum, & cùm cecidisset in terram uoluebatur spumans.

Argumentum & usus præsentis miraculi.

EXposuit hucusq; multa Marcus, quæ ad veram Christi Iesu cognitionem faciunt, in quibus præcipua sunt discipulorum confessio & clarificationis historia, qua luculentum Dei patris testimonium continetur, quo illum vnicum humani generis saluatorem & doctorem catholicum esse docemur. At ne quis ista inania modò verba esse putaret, aut nudam siue historicam istorum cognitionem ad salutem sufficere arbitraretur, commodißimè noui miraculi descriptionem subijcit, quo Christus reipsa ostendit, se olim promissum redemptorem esse, qui veteris serpentis caput conterat, simulq; veræ fidei exemplum proponit, quæ sola nos salutis in ipso capaces & consortes reddit. Digna igitur est historia, quæ per singulas partes diligentißimè consyderetur.

Miraculi occasio. Matth. 17.

Orditur autem à miraculi occasione Marcus, quæ dum Christus in monte esset, offerri cœpit. Interea enim quidam filium lunaticum (vt Matthæus scribit) & dæmoniacum ad reliquos ipsius discipulos adduxit, vt per illos à malo dæmone liberaretur. Conantur illi hoc, eò quòd iam antea eius generis multa fecissent, sed quod nunc conantur perficere non possunt. Adsunt scribæ, qui hinc calumniandi occasionem arripiant, & aduersus discipulos disputationem instituunt, cuius haud dubiè præcipuus finis fuit, quòd Christum populo inuisum & suspectum facere, & quosuis ab illo alienare voluerunt. Et quantum ex historiæ contextu conijcere licet, conatus hic illis initiò nonnihil successisse videtur, donec repentinus Christi aduentus disputationi finem imposuit. Et hæc quidem prima historiæ pars est, cuius singulæ personæ peculiarem consyderationem merentur.

Discipuli dæmonium eijcere non possunt.

Primò verò discipuli prodeunt, qui cùm hactenus dæmones plures eiecissent, hũc tamen, quo puer iste affligebatur, eijcere non potuerunt, & ea de causa scribis ludibrio fiunt. Facit hoc quidem ad declarandam Christi potentiam, quæ ex illa diaboli reluctantis contumacia clarius elucet: simul verò admonet, Christo absente nihil à nobis feliciter perfici posse. Quia enim solus ille Dei gratiam nobis impetrat, solus spiritu sancto & viribus necessarijs instruit, solus item diabolum arcet & fugat, qui ea assiduè impedit, quæ ad Dei gloriam & nostram salutem faciunt: fieri non potest, vt quicquam à nobis dextrè & cum aliquo fructu fiat, quando ille à nobis abfuerit. Abest autem (vt postea ex ipsius verbis discemus) quando vel socordia nostra vel peccandi licentia fidei lucem in nobis ipsis extinguimus: quam occasionem satan studiose captat, vt suis præstigijs delusos à salutis via abducat. Nec desunt exempla, quæ docent, quàm infelici successu vtantur, qui vel in ecclesia, vel republica vel re domestica, aut in quouis alio negotio absque fide in Christum & veræ pietatis studio versari solent. Debent ergo hæc nos ad fidei studium excitare, ne vnquam nobis ex animis Christus discedat, & mox facilia factu esse experiemur, quæ impoßibilia planè, aut etiam periculosa & noxia esse videbantur.

Secundo

Secundo loco scribæ producuntur, qui discipulorum errore abutentes, inde aduersus Christum disputandi occasionem arripiunt. Est hoc proprium impijs, quòd cùm ipsam veritatem negare non possint, aliunde conquirant, quibus illam vulgo suspectam & inuisam reddant. Huius artificij est, quòd ex persecutionibus aduersa fortuna et cladibus piorum argumenta colligunt, quibus illos circa fidem & religionem errare probent. Eadem ratione vel pseudoeuangelicorum aperta flagitia nobis exprobrant, & Euangelicæ doctrinæ accepta ferunt, vel sanctorum lapsus odiose carpunt, & hos fidei in Christum fructus esse vociferantur. At cùm ista audimus, scribarum nos meminisse oportet, qui hîc simili proteruia & scurrilitate discipulis Christi negotium facessunt. Interim innocentiæ & prudenti simplicitati studeamus, ne iure & meritò nostros mores & facta impij proscindere possint. Scribæ discipulorum errore aduersus Christum abutũtur.

Tertiò populum videamus, qui initiò quidem discipulos, quibus scribæ sua dicacitate instabant, facilè negligit, nec quisquam fuisse legitur, qui illorum causam tuendam susciperet: vt primùm uerò Christus improuisus adest, mox omnes attoniti hærent, deinde vbi animos collegêre, accurrentes illum honorificè salutant, & aduentui ipsius gratulantur. Est in his videre mundi ingenium, & qui nam illorum mores sint, qui Christum nondum ex animo & verè apprehenderunt. Si enim pios omni ope destitutos esse, & ab impijs hostibus vndiq; peti videant, iam ipsi quoq; vel illorum causam turpissimè negligunt, & securi euentum expectant, vel etiam ipsi ijsdem improbè insultant, ne quo modo veritatis hostibus suspecti fiant. Quòd si suis periclitantibus ex improuiso Christus ceu ἀπὸ μηχανῆς appareat, & pro suo more tentationis felicem euentum largiatur, mox illi quoq; mutatis ventorum flatibus vela obuertunt, mutationem subitam stupidi admirantur, vt qui nihil præter carnem sapere, nec mentis oculos vltra ea quæ sensibus occurrunt extendere possunt, & tandem spe noua pleni seruiliter illis adulantur, quos paulò ante supini contemnebant. Tales olim Dauid sui seculi homines expertus est. Tales hodie multos experimur: erperientiæ verò huius hic nobis vsus esse debet, vt in vnum Deum intenti, hominum minis & perfidia non terreamur, nec etiam eorundem promissis confidamus, &c. Populi leuitas mundi typum gerit. 1.Sam.5.19. &c.

Sed transeamus ad Christũ, qui populi accurrentis applausum non multùm curans, quid rei agatur interrogat: non quòd illum hoc lateret, sed vt pueri pater ea occasione mali magnitudinem exponeret & ad opẽ petendã excitaretur. Vt enim à nobis inuocari vult deus, ita plurimùm proderit inter inuocandum pericula & miserias, in quibus versamur, diligenter animo repetere, vt illa consyderatione inflammati, ardentius precemur, & nostram simul fidem in Deum profiteamur, dum in ijs ipsius opem imploramus, quæ vires humanas longè exuperant. Et huc in præsenti facit luctuosa patris oratio, qua infelicem sui filij conditionem multis exponit, quæ iam omnino deplorata videbatur, cùm discipuli illi mederi non potuerint. Magister (inquit) adduxi filium meum ad te, id est, eo animo veneram, vt filium meum abs te curandum adducerem, qui à malo spiritu obsessus linguæ vsum nullũ habet, adhæc iuxta lunæ motus miserè affligitur. Nam vbicunq; illum corripuerit, lacerat illum, & (vt mox sequetur) aliquando in aquam, aliquando in ignem conijcit. Ille verò horribiliter spumat, dentibus stridit, simulq; morbi diuturnitate arescens totus consumitur. Et quia huc adueniens te non reperi, discipulos tuos rogaui, vt misero succurrerent: quod cùm illi non potuerint, hinc altercatio ista inter ipsos & scribas exorta est. Christus discipulis & scribis altercantibus superuenit.

Cæterum etsi ad præsens nogotium & potentiæ Christi illustrationẽ hæc narratio multùm faciat, simul tamen miser hic infelicem humani generis conditionẽ depingit, & diaboli ingenium pulchrè exprimit, qui eodem modo in omnes grassatur, qui peccatis adhuc immersi, Christum liberatorem nondum senserunt. Qui enim ab initio homicida fuit, instar rugientis leonis obambulans, indesinenter quærit quem deuoret. Quòd si illi in animis nostris locum demus, mox peccatorum laqueis irretitos hinc inde lacerat, & miserabili seruitute premit. Spumant enim intra animos nostros pessimæ cogitationes, strident & fremunt affectus improbi, manus pedesq; ad omne scelus præcipites feruntur, nec vllus nobis linguæ ad bonum vsus est, quando nec Deum inuocare possumus, nec quicquam loqui quod ad proximi ædificatio em faciat. Finis autem hosti nostro hic maximè propositus est, vt tandem vel scelerum licentia totos absumat, vel desperationis vorticibus absorbeat. Quod vt facilius possit, fortunis quoque & corporibus insidias struit, sicuti in Iobi historia est videre, & illic vel hominum pessimorum opera vtitur, vel syderum rerumq; naturalium vicissitudines astutè obseruat, Humani generis conditio periculosa. Ioan. 8. 1.Pet.5.

vt dum istis calamitates nostras acceptas ferimus, ipsius malitiam non caueamus, & externis remedijs intenti, preces ac Dei auxilium negligamus. Periculosissima ergo est nostra sub hoc hoste conditio, nec temerè ad vigilias & preces nos passim scripturæ excitant. Interim elucet hîc Dei bonitas & prouidentia, qui etsi interdum iusto suo iudicio aliquid satanæ permittat, freno tamen suæ potentiæ eundem regit, ne vlterius quàm ipsi visum fuerit, grassetur. Quid enim non faceret satan nobis dormientibus aut securè voluptuantibus nisi potenti Dei manu coerceretur? Sed ô deplorandam oscitantiam, qua plerique hominum, nec diaboli insidias, nec Dei paternam protectionem intelligunt, &c.

Christus hominum incredulitatem deplorat.

Vidit hanc in præsenti Christus, & visam affectu planè paterno deplorat, dicens: O natio infidelis, quòusque tandem apud vos ero? quòusque tandem tolerabo vos? Infidelem nationem dicit, vt mali fontem indicet, & licet non disertè exprimatur, ad quos nam verba ista referri debeant, in genere tamen de omnibus simul dicta esse, satis patet. In discipulis certè fidei non satis firmæ indicium erat, quòd dæmonium hoc pellere non poterant, cùm spiritus immundos ipsorum potestati Christus subiecisset. Scribæ autem non fide modò destituebantur, verumetiam inhumaniter in re tam tristi discipulis insultabant, adeoq́ gaudebant sibi occasionem datam esse, qua Christi causam oppugnarent. De populi verò incredulitate stupor ille testabatur, & quòd priorum miraculorum immemores, de Christi diuina potentia iam dubitabant. De pueri parente non est quòd dicamus, quãdo incredulitatem suam ipse mox fatebitur. Omnes ergo simul Christus accusat, & non mirum esse docet, quòd aduersus dæmonium hoc nihil potuerint discipuli, cùm vix digni sint, quos diutius ipse ferat. Admonemur autem Christi verbis, nostra incredulitate siue differentia diaboli regnum maximè stabiliri. Vt enim fides Deo nos coniungit, & in Christo fortes reddit, vt omnia possimus, quo nomine hanc Ioannes victoriam nostram esse scribit: Ita incredulitas generalem quoque Dei cognitionem, quæ ex naturæ lege in nobis reliqua est, extinguit, à Christo planè abstrahit, illius spiritu priuat, & quia illius verbo fidem non habemus, iam nec præceptis illius obsequimur, imò nullis vel minis vel promissionibus vt illis obsequamur, possumus adduci. Toti ergo diaboli insidijs patemus, & dum res nobis secundæ fluunt, peccatorum illecebris nos circumduci patimur: in aduersis verò consolatione destituti horribiliter desperamus. Ita verò longè infelicior est nostra conditio, quàm huius fuerit, in cuius corpus satan adeò crudeliter deseuijt. Prima igitur nobis cura esse debet, vt assiduo verbi studio & precibus assiduis fidem nostram foueamus, & ita diaboli insidijs facilè resistere poterimus. Vide Ephes. 6. cap.

Marc. 6.

Diaboli regnũ nostra incredulitate stabilitur. Philip. 4. 1. Ioan. 5.

Christi bonitas.

Cæterùm elucet hîc simul Christi bonitas, qui etsi istorum incredulitas grauiter mulctari mereretur, puerum tamen adduci iubet, & eundem (vt suo loco dicetur) liberat. Pugnat enim cum nostra corruptione & peruersitate Dei longanimitas, cuius multa exempla passim occurrunt. Vbi verò in Christi conspectum puer productus est, mox crudelius & immanius solito satan furens, illum quasi discerpsit, & fœdè spumantem in terram prostrauit. Prodit hîc rursus ingenium suum diabolus, qui tunc maximè insanit, quando Christum se fortiorem adesse videt, cui ipsum cedere oportet. Docet hoc Christus, quando illum forti armato confert, qui quietus sua possidet, dum nemo illum inuadit, at hoste ipsum oppugnante vires omnes ad domus suæ defensionem exerit. Experimur hoc nostro seculo, quando aduersus Christi doctrinam totum quasi mundum concitat, omnia bellis, incendijs, cædibus, seditionibus & sanguine miscet, vt eam fidem restinguat, ex qua regno suo excidium imminere intelligit. Non est ergo quòd nobis nostri seculi turbas aduersarij obijciant, & veterem pacem reductam velint. Hæc enim extrema diaboli per Antichristum luctantis pugna est, quam nos intrepidos sustinere decet. Nam vt sequenti sermone audiemus, vel inuitus Christo cedere cogitur, qui nobis etiam suo auxilio aderit, vt omni aduersaria potestate superiores facti, tandem in cœlis cum ipso regnemus. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Diaboli ingenium.

Lucæ 11.

HOMILIA LXXV.

Et interrogauit patrẽ eius: Quantum temporis est quod hoc accidit ei? At ipse dixit: Ab infantia, & sæpe eum in ignem abiecit, & in aquas, ut per-

ut perderet eum: sed si quid potes, succurre nobis misericordia cōmotus erga nos. Iesus autem dixit ei: Si potes hoc credere, omnia fieri possunt credenti. Et statim exclamans pater pueri cum lachrymis dicebat: Credo Domine, succurre incredulitati meę. Cùm uidisset autem Iesus, quòd turba simul accurreret, increpauit spiritū illum impurū, dicens ei: Tu spiritus mute & surde, ego tibi præcipio, exi ex eo, & ne amplius ingrediaris in eum. Et cùm clamasset spiritus, multumq; discerpsisset eum, exiuit: & ille factus est quasi mortuus, adeò ut multi dicerent: Mortuus est. Iesus uerò prehensa manu eius, erexit eū, & ille surrexit.

Dominus noster Iesus Christus in miraculi huius historia non modò quis ipse sit docet, promissus nimirum humani generis saluator, verumetiam in ijs nos instruit, quæ ad salutem in illo consequendam & conseruandam nobis cognitu necessaria sunt. Et primò quidem, quia hostem satanam nouisse prodest, permittit vt is in hoc puero omnes suas vires exerat. Deinde quia in hoc oppugnando & vincendo supra omnia fide opus est, de huius etiā uirtute disserit, simulq́, exempla quædam proponit, in quibus fidei imperfectio, & eiusdem augmenta siue incrementa elucent. In quorum consyderatione nobis eò diligentius versandum est, ne statim terreamur, si quando nos imperfectiores aut infirmiores esse experimur, studeamus autem ad fidem nostram confirmandam ijs adminiculis vti, quæ hîc nobis indicantur. Et nuper quidem de discipulis Christi dictum est, in præsenti verò de pueri dæmoniaci parente primùm agitur, deinde ipsa dæmonis eiectio describitur, quæ singula ex ordine videbimus. **Argumentum & usus præsentis loci.**

Quoad primum, Christus cùm puerum spumantem & sese humi voluentem astantibus miserabile spectaculum exhibere cerneret, patrem illius interrogat, quantum temporis sit ex quo hoc illi acciderit. Rogat autem, non quòd illud ignoraret, sed vt illustrior esset postea virtus ipsius, cuius specimen modò præbere instituerat, & vt ista occasione patris diffidentiam siue incredulitatem patefaceret, & eidem mederetur. Respondet enim Christo pater, Ab infantia hoc malum durasse, & illius vehementiam denuo exponens, opem quidem petit, sed ita vt suæ fidei infirmitatem non obscurè prodat. Dicit enim: Si quid potes, succurre nobis misericordia motus erga nos. Et rursum dicenti Christo, Si potes hoc credere, omnia fieri possunt credenti, addit: Credo Domine, succurre incredulitati meæ. Vbi mirifica fidei cum diffidentia & carne luctantis pugna proponitur Fidei enim est, quòd misericordiam Christo tribuit, quæ propensam iuuandi voluntatem excitat. Diffidentiam verò arguit, quòd de illius virtute siue potētia dubitanter loquitur, dicens: Si potes, succurre nobis. Et sanè, si carnem audias, non pauca fuêre quæ illum dubitare coegerunt. Malum enim inueteratum erat, & quæ eiusmodi sunt, difficillimè curari constat. Deinde nihil hic potuerant discipuli, qui antehac spiritus complures in Christi nomine eiecerant. Accedebat his, quòd in Christi cōspectum productus puer, non modò non melius habuit, sed mox dæmonio correptus & in terram prostratus, spumans hinc inde voluebatur. Quis verò Christum à diabolo metui putasset, in cuius conspectu illum immitius furere & tumultuari videbat? **Patris incredulitas arguitur.**

Cæterum ista non absque arcano Dei consilio facta fuisse cogitabimus, qui frequenter electis suis multa obijcit, quibus fides ipsorum grauissimè tentatur, adeoq́; illam interdum superari patitur, vt & ipsi propriam infirmitatem experti, postea vigilantiores sint, & illorum exempla communi aliorum institutioni atq; consolationi seruiant. Tale quid in Abrahamo videmus, qui cùm fidei constantiam multis argumentis declarasset, quando patrium solum egressus, Dei vocationē omnibus ijs prætulerat, quæ carni iucunda & eximia videntur: postea tamen quasi oblitus suijpsius simul & diuinæ protectionis, semel & iterum ob vxoris formam vitæ suæ metuens, turpi dissimulatione & seipsum & illam in periculum adducit. Infirmitatis eiusdem exemplum in Mose & Aarone historia sacra proponit, qui post tot prodigia & signa diuinæ maiestatis, quorum ipsi magna ex parte administratores fuerant, tandem & sua ipsorum impatientia & populi improbitate superati, de Dei potentia nimis dubitanter locuti sunt, cùm dicerent: Num de petra ista educemus vobis aquas? Quò etiam Petri super aquas ambulantis exemplum referri debet, vnà cum infinitis alijs, quæ scriptura proponit.

Deus suorum fidem uarijs tentationibus exercet.

Gene. 12. 20.

Num. 20.

Matth. 14.

Quorum omnium hic nobis vsus esse debet, ne desperemus, si quando nos ipsos in fide infirmiores esse experimur. Quod enim istis accidit, quos modò commemorauimus, hoc ipsum pij frequenter experiuntur, dum vel morbis diuturnioribus vel perpetuis persecutionibus & egestate, vel horribili conscientiæ carnificina illos Deus exercet: vbi si quid ex impatientia aut fidei infirmitate faciant, mox illis nouos terrores satan suggerit, vt se venia indignos esse, & damnationis supplicium effugere non posse arbitrentur. Tunc ergo istorum nos meminisse decet, nec de Christi bonitate dubitare, qui arundinem quassatam non conterit, nec linum fumigans extinguit. Imò patris huius exemplum diligentius paulò excutiamus, & mirabilis fidei quasi in extremis luctantis virtus elucebit. Hic enim, an Christus filio laboranti subuenire possit, dubitat: interim verò, vt fidei suæ nutanti & succumbenti medeatur rogat. Maius ergo quiddam & præstantius Christo tribuit, qui in minori hæsitabat. Ita sæpe fit, vt in paruis succumbant, qui in magnis & arduis inuicti esse solent. Quis ergo de fidei virtute desperet, quæ præter spem nos admirabili sua virtute sustentat?

Isa.42. Matth.12.

Vt fidei mutandi succurri debeat.

Hic tamen exemplum hoc imitari multùm proderit. Audit pater iste, fidem abs se necessariò requiri, nec eorum quæ nostræ carnis sensum superant nos aliter quàm per fidem capaces esse, suæ verò fidei infirmitatem sentit maximam: attamen nec spem abijcit, nec sibijpsi blanditur, vt ea insolenter iactitet quæ sibi deesse sentiebat. Nec dubium est, quin alij multi, vel desperaturi fuissent, si quid tale illis Christus dixisset: vel fidem pleno ore confessuri, quasi Deus mendacibus verbis falli possit. At noster hic, etsi se infirmiorem, quàm par sit, esse sentiat, preces tamen eò ardentius intendit, & diffidentiam suam ingenuè confitetur, & Christum huius medicum implorat. Credo (inquit) Domine, succurre incredulitati meæ. Credere se dicit, non arroganter, neque falsò, sed quòd fidei scintillas adhunc gliscentes sentiret, quæ de benefica Christi voluntate simul & virtute diuina seu omnipotenti testabantur. Interim diffidentiæ malum, quo infestabatur, non dissimulat, sed huic à Christo subuentum cupit. Tales Apostolos fuisse videmus, qui cùm apud Ioannem dixissent: Nos scimus & credimus, quòd tu es Christus filius Dei viuentis: ijdem tamen apud Lucam clamant: Domine, adauge nobis fidem. Et Petrus licet ventorum & fluctuum procellis perterritus mergeretur, clamabat tamen: Domine, serua me. Istos ergo ipsi quoque imitemur, precibus verò assiduum verbi studium coniungamus, quo de paterna Dei voluntate & eiusdem insuperabili potentia ita edocebimur, vt de illius promissis nequaquam possimus dubitare. Et sic omnia nobis possibilia erunt, quæ à Deo nobis iniunguntur, adeoq; fides hæc victoria nostra erit, qua omnes aduersos casus facilè superabimus. Vide 1.Ioan.5. Hebr.11.

Ioannis 6. Lucæ 17. Matth.14.

Christus dæmonium eijcit.

1.Corinth.10.

His postrema historiæ pars subijcitur, vt dæmonium hoc Christus eiecerit. Constat vndique turba, vt fit in re noua: interim occasionem hanc captat Dominus, & vulgi leuitate & curiositate abutitur, quò plures lucrifaciat. Nec iam diutius suspensos tenet, vt qui suos vltra vires tentari non sinit. Magna autem cum authoritate agit, vt vix vspiam maiori vsum esse legamus. Nam primò quidem immundum spiritum increpat, vt se illius hostem esse testetur. Et sanè non potest non publico humani generis hosti irasci, qui nostræ salutis ergò in mundum venit, vt ab illo impiè occupatum regnum sibi denno vindicaret. Quòd si autem diabolo irascitur, ne dubitemus, eum diaboli mancipijs quoque irasci, qui hoc vnum agunt, vt et semetipsos perdant, & alijs quoque perditionis authores sint, adeoq; luporum & leonum instar omnium fortunis & corporibus insidiantur. Deinde titulis conuenientibus hostem appellat, spiritum mutum & surdum vocans ab effectis, vt qualis nam sit omnes intelligant. Hoc ipsum solet, quando illi cum impijs res est, nec vllo præsentis seculi splendore mouetur. Et exemplum ministris præbet, vt ipse quoque diabolum qualis est depingant, & eius artes patefaciant, neque in hoc personas respiciant eorum, qui se illi regendos præbuerunt. Addit: Ego præcipio tibi. Ergo propria authoritate illum oppugnat, vt vel hinc verum Dei filium & promissum orbis saluatorem esse agnoscamus. Quid verò præcipit? Exi ex eo, & ne amplius ingrediaris in eum. Plus igitur præstat, quàm pueri pater postularit, & ita illi succurrit, vt nullum deinceps diabolo in hominem ius aut imperium relinquat. Nec mora, exit satan, sed horrendum vociferatus, puerum laniat & prosternit, vt pleriq; exanimatum putarent. At eundem Christus manu prehensum erigit, & patri reddit incolumen, &c.

Hæc

Hæc vt diuinam Christi Iesu potentiam asserunt, ita communis omnium nostrum redemptionis beneficium luculenter adumbrant. Vt enim puero huic ab infantia infestus fuit satan: Ita in nos quoque, qui in peccatis concipimur & nascimur, imperium suum exercet, vt figmenta cordis nostri praua sint ab ineunte ætate vt ijdem ad Dei verbum surdi, ad preces muti, & ne ad cogitandum quidem idonei simus. Et nisi coerceatur hic hostis noster, furiosis similes reddit, vt ea quoq; impudentissimè designemus, quæ cum naturæ legibus & sensu communi pugnant. At hic Christus nostri generis vindex prodit, qui zelo diuino inflammatus, non modò nostri miseretur, verumetiam hosti nostro indignatur, & vt olim mortis suæ merito & virtute illius regnum euertit, ita quotidie adhuc verbo suo illum increpat, & obstat ne iterum in nobis regnum obtinere possit: imò inuitum & reluctantem cedere cogit, & quas inter cedendum turbas mouet, diuina virtute facilè sedat & componit. Hunc ergo nos saluatorem agnoscere, & ex his in tentationibus consolationis argumenta petere debemus. Redemptionis nostræ mysterium. Psalm. 51. Gen. 8. 2. Corinth. 3.

Etsi verò solus Christus diaboli victor sit, ne tamen ipsi otio ignauo torpeamus, nos quoq; aduersus illum quotidie luctari & pugnare iussit. Quare quæ ab illo fiunt, in exemplum trahi debent, & victoria facilè potiemur. Irascamur ergo & nos satanæ, quando vel intra animos nostros illius suggestiones audimus, vel quid in fratribus nostris & proximus agat videmus: nec admittamus carnis rationem, quæ peccatis blanditur, quin potius increpemus illam per Dei verbum, & illo gladio armati satanæ resistamus. Faciant hoc publicè ministri. Conferant huc etiam suas vires quotquot in magistratu versantur. Idem obseruent patresfamiliâs, ne quem hosti inter suos locum permittant. Nec sufficiat semel istud fecisse, sed quia expulsus redire cupit, viam illi præcludere, & perpetuò aduersus illius insidias vigilare conuenit. Quòd si turbas det, & pericula vndiq; nobis adducat, intrepidi stemus, & mox Christi Domini nostri opem sentiemus, qui & satanam conculcabit sub pedibus nostris, vt Paulus dicebat, & ex omni periculo assertos tuebitur, & tandem regni cœlestis ciues faciet. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen. Vt nobis cum satana luctandum sit. 1. Pet. 5. Ephes. 6. Matth. 12. Rom. 16.

HOMILIA LXXVI.

Et cùm ipse esset ingressus domum, discipuli eius interrogarunt eum priuatim: Cur nos non potuimus eijcere illum? Et ait illis: Hoc genus nulla re potest exire, nisi oratione & ieiunio. Et illinc egressi unà iter faciebant per Galilæam, nec uolebat, ut quisquam id cognosceret. Docebat enim discipulos suos, & dicebat eis: Filius hominis tradetur in manus hominum, qui illum occident, & occisus tertio die resurget. Ipsi uerò ignorabant hoc dictum, & timebant eum interrogare.

QVemadmodum misero mortalium generi Christo Iesu opus fuit, qui iuxta primam promissionem veteris serpentis caput contereret, nosq; ex illius tyrannide liberaret: Ita non minus necesse est, nos edoceri, quibus armis & artibus ipsi quoq; cum hoc nostro hoste congredi debeamus, vt victoria potiri possimus. Illum enim instar rugientis leonis circuire, & nobis pugnas assiduas mouere, scriptura abunde docet, nec quisquam est qui illud non experiatur. At hic unum Christum respexisse proderit, qui vt infinitis miraculis, se diaboli victorem esse testatur: ita tam doctrina quàm exemplo suo docet, quid nos in pugna ista vel cauere uel facere conueniat. Et huc faciunt quæ in miraculi nuper expositi historia habentur. Docuit enim Christus, quid obstiterit, quò minus discipuli dæmonium hoc potuerint eijcere. At de hoc in præsenti plura addit, vt nimirum isti vitio in nobis mederi debeamus: deinde verò ostendit, quis nobis tam huius miraculi, quàm omnium aliorum vsus præcipuus esse debeat. Argumentum & usus præsentis loci. Gene. 3. 1. Pet. 5.

Duæ ergo tractationes hoc loco proponuntur, præmittitur autem prioris occasio. Fuit hæc præpostera discipulorum admiratio, vel potius solicitudo quædam & metus. Antea enim illos potestate instruxerat Dominus, qua spiritus immundos & dæmonia eijcerent. Non potuerunt autem lunaticum puerum dæmonio liberare. Metuunt ergo, ne prius concessam potestatem illis Christus denuo ademerit, nec interim hoc suæ infidelitatis vitio ipsis accidisse animaduertunt, cuius tamen illos Dominus non obscurè admonuerat. Quare domum reuersi, priuatim illum de hoc interrogant. Ita verò Discipuli metuunt, ne potestatem sibi antea concessam amiserint. Marci 6. Luc. 9.

exemplum præbent eorum, qui mali causam admirantur & inquirunt, cuius ipsi sibi authores sunt. Est hoc admodum vulgare. Vt enim primus parens noster propriam culpam ægrè agnoscebat: ita paucos inuenias, qui manifesta vitia in semetipsis agnoscant. Quòd si verò illa dißimulare aut negare non possunt, illorum causas admirabundi inquirunt, & illas vel in ipsum Deum reijcere non verentur, dummodò sese culpa omni liberent. Faciunt hoc mnlti in salutis negotio, vbi suam ignorantiam prætexunt, interim illius causam, securum videlicet oblatæ Veritatis contemptum, in semetipsis non obseruant. Idem in huius seculi negotijs fieri videmus quando multi suam infelicitatem admirantur, de turbarum & seditionum causis irterrogant, de rei domesticæ angustia & infelici successu queruntur: qui interim ipsos sibi malorum omnium authores esse mox viderent, si suos mores & studia penitius intuerentur. In nos ipsos ergo descendamus, priusquam vel bonitatem vel iustitiam Dei in dubium vocemus. Attamen laudem meretur zelus hic discipulorum, qui etsi à Domino paulò ante obiurgati essent, & nunc idem timendi occasionem haberent, interrogant tamen: nimirum quòd scribis, manifestis Christi hostibus hinc aduersus illum disputandi occasionem datam fuisse viderent. Imitemur zelum hunc, & Christi gloriam ipsi quoque nostris commodis & priuato honori præferamus.

Cur discipuli satanam eijcere nequiuerint. Matth. 17. Cæterum audiamus Christi responsionem, qua duo agit. Primò quid obstiterit, docet. Nam apud Matthæum ait: Propter incredulitatem vestram. Eandem ergo causam allegat, quam prius, quando parentis & ipsorum infidelitatem corripuit. At simul ex fidei natura probat quod dicit, inquiens: Si haberetis fidem instar grani sinapis, id est, veram, viuam & efficacem, diceretis monti, &c. Argumentum tale est: Quicunq; fide vera sunt prediti, ijs nihil est impoßibile. At vobis impoßibile fuit eijcere istud dæmonium. Ergo fide vera & perfecta nondum estis instructi. Vt fides montes transferre dicatur. Porro in hoc tam insigni fidei elogio cauendum est, ne literæ pertinatius insistendo, vel insana confidentia res absurdas tentemus, vel fidei vim scurriliter rideamus, si quæ minus feliciter ijs succedunt, qui fidem in Christum profitentur. Nec enim montes loco mouere iubet Christus, sed locutione hac docet, adeò nihil factu impoßibile fore verè credentibus vt vel montes transferrent, si hoc fieri opus esset. Interim ad ea modò promißionem hanc restringamus, quæ Dei verbo & voluntati congrua, & nobis factu salutaria sunt. Rom. 10. Quia fides ex auditu verbi Dei est, & verbo nititur, nihil effectum cupit, quàm quod Dei verbo mandatur, & qood ex illo didicimus factu necessarium esse. Nec tamen fidei quicquam ideo derogari putemus, quando constat illius effectus multò maiores reperiri, quàm si vel Olympum vel alios quosuis montes (vt olim de gigantibus poetæ fabulati sunt) loco moueret. Gen. 12. 22. Nónne enim maius quid fecit Abraham, quando superatis affectibus carnis patriam dulcißimam reliquit, peregrinus oberrans molestias exilij patienter sustinuit, & tandem filium charißimum pro prijs manibus, iugulare decreuit? Exod. 2. Hebr. 11. Annon maius opus fuit Mosis, quando aulicas delitias & honores egestati & ignominiæ Hebræorum postposuit? Quid verò de sanctorum patientia dicere attinet, qui fide armati, persecutiones aßiduas, horribiles tyrannorum minas & cruciatus grauißimos denique ipsam mortem cunctanter vincunt? 1. Ioan. 5. Quid? quòd mundus hic totus fide vincitur, & eidem diabolis vel inuitus cedit? De istis ergo & alijs huius generis montibus Christus loquitur, in quibus sustinendis si nos aliquando imbecilliores esse experimur, mox hoc nostro vitio fieri cogitemus, qui nondnm tantos in fide progressus fecimus, quantos nos fecisse decebat. Quibus armis satan & diffidentia expugnentur. Simul verò ad Christi consilium recurramus, quod altera suæ responsionis parte præscribit. Docet enim quibus armis & satanam reluctantem & carni ingenitam incredulitatem vincere poßimus, cùm ait: Hoc genus nulla re potest exire, nisi oratione & ieiunio. Quæ verba non ad certum aliquod dæmoniorum genus referri debent, sed ex discipulorum incredulitate occasionem sumens, quid fieri oporteat docet, si quando diaboli regnum in nobis diuturniori mora confirmatum esse, nec eas in nobis fidei vires esse videmus, quæ illi eijciundo sufficere poßint. Nec etiam exorcistarum superstitionibus locus iste patrocinatur, qui certis quibusdam preculis & quorundam verborum demurmurationibus statisq; ieiunijs diabolos fugari arbitrantur. Sed verè spiritualibus armis omnes eos hic Christus instruit, qui diabolo superiores fieri, & fidei labascenti subuenire cupiunt. Oratio. Et primas quidem precibus tribuit, non quòd fidem excludat, de qua paulò ante dixit, sed vt diuinæ virtutis hoc opus esse, & non nisi per fidem perfici posse ostendat, sine qua preces aut omnino nullas, aut certè irritas & inutiles fundemus. Quomodo

modo enim inuocabunt (inquit Paulus) eum, in quem non crediderunt? Et sanè nisi Dei ope hoc totum ageretur, oratione siue precibus non esset opus. At quia ex nobis ipsis ne ad cogitandum quidem idonei sumus, diuinitus armemur oportet: quod non fiet, nisi precibus ex fide vera manantibus opem Dei imploremus. At quia fidei & precibus caro obstat, cuius figmenta & sensus non modò praui, verumetiam Deo inimici sunt, ieiunium secundo loco requirit, quod non in commentitio aliquo ciborum discrimine consistit, sed carnis mortificationem continet, quæ ab omnibus ijs abstinere docet, quæcunq; carnem vel securam vel ferocem & contumacem facere consueuerunt. Habet hæc suarum cupiditatum fomenta ex victus & deliciarum abundantia, ex voluptatum studijs, ex ocio & alijs horum similibus quæ sanctißimis Dei cultoribus aliquando maximorum scelerum causam fuisse legimus. Ista ergo vitare conuenit, & singuli quidem ea vitent, quæ sibi maximè impedimento esse sentiunt. Huc facit, quòd non modò cibis abstinere iubemur, verumetiam thalamum coniugalē ad tempus relinquere, quò feruentiores sint preces nostræ. Ex his ergo facilè colligitur, cur hodie in manifestißima Euangelij luce, tanta sit satanæ potentia, vt plerique hominum vel superstitionibus sese volentes immergant, vel totos sese sceleribus nefandis mancipent. Quid enim aliud fieret, quando plerique sub Euangelij prætextu carnis licentiam quærunt, & paucißimi sunt, qui vel precibus ex animo vacent, vel carni ea subducant, quæ illi stimulos & ferociam addunt? Imò quæcunq; ex papatu carnis licentiæ seruiunt (vtpote encæniorum festa, carnispriuia, & quæ alia huius generis gentium Lupercalibus & Bacchanalibus simillima sunt) mordicus retinentur, ijs solis reiectis, quæ vel morum disciplinam exigunt seueriorem, vel quorum abrogatio cum quæstu coniuncta est. Semper ergo animis nostris hæc Christi sententia inhæreat, ne delitijs & securitate nostra hostem diabolum aduersus propriam salutem armemus.

2.Cor.3.
Ieiunium.
Genesis 8.
Rom.7.
1.Corinth.7.
Ioel.2.
Cur hodie tanta sit diaboli potentia.

Porrò transeamus ad alteram tractationem, qua de huius simul & aliorum miraculorum vsu Christus discipulos instruit. Illinc digreßi (inquit Marcus) vnà iter faciebant per Galilæam, sed noluit hoc aliquem scire. Quia vt Lucas scribit, Hierosolymam tendebat, vt publicum nostræ salutis negotium ageret, quod nullorum priuatis negotijs impediri voluit. Est hoc magni studij argumentum, quo salutem nostram promotam vult: cuius consyderatio in tentationibus plurimùm consolari potest. Interim illius exemplo nos officij admoneri meminerimus, vt ipsi quoque simili studio ea exequamur, quæ nobis à Deo iniuncta sunt. Interim (vt idem Lucas habet) cùm omnes miraculum hoc magno cum stupore admirarentur, Christus discipulos hoc memori mente reponere iußit, & præcepti huius causam adijcit: Quia filius hominis tradetur in manus hominum, &c. Miraculorū ergo illos meminisse vult, vt ex his diuinitatis suæ argumenta colligant, quibus mox secuturæ Crucis scandalo medeantur. Hinc verò generalis doctrina peti debet, vt ipsi quoque inter læta tristium meminerimus, quæ cùm homines simus, à nobis abesse non possunt. Imprimis verò cùm ecclesia floret & lætis succeßibus progreditur, ea in animum reuocemus, quæ de persecutionibus & cruce piorū olim prædicta sunt. E diuerso rursum inter aduersa & tribulationes promißiones & illarum exempla repetamus, quæ Deum ecclesiæ suæ perpetuam curam habere docent. Ita fiet, vt nec prosperis rebus efferamur, nec aduersis desperemus, sed in omnem euentum parati, Deo fidem seruemus inconcussam.

Christus miraculorum vsum docet discipulos.
Lucæ 9.

Postremò de discipulis adijcitur, quòd Christi verba non intellexerint, nec tamen illum ausi fuerint interrogare. Atqui luce clariora sunt quæ Christus dicebat. Sed vt alibi diximus, quæ de illius morte dicebantur, discipuli percipere non potuerunt, eò quòd illorum mentes carnalis de regno ipsius opinio occupasset. Quæ causa est, quòd etiam hodie Euangelij mysteria multis obscura videntur. Quia enim libertatem quandam carnalem somniant, & omnia sibi læta pollicentur, nunquam ijs animum intendere possunt, quæ de carnis mortificatione, regeneratione & totius hominis innouatione, item de Cruce & afflictionibus piorum dicuntur. At hic minimè nobis imitandi sunt Apostoli. Qui enim frequenter de rebus nihil ad se pertinentibus interrogarunt, hic præpostero quodam pudore & metu impediti interrogare verentur eum, qui hoc vnum quærebat, vt ipsos veritatis plena cognitione illuminaret. Nos potius in huius vitæ palæstra versantes precibus aßiduis vacemus, ieiunijs sanctis carnem coerceamus, quæramus autem frequenter in scripturis nobiscum loquētem Dei filium Iesum Christum, & per ipsius spiritum in omnis veritatis cognitionem inducemur. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Discipuli Christum de Cruce loquentem non intelligunt.

HOMILIA LXXVII.

Et uenit Capernaum, & cùm uenisset domum, interrogauit eos: Quid in uia inter uos disceptabatis? Ipsi uerò siluerunt. Nam inter se disceptarant in uia, quis esset maior. Et cùm consedisset, uocauit duodecim, & dicit eis: Si quis uult primus esse, erit omnium postremus, & omnium minister. Et cùm accepisset puerulum, statuit eum in medio eorum, & cùm accepisset eum in ulnas, ait eis: Quisquis unum ex talibus puerulis exceperit nomine meo, me excipit: & quicunque me excipit, non me excipit, sed eum qui misit me.

Argumentum & usus præsentis loci. Marc. 6. Marc. 8.

EXposuit hucusq; Diuus Marcus præclara quædam, quæ vt Christi Iesu diuinam potentiam & dignitatem declarant, ita discipulorum ipsius authoritatem plurimùm commendant. Illos enim ad prædicadum emissos, & miraculis instructos fuisse audiuimus. Iidem fidei Confessionem insignem ediderunt, tres verò ipsorum ad singulare spectaculum Christus delegit, vt gloriæ suæ cælestis specimen viderent. At quia hæc superstitiosis & infirmis occasionem dare poterant, aliquid sublimius de illis sentiendi, præclaris hisce illorum donis aliquot eorundem vitia subijcit Euangelista: quorum consyderatio nobis in eum finem proponitur, vt sanctos quoque Dei gratia opus habere intelligamus, & nos illorum exemplis de ingenita nostræ naturæ corruptione admoniti, perpetuò vigilemus. Et primum quidem illorum vitium, fidei infirmitatem, nuper vidimus. Sequitur superbiæ & ambitionis malum, quæ quantas in illis vires habuerit, & quóusque progressa sit, ex præsenti historia abundè patebit.

Discipuli disputãt de primatu.

Primò enim discipulorum factum proponitur, quod Christo cum illis agendi occasionem dedit. Cùm enim Capernaum proficiscerentur, disputatio inter illos non leuis oborta fuit, quis inter illos aliquando primatum esset habiturus. Cuius altercationis haud dubiè origo fuit communis & erronea Iudæorum de regno Christi opinio, de qua iam sæpe diximus. Accesserunt nunc quædam, quæ primatum in regno, vel Simoni Petro, vel Ioanni & Iacobo deferre videbantur, quos Christus rebus & negotijs præstantioribus singulari quodam beneficio adhibuerat. Et hæc illis de hoc argumento disputandi causa fuit. At non vulgarem consyderationem meretur, quòd in disputationem eiusmodi, ambitionis & superbiæ plenam Apostoli inciderunt. Fuerũt enim vt scimus, selecti illi discipuli, quos

Ioan. 13. 15. Eccle. 10

alibi propter verbum suum mundos esse testatur. Attamen ambitione & superbia laborant, quæ omnis peccati principium dicitur: quin eò vsq; progrediuntur, vt latentem in animis suis inuidiam & simultatem manifestis rixis abundè prodant. Vides ergo quàm nihil tribuendum sit nostris viribus quando Apostolos post tot tamq; præclara fidei & pietatis specimina ijs vitijs laborauisse constat, quæ multis regnis & ecclesijs exitio fuerunt. Adhæc patet hinc, quid ferè in Christo quærant, qui nondum plenè innouati & renati sunt: terrena nimirum, quæ carni adlubescunt, cuius rei exẽpla plura, quàm vtile sit, hodie passim occurrunt, ex quibus eò plus mali ad ecclesias & respublicas redit, quò in excellentiori gradu sunt constituti, qui hisce vitijs laborant.

Christus occultas discipulorũ disputationes non ignorat. 1. Reg. 8. 1. Para. 28. Psalm. 7. Iere. 11. 17. 20.

Sed ad Christum transeamus, qui primò sibi non ignotum esse docet, quod illi clam mussitabant, & hoc ipsum in lucem protrahit. Cùm enim Capernaum venissent, illos de disputatione hac interrogat, & vel inuitos id fateri cogit, cuius illos pudebat. Est hoc euidens & irrefragabile diuinitatis Christi argumentum, quando cordium & cogitationum notitia vni & soli Deo in scripturis tribuitur. Debet autem huius consyderatio nobis semper ob oculos versari, eò quòd ad vitam rectè instituendam plurimùm facit. Cùm enim hominum oculos ita plerię vereantur, vt in horum conspectu multa intermittant, quæ alioqui facturi essent: multò plura ijdem intermitterent, si Dei oculis omnia patere cogitarent. In Psalmo certè 94. summam impietatem describens spiritus sanctus ait: Quò vsq; impij Domine, quò vsq; impij petulanter exultabunt? Ebulliunt, loquuntur grandia, iactant se omnes flagitiosi. Populum tuum Domine atterũt, quos tibi hæreditario iure vindicasti, affligunt, viduas & aduenas occidunt, & pupillos interimuntur. At mox horum omnium causam subijcit: Et dicunt, Dominus non videt, neq; Deus Iacob intelligit. Vtq; huic malo medeatur, hanc ipsorum

rum persuasionē seriò reprehendit atque confutat, addens: Intelligite stupidi in populo, & stulti quando tandem sapietis? Is qui aurem condidit, quomodo non audiret? qui oculum finxit, quomodo non videret? qui gentes corripit, & homines docet scientiam, vos non argueret? Quæ verba vtinam hodie sibi crebrò in mentē reuocarent, qui carnis desideria & quiduis audendi libidinem omnibus Dei præceptis & fidis ministrorum admonitionibus anteponūt. Silent hîc discipuli, quando illos de ipsorū disputatione interrogat: nimirum quòd suæ illos ambitionis & superbiæ puderet. Quis ergo illos sibi temperaturos fuisse dubitet, si Christum huius conscium esse, iam ante cogitassent? Nec minus consolari nos debet Christi omniscientia. Hac enim nō nostra modò opera & cogitationes intuetur, verum etiam fugas nostras & lachrymas videt, quarum se vindicem & vltorem fore iam olim promisit. Videt item hostium suorum conatus, & eosdem facilè dißipat, vt multis in locis scriptura testatur.

Porro vbi ambitiosam discipulorum contentionem Christus in lucem protraxit, ad illam componendam accingitur. Et vt magis afficiantur illi, magna cum authoritate causam hanc agit. Primò enim considet, vt qui peculiare quid agere instituat. Deinde conuocat duodecim omnes, eò quòd ad singulos huius doctrinæ cognitio pertinebat: Tertiò rem ipsam propositurus, initiò statim illius summam paucis complectitur, dicens: Si quis vult primus esse, erit (vel sit) omnium postremus, & omnium minister. Quibus verbis non damnat legitimos dignitatum gradus, quos à Deo institutos esse alibi scriptura docet: sed humilitatem & mutua charitatis officia commendat, eos demum in regno suo magnos fore docens, qui donis diuinitus acceptis non superbiunt, sed illis quàm plurimos iuuare student. Vt enim in alijs rebus illæ reliquis præstantiores habentur, quarum plurimus inter homines vsus est: Ita inter homines illorum meritò præcipua dignitas censeri debet, qui alijs omnibus prodesse consueuerunt. At quia hoc nequaquam faciunt superbi & elati, sed qui de semetipsis modestius sentiunt, rectè Christus humilitatem suis commēdat, quos alibi ex mutuæ charitatis tessera agnoscendos docet. Interim nobis hîc obseruandum erit, soli Christo in ecclesia, quæ in terris Dei regnum dici potest, primatum deberi. In hac enim primum fore ait, qui omnium postremum, omniumq; ministrum se fecerit. Id verò Christus præ omnibus hostibus præstitit, qui cùm in forma Dei esset, semet ipsum exinaniuit, & omnium seruus factus est, adeoq; nihil officij detrectauit, quo nobis opus erat, vt nobis salutem vel morte sua redimere voluerit. Soli ergo principatus debetur, & meritò Antichristi dici debent, quicunq; hunc sibijpsis vendicant, & sub Christi nomine in ecclesia tyrānidem exercent. Vide 2. Thess. 2.

Christus discipulorum contentionem componit.

Ioan. 13. 15.

Christus solus ecclesiæ caput est.

Phil. 2.

Matth. 20.

Cæterùm vt res maximi momenti fidelius memoriæ commendaretur, non contentus hæc obiter monuisse, chriam quoque adhibet. Accersit enim puerulum, adductum in medio sistit, tandem vlnis complectitur, & vt Matthæus habet, magna cum grauitate pronunciat, adeò nulli ipsorum in regno suo primatum deberi, vt in illud nunquàm ingressuri sint, nisi puerulis similes reddantur. Vbi probè inquirendum fuerit, quibus in rebus nos puerulis similes fieri oporteat. Quia enim omnes in peccatis concipimur & nascimur, multa puerilis quoq; ætas habet, quæ nos corrigere potius, quàm imitari, conuenit. Dei enim vox est: Figmenta cordis humani ab ineunte ætate praua esse. Et Paulus clamat: Ne sitis pueri sensibus, sed malitia pueri sitis. Ad ea igitur solummodò hæc Christi sententia restringi debet, quæ in pueris aliquod priscæ innocentiæ vestigium habent, & præsenti negotio conueniunt. Inter quæ primum & præcipuum est, quòd dominatum adeò non ambiunt pueri, vt quid nam ille sit non intelligant. Eundem ergo nemini inuident, sed sua sorte contenti viuunt. Ita nos nostram vocationem sequi decet, nec aliquid sublimius affectare, quàm nobis à Deo concessum sit: præstantiora verò dona in alijs venerari, & vt illis rectè vtatur, orare. Deinde etsi hoc proprium habeant pueri, se tamen illud habere non norunt, nec etiam illo gloriantur. Ita nos humilitatis & modestiæ donum in nobis ipsis nequaquam agnoscere, & multò minus de illo gloriari debemus. Qui enim hoc faciunt, superbia & ambitione peccant, dum humilitatis laudem sibi vendicant: quod in philosophis pulchre notauit Cicero, quando eos in illis ipsis libellis, quos de contemnenda gloria scribunt, nomen suum inscribere dicit, vt in eo prædicentur, quo prædicationem nobilitatemq; despiciunt. Qua in re à Monachis iustitiarijs vehementißimè peccatur, ab Anabaptistis item, qui superbè nimis quosuis alios despiciunt & condemnant, dum se solos mundo & peccato mortuos, & verè humiliatos esse arbitrantur. Tertiò in pueris cumprimū laudabile est, quòd disciplinæ patienter sub-

Christus puerulos imitandos proponit.

Matth. 18.

Psalm. 51.

Gene. 8.

1. Cor. 14.

Quæ nam in puerulis imitanda sint.

1. Cor. 11. Psal. 50. sunt, & monitores ferunt: Ita nisi verbi Dei disciplinam feramus, nosq; interdum seuerius quoque castigari patiamur, salui non erimus, sed cum mundo pœnitere nescio peribimus. Notum est enim illud Psalmi: Impio dicit Deus: Quid tibi vis, quòd meos ritus commemoras, & ore tuo meum fœdus iactas? Cùm odio habeas disciplinam, & verba mea post te abijcias? Quartò pueruli, si offendatur, mox ad parentes confugiunt, & ijs sese reconciliari facilè patiuntur, à quibus se iniuria affectos esse putarunt. Tales nos etiam esse conuenit, vt iniurijs acceptis ad Deum vnum recurramus ad quem vindictæ ius omne pertinere scriptura testatur: interim parati simus ad condonandum, ne nostrorum debitorum exactores simus rigidiores, quàm Deus ipse erga nos esse soleat. Facit huc quod Petrus Apostolus scribit: Proinde deposita omni malitia & omni dolo, & simulationibus & inuidentijs, & omnibus obtrectationibus vt recens nati infantes, lac illud non corporis, sed animi, quod dolum nescit, appetite, vt per illud adolescatis, &c. Patet hinc, quàm procul à regno Dei absint omnes ferè magnates, diuites ac sapientes huius seculi, qui vt inanis gloriæ studio toti flagrant: ita propter leuissimas quasq; offensas, quibus honorem suum violatum putant, respublicas simul & ecclesias totas turbare non verentur, &c.

Deut. 32. Psalm. 94. Matth. 18. 1. Pet. 2.

Christus pueros cōmendat.

Cæterùm ne quis puerum magistrum aspernaretur, illum magnificè commendat. Nam in vlnas acceptum sibi quodammodo substituit, dicens: Quisquis vnum ex talibus puerulis exceperit nomine meo, me excipit: & quicunque me excipit, non excipit me, sed eum qui misit me. Ergo Christi nomine puerulos nos obseruare & imitari decet, id est, ideò quòd Christus hos nobis magistros & exemplar proposuit. Vnde admonemur, veritatis & salutis doctrinam non contemnendam esse propter vilem & ignobilem eius speciem, qui illam nobis proponit. Cùm enim alibi asinorum, boum, hirundinum, turturum, ciconiarum exemplis nostram corruptionem Deus arguat, & ijsdem nos nostri officij admoneat: quid mirum, si hominibus contemptis & nullius dignitatis in nobis instituendis vtatur? Facit hoc vt nostra corruptio magis elucescat, & vt suam erga nos bonitatem declaret, & sua verbo ipsius authoritas ex semetipso constet, ne illam ab hominum dignitate pendere putemus. Hinc est, quòd vilia & contempta huius mundi plerunque Deus delegit, sicuti in prophetarum & Apostolorum exemplis est videre. At tanta est hodie nostri seculi corruptio, vt à nemine doceri velimus, sed vndequaque occasiones captemus eos contemnendi, qui nobis salutis doctrinam liberius & purius prædicant.

Veritatis doctrina non contemnenda propter ministriū, &c. Isaiæ 1. Ierem. 8. 1. Corinth. 1.

Puerorum institutio necessaria. Marc. 10.

Docemur præterea hoc exemplo, quanta nobis puerorum cura esse debeat. Dantur enim nobis ex Dei benedictione, & alibi fatetur Christus, ad illos pertinere regnum Dei, & hîc puerulum amore singulari complectitur, & discipulis imitandum proponit. Summo igitur studio cauendum, ne à Deo & Christo alienentur, & ne nostra culpa & negligentia corrumpantur, quæ in his supersunt, innocentiæ & melioris naturæ vestigia. At quia de his sequenti Cap. cōmodius dicetur, hæc obiter attigisse modò sufficiat. Interim curemus innatos superbiæ stimulos retundere, & Deum precemur, vt ex ipsius spiritu renati sanctè viuamus, olim in cœlis regnaturi cum Christo Iesu, cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA LXXVIII.

Respondit autem ei Ioannes, dicens: Magister, uidimus quendam, qui per nomen tuum eijciebat dæmonia qui non sequitur nos: & prohibuimus eum, quia non sequitur nos. Iesus autem ait: Ne prohibeatis eum. Nullus enim est qui faciat uirtutem per nomen meum, & possit citò maledicere mihi. Qui enim non est contra nos, pro nobis est. Quisquis enim potum dederit uobis poculum aquæ nomine meo, quòd sitis Christi: amen dico uobis, nequaquam perdiderit mercedem suam.

Argumentum & vsus præsentis loci.

SAcri scriptores non modò sanctorum virtutes & facta egregia, verumetiam eorundem errores & lapsus commemorant. Id autem non hoc nomine faciunt, vt illos vitijs infames reddant, sed vt in illis nostræ naturæ corruptionem agnoscamus, & in vnam Dei gratiam (qua sancti omnes saluati

nati sunt) intenti, sedulò vigilemus. Eòdem ergo referri debent, quæ de discipulis modò commemorantur. Præcesserunt enim de his magna quædam, vt nuper dictum est. Ne ergo vel illi insolentiores fierent, vel nos illis nimium tribueremus, sequuntur nonnulla quæ, ipsorum imperfectionem arguunt. Et primò quidem fidei infirmitate impeditos fuisse audiuimus, quò minus dæmonium possent eijcere: id quod hostium quoq; ludibrio eos exposuit. Secundò non intelligunt redemptionis humanæ mysterium, quando illud Christus mortis & resurrectionis suæ articulis comprehensum proponebat. Tertiò ambitione superati, de primatu contendunt, simulq; suam, quoad regni Christi mysteria, ignorantiam produnt. Sequitur nouus error, in quo ignorantia, ambitio, inuidia & temeritas simul concurrunt: cuius historia hoc ordine consyderanda est, vt primò eum inspiciamus, ex cuius operibus impingendi occasionem discipuli arripuerunt. Deinde ipsorum factum siue lapsus examinabitur. Postremò Christi de his iudicium audiemus.

Quoad primum, cùm discipuli in nomine Christi miracula ederent, quidam non iniquus (vt apparet) doctrinæ & factorum Christi censor, non tamen apertus discipulus, illos imitari cœpit, nec infeliciter cessit conatus ille, cùm ad inuocationem nominis Christi dæmonia fugerent. Id uerò discipulis factu indignum uisum est, ut postea audiemus. At nobis hîc obseruandum uenit, quòd per Christi nomen miracula fiunt ab eo, quem in fide adhuc imperfectum fuisse, uel ex eo patet, quod Christi partibus se nondum palàm coniunxisset. Id verò singulari prouidentia factum fuit, quò citius & latius Christi regnum propagaretur, magisq; pateret diuina Christi uirtus & potentia, quæ in ijs quoq; efficaciter operatur, qui ad Christianam perfectionem nondum peruenerunt. Quod enim in isto contigit, hoc ipsum de omnibus discipulis dici potest, qui & si Christũ sequerentur, multa tamen illis adhuc deerant: nec obfuit hoc, quo minus Christi nomen in edendis miraculis efficax esset. Quid quòd in rebus inanimatis aliquando idem efficax fuit, quando nimirum umbra Petri ægrotis remedio fuit, & Pauli sudaria morbos simul & spiritus immundos fugarunt? Quò etiã referri debent, quæ olim ad martyrũ sepulchra facta fuisse leguntur, ita nimirũ Christo de illorũ doctrina & fide testimoniũ ferente, quos alij impios & hæreticos fuisse arbitrabantur. Est hoc ergo euidens diuinitatis Christi argumentum, & quòd is promissus ille Messias sit, cui uniuersa diaboli potentia cedere debeat. Interim admonemur exemplis eiusmodi, miracula nõ semper perfectæ fidei & sanctitatis argumenta esse. Fiunt enim frequenter ab imperfectis, ut hîc est uidere: aliquãdo etiã ab hypocritis & operarijs iniquitatis, quos Christus in nouissimo die miraculis suis gloriaturos esse apud Matthæũ testatur, quos tamen ipse pro suis agnoscere non possit: vt autem ijdem miracula faciant permittit, quò salutaris nominis sui cognitio pluribus innotescat. Quin ab impijs interdum & falsis prophetis miracula fiunt, & his Antichristi ministros insignes fore, Christus & Apostoli prædixerunt. Et ista quidem iusto Dei iudicio fiunt, qui vel suos tentare vult, vel efficaciam erroris ijs immittere, qui veritatis dilectionem recipere dedignantur. Horum semper nos meminisse oportet, ne oscitanter nimis in sola miracula intenti, impostoribus nos seducendos præbeamus: quod non fiet, si illa ad verbi Dei regulam reuocemus, à quo vno credentes pendere conuenit.

Quidã in Christi nomine eijcit dæmonia.

Christi diuinitas.

Acto.5.19.

Miracula non semper fidei perfectæ argumentum.

Matthæi 7.

Matth.24.
Apoc.13.
Deut.13.
2.Thes.2.

Porrò discipulos Christi videamus, qui istum dæmonia eijcere prohibent, & quidem satis pro imperio, cùm non aliam sui facti rationem habeant, quàm quòd non esset eiusdem cũ illis loci & ordinis: vbi duplex in illis error elucet. Primus ex ignorantia est, quæ superstitiosam de sequela Christi opinionem peperit. Neminẽ enim Christi discipulũ & sectatorem dici debere arbitrantur, nisi qui idem Apostolus quoq; sit, & ipsorũ exemplo omnia reliquerit. Qualis hodie Monachorũ et Anabaptistarũ error est, qui etiã arroganter omnes damnant, quos ab ipsorũ instituto vel latũ vnguem discedere vident. Atqui diuersas hominum vocationes esse, scriptura passim docet, & inter verbi ministros, alios quidem Apostolos, alios pastores, alios prophetas, alios Euangelistas factos esse legimus. Nec omnibus in se credentibus hoc iniunxit Christus, vt temerè relictis omnibus se sequerentur. Lazarũ enim cum sororibus Bethaniæ habitare, & res suas administrare permisit: similiter Nicodemum & Iosephum Senatorij ordinis fuisse scimus, postquam Christi discipuli facti fuerunt, quorum in illius morte maior quàm Apostolorũ constantia eluxit. Possem & aliorum exempla adducere, Cornelij nimirum Centurionis, Pauli Sergij, Publij & similiũ, quibus de mutanda conditione ne verbũ quidem fecerunt Apostoli, cùm illos Christo lucrifacerent. Quin Pauli præceptũ est: Vnusquisq; in ea vocatione,

Discipuli alium Christi nomine uti prohibent.

1. Discipuli peccant ignoratiã.

Ephes.4.
1.Corinth.12.
Ioan.11. 12.
Ioan.3.7.19.
Matth.27.

Acto.10.13.27. &c.
1.Corinth.7.

in qua vocatus fuit, maneat. Turpis igitur & intolerabilis est illorum præsumptio, qui à Christi communione omnes eos excludunt, quos quoad externam vocationem, sibi non per omnia similes, & fortaßis re lautiori & in maiori dignitate constitutos, vel ipsis liberiores esse vident. Qui error bic quoq; electis Christi discipulis imposuit.

2. Discipuli peccant ambitione & inuidia.
Num. 11.
Ioan. 3.

Secundus error ex ambitione est, & æmulationem siue inuidiam coniunctam habet, qualis in Iosua fuit, cùm Eldadum & Medadum in castris prophetare audisset: & quali discipulos Ioannis contra Christum exarsisse legimus. Suæ enim existimationi metuunt, ne illi aliquid derogetur, si quiuis Christi nomine in edendis miraculis vtatur. Est hoc philautiæ proprium, quòd aliorum felicitatem homines sibi officere, adeoq; sibi decedere arbitrantur quicquid in alijs eximij & præclari vident. Hinc ergo inuidiæ scintilla concipitur, quæ nisi inter principia statim restinguatur, paulatim in flammam erumpens horrenda incendia excitat: cuius rei exempla priuata & publica in histotijs paßim occurrunt, & quotidie non rara cernuntur. Interim discipulorum zelus nostram ignauiam arguit. Illi indignum putant, Christi nomen ab eo vsurpari, qui hactenus se illius discipulum non apertè professus fuerat. At nos ne propriam quidem perfidiam animaduertimus, qua Christi nomen & fidem iactitamus, vt vel lucrum priuatum, vel carnis licentiam venemur, cùm à Christo & fide alienißimi simus. Imò qui fidem in Christum pleno ore profitentur, illius verbum aut ipsi interdum horrendis conuitijs proscindunt, aut illud ab alijs proscindi patienter ferunt. Sunt hæc animi parum Christiani indicia, quæ nos emendare decet, ita tamen, vt carnis zelo frenum inijciamus, ne ille nos sub Christi prætextu prauis cupiditatibus transuersos abripiat.

Christus discipulorum factũ reprehendit.

Cæterum Christi responsionem audiamus, qua factum ipsorum improbat, & rationes tres adducit. Prima est: Nullus est, qui faciat virtutem per nomen meum, & poßit citò maledicere mihi. Depromit hanc ex cõmuni sensu, eò quòd res ipsa tales arguit, vt si maximè velint de Christo male loqui, apud neminem tamen ipsorum verba fidem inueniant. Quantam ergo esse dicemus illorũ improbitatem & impudentiam, qui cùm per Christi nomen & Euangelium ipsius Antichristianæ tyrannidis iugum excusserint, libertate & fortunis aucti sint, & quotidie ex Euangelio beneficia infinita percipiant, adhuc tamen illud proscindere non verentur? Audiuntur tales hodie paßim, & inter hos præcipui ferè sunt, qui sub falso fidei prætextu irrepserunt, & ex opibus ecclesiæ ditati sunt. Hi enim, si quando arguantur, toti in rabiem accensi, nullum non conuitij genus aduersus euangelij doctrinam & eius ministros effundunt. Sed reuera sunt hi serui nequam, quos ex proprio ore iudicabit Dominus, &c.

Lucæ 19.

Secunda ratio: Qui non est contra nos, pro nobis est. Quibus verbis nequaquam tergiuersatoribus illis patrocinatur, qui cùm Christi hostes videri non velint, neutrales tamen sunt, & quando constantia maxima opus erat, suam fidem callidè dißimulant. Tales enim cùm dißimulando communi pietatis causæ plurimùm officiant, eo ipso Christi hostes sunt, quo amici videri volunt, & in illos quadrant, quæ alibi dicuntur: Qui non est mecum, aduersum me est. Qui non mecum colligit: dispergit. At qui talis dici non potest noster hic, cùm Christi nomen publicè vsurparit, & eo ipso suam fidem abundè professus fuerit. In præsenti ergo de infirmis loquitur, & verborum sensus est: Qui non hostis est, sed nomen meum agnoscit, fidem in me profitetur, etsi multa illi adhuc desint, abijci tamen & damnari non debet. Eo ipso enim pro nobis est, quòd nos non oppugnat, causamq; nostram saltem aliqua ratione promouet. Atq; huc Paulus videtur respexisse, quando eos quoq; ferendos putabat, qui Christum per æmulationem & contentionem prædicabant: eò quòd regni Christi propagationem priuatis affectibus longè præferendam esse arbitraretur. Hinc verò generalis doctrina peti debet, vt infirmorum rationem habendam esse cogitemus, nec temerè eos abijciamus, quos nos fouere potius & confirmare decet, iuxta Christi exemplum, qui arundinem quassatam non conterit, nec linum fumigans extinguit. Admonet de hoc grauiter Paulus, ne nostra vel libertate vel rigore ijs exitij authores simus, pro quibus Christus mori voluit. At longè sublimius, si Dijs placet, Anabaptistæ sapiunt, qui peccatoribus Euangelium prædicari nolunt, & nos canibus & porcis Dei verbũ proijcere clamant, eò quòd multis pœnitere nescijs prædicemus. Quasi verò frustra ijs prædicetur, quibus in testimonium prædicatur. Aut qua ratione prophetas excusabunt, quorum aliqui annis totis quinquaginta & amplius docuerunt, licet se laterem lauare cernerent? Vel num vnà nobiscum Christum & Apo-

Matth. 12.
Phil. 1.
Infirmi non temerè abijci debẽt, sed foueri.
Isaiæ 42.
Matth. 12.
Rom. 14. 15.
1. Cor. 8. &c.
Matth. 10.
Lucæ 10.

Ambicio [illegible] [illegible]

& Apostolos accusabunt, quos idem fecisse negare non poterunt, nisi manifestam veritatem impudenter negare velint? Nec tamen hæc dicendo sceleratis patrocinanmur, nec ecclesiæ disciplinam tollimus: sed ea prudentia & lenitate eam administrari debere monemus, ne (quod Germanico prouerbio dicitur) dum unam ouem nimis curiose abluimus, centum alias præfocemus, &c.

Tertia ratio à comparatis est, Si præmium merentur, qui vel minimum officium mihi aut meis meo nomine præstiterint, quantò magis vos hunc ferre conuenit, quem mei nominis studio flagrare, & illius cognitionem miraculis per hoc editis quotidie propagare videtis? Repetit autem promissionem, qua apud Matthæum Apostolos ad prædicandum iam abituros consolatus est. Nos autē præter ea quæ ad præsentem causam faciunt, admonemur, quanta apud nos esse debeat membrorum Christi dignitas & cura, maximè pauperum, quos nostris officijs subleuari opus est, quando Christus Iesus ipse tam hîc quàm alibi se pro illis vadem ac fideiussorem constituit. Insuper consoletur hæc promissio pios omnes ne se Deo minus curæ esse arbitrentur, si quando egent aut afflictionē qualemcunque sustinent. Qui enim suam fidem pro illis apud alios obstringit, procul dubiò patrem & protectorem ipsorum agere non desinet, etsi omnes homines officium suum negligant. Faxit Deus, vt horum memores, infirmos doctrina & exemplo nostro confirmemus, & ipsi indies proficiamus in vera & salutari cognitione Christi, qui vt solus nostræ salutis author est, ita soli debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Christus misericordia quoque officia dignis præmijs reddit.

Matth. 10.

Matth. 25. 26.

HOMILIA LXXIX.

Et quisquis offenderit unum ex paruulis istis, qui credunt in me, melius esset ei, si circumponeretur saxum molare circa collū eius, & proijceretur in mare. Si uerò manus tua facit ut offendas, abscinde eam: melius est tibi ad uitam ingredi mancum, quàm duas manus habentem abire in gehennam, in ignem inextinguibilem: ubi uermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. Et si pes tuus facit, ut tu offendas, abscinde eum: melius est tibi ad uitam ingredi claudum, quam duos pedes habentem proijci in gehennam, in ignem inextinguibilem: ubi uermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. Et si oculus tuus facit ut tu offendas, erue eum: melius est tibi ingredi in regnum Dei unoculum, quàm duos oculos habentem proijci in gehennā ignis: ubi uermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.

AVdiuimus hucusque aliquot graues discipulorum Christi lapsus & errores, quos partim ex ignorantia, partim carnis affectibus abrepti commiserunt. Patet ex illis, quanta sit nostræ naturæ corruptio & infirmitas, & quanto studio ijs, qui sibi stare videntur, aduigilandum sit, ne cadant: quando vel hinc constat, verissimè à Solomone dictum esse, quòd iustus in die septies labatur. Quia autem sanctorum peccata simpliees & infirmos plurimùm offendunt, & discipuli per incogitantiam plures indies errores accumulare poterant: Christus correptioni qua in illos vsus est, generalem de scandalis doctrinam subijcit, in cuius consyderatione nobis diligenter & crebrò versandum est, eò quòd apud Matthæum scandalorum authoribus væ illud horrendum denuntiat, quod omne genus malorum cùm huius præsentis tum futuri seculi comprehendit: & tamen fieri non posse testatur, quin scandala veniant: nimirum quòd ea sit humani ingenij corruptio, & impij illa nunquam non dare vel accipere soleant: quibus interea Deus etiam in suis probandis et exercendis vtitur. Porrò multis omissis, quæ hîc copiose dici poterant, nos breuitati studentes, tria ex ordine tractabimus. Primum, quid sit scandalum & quàm variè dari soleat. Secundum, quam pœnam huius authoribus Deus constituerit. Tertium, qua ratione caueri & declinari possint.

Argumentum & usus præsentis loci.

1. Corinth. 10.

Prouerb. 24.

Matth. 18.

Scandalum siue offendiculum propriè dicitur quidquid iter facientibus obijcitur, ad quod impingentes cadunt, vel saltem cadendi occasionem inueniunt. Quia autem humanæ vitæ conuersatio via dicitur, metaphoricè scandalum vel offendiculum vocant, quicquid in Dei præceptis aut salutis via ambulantibus obstaculo esse, aut peccandi causam præbere solet. Germani propriam vocem habe-

Scandalū quid?

Ergernuß.

mus, qua omne id notatur, quo quis peior siue deterior efficitur. Potest ergo definiri scandalum, vt dicamus esse dictum aut factum quodcunq́, cuius occasione alij in salutis via impingunt, aut impediti deteriores fiunt. Nec temere dicta & facta comprehendimus, quando vtraque tam in religione quàm in vitæ conuersatione plurimùm obstaculi afferre solent. Ad dicta enim pertinet falsa doctrina, quæ superstitiones & illicitos cultus inuehit. Doctrina item inepta vel scrupulosa, quæ homines vel salutis suæ incertos facit, vel causa est, vt Dei verbum odio & contemptui habeant. Quæstiones item non necessariæ, quibus aut fidei articuli in dubium vocantur, aut imperitis & carni deditis de illicitis cogitandi occasio, vel etiam hostibus veritatis eam proscindendi argumentum præbetur. Quales sunt quæ hodie à curiosis ingenijs mouentur de Trinitate, de non puniendis hæreticis & seductoribus, de polygamia & alijs rebus, quas taceri potius quàm disputationibus superuacaneis exagitari conueniebat. Debent eòdem priuata quoq́ colloquia referri, quæ si praua fuerint, bonos quoq́ mores corrumpunt, vt Paulus ex veteri poeta monuit. Et per colloquia scandalum alijs obijciunt, quotquot salutis mysteria illudunt & in dubium vocant, quales nouissimis temporibus plurimos fore, Petrus prædixit. Quotquot item vel verbi diuini oracula scurrilibus facetijs detorquent, vt ex illis ridendi & iocandi occasionem venentur: vel de absentibus malè loquentes alijs suspiciones mouent, & odiorum atque simultatum semina iaciunt: vel cantilenis obscœnis & turpibus dicterijs libidinis fomenta subministrant. Quoad facta, bifariàm scandalum dari solet. Primùm, cum ea quidem facimus, quæ per se licent, libertate autem nostra vel imprudenter vel insolenter nimis abutendo infirmos ac simplices offendimus. Cuius scandali exempla in ijs proponit Paulus, qui nulla infirmorum ratione habita, vel cibis lege prohibitis, vel idolothytis vescebantur. Et se nec aliorum Apostolorum more vxorem circumducere, nec à Corinthijs stipendium accepisse scribit, ne quem sua libertate offenderet. Huius generis censeri possunt, quæcunq́ olim in Papatu vsitata ab Euangelicis retinentur, & aduersarijs occasionem præbent, vt vel Euangelium licentiæ nimiæ accusent, vel nos ab illorum superstitionibus non multum abhorrere suspicentur. Deinde scandalum præbemus, quando ea palàm facimus quæ per se illicita sunt, & Dei legibus aduersantur. Et hæc quidem scandali species per omnes vitæ nostræ actiones extenditur, eoq́ luculentius & grauius est scandalum, quo maioris authoritatis sunt, qui talia designant. Peccatur hîc publicè, quando morū disciplina dissoluitur, et impunè quiduis licet omnibus inter eos, qui Euangelij titulo gloriantur. Priuatim uerò peccãt ministri, & magistratus, quando ipsi bonas leges violant: parentes & seniores, quando in iuniorū conspectu lasciuiunt: diuites, quando egenis esurientibus luxuriantur. Ita enim aut exemplo suo ad peccandum irritant, aut miseris impatientiæ occasionē præbent, vt suæ sortis pertæsi aduersus Deum murmurent. Nec minus pauperes diuitibus scandalo sunt, quando eleemosynis improbè abutuntur, & sua petulantia atq́ effreni morū licentia illos in largiendo parciores siue tenaciores reddunt. Scandalū itē dant mulieres et puellæ viris siue iuuenibus & hi vicissim illis, quando mutua libidinis irritamenta vtrinq́ subministrant, quod vestitu, gestu, dicterijs, aut etiam lasciuiori nutu interdū fieri consueuit. Et hæc quidem omnia sub scandali nomine comprehenduntur, vnà cum multis alijs, quæ facilè deprehendent pij, qui de his attentius paulò cogitant.

Scandalum ex dictis.

1. Cor. 15.

2. Pet. 3.

Scandalum ex factis.

Rom. 14.

1. Cor. 8, 9. etc.

At quia hæc mundo leuicula videntur, Christi de his iudicium audiamus. Apud Matthæum, Væ (inquit) mundo ab offendiculis. Et mox supplicij comminatione docet quanta sit huius peccati atrocitas. Dicit enim: Quisquis offenderit vnum ex paruulis istis, qui in me credunt, melius esset ei, si circumponeretur saxum molare circa collum eius, & proijceretur in mare. Paruulorum solummodo meminit, non quòd alios liceat impunè offendere, sed vt superbiæ vitio medeatur, quæ nos vt alijs scandalo simus impellit, dum illos non tanti faciendos arbitramur, vt propter illos quicquam vel fieri vel omitti debeat. Eosdem ergo magnificè commendat, cùm ait: Qui in me credunt. Atqui de ijs loquitur (vt ex Matthæo manifestè patet) qui ei puerulo similes erant, quem in medium discipulorum produxit, & in vlnas suas prehensuas, ipsis humilitatis exemplum proposuit. Quem tenellum admodum fuisse ex communi puerorum ingenio colligimus, cùm in illis vix primos annos egressis non obscura superbiæ & ambitionis specimina siue argumenta conspiciantur. Puerulos ergo in se credentium ecclesiæ adnumerat, & eo nomine magnam illorum rationem haberi vult. Nimis igitur insolenter illos Anabaptistæ à fide alienos esse clamant, & proinde obstant, ne per baptismum in eccle-

Scandali pœna.

Puerulos Christus credẽtibus adnumerat.

in ecclesiæ gremium recipiantur, eò quòd fidem publicè confiteri nondum possint. Quasi verò plus authoritatis eorum confessio mereatur, qui se credere profitentur, quàm Christi Iesu testimonium, qui puerulos inter credentes recenset. Quòd si verò puerulos offendere Christus prohibet, certè omnes quoque alios offendere nefas erit, qui paruulorum instar vel nostra vel aliorum exempla incautius imitantur. Supplicium verò nominat, quo antiquitus (vt Hieronymus annotauit) maxima quæq; flagitia apud Iudæos puniebantur. Meliusq; homini esse ait, vt hoc supplicio potius pereat, quàm alicui scandalo sit: nimirum quòd intelligat ijs æternas pœnas apud inferos paratas esse, quicunque alijs offendiculi authores sunt. Nec absque ratione Christum tam grauem sententiam proferre putabimus, quando hîc multa simul & grauissima peccata concurrunt, sicuti ex Paulo colligitur, qui de illis loquens, qui idolothytorum esu infirmiores in fide offendebant, inter alia inquit: Et peribit frater tuus, propter quem Christus mortuus fuit: sic autem peccantes in fratres, & vulnerantes illorum conscientiam infirmam, in Christum peccatis. Ecce fratrem perdi dicit, quando offenditur. Perit autem, non quoad corpus, sed quoad animam, cuius perditio vt omnium grauissima, sic etiam irrecuperabilis est. Nam ad animam ista referri debere docet, quando conscientias fratrum vulnerari scribit, & quidem infirmas, quas ædificari & sanari oportebat. Sunt hæc grauia, sed grauius multò, quod addit: In Christum peccatis. Id verò trifariàm fieri Chrysostomus annotauit. Primò enim sibi fieri testatur Christus quicquid alicui suorum fit. Deinde membra Christi sunt, qui scandalis eiusmodi vulnerantur. Tertiò Christi meritum, quoad ipsos, isti euacuant, adeoq; opus illud nostræ redemptionis destruunt, quod Christi morte ædificari oportuit. Accedit his omnibus quòd Dei ingenio reluctantur tales, qui homines peccatores conuerti & saluari, non autem in peccata prosterni & perdi vult. Quid, quòd ea scandali vis est, vt non penes unum aliquem subsistat, sed contagio quodam ad proximum quenq; serpit, donec ecclesiam totam inficiat? Quo ergo non supplicio dignus censebitur, qui tot & tanta flagitia simul commiserit? Vel quæ pœnæ, quæ tormenta, qui cruciatus istis criminibus expiandis suffecerint? Pœnam meruisse putatur, & quidem meritò, qui alienas opes furatur, aut violentum diripit, morte item dignus iudicatur, qui ex priuatæ vindictæ cupiditate aut odio hominē occidit. Et nos impunè laturum putabimus, qui sciens volens tot simul scelera contra proximum & Deum eiusq; filium accumulat? Hæc vtinam obseruarent securi & insolentes quidam, qui quasi sibi solis nati sint, quosuis alios impiè contemnunt, nec aliquam suorum dictorum vel factorum rationem habent. Nos scripturas audiamus, quæ nos ori nostro custodiam ponere, & salutem propriam cum timore & tremore operari iubent: quando nihil tam facilè est, quàm vel aliorum factis offendi, vel nescientem ea facere, quæ alios offendere possunt. Etsi enim scandala semper fore Christus prædixit, nostrum tamen fuerit, quoad eius potest fieri, anniti, ne illa ex nobis prodeant.

Scandalum multa peccata simul comprehendit. 1. Corinth. 8. Matth. 25. 1. Corinth. 12. Ezech. 18. 1. Timoth. 1. 2. &c. Psalm. 34. Philip. 2.

Audiamus ergo Christi consilium, quod à chirurgis petito simili commendat, dicens: Si manus tua facit, vt tu offendas, abscinde eam. Et idem mox de pede & oculo quoq; fieri debere docet. Rationem verò vbique eandem reddit: quia melius sit ad vitam ingredi mancum, claudum & vnoculū, quàm membris omnibus integrum in gehennæ ignem inextinguibilem proijci. Sensus autem est: Vt in corporum morbis ne præstantissimis quidem membris parcitur, quando ex illis toti corpori exitium imminet: Ita vt scandala tollantur, nulli vel cupiditati vel homini indulgeri debet, ex quibus sceleris alicuius contagium oriri potest, quod vel nobis ipsis, vel alijs perditionem animarum afferat. Quid enim proderit carni bene fuisse aliquantulo tempore, si tandem animam simul & corpus nunquam finiendus cruciatus maneat?

Consilium de scandalis uitandis.

Porrò quòd hîc iubet Christus, bifariàm consyderari debet, Priuatim nimirum & Publicè. Primò enim singulorum est carnem suam & membra terrestria mortificare, sicuti Paulus admonet. Habet hæc oculos suos, quibus ad huius mundi fastum & illecebras respicit. Hos eruere & reprimere, vel (vt Dauid aiebat) auertere oportet, ne vanitatem videant, neue alijs ea obijciant, quæ ipsis nefariæ alicuius cogitationis vel cupiditatis occasionem præbeant. Habet manus, naturales nimirum agendi facultates: pedes item, per quos plerunque hominum affectus & consilia denotantur, eò quòd his tota conuersatio, vt corpus pedibus sustentatur. Hæc autem assiduo verbi studio, precibus ardentissimis, ieiunijs & alijs castigationibus mutilari & restingui oportet, ne aduersus Dei spiritum ferociant, & tam nos quàm alios infelici lapsu in scelera præcipitent. Pertinet huc illud Pauli, qui se

Scandala priuatim singuli coerceant. Colos. 3. 1. Ioan. 3. Psalm. 119.

1.Corinth.9. corpus suum castigare, & in seruitutem redigere dicebat: indesinenti nimirum pietatis studio, & quòd licitis quoq; abstineret, si quando illa scandali causam præbere possent, &c.

Scandala publicè etiam coerceantur. Cæterùm quia non omnium ea est pietas, vt seipsos coerceant, quò minus alijs scandalo sint, publicè etiam remedium adhibeant oportet, quibus publicæ salutis cura diuinitus commissa est. In horum numero sunt ministri, quorum est arguere, monere, corripere, diruere denique & extirpare per gladium spiritus, quicquid aduersus Dei cognitionem veramq; pietatem extollitur. At quia his quoque non omnes acquiescunt, magistratus instituit Deus, quos suorum iudiciorum vindices esse vult, & illis gladij vsum concessit, quo bonos tueantur, malos autem pro delictorum & improbitatis ipsorũ ratione puniant atq; coerceant. Hîc ergo vtriq; officij sui memores sint, nec vllo personarũ respectu ducantur, quando constat nocentiora esse scandala, quæ à personis illustrioribus proueniunt, nec etiam negligi posse ea, quæ ab obscuris & contemptis authoribus objiciuntur. Etenim oculi instar in republica siue ecclesia est antistes, quem Deus speculatorem suis constituit, vt gregi suo attendat. Oculi quoq; dici possunt Principes & Senatores, quos populi mores & studia obseruare, & eiusdem vitia corrigere decet. Manus verò esse dicemus ministros publicos, quorum opera in exequendis iudicijs suis magistratus vtuntur. Pedes autem erunt subditi omnes & infimæ conditionis homines. In hos omnes tam ecclesiarum antistites quàm magistratus ita animaduertant, vt quemcunque alicuius scandali authorem esse vident, illum pro delicti ratione coerceant. Nulla enim ad publicam & impunem peccandi licentiam procliuior via est, quàm si pauculis aliquot pro sua libidine omnia facere permittatur. Solent enim plerunq; ab exemplo argumentari, quotquot peccare cupiunt, aut iam peccatum aliquod cõmiserunt: quò fit, vt paucorum impunitas publicæ licentiæ causa fiat. Hinc etiam turbæ proueniunt, quibus respublica simul & ecclesiæ interdum miserè commouentur, vt sequenti Sermone dicetur. Sequamur ergo consilium, quod hîc præscribitur, & priuatim simul ac publicè curemus, ne cui scandalo simus, nec nostram ipsorum vtilitatem sequamur, sed multorum, vt salui fiant in Christo Iesu Domino nostro: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

2.Timoth.4. Ierem.1. 2.Corinth.10. Psalm.72. Rom.13. Ezech.3.33. Acto.20. 1.Cor.10.

Omnis!

HOMILIA LXXX.

Nam omnis homo igne salietur, & omnis uictima sale salietur. Bonus est sal. Cæterùm si sal insulsus fuerit, quo ipsum condietis? Habete in uobis ipsis salem, & pacem habete inter uos inuicem.

Argumentum & usus præsentis loci. Postquàm Dominus Iesus Christus graues aliquot discipulorum suorũ lapsus grauiter corripuit, mox generalem de scandalis vitandis doctrinam subjicit, quam cognitu vtilem & necessariam esse nuper diximus, tum quòd mundus hic scandalorum plenus est, nec quicquam tam facile est, quàm simplices & incautos offendere: tum quòd peccatum hoc longè grauissimum est & multiplex, & æternæ damnationis supplicium meretur. Monet autem Christus, & pro sua authoritate præcipit, vt ne ijs quidem, quæ nobis charissima & maximà necessaria sunt, parcatur, si ea nobis ipsis aut alijs scandalo esse experiamur: vtq; singuli priuatim quoad seipsos, deinde publicè pro suæ conditionis ratione scandalis tollendis inuigilent. Quia autem doctrina hæc carni molestissima est, adijcit illi præsentem locum, quo eam obseruatu necessariam esse docet, si vel nostræ ipsorum vel publicæ saluti consultum esse velimus: & huius rei rationes tres adducit: quas ex ordine videbimus.

I. Hominis natura correctione opus habet. Prima à communi hominum persona siue naturæ nostræ conditione petitur. Nam omnis homo (inquit) igne salietur, & omnis victima sale salietur. Subest autem verbis hisce comparatio ex lege petita, quæ sacrificijs fermentum quidem & mel adhibere prohibebat, eadem verò sale condire iubebat. Fermento autem pharisaica propriæ iustitiæ fiducia, melle verò voluptates & illecebræ carnis figurabantur, quæ omnia procul abesse debent ab ijs, qui sacra sua Deo grata & accepta esse volunt. Iidem verò curent, vt omnia ipsorum sale cœlestis sapientiæ condiantur, quem in sermonibus Christianorum Paulus maximè requirit. Sensus ergo verborum Christi est: Vt olim victimæ omnes ex Dei mandato sale condiri debuerunt: Ita homines, quos Deus sibi hostias viuentes sisti vult, igne saliri conuenit. Eam ergo innuit esse humanæ naturæ corruptionem, vt nisi spirituali sale condiatur,

Leuit.2. Marc.8. Colos.3. Rom.12.

instar

instar mortuæ & putrefactæ carnis fœteat coram Domino. Huc enim facit, quòd ipse Deus hominem nihil præter carnem, & humani cordis figmenta ab ineunte ætate praua esse testatur. Nisi ergo aliunde adhibeatur vis quædam astringens, illico affectibus prauis diffluens teterrimum omnis generis vitiorum fœtorem contrahet. Quem verò hunc ignem et salem esse dicemus, quo nos saliri oportet? Nimirum Dei verbum, quod non hoc tantum loco, sed infinitis alijs per ignem & salem adumbratur. Apud Ieremiam enim dicit Dominus: Annon verbum meum est sicut ignis, & sicut malleus dissipans petram? Et alibi prophetam aduersus improbos verbi sui contemptores confirmans, ait: Eò quòd loquimini sermonem istum, ecce ego reddam verba mea in ore tuo ignem & populum istum ligna, & deuorabit eos. Et in Apocalypsi ignis ex ore testium Christi exire scribitur, qui hostes ipsorum deuoret. Quò etiam pertinet quod apud Lucam Dominus se venisse dicit, vt ignem in terra accendat: nimirum Euangelium intelligens, cuius prædicatione orbem totum illuminari & inflammari oportuit. Idem quoque Apostolos salem terræ esse ait, quod non alia ratione accipi potest, quàm quòd Dei verbum per illos toti orbi aspergi debuit. Et sanè si vtriusq; naturam & effectus consyderes, illa cum Dei verbo optimè conuenire videbis. Vt enim inter elementa nihil purius igne: Ita Dei verbum purissimum, & vt Dauid dicebat, argento septies purgato est simile. Deinde vt ignis arida quæq; & omnes crassiores materias vel totas consumit, vel purgatiores reddit: Ita dei verbo terrena desyderia & carnis studia consumuntur, & homo illis mirificè purgatur, vt nouus planè & alius videri possit. Item vt ignis suo calore omnia fouet ac vegetat, & membra torpentia sibiipsis restituit: Ita verbum Domini animos nostros Dei amore incendit, & ex torpentibus industrios & ad omne officium paratos reddit. Adhæc vt igni splendor coniunctus est, quo omnia latè illuminat, & tenebras discutit: Ita dei verbum lucerna est, quæ sola humani ingenij tenebras pellit, & rerum diuinarum cognitione mentes nostras illuminat. Quo nomine Christus Apostolos lucem mundi, & Ioannem Baptistam lucernam Apostolus vocauit. Deinde quemadmodum sal natura calidus & siccus est, & proinde à corruptione conseruat, vlcerum & scabiei pruritum pellit, cibis verò saporem gratum confert: Ita dei verbum superfluas in nobis cupiditates tollit, & ne illis toti corrumpamur obstat, adhæc libidinis & aliorum affectuum pruritum sistit, facit denique vt Deo accepti & grati simus, qui alioqui propter ingenitam corruptionem & vitia in nobis quotidie erumpentia fastidiri & repelli merebamur. Hoc igitur igne, hoc sale homines saliri & condi oportet, si gratam Deo victimam seipsos sistere velint. Fiet hoc, si primò singuli priuatim dei verbum sibiipsis applicent, ad huius regulam mores & studia sua examinent, per illud resecent vel exurant quicquid abs se præter officium factum esse viderint. Facit huc fruequens & assiduum verbi studium, quod in Psalmis Dauid commendat, & diligens carnis castigatio, qua ea illi subducimus quæ lasciuam & petulantem reddunt. At quia paucos est inuenire, qui hæc ipsi sibi præstent (vt nec medicum facilè reperias, qui sibiipsi cauterium adhibeat) & alij quidem à pietatis studio prorsus alieni, alij verò oscitantiores sunt, quàm vt de his seriò & assiduè cogitent, ignem & salem hunc per eos aspergi & adhiberi oportet, quos Deus disciplinæ & salutis publicæ custodes constituit. In quorum numero ministri sunt, quos hoc nomine salem terræ dici, supra diximus, & quorum verba ignita esse debere ex ijs patet, quæ Ieremiæ Deus dicebat, & quæ in Apocalypsi de testibus Christi ignem aduersus hostes pietatis eiaculantibus habentur. Isti ergo officij sui memores mundo exulcerato & insipido salem hunc seriò aspergant, & si quos pertinaciores vident, ijs ignem quoq; adhibeant & cauterium, quo vel inuitos ac renitentes conuincant. Huc pertinet quod Isaiæ dicitur: Clama ex gutture, ne cesses, & exalta instar tubæ vocem tuam, & annuntia populo meo præuaricationem suam, &c. Item quod Ieremiæ dicebatur: Ecce ego posui verba mea in os tuum, ecce ego constitui te hodie super gentes & super regna, vt euellas & extirpes, vt perdas ac dissipes, vt ædifices & plantes. Et Ezechielem officij sui admodum grauiter admonuit Deus, dicens, Et tu fili hominis annon iudicabis? annon iudicabis ciuitatem sanguinum? Indica ei omnes abominationes suas, &c. Sed & ipse Christus Euangelij prædicationem à pœnitentiæ doctrina inchoare iubet, quæ absque peccatorum redargutione & correptione seria & seuera proponi non potest, sicuti prophetarum & Apostolorum exempla docent. Non est ergo quod illorum iudicia alicuius faciant ministri, qui nudam salutis doctrinam proponi vellent, & morum disciplinam nihil ad ministros pertinere clamant. Est enim hoc mundi ingenium, quòd

Gene. 6. & 8. Dei uerbum igne & sale figuratur. Ierem. 23. Ierem. 5. Apoc. 11. Luc. 12. Matth. 5. Psalm. 12. Psal. 119. Matth. 5. Ioan. 1. Vt homines igne & sale condiantur. Psal. 19. 25. 119. &c. Ministri. Isaiæ 58. Ierem. 1. Ezech. 22. Lucæ 24. Ioan. 3.

redargutionem non fert, nec sua opera praua in lucem protrahi patitur. Sed non idcirco illi indulgere debent verbi præcones, quando minimè decet, vt homines in vitijs suis computrescere & perire patiantur illi, quos Deus salem terræ & salutis ministros constituit. At quia mundi improbitas & audacia maior est, quàm vt verbis semper corrigi poßit, verbi ministris opem hic ferre decet pios magistratus, quos apud Isaiam ecclesiæ suæ nutritios fore deus promisit. Qui vt ipsi salem sapientiæ in semetipsis habere debent, ita eodem respublicas totas condire debent, & toti in hoc esse, vt suæ fidei commissos in officio contineant, ne quisquàm illorum culpa perire videatur. Nisi enim hoc fiat, mox vniuersalem corruptionem oriri videbimus, quæ & populo & huius pastoribus commune exitium afferat, sicuti ex sequentibus patebit.

Magistratus.

Isaiæ 49.

II. Infelix eorum conditio, qui disciplinam non ritè exercent.

Sequitur enim secunda ratio, quam ab eorum persona sumit Christus, quibus ignem & salem hunc administrandum deus commisit. Bonus est sal, inquit, Id est, Dei verbum & quæ per illud fit correctio, in se bona, sancta, salutaris est. At si sal ipse insulsus fuerit, id est, si eius dispensatio in hominem insulsum & insipientem suiq; officij negligentem inciderit, quo ipsum condietis? Quasi diceret: Vt sal nullo remedio restitui potest, si semel acrimoniam suam amiserit: Ita si semel sublata fuerit publicæ correctionis authoritas, & qui hanc exequi debebant, ipsi vel negligentia vel mala vita exemplo authoritatem suam prostituerint, malum hoc erit incurabile. Quod enim aliud proferes Dei verbum, quo illi condiantur, qui & suam & verbi authoritatem iam pridem prodiderunt? Aut quæ alia authoritas ijs corrigendis sufficiet, qui propter publicæ functionis dignitatem quosuis alios excellunt? Imò tantum est philautiæ & ambitionis malum, vt tales plerunq; recta monentibus sese hostiliter opponant, ne errasse videantur. Exempla eius rei prophetarum & Christi & Apostolorū tempora exhibent. Quos enim omnes isti aduersarios grauiores habuerunt, quàm falsos religionis antistites, qui cùm diuini huius ignis & salis ministri esse deberent, nihil præter externum nominis splendorem, quasi fulgorem ex lebete ostentabant, & omnis prorsus acrimonia destituebantur, qua superstitiones & publica vitia coerceri & excindi oportebat? Quod ipsum nostro seculo non sine horribili totius orbis Christiani dißipatione experimur. Postquàm enim diuini verbi luce extincta sal insulsus facti sunt, qui summum sibi in ecclesia locum vendicabant, mox immensum illud superstitionum & vitiorum chaos inualuit, quod iam seculis aliquot nullo piorum Christi seruorum studio, nullis laborantis ecclesiæ precibus & lachrymis, nulla Imperatorum & Regum potentia, nulla Conciliorum authoritate corrigi aut tolli potuit. Accidit hoc ipsum corruptis magistratibus & priuatim singulis patribusfamiliâs, si insulsi semel fiant, & qua alios in officio continere debebant, seueritatem & acrimoniam abijciant. Facit huc exemplum Heli, quem oscitanti sua indulgentia & filios suos corrupisse, & per hos omnem cultum Dei in extremum contemptum adduxisse, & tandem publicæ calamitatis authorem fuisse sacra historia docet.

Salis insulsi pœna.
Matth. 5.
Lucæ 14.

Quæ uero pœna omnes huius similes maneat, Christus in præsenti luculenter docet, sic dicens: Ad nihil valet vltra, imò neque in terram neq; in sterquilinium vtilis est, sed foras eiectus proculcatur. Nullum eiusmodi hominum præterea vsum esse dicit. Quid enim cum ministro inepto, insulso, negligente & dissoluto facias, quando alijs negotijs plerunque propter imperitiam adhiberi non possunt? Quis item Senatoris aut principis vsus est, qui suam authoritatem ipse prodidit? Quid ergo restat, quàm vt eiecti ab omnibus coculcentur, & extremè infames ac ignominiosi fiant? Iustißimum enim est (vt per prophetam ad Heli dicebat Dominus) vt ignominia & infamia notentur, quotquot ipsius honorem & gloriam negligunt. Facit huc cumprimis, quòd apud Malachiam ignauis & insulsis sacerdotibus Dominus minatur: Mittam in vos execrationem, & maledicam benedictionibus vestris, quin maledixi, eò quòd cor non applicuistis. En ego corrumpo vobis semen, & spargam stercus in facies vestras, stercus (inquam) dierum vestrorum solennium, & tollet vos ad se, vt nimirum toti stercorei & merdosi, adeoq; in stercus mutati uideamini. Et paulò post: Vos declinastis è via, impingere fecistis multos in Lege, corrupistis fœdus Leui, dicit Dominus exercituum. Reddam ego etiam ergo vos probrosos & abiectos toti populo, secundùm quòd non seruastis vias meas, &c. Erant ista hodie ministris simul & magistratibus consyderanda, qui de collapsa ecclesiasticorum & politicorum authoritate paßim quiritantur. Huius enim mali ipsi sibi authores sunt, dum frigidi & insulsi de Dei gloria & publica morum disciplina nunquàm aut rarò cogitant,

1.Sam.2.
Malach.2.

& vt muli mutuum scabentes priuatis modò commodis student. Quæ vitia nisi emendent, contemptum hunc, quem modò impatientius ferunt, mox grauiora mala et tandem extremum interitum sequi sentient.

Cæterum ad Christi verba redeamus, qui tertiam rationem ab vtilitate producit, cuius respectu homines plurimùm mouentur. Habete (inquit) in vobisipsis salem, & pacem habete inter vos inuicem. Videtur ijs occurrere, qui publicam disciplinam ideo minus vrgendam esse contendunt, quòd ferè contentiones & odia ac inimicitiæ inde exoriantur. Id verò diserte negat, & salem hunc pacis studio coniungens, correctionem morũ publicam ita administrari posse docet, vt paci & concordiæ quàm maximè inseruiat. Quod tunc fiet, quando ita instituitur, vt omnibus bonis constare possit, nihil præter Dei gloriam & hominum salutem quæri, qui alioqui in vitijs suis toti perituri essent. Et sanè ad conseruandam pacem & concordiam nihil efficacius & vtilius esse diligenti & æquabili omnibusq́; communi legum bonarum & verbi diuini disciplina, prudentissimi quiq; viderunt, & omnium seculorum exempla testantur. Per hanc enim improbi coercentur, quibus si quiduis impunè liceat, mox aliorum fortunas & corpora inuadentes publicarum turbarum & seditionum sæpe authores sunt. Simul etiam impatientiæ & rebellionis scandalum tollitur, quod bonis interdum ex improborum impunitate obijci consueuit. Et qui correcti ad mentem redeunt, mox correctionis huius fructum iucundissimum sentiunt, & eos tenerrimè diligunt, quos prius iniquius ferebant, & odio prosequebantur. Denique si peccandi impunitas nulla sit, & absque omni personarum respectu omnes ex æquo corrigantur, nemini de legibus conquerendi datur occasio, & cum ijs facilius in gratiam redeunt reliqui, quos vel publicè per verbi præcones correptos esse, vel legibus publicis iam satis fecisse vident. Vt primùm verò alij alijs de causis efferuntur, & disciplinæ iugum excutiunt, mox effrenis peccandi licentia vincit, quæ tandem seditionum & publicorum malorum causa est, cùm impij indies audaciores fiant, pij verò eos antistites & magistratus colere desinant, quorum negligentia impijs animi augentur. Exempla in historijs passim occurrunt, nec nostro seculo desunt, & vtinam non ipsi aliquando sentiamus, quò eruptura sit nimia licentia, cuius præcipui authores sunt ecclesiarum antistites, qui se officio suo probè defunctos putant, si in absentes dicteria & conuitia iaculentur, cùm interim in suo grege grassantem morum corruptionem securi negligant. Semper ergo animis nostris inhæreat hæc Christi admonitio, vt huius memores ministri & magistratus de disciplina conseruanda assiduè cogitent, eandem verò patienter ferant qui peccarunt. Ita enim fiet, vt tam in hoc quàm futuro seculo solida & nunquam intermoritura pace fruamur per Iesum Christum, cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

III. Disciplina paci conseruandæ seruit.

CAPVT X.

HOMILIA LXXXI.

ET cùm inde surrexisset, uenit in fines Iudææ per regionem quæ est trans Iordanem, & cõueniunt rursum turbæ ad illum, & sicut consueuerat docebat eas. Et adeuntes pharisæi interrogabant illum: Licet ne uiro uxorẽ repudiare? tentantes illum. At ille respondens dixit illis: Quid uobis præcepit Moses? At illi dixerunt: Moses permisit libellum repudij scribere, ac dimittere. Et respondens Iesus dixit illis: Ad duritiẽ cordis uestri scripsit uobis præceptum istud. Cæterùm ab initio creationis marem & fœminam fecit eos Deus. Propter hoc relinquet homo patrem suum & matrem & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carnẽ unam: itaque non sunt amplius duo, sed una caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo ne separet. Et in domo rursum discipuli eius eadem de re interrogarunt eum. Et dicit eis: Quicunq; dimiserit uxorem suam, & duxerit aliam, mœchatur aduersus eam. Et si mulier dimiserit uirum suum, & nupserit alteri, mœchatur.

Argumentum & usus huius Capitis.

DILIGENTER hucusq; tradidit Christus quæcunque omnibus ex æquo in salutis causa cognitu necessaria sunt, simulq; doctrinam suam miraculis plurimis illustrauit. At quia hominum conditiones uariæ & multùm inter se diuersæ sunt, & singulis in sua vocatione ita viuendum est, ne fidem quam ore profitentur, factis abnegent: nunc de particularibus hisce officijs Christus agere incipit. Et prima quidem huius Cap. parte præcipuas vitæ huius conditiones siue hominum status præceptis instruit: initio facto à matrimonio, eò quòd ex hoc tota ferè vitæ nostræ ratio dependet, & hoc rectè instituto, omnia reliqua rectius procedunt.

Christi ultima profectio in Iudæam.

Matth. 19.

Marc. 1.

Luc. 4.

Præmittitur autem ad tractationem istam præparatio quædam. Christus enim qui aliquandiu in Gallilæa versatus fuit, è Capernao digressus per regionem Transiordanam (quam alij Peræam dixere) in Iudææ fines transiuit. Fuit autem hæc vltima ipsius profectio in vrbem Hierosolymorũ, vbi non multò post moriturus erat. Mox verò ad illam multi confluunt, qui (vt ex Matthæo patet) ægrotos complures simul adduxère, quos ille curauit, & populum pro suo more docuit: cuius rei gratia se à patre missum esse alibi testatur. Est hoc euidens studij ipsius erga nos argumentum. Mortem enim quam sibi instare sciebat, adeò non subterfugit, vt potius illi obuiàm procedat. Interim verò nihil eorum negligit, quæ ad eorum institutionem faciebant, quos mortis suæ authores fore non ignorabat. Docet enim adhuc, & doctrinam miraculis confirmat. Hinc nobis in tentationibus consolatio petenda est, ne illum erga nos difficiliorem esse cogitemus, quàm olim erga apertos hostes fuerit. Vt enim hic studio indefesso omnibus benefacit, ita omnes nos ad se vocat, nec quenquam ad se venientem reijcit. Simul verò exemplum ipsius imitemur, vt simili studio & alacritate ea exequamur, quæ nobis Deus iniunxit, & non minus prompti simus ad iuuandum eos, quos nostris officijs videmus opus habere.

Matth. 11.

Ioan. 6.

Pharisæi Christum tentant per quæstionem de diuortijs.

Porro circa hæc occupatum aggrediuntur pharisæi, & tentant illum, id est occasionem captant, qua ipsum vel populo inuisum reddant, vel quæstionibus irretitum in vitæ periculũ adducant. Quæstionem autem proponunt, An viro liceat vxorem dimittere? De ijs verò diuortijs quærunt, quæ apud Iudæos licenter nimium in usu erant: adeò vt quiuis pro suo arbitrio ob causam qualemcunq; vxori, quæ displicebat, repudij libellum daret: quod apud Matthæum clarius exprimitur, qui quæstionem ab illis hoc modo propositam fuisse scribit: Licet ne homini vxorem repudiare qualibet ex causa? Ita verò Mosis consilio siue præcepto abutebantur, qui vxorem minus gratam vel commodam dato repudij libello dimittere iusserat. Nec dubium est, magnam inde confusionem & turbas frequentes exortas fuisse, quando eam constat fuisse Iudæorum libidinem & inhumanitatem, vt è Babylone reuersi, vxores, quæ ipsis exilij sociæ fuerant, ob amissum ætatis & formæ florem, crudeliter eijcerent. Simulant ergo pharisæi sibi vehementer dolere illam licentiam, sed hoc vnum quærunt, vt illi malum concilient. Ea enim erat huius quæstionis conditio, vt quicquid responderet, illum circum uentum & captum teneri posse putarent. Nam si diuortia ista probasset, ipsum sibi contradicere clamauissent, quem alibi illa damnasse sciebant. Adhæc libidinis & impudicitiæ patronum esse dixissent. Sin verò illa damnasset, iam Mosis inimicum siue aduersarium dicere poterant, & populi odium ipsi conciliare, apud quem maxima & irrefragabilis erat Mosis authoritas, & qui diuortijs eiusmodi hactenus assueuerat. Elucet igitur in hoc exemplo quanta sit hostium veritatis pertinacia simul & astutia. Nec enim pudet hos eum hostiliter & insidiosè tentare, quem ijs intentum esse videbant, quæ ad publicam omnium salutem spectabant. Et eiusmodi occasionem captare possunt, qua ijs inuisum reddant, quos hucusq; beneficijs infinitis accumularat. Fiunt huius generis multa hodie, in quibus eorum nos meminisse decet, quæ Christo acciderunt, & iuxta illius exemplum veritatis causam fortiter & prudenter tueri.

Deut. 24.

Ezræ 9. 10.

Malach. 2.

Matth. 5.

Lucæ 16.

Christi ad Pharisæorum quæstionẽ respõsio.

Nam primum præsenti planè animo illos interrogat, quid Moses præceperit: non quòd hoc illum lateret, sed vt inde occasionem arripiat commodius & liberius cum illis agendi. Respondent enim illi, Mosem permisisse, vt vxor quæ displicet, scripto illi libello repudij dimittatur. Quibus mox suã responsionem Christus infert, quæ tribus partibus constat, quas probè excussisse multùm proderit.

I. Rationem reddit præcepti de libello repudij.

Prima rationem reddit eius, quod Moses de diuortijs statuerat. Ad duritiem cordis vestri (inquit) scripsit præceptum istud. Præceptum quidem vocat, sed consilium potius censeri debere docet, vel potius priuilegium, quod vitandi maioris incommodi causa concesserit, non quòd ista diuortiorum li-

rum licentia Deo probetur. Sic de virginibus consilium Paulus dabat, qui interim se Domini praeceptum non habere fatebatur. Verborum autem Christi sensus est: Vidit Moses vos ingenijs adeò contumacibus & praefractis praeditos esse, vt vxores potius occisuri fuissetis, quàm illis praeter animi voluntatem cohabitaturi. Concessit ergo priuilegium hoc de diuortijs: simul tamen non absq; libello repudij miseras eijci voluit, quò vel huius meditatione & scriptione prohiberentur, qui vxores repudiaturi erant, simulq; repudiatarum famae & honori consuleretur, ne vel ipsae maritos reliquisse, vel ob scelus aliquod eiectae viderentur. Frustra ergo Mosis praeceptum allegatis, quod de vestra auita & quasi haereditaria improbitate testimonium fert, & quo vos secus quàm ille voluit, ad vestras libidines abutimini.

At quaerunt aliqui, Num Mosi licuerit tale quid concedere, quod cum prima coniugij institutione pugnare, & proinde Deo minus probari posse sciebat? Et illud Apostoli obijciunt, qui impiorũ vocem esse ait: Faciamus mala, vt veniant bona. Vbi respondemus, Mosem quidem hic nominari, sed eundem vt dei seruum consyderandum esse, qui nihil in dei legibus, vel mutare, sed saltem aliqua ex parte absq; singulari spiritus sancti suggestione illis contrarium permittere voluerit. Nam fidelem seruum fuisse in tota Dei domo, ipsius Dei testimonio abunde constat. Quare ad ipsum Deum ista concessio referri debet, cui de suo facere licet quodcunq; ipsi libuerit. Ergo ne (inquis) sibijpsi contradicit Deus, & temeraria quadam leuitate leges figit atq; refigit? Nequaquam. Imò si probè rem excutiamus, nulla hîc contradictio subesse apparebit, quando non eodem respectu dicuntur quae olim per Mosem tradita, & hîc per Christum plenius ac luculentius exposita sunt. Primò enim Mosi cum populo durae ceruicis res fuit, cum quo variae rationes ineundae erant, vt peccata, quae in totum impediri non poterant, saltem aliquo modo coercerentur. At Christus ijs loquitur, quos ex semine verbi Dei renatos, spiritu adoptionis duci, & ad Christianam perfectionem indies contendere oportet. Deinde Moses vxorem repudiare non simpliciter iussit, sed si id ipsi vellent facere, qua ratio ne id fieri deberet, docuit. Adhaec non quamuis ob causam diuortium fieri voluit, sed tum demum illud concessit, si quis in vxore rem foedam deprehendisset, & sibi intolerabilem, etsi non eiusmodi esset, quae publicis legibus plecteretur. Praeterea modum & rationem talem praescripsit, quae ad prohibendum diuortium, & pacem inter coniuges dissidentes conciliandam plurimum seruiebat. Nam (vt Augustini verbis vtar) moram interposuit, vt in dissidium animus praeceps, libelli conscriptione refractus absisteret, & quid mali esse vxorem dimittere cogitaret: praesertim quia, vt perhibent, apud Hebraeos scribere literas Hebraeas nulli fas erat, nisi scribis solis, cùm & excellentiorem profiterentur sapientiam, & si qui eorum essent aequitate & pietate praediti, non tantum profiterentur, verumetiam sectarentur. Ad hos igitur, quos oporteret esse prudentes legis interpretes, & iustos dissidij dissuasores, lex mittere voluit eum, quem iussit libellum repudij dare, si dimisisset vxorem. Non enim poterit ei scribi libellus, nisi ab illis ipsis, qui per hanc occasionem & necessitatem venientem quodammodo in manus suas bono consilio regerent, atq; inter ipsum & vxorem pacificè agendo, dilectionem concordiamq; suaderent. Quòd si tantum intercederet odium, vt extingui emendariq; non posset, tunc vtiq; scriberetur libellus: quia frustra non dimitteret, quam sic odisset, vt ad debitam coniugio charitatem nulla prudentium persuasione reuocaretur. Hactenus Augustini verba retulimus. Quibus adijci potest, viros saltem in speciem bonos & honestos, repudij libellos non facilè dedisse, quibus suam ipsorum morositatem publicè proderent: & proinde non temere diuortium fecisse cum vxoribus quas absq; libello eiusmodi dimittere non poterant. Postremò ista repudiorum ratione non vitae modò, verumetiam famae vxorum consulebatur, ne ob adulteriũ, aut aliud quodpiam scelus capitale repudiatae esse, aut ipsae maritos turpiter deseruisse viderentur. Nam etiam hunc libellorum repudij vsum fuisse, ex Isaia patet, apud quem Deus Iudaeorum synagogam accusans, quòd priusquam eijceretur, ipsa sponte defecerit, vt amores suos idololatricos sequi posset, inter alia ait: Vbi est libellus repudij matris vestrae, quo eam dimiserim? Quasi diceret. Si de mea morositate quiritamini quasi iniquius vos reiecerim, agedum proferte libellum repudij abs me vobis datum. At non potestis quicquam tale proferre. In vobis ergo omnis culpa haeret, nec repudiatis vxoribus sed turpissimae adulterae similes estis, quae marito relicto amatores suos sectatur, &c. Quoad ergo consilium siue priuilegium per Mosem datum ista repudiorum ratio mala non erat: meritò autem reprehendi debe-

Marginalia: An Mosi licuerit repudium permittere. — Rom. 3. — Num. 12. Hebr. 3. — Moses & Christus non dissident. — 1. Pet. 1. Rom. 8. — Libro 19. contra Faustum Manic. cap. 26. — Isaiae 50.

bant Iudæi, qui hanc in effrenem suæ libidinis licentiam conuerterant: quæ causa est, quòd illos Dominus nunc arctioribus terminis constringit.

Ratio dispensandi in legibus ciuilibus.

Habemus in his exemplum memorabile, quæ optima sit in legibus ciuilibus dispensandi ratio, & quando illa admitti, quando item legum authoritas seuerius vrgeri ac retineri debeat. Iubent leges, vt suum cuiq; tribuatur, & ne quid contra æquitatem aduersus quenquam iudices pronuntient. At tales quandoq; causæ incidunt, vt si summo iure decidantur, simultates nunquam finiendæ oriture sint, quæ fortaßis publicæ etiam paci officiant. Non ergo iniquus fuerit iudex, si commodas rationes inueniat, quibus auditis iure suo volens cedat, qui alioqui nullis legibus ad id cogi poßet: quando hoc ciues boni & prudentes non raro sua sponte pacis & concordiæ ergò facere consueuerunt. At si hinc audaciores fiant malæ frugis homines, vel aperta vi, vel iuris et legum prætextu opes aliorum inuolent, & vix corporibus suorum conciuium abstineant, tum illos seueriori legum disciplina coercendos esse meminerint magistratus, siquidem seipsos & respublicas suas saluas & incolumes esse volunt. Eadem est in ijs ratio, quæ mores & vitæ conseruationem attinent. Poßunt illic concedi gaudia legitima, quæ nec morum honestati obsint, nec Dei vel præceptorũ ipsius immemores faciant eos, qui illis fruuntur. Talia enim ipse Deus concesßit, quãdo diebus festis Israelitas coram Domino epulari & lætari iußit. At si sub prætextu tali lasciuire & libidinari incipiant homines luxui & intemperantiæ dediti, gaudia eiusmodi cacellis legum coerceri oportet.

Deut. 14. 16.

Digreßio de Carnispriuijs, seu potius Lupercalibus Christianorũ.

Erat hoc obseruandum in ferijs siue solennitatibus quæ ieiunium papistarum quadragesimale præcedunt. Aguntur enim illis diebus paßim ferè conuiuia publica, quæ si ad alendam & fouendam ciuium concordiam & mutuũ amorem faciant, nec temperantiæ fines excedant, damnari nõ poßunt. Intolerabilis verò est illorum licentia, qui cùm Euangelij nomen & fidem profiteantur, eodem tempore laruati discurrunt, & ludos edunt lasciuiæ plenos & à Christiana modestia alieniß imos. Primò enim illos ex gentibus originem habere scimus, qui ijsdem moribus & eodem propè tempore sua Bacchanalia, Lupercalia et Cerealia celebrarunt. Licet verò illa papatus (vt multa alia quoq;) retinuerit, nostrum tamen erat illis longum vale renunciare, quos Euangelij sui luce Christus donare dignatus est. Si enim papatum propter abusus reiecimus, qua fronte obsecro gentilismi reliquijs locum damus, quæ inter papistas viris bonis & cordatis semper displicuerunt? Constat enim illo tempore, si vel parum conniueant magistratus, effreni licentia quosuis in omne libidinis ac petulantiæ genus erumpere, nullo vel sexus, vel ætatis, vel dignitatis discrimine obseruato: adeò vt vel vno hoc argumento gentilismi reliquias poßis agnoscere. Accedit his Dei lex, quæ nefas & abominabile esse pronunciat, si vel viri vel fœminæ mutato habitu sexum alienũ mentiantur. Taceo sumptus immodicos, qui vel soli absterrere poterant, nisi cum ratione sensum quoq; mali omnem abieciß emus. Offendicula tamen & scandala taceri & dißimulari non debent, quæ vix vspiã alibi vberius proueniunt. Offenduntur peregrini, quos veræ religionis fama & amor adduxit, quando eam licentiam morum apud Euangelij professores reperiunt, quam domi suæ intolerabilem duxerunt. Offenduntur infirmi & superstitiosi, quos exemplo vitæ honestiori lucrifacere poteramus. Offenduntur palàm impij & manifesti veritatis hostes, qui fidei doctrinam malignè proscindunt, quando huius professores tanta petulantia graßari, nec quicquam ab ipsorum moribus differre vident. Offenduntur pauperes, quando ipsis esurientibus alios abundare vident, & in luxum pudendum ea, quibus abundant, profundere. At quæ sit offendiculorum ratio, & quam horum authoribus pœnam Deus constituerit, nuper prolixè dictum est. Hæc ergo nos mouere debebant, vt de licitis quoq; gaudijs restringendis & coercendis cogitaremus, iuxta Christi exemplum, qui in repudiorum licẽtia tale quid in præsenti tractatione facit. Et hæc quidem in primam responsionis ipsius partem dicta sint.

Deute. 22.

II. Ad primam coniugij institutionem relegat.

1. Corinth. 11.

Transeamus nunc ad secundam partem, qua ad primam coniugij institutionem illos relegat, & hanc potius obseruandam esse docet, quàm quid Moses ipsorum improbitate coactus permiserit. Est hoc in omni controuersia spectandum, vt ad primam Dei institutionem recurramus, & mox patebit, qua in re erratum sit, & quomodo error admissus corrigi ac emendari queat. Ita Paulus in Cœnæ negotio fecit, cùm illam Corinthij prophano abusu corrupissent. Quoad verò præsentem causam, primò (vt Matthæus annotauit) repudiorum licentiam cum Dei institutione nequaquam conuenire docet. Ab initio (inquit) non fuit sic: id est, non ad hunc modum Deus coniugium instituit, nec illud temerarijs

varijs diuortijs ita turbari voluit & confundi. Quid ergo? Marem & fœminam fecit eos. Quasi dicat: Non plures fœminas fecit, quas Adam pro suo arbitrio permutaret: nec etiam ad vnius mulieris libidinem exaturandam plures viros creauit: sed Adamo, qui vnus & solus erat, Euam quoque vnicam, ex costa ipsius formatam, coniunxit, & duos hosce mutuo & indiuulso amore sibi inuicem adhærere iussit. Et quia coniugium ita instituit Deus, tanta illius seruandi religio esse debet, vt homo parentibus quoque relictis vxori suæ agglutinari debeat: adeò vt qui prius duo erant, nunc in vnum quodammodo carnem, id est, in vnam personam, vel vnum corpus coalescant, cuius vna & eadem voluntas, idem vtrinq; amor, & idem sit erga suum comparem gratificandi studium. Et hæc quidem verborum Christi sententia est, in quibus tota coniugij ratio nobis consyderanda proponitur. Patet enim hinc, quid illud sit, quæ eius dignitas sit, quæ circa hoc potissimùm consyderari debeant. De quibus singulis, quanta fieri poterit, breuitate dicemus, quæcunq; ad præsentem tractationem cognitu & obseruatu necessaria sunt.

Coniugium Latini iumentorum ad vnum iugum copulationē vocant. Metaphoricè verò eadem vox de mare & fœmina, matrimonij vinculo constrictis, vsurpatur: eò quòd tales eandem omnis fortunæ societatem ac consortium habeant. Matrimonij vocem, quæ & ipsa Latinis in vsu est, Augustinus à matre deriuat, quia nō ob aliud fœmina nubere debeat, quàm vt mater fiat. At si rem ipsam excutere & exactius definire libeat, dicamus coniugium esse legitimam & diuinitus institutam coniunctionem viri & fœminæ, quæ cum vtriusque consensu suscipitur, vt se mutuò adiuuent, sobolem procreent, & illicitæ libidinis cupiditatibus medeantur. Habet definitio hæc omnia, quæ ad legitimum coniugium pertinent, & cum scripturis probè conuenit. Hæ enim illud in ipsa statim mundi creati origine à Deo institutum, & has ipsas ob causas institutum esse docent, quas commemorauimus. Deum equidem legimus dixisse: Non est bonum, hominem esse solum: faciamus ei adiutorium, quod sit coram illo. En Deus bonum esse negat, vt homo solus sit, & se illi adiutorium facere velle pollicetur. Illius ergo institutum est, vt cum vxore compare viuat. Et ibidem primam coniugij causam non obscurè attingit: vt nimirum adiutorium habeat homo, quem per peccatum in labores & omnis generis ærumnas prolapsurum esse sciebat. At simul soboli procreandæ coniugium seruire debere, idem Deus alibi docet. Scribit enim Moses: Creauit Deus hominem in imagine sua, in imagine Dei creauit illum, marem & fœminam creauit eos. Et benedixit illis Deus, dixitq; illis: Crescite & multiplicamini, & implete terram, & subijcite eam, &c. Tertiam verò instituti coniugij causam Paulus disertè exprimit, dicens: Propter scortationem vitandam, suam quisq; vxorem habeat, & suum quæq; virum habeat, 1. Corinth. 7.

Coniugiū unde nomen habeat, & quid sit.

Gene. 2.

Gene. 1.

Elucet ex his magna coniugij dignitas. Concurrunt enim hîc quæcunq; ad rei alicuius commendationem facere possunt. Author siquidem illius est Deus, qui illud ipsus instituit, nec vllius vel hominis vel angeli ministerio vsus est. Tempus verò siue vetustas ad ipsam rerum omnium originem refertur, & tunc cœpit, quando homo nondum in peccatum prolapsus erat, sed in Dei imagine constitutus adhuc paradisi delitijs & felicitate fruebatur. Causæ autem eæ commemorantur, quæ ad generis humani propagationem ac cōseruationem, ad vitæ huius commoditatem, & singulorum hominum salutem faciunt. Taceo nunc Christi Iesu & ecclesiæ mysterium, cuius primus & omnium ab orbe condito luculentissimus typus in coniugij institutione propositus fuit. Dum enim ex Adami dormientis latere Eua desumitur, ostendere voluit Deus, ex secundi Adami, qui Christus est, morte enascituram ecclesiam, quam ille sponsæ loco, regni sui & vitæ cœlestis sociam esset habiturus. Sed & ipse Christus vt ex virgine desponsata nasci voluit, ita nuptiarum & coniugij parabola frequentissimè vtitur, vt nostræ redemptionis mysterium nobis euidentius ob oculos statuat. Non ergo mirum est, tantam vinculi coniugalis necessitudinem esse, vt huic qui parentibus debetur amor cedere iubeatur. Admiranda autem, imò detestanda potius est, illorum audacia, qui coniugij vsum ceu rem prophanam damnarunt, cùm nec aliqua scripturarum authoritate, nec sanctorum patrum exemplis, suum hoc institutum probare possent. Paulus certè illorum sententiam dæmoniorum doctrinis adnumerat, & idem dicere non dubitauit: Honorabile est inter omnes coniugium, & cubile impollutum: scortatores autem & adulteros iudicabit Dominus. Et quod Paulus dixit, communi sensu apud omnes gentes iam inde ab exordio mundi receptum fuisse legimus, quæcunq; ratione potius & legibus quàm

Coniugij dignitas quanta sit.

Ephes. 5.
Lucæ 1.
Matth. 1. 9. 22. 25. &c.

1. Timoth. 4.
Hebr. 13.

Gene. 12. 20. *belluinis affectibus se & respublicas suas regi debere intellexerunt. Pharaonem certè Ægypti et Abimelechum Palæstinæ regem, qui vterq; Saram Abrahami vxorem ignarus & inscius sibi duxerat, mox culpam suam agnouisse, imò totos exhorruisse legimus, vt primùm marito nuptam esse intellexerunt. Iosephum verò suum ita à pueris instituerat Iacob, vt ne ethnici quidem heri thorum vellet polluere, sed improbis heræ impudicæ illecebris sese potius cum vitæ periculo opponeret. At postquam sublato pudore coniugij honor passim vilescere, & scortandi mœchandiq; libido apud omnes penè gentes regnare cœpit, Deus Israelitarum gentem, quam sibi in peculium delegerat, adulteros & adulteras capitalibus pœnis plectere iussit: quod ipsum apud aliquas etiam gentes receptum fuisse constat, & postea Imperatorijs legibus est confirmatum. Neque hîc eos multùm moramur, qui ista legibus quidem constituta esse fatentur, sed rara eorum exempla inueniri clamant, qui legum eiusmodi rigorem sequendum esse putarint. Scimus enim nimiam fuisse omnibus penè seculis adulteriorum licentiam, & magistratus illam plerunque coercere vel non velle, vel non posse, cùm quasi regnum passim obtinuerit. At simul scimus, non ideò cessare Dei iudicia, qui & olim in scortatores & adulteros horrenda exempla edidit, & hodie nequaquam eos punire cessat, qui coniugiorum fidem turpiter violãt. In deserto olim propter scortationem viginti quatuor millia hominum perijsse Moses scribit. Iudicum verò temporibus cùm magistratuum negligentia scortandi & mœchandi impunitatem inuexisset, sexaginta quinq; millia virorum cæsa fuerunt. Quantum verò malorum publicè & priuatim ex Dauidis adulterio enatum sit, nemo ignorat. Inter Babylonicæ captiuitatis causas prophetæ adulteria non postremo loco numerant. In gentium historijs celeberrimum est Troiæ excidium, cuius præcipua causa Paris adulter extitit. Apud Romanos propter stuprum Lucretiæ per vim oblatum reges eiecti fuerunt, quæ res turbas & belli pericula infinita peperit. Memorabile autem cumprimis est, quod Roderichum Gothorum regno in Hispanijs sua libidine finem & interitum attulisse legimus. Cum enim Iuliani cuiusdam filiam constuprasset, pater ira & dolore percitus, Saracenos in Hispanias adduxit, quam occiso rege & regni proceribus & ingenti præterea Gothorum strage edita occuparunt, & annis circiter quingentis tenuêre: donec in Granatæ regnum sese recipere coacti sunt, vnde illos patrum memoria demum Ferdinandus Rex expulit. Simile exemplum regnante Honorio accidit, quando Franci Treuirorum vrbem occuparunt, accersiti à Senatore, cuius vxorem rapuerat Lucius præses Romanus. Inde postea in Galliam transierunt, quæ res ab ea parte lacerationis Imperij initium fuit, cui ab altera parte Gotti ex Pannonia imminebant. At quid opus est veterum exempla commemorare, quando quotidie experimur, vt iustus Deus stupra & adulteria rei domesticæ dissipatione, grauissimis morbis, infamiæ notis, & nonnunquam horrendis & improuisis cædibus, aut alioqui non vulgaribus mortis generibus vlcisci soleat? Omitto nunc, quòd in his absq; pœnitentia perseuerantes scriptura regni cœlorum consortio excludit, & æternis inferorum cruciatibus addicit. Vtinam ista diligentus consyderarent, quos nostri seculi licentia & impunitas excæcat, vt sibi coram Deo quoq; quiduis licere existiment. Cæterum vt huius iudicium subterfugiamus in illorum meditatione nos versari conuenit, quæ circa ipsum coniugium cumprimis obseruare & præstare oportet. Sunt hæc numero tria, de quibus ex ordine dicemus.*

Gene. 29. — Adulterij pœna. — Leuit. 20. — Deut. 22. — Nume. 25. — Iud. 19. 20. — 1. Sam. 12. 13. 15. 16. 18. &c. — Ierem. 5. 7. — Ezech. 33. &c. — 1. Corinth. 6. — Apoc. 21.

Quomodo coniugia contrahi debeant. — Deute. 7. — Ios. 23. — Leuit. 18.

Primum est, vt ritè contrahatur iuxta Dei institutionem & ab illo præscriptas leges: inter quas non postremo loco haberi debent, quæ de impiorum & idololatrarum connubijs vitandis habentur & quæ certos cognationis & affinitatis gradus constituunt, intra quos nefas sit matrimonium contrahere. Sed plurimùm huc facit primæ institutionis consyderatio. Ex Adami dormientis latere costam petit Deus, quam in mulierem formatam illi coniungit. Quo exemplo docuit carnis affectus hîc minimè in consilium adhibendos esse, sed illis sopitis coniugem quæri debere, qua cum piè & religiosè viuere possis. Quia enim ad religionem præcipuè homo conditus est, huius quoque præcipua cura esse debet in deligendo compare, cum quo maxima vitæ pars transigenda erit. Nec quicquam absque religione feliciter inchoari, non scripturæ modò docent, verumetiam gentium sapientes olim tradiderunt. Peccatur ergo hîc auaritia, quando opes solæ quæruntur: libidine, quando sola forma inspicitur & cæcus amor in consilium adhibetur: ambitione item, quando sub coniugij prætextu honores & dignitates ambimus. Hinc ferè coniugia imparia prouenĩũt, in quibus cùm nec morum, nec ingenij, nec etiã religionis similitudo sit, sæpe nõ modò dissensiones & perpetuæ rixæ pullulãt, verum-

etiam

etiam sibijpsis apostasiæ siue defectionis à Deo & maximorum scelerum authores sunt, qui se illis incautius aut prauis affectibus ducti immergunt. Exemplum eius rei memorabile extat in Solomone, 1.Reg.11.
qui hac occasione toti Israeli idololatriam inuexit, & pestiferi schismatis in regno causam præbuit.
Sed & Iosaphat, cum filio suo Achabi filiam desponsauisset, sibijpsi quidem præsens vitæ periculum 2.Par.18. et 21.
conflauit, filio autem ad parricidia & idololatriam quasi uiam strauit. Nec nostri seculi exempla desunt, quæ docent, quàm infelix sit plerunq; eiusmodi coniugiorum exitus, in quibus postposita pietate & gloria Dei, nihil præter opes, voluptates & fastum quæritur. Hic ergo potißimum parentes sui officij meminisse conuenit, ne dum liberis suis prospicere volunt, maximorum malorum illis authores sint. Vidit hoc Abraham, quando incredibili cura & studio vxorem se dignam Isaaco filio quærebat, Gene.24.
hoc vnum cauens, ne vel Chananæam duceret, vel sub coniugij prætextu eò rediret, unde ipsum Deus singulari beneficio eduxerat. Imitentur hunc qui veri filij Abraham esse uolunt, ne vel infidelibus temerè misceantur, vel per coniugia filijs suis & filiabus ad superstitiones ansam præbeant, è quarum seruitute ipsos Deus per Euangelium suum asseruit. Rursum parentibus piè solicitis & officio suo fungentibus liberi obtemperent, neq; cæcos carnis suæ affectus pietatis debito præferant, quo illis obstricti sunt. Imitentur ergo & ipsi patriarcharum filios Isaacum & Iacobum, quos parentibus obsequentißimos, & proinde Deo propitio vsos fuisse legimus: simulq; Esaui exemplo terreantur, quem Gene.27.et 28.
multis modis à Deo mulctatum fuisse cõstat, quòd parentibus in hac re minus obtemperauisset. Quis enim in parentes verè pios dixerit eos, qui in coniugijs contrahendis parentes fallunt, ex quibus illi liberorum incolumitatem maximè dependere sciunt, & proinde de illis cumprimis soliciti esse solent? At quid ijs minetur Deus, qui parentes temerè negligunt, & illis tristitiæ & doloris causam præbent, quos fideli obedientia exhilarare debebant, notius est, quàm vt multis exponi oporteat.

Secundò videndum in coniugio, vt illius initia rectè celebrentur. Quia enim magna est illius dignitas, vt paulò ante diximus, apud gentes ferè omnes solennes & mystici aliqui ritus fuerunt, quibus noui coniuges publicè cõiungerentur. Apud Christianos verò mos ille obtinuit, vt in ecclesia nuptijs minister benedicat, & publicis precibus Deo commendentur, qui illic fidem coniugalem sibi mutuò pollicentur. Pius sanè mos, et obseruatu necessarius, quando absq; precibus & diuini nominis auspicio nihil rectè & prosperè incipi vel perfici potest. Vidit hoc Abraham & senior domus ipsius, quando de Isaaci coniugio acturi, magna cum religione Dei nomen & eius inuocationem interposuerunt. Et cumprimis memorabile est exemplum Thobiæ, qui angelo monente faustißimas habuit nuptias, quæ alijs ob libidinem solam has celebrantibus funestæ fuerãt. Grauißimè ergo peccant, qui nuptias absq; religione celebrant, & libidini potius & fastui student, quàm precibus & diuini nominis inuocationi. Quod quia hodie vulgò fit, non mirum est, si infelicior sit eorum conditio, quos carnis cæca cupiditas copulauit, & qui suæ conuersationis primordia sine omni religione inchoarunt.

Nuptiæ ritè celebrandæ. Gene.24. Thob.6.7.8.&9.

Tertium est, vt sui officij vtrinq; sint memores. Sunt hic quædam communia, quæ ex æquo ad virum simul & fœminam spectant: vt nimirum se vnam & eandem cum coniuge carnem esse meminerint, vt concordiæ & charitati studentes coniugij vinculum omnibus alijs affectibus præferant, vt omnia habeant cõmunia, vt fidem sibi mutuò seruent illibatam, cùm (vt Paulus ait) nec vir nec fœmina corporis sui potestatem habeat. Sunt tamen singulis quædam propria & peculiaria, de quibus Apostoli ex spiritus Christi suggestione diligẽter admonent. Et de vxoribus quidem Paulus scribit: Vxores proprijs viris subditæ sint, veluti Domino: vel sicuti conuenit in Domino. Quoniam vir est caput vxoris, quemadmodum Christus est caput ecclesiæ, & idem est qui salutem dat corpori. Itaque sicuti ecclesia subdita est Christo, sic & vxores viris suis sint subditæ in omnibus. Itẽ alibi ab illis modestiam requirit, & vt maritos suos diligant, vt liberos ament, vt sobriæ sint, puræ, domus custodes, bonæ, & viris suis obsequentes: Et ad Timotheum, Volo (inquit) iuniores nubere, liberos gignere, domum administrare, nullã occasionẽ dare aduersario, &c. Quibus cõsentiunt quæ de ijsdem Petrus tradit, qui insuper de corporis habitu & ornatu admonet, & quoad obsequium & reuerentiam, quam viris debent, Saræ exemplum illis imitandum proponit, quæ Abrahamum heri nomine dignata est. Quæ omnia si in vnum conferas, vxoris fuerit marito ceu capiti subesse, eundem diligere, liberos studiose educare, domus curam agere sedulò, in moribus verò & totius vitæ conuersatione modestiam, pudicitiam & castitatẽ referre, vt (quod olim Iulius Cæsar dicebat) non ab adulterio modò, verum

Coniugum officia. 1.Corinth.7. Vxorum officia propria. Ephes.5. Colos.3. Titi 2. 1.Timoth.5. 1.Pet.3. Gen.18.

Virorum officia propria. etiam adulterij suspicione alienæ sint. Maritis verò non minus diligenter sua officia Apostoli præscribunt. Ait enim Paulus: Viri diligite vxores, & ne sitis amarulenti aduersus illas. Item: Diligite vxores vestras, sicuti Christus dilexit ecclesiã suam, & semetipsum pro ea exposuit. Et rursum: Debent viri diligere suas vxores, vt sua ipsorum corpora. Petrus verò scribit: Viri cohabitent vxoribus secundùm scientiam, ueluti infirmiori uasi muliebri impartientes honorẽ, tanquã etiam cohæredes gratiæ vitæ, ne interrumpantur preces vestræ, &c. Vbi à viris quoq; amorem haud vulgarẽ requiri audimus, non quidem quem libidinis ardor incendat, sed qui in vxoris commodum & honorem dirigatur, qualis Christus est erga ecclesiam, & qualis vniuscuiusq; hominis erga membra sua esse consueuit. Adhæc prudentia exigitur, quæ vasis infirmioris vitia ferre possit & emendare: ne dum suo in vxorem iure & imperio maritus abutitur, illam tyrannide opprimat, & mancipij vilissimi loco habeat eam, quam ex latere ipsius desumptam Deus vitæ & omnis fortunæ sociam, & adiutorium esse voluit. Et huc cumprimis pertinet capitis similitudo, qua Paulus vtitur. Habet hoc in corpore principatũ, sed illo non tyrannicè abutitur, sed cum ratione & prudentia singulorum membrorum saluti prospicit. Quòd si in membra grassetur, iam non imperio vti, sed furere dicitur, & tam sibijpsi quàm reliquo corpori malum conciliat. Huius ergo maritos memores esse decet, quin vtrinq; sua officia coniuges obseruent, & vberrimum tam ad seipsos quàm ad liberos suos totamq; rem domesticam fructũ redire sentient. Et hæc quidem de coniugio pro temporis ratione in præsenti dicta sufficiant.

Colos. 3.
Ephes. 5.
1. Pet. 3.

III. Christi de diuortijs sententia.

Restat tertia responsionis Christi pars, qua hæc omnia propositæ quæstioni accommodat, & de diuortijs sententiam suam exponit. Infert enim ex præmissis: Quod ergo Deus coniunxit, homo ne separet. Et postea discipulis ipsum domi interrogantibus ait: Quicunq; dimiserit vxorem suam, & duxerit aliã, mœchatur aduersus eam. Et si mulier dimiserit virũ suum, & nupserit alteri, mœchatur. Sunt hæc verba diligenter consyderanda. Videtur enim his Christus diuortiorum ius in vniuersum abrogare, & ijsdem Pontifices non absq; graui conscientiarum carnificina abusi sunt. Dum enim diuortiorum licentiam coercere voluerunt, non aliter illa admiserũt, quàm vt à coniugio abstinerent vtrinq;, qui separati fuerant, nec quisquã viuente priori vel vxore vel marito, alij iungeretur. Nec alio firmiori argumento nituntur, quàm quòd in hisce Christi verbis τὸ ῥητὸν siue literam mordicus tenent & vrgent, nec illius mentem, & quid alibi idem dixerit, inspiciunt. Primò igitur disputationis huius scopum obseruare oportet, quam de temerarijs Iudæorũ diuortijs, qualia tunc temporis in vsu erant institutam fuisse, initiò diximus. De ijsdem ergo hic Christus loquitur, & eos solummodo damnat, qui nullis grauibus causis moti, sed ob quamuis leuiculam occasionem priuata authoritate vxores repudiabant: nihil interim de illis agens, quos causæ grauissimæ hoc facere cogunt, siquidem suo honori & saluti consultum volunt. Deinde quid alibi ipse Christus pronunciet, videamus, & mox patebit sententiam hanc non adeò rigidè & vniuersaliter vrgeri debere. Nam apud Matthæũ ait: Quisquis repudiauerit vxorẽ suam nisi causa stupri, efficit vt illa sit adultera. Et apud eundem Euanlistam in hac ipsa disputatione Christi verba sic leguntur: Quicunq; repudiauerit vxorem suam, nisi ob stuprum, & aliam duxerit, adulterium cõmittit, &c. Ergo quod hîc omnibus simpliciter negare videtur, alibi concedit, si adulterij causa accedit, & proinde hanc diuortij causam legitimam constituit. Cur enim non repudietur, quæ ipsa prior coniugij vinculum perfidè dissoluit? Aut num adulteris & scortatoribus coniugij dignitas patrocinabitur, quod Deus, vt ista vitentur, instituit? Sed & Paulus alteram adhuc repudiorũ causam concedit, quæ ex religionis dissidio oritur. Iubet enim vt fidelis coniugem infidelem non deserat, sed illius vitium patienter ferat, siquidẽ infidelis ipsi cohabitare dignetur, nec ipse prior diuortium quærat. At si infidelis discesserit, discedat inquit Apostolus: non est seruituti subiectus frater aut soror in eiusmodi. Vnde rursum constat, præsentem hanc Christi sententiã non nisi de ijs accipi debere, qui pro sua libidine coniugia dirimunt, & alijs sese coniungũt: Nec hos temerè dicit mœchari, cùm prioris matrimonij uinculũ coram Dei tribunali adhuc firmum & ratum habeatur. Interim vt repudiorum leuitas & licentia caueri debet: ita non minus cauendũ est, ne dum coniugij vindices seueriores videri volumus, in contrariã partem peccetur. Fit hoc, quando adulteris patrocinamur, nec contenti à Deo constitutam illis pœnam sustulisse, insuper insontem coniugem vel adultero aut adulteræ cohabitare, vel perpetuò aduri & sese in idem flagitium præcipitare cogimus. Clementiæ fortaßis videri poterat, adulteris parcere: At illis parcendo insontes mul

Repudiorum causæ legitimæ.

Matth. 5.

1. Corinth. 7.

ctare,

ctare, cum extrema crudelitate & iniquitate coniunctum est. Peccatur item, quando sub coniugij praetextu religionem & quam Christo debemus fidem prodimus ipsi, aut alios ad superstitiones cum coniugibus infidelibus relegamus: immemores planè praecepti, quo Christus nos propter ipsum parentes, vxorem & liberos relinquere iubet. At omnibus istis optime medebitur pietas & religiosa verbi Dei obseruantia, quae & fidos coniugij custodes, & sanctam Dei sponsam nos efficiet per Christum Iesum: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in aeternum. Amen.

Marc. 10. Lucae 14.

HOMILIA LXXXII.

Et obtulerunt ei puerulos, ut tangeret eos: discipuli autem obiurgabant eos qui offerebant. Id uerò cùm uidisset Iesus, indignatus est, & dixit eis: Sinite puerulos uenire ad me, & ne prohibeatis eos: nam talium est regnum Dei. Amen dico uobis, quicunque non acceperit regnum Dei ut puerulus, nequaquam in illud ingredietur. Et cùm cœpisset eos in ulnas, impositis manibus super eos, benedixit eis.

Disputauit Dominus noster Iesus Christus de coniugio, cuius dignitatem contra diuortiorum authores temerarios argumentis ex prima illius institutione petitis asseruit. At quia coniugij fructus praecipuus sunt liberi, quos Latini non temerè illius pignora dixêre, commodè nunc de his sermonem instituit, docens, in qua nam apud Deum existimatione sint, & quid in illis instituendis parentes potissimùm spectare debeant. Est ergo locus hic multa & diligenti consyderatione dignissimus: tum quòd liberi non familiarum modò verumetiam totius reipublicae seminarium sunt, ex quo illa adolescere & conseruari solet: tum quòd in illis educandis parentes vel negligentia, vel superstitione, vel institutione praua plurimùm hodie peccant: quorum peccata non ipsis modò verumetiam communi patriae vitio & fraudi esse consueuerunt. Quibus omnibus probè medebitur praesentis historiae consyderatio, quae tribus omnino partibus constat, quas ex ordine uidebimus.

Argumentum & usus praesentis loci.

Primò parentes producuntur, qui huic tractationi occasionē dederunt. Veniunt illi, & suos liberos, paruulos adhuc & infantes, Christo offerunt, ut illos tangat, vel (quod Matthaeus annotauit) ut manus illis imponeret, & bona faustaq; imprecaretur. Mouit illos haud dubiè, quòd Christū contactu suo multis mederi, & uerba eiusdē cum effectu coniuncta esse uiderent. Putant ergo suis quoq; infantibus plurimum diuinae gratiae accessurum esse, si illos suo contactu & benedictione dignetur. Habemus in his fidei exemplum, imperfectae quidē, non tamen omnino inefficacis aut inutilis. Fidei enim est, quòd de Christo magnificè sentiunt, & ex illo maius aliquid sperant, quàm homo uulgaris praestare possit. Imperfectionē uerò arguit, quòd contactū Christi necessarium esse arbitrantur, nec ut ipse puerulis gratiā & salutem conferat petunt, sed ut pro illis orando eam à Deo impetret. Nondū ergo Deum uerum esse intellexerunt, qui cum patre unus & idem sit, & cum illo omnia cōmunia habeat, & proinde propria uirtute quosuis saluare queat. Interim fidei huic quantūuis infirmae & imperfectae suum quoq; robur & fortitudo non contemnenda subest. Etsi enim Christū plerisq; exosum esse sciant, pharisaeis autem imprimis, quos aduersus illum conspirauisse & de sectatoribus ipsius excōmunicandis decretū fecisse, Ioannes scribit: tamen illorū praesentiā non metuunt, ut illos Christi pudeat, cuius aliquē gustum iam animis suis conceperunt. Seruit hoc institutioni, ut primùm gliscentis in nobis fidei initio foueamus, & posito timore Christum uniuersis hominū edictis & conatibus praeferamus. Neq; nos terreat nostra siue infirmitas siue imperfectio. Nec enim hanc fastidit Christus, sicuti iam saepe dictum est, & horum quoq; exemplo abundè docetur, ut postea suo loco uidebimus.

I. Parentes Christo offerunt paruulos. Matth. 19.

Fidei imperfectae exemplum.

Ioan. 9. 12.

Secunda pars discipulorum de facto parentum iudicium exponit, Obiurgabant (inquit Marcus) eos, qui puerulos Christo offerebāt. At nimis incogitanter iudicium praecipitant, dum ea modò obseruant, quae ipsis prima fronte occurrebant, nec ea in mentem reuocant, quae ex Christo non semel audierant. Arbitrantur enim neminē ad illū accedere debere, nisi qui uel aliquo morbo liberari cupiat, uel docentem audire uelit. At paruuli isti nec morbo laborabant, qui diuinā Christi uirtutem exigeret, nec doctrinae adhuc capaces erant. Ideò ineptū uidetur, illos ad Christū adducere. Deinde quia in

II. Discipuli parentes obiurgant.

Christo regnum terrenum somniabant, absurdum ipsis videtur, illi negotia eiusmodi exhibere, quæ à mulierculis potius quàm à viris principibus & circa maiora occupatis, tractari debeant. Ita uerò exemplū præbent eorum, qui Christi & salutis mysteria ad humanæ rationis calculū reuocat. Nam si rem ipsam propius inspicere voluissent, multa erant, quæ illos poterant monere, ne indignius ferrent, pueros ad Christum adduci. Nec enim ignorare potuerunt scripturæ loca, quæ paruulos ab ipso matris vtero Deo curæ esse testantur, & eorundem educationem senioribus summa diligentia cōmendant. Sciebant præterea, Christum ipsum ex Maria virgine infantem natum fuisse, & solitis gradibus adoleuisse: vnde promptum erat colligere, eos ab illo sperni non posse, quorum infirmitatem ipse in propria persona esset expertus. Nec multò ante grauis illa de primatu disputatio inter illos fuerat oborta, in qua Christus puerulo vsus fuerat, & illum ipsis imitandum proposuerat, & infantes siue puerulos omnes magnificè commendarat: deniq; illos in se credere testatus erat. Et licet aliorum omnium fortaßis facilè obliuisci poterant, nunquam tamen animis illorum excidere debuisset grauis illa Christi cōminatio: Quisquis scandalo fuerit vni ex pusillis istis, qui in me credunt, melius esset ei, si circumponeretur saxum molare circa collū eius, & proijceretur in mare. At omnibus hisce non mouentur, adeò illos excæcauit quam ex suæ rationis figmentis conceperunt, opinio. Horū similes omnino sunt hodie Anabaptistæ, qui cùm credentium infantes pro sanctis censeri, spiritus sancti capaces esse, & ad fœdus simul & regnum Dei pertinere, negare non poßint: tamen illis nullū in ecclesia locū esse volunt, & à baptismo excludunt, eò quòd fidem in Christū profiteri nondum poßint. Est autem hoc singulare diaboli stratagema, qui vt humanum genus facilius perdat, infantium saluti nunquam non insidiatur, idq; non per eos modò, qui illos vel indulgentia nimia, vel praua institutione corrumpunt: verumetiam per impostores, qui sub religionis prætextu illos à Deo & ecclesiæ Dei consortio alienos faciunt. Sic olim infelicibus parentibus persuasit, vt se Deo gratißimum cultum præstare arbitrarentur, si liberos suos aut uiuos exurerent, aut per ignem traductos nefarijs superstitionibus consecrarent. In Papatu verò monasteria excogitauit, quibus inclusi pueri & puellæ miserabiliter vrerentur, & non modò scortationibus & nefarijs libidinibus seruirent, verumetiam omnē Christi Iesu cognitionē amitterent. At nostro hoc seculo, quo Euangelij lucē Deus splendidius accendit, Anabaptistas excitat, qui non contenti ecclesias & respublicas seditiosis furoribus turbasse, insuper infantes ab ecclesiæ consortio eijciunt, in quo solo sub Christi protectione aduersus ipsius insidias tuti esse poterant. Agnoscamus ergo veteris hostis nostri dolos, & vigilemus, ne dum nimis pij & religiosi esse uolumus, in ipsum Deum impij, & in charißima pignora crudeles esse deprehendamur.

[Margin: Exemplum humanæ rationis in Christi mysterijs. Psalm. 22. 27. 139. &c. Ierem. 1. Deute. 6. &c. Luc. 2. Marc. 9. — Anabaptistæ. 1. Corinth. 7. Lucæ 1. — Hoseæ 13. Ierem. 19. 2. Reg. 21. — Psalm. 84.]

Sed transeamus ad tertiam historiæ partem, qua docetur quid Christus in ista causa fecerit & pronunciarit. Primùm indignatur discipulis. Grauem ergo hunc lapsum fuisse oportuit, qui Christū, quo nihil mansuetius vnquam orbis vidit, mouit vt ijs indignaretur, quos sibi ex toto hominum genere in peculium elegerat. Et sanè non leuis hic error fuit, si rem ipsam consyderes. Partim enim quantum in ipsis erat, puerorum saluti obstabant: partim verò parentum fidem labefactabant, quæ potius coofirmanda & fouenda fuerat. Deinde parentes simul & discipulos ad se vocat, sicuti Lucas scribit, & simul addit: Sinite puerulos venire ad me, & ne prohibeatis eos. Causa: Quia talium est regnum Dei. Nec talium modò, sed nullorum præterea, nisi qui tales fuerint. Nam certißimè vobis edico, quòd quicunque non acceperit regnum Dei vt puerulus, nequaquam in illud ingressurus sit. Quæ sententia cum eo planè conuenit, quod prius dixit, quando puerulі exemplo illos ad humilitatem hortatus est. Nec ista modò dicit Christus, sed quod dicit facto confirmat. Nam in ulnas acceptos complectitur, & manibus impositis benedicit, &c. Hinc verò duo nobis in genere discenda veniunt.

[Margin: III. Christi de infantibus sententia & doctrina.]

Primum est, infantes credentium Christo adduci debere. De omnibus enim his ex Christi verbis argumentari licebit: Quorumcunq; est regnum Dei, ij ad Christum adduci debent. Infantium qui ex fidelibus nascuntur, est regnum Dei. Ergo ijdem Christo sunt adducendi. Minorem ipse Christus in præsenti affirmat, & ex fœderis promißione eiusdem veritas dependet. Abrahamo enim dictum fuit: Ero Deus tuus & seminis tui. Et ne de adultioribus modò hoc intelligeretur paruulos octauo à natiuitate die circumcidi voluit Deus, vt omnibus constaret, ipsos inter suos confœderatos censeri debere. Ad Christum verò adducuntur infantes, quando per baptismum in ecclesiam

[Margin: Infantes Christo adduci debent. Gene. 17.]

ſiam recipiuntur, quæ Chriſti corpus eſt. Quia enim doctrinæ per ætatem nondum capaces ſunt, nulla alia hos Chriſto adducendi ratio ſupereſt, niſi quam modò diximus. Hinc eſt, quòd Apoſtoli totas familias baptizarunt, quando patres Chriſti fidem recipiebant. Et ab iiſdem paruulos quoq; baptizatos fuiſſe veteres fatentur, in quos Auguſtinus infantium baptiſmum Apoſtolicam traditionem eſſe, non dubitauit dicere. Arguuntur ergo & confutantur hoc loco Anabaptiſtæ, qui eundem diaboli inuentum & ſummæ in Eccleſia conſcelerationis ſeminarium eſſe clamant: nec argumentis alijs nituntur, quàm quorum abſurditatem vel cæcus uideat. Primò enim Apoſtolis dictum eſſe aiunt vt prædicent Euangelium, & baptizent in nomen patris, filij & ſpiritus ſancti. Et ordinem verborum mordicus vrgendo, paruulos baptizandos eſſe negant, eò quòd prædicationis Euangelicæ nondum capaces ſint. At perperam ad infantes torquetur, quod in adultis obſeruare iuſſit Chriſtus. Et ſi verborum pugnas ſectari libeat, nos Marcum citabimus, qui inuerſo ordine Ioannem baptizauiſſe & prædicauiſſe ſcribit. Deinde indignum eſſe clamant, regni Chriſti myſteria infantibus credi, qui quid in illis agatur, non intelligant. Atqui nec in veteri teſtamento circumciſionis myſterium intelligebant, quæ & ipſa Chriſtum figurabat, & Apoſtolo ſignaculum fidei iuſtificantis dicitur: nec tamen ignorantia illa obſtabat, quò minus circumciderentur. Vel num infantulos hoſce intellexiſſe dicemus, quæ Chriſtus in præſenti agebat? Num ergo ridiculus eſt Chriſtus, qui illa facit? Nequaquàm. Vt enim regnum eius mera gratia conſtat, ita minimè rationis humanæ ſenſu percipitur: vt ij potius ridiculi & inepti cenſeri debeant, qui ad huius calculũ omnia reuocant. Cæterum Aiacis clypeum ſe inueniſſe putant, quando Chriſtum dixiſſe audiunt: Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluabitur. Hinc enim argumentantur: Nemo niſi qui crediderit, baptizari debet. Infantes verò non credunt. Ergo baptizandi non ſunt. Hìc ego modeſtiam & religioſiorem in Chriſti myſterijs conſyderationem in vobis deſydero, ô fratres. Cur enim tam audacter, infantes credere, negatis: cum Chriſtus illos credentium loco habeat, & multi ſcripturæ loci ea illis tribuant, quæ ſola fide conſiſtere poſſunt? Nam ſanctos eſſe Paulus dicit liberos ex impari coniugio prognatos, & vos prophanos dicitis ex vtroque parente Chriſtiano genitos? Præterea infantes Deo placere, & ſpiritus eſſe capaces, ſcriptura paſſim clamat. At ſine fide quenquam vel ſanctum eſſe, vel Deo placere, impoſſibile eſt. A fide ergo infantes nequaquam alieni ſunt. At fidem (aitis) non profitentur. Cur verò vos ab illis profeſſionem exigitis, quam non exigit Deus? Neq; enim dixit Chriſtus: Quicunque fidem confeſſus fuerit, & baptizatus, &c. Sed ſolo credendi verbo vtitur. Sed agedum, qua fronte homini fidem profitenti baptiſmum creditis, eundem verò Chriſtianorum paruulis negatis, pro quibus ipſe Chriſtus quaſi fideiubet, quando illos in ſe credere dicit? Maior itaq; eſt apud vos hominis authoritas, quàm Chriſti, de cuius teſtimonio tam leuiter ſentitis. Sed nuſpiam in ſcripturis expreſſum clamatis, quòd paruuli vel baptizari debeant, vel ab Apoſtolis ſint baptizati. Vbi reſpondere poteram, nuſpiam etiam nos aliquo expreſſo mandato prohiberi, ne baptizentur, nec etiam legi, quòd illos à baptiſmo Apoſtoli excluſerint: & rationes firmiores eſſe, quæ illos baptizare iubent, & ab Apoſtolis baptizatos eſſe probent. Sed omiſſo illo, veſtram ignorantiam vos iterum prodere dico. Teſtatur enim Paulus Iſraelitas omnes, qui mrae rubrum tranſierunt, baptizatos eſſe, & ibidem eadem illis ſacramenta tribuit, quæ nos habemus. At quis in tot millibus plures quoque infantes fuiſſe dubitabit? Iidem ergo baptiſmi noſtri typum acceperunt, & falſiſſimum eſt, quòd nullum ſcripturæ locum haberi dicitis, qui infantes baptizatos eſſe teſtetur. Reſipiſcite igitur ô fratres, ne dum pertinacius hæc veſtra commenta defenditis, non Chriſto duntaxat aduerſari, verumetiam publici generis humani & eccleſiæ hoſtes eſſe cenſeamini, quando infantes nimis temere reijcitis, quos rerumpublicarum & eccleſiæ ſeminaria eſſe, initiò diximus, nec vos negare poteſtis, niſi cum ratione inſanire libeat.

Actor. 10. 16. *1. Corinth. 1.* *Anabaptiſtæ confutantur.* 1 *Matth. 28.* *Marci 1.* 2 *Rom. 4.* 3 *Marc. 6.* *Matth. 28.* *1. Corinth. 7.* *Hebr. 11.* 4 *1. Cor. 10.*

Sed vt ad præſentis loci tractationem redeamus, cùm Chriſtus puerulos ſibi adduci velit, id verò non alia ratione, quàm per baptiſmum fieri queat, parentum fuerit, vt ex ſe prognatos citò & religioſe baptizari curent: eoſdem verò cùm adoleuerint, piè & ſanctè inſtituant, ne quos per Baptiſmũ Chriſto conſecrarunt, poſtea per negligentiam aut prauam inſtitutionem corrumpant. Quod hodie non pauci faciunt, qui liberis ſuis tunc demum conſultum putant, ſi vel quæſtuoſis & auaris artibus vel etiam militiæ mercenariæ & ſanguinarijs Regum ſeruitijs illos mancipent. At ijdem olim ma-

Parentum officia erga ſuos liberos.

gno suo dolore & ingenti liberorum malo sentient, quàm infideliter parentum officio functi sint, &c.
Longè aliter Deus, qui paßim monet, vt parentes ex se natos à pueris statim in legis suæ doctrina, & in sui nominis cognitione, instituendos curent. Et Abrahamum hoc nomine commendat, quòd posteros suos nihil eorum cælet, quæ ad veram pietatem faciunt. Quia tamen multorum ea est negligentia, vt proprios liberos parum curent, Christiani magistratus fuerit, huic malo prouidere, & quod priuatim à singulis peccatur, publicè per scholas & scholarum præfectos, & diligens catechismi exercitium corrigere. Quotquot verò eiusmodi functiones susceperunt, cogitent humeris suis onus impositum esse grauißimum, sed in quo fideliter obeundo de communi patria optimè mereri poßint. Quòd si verò in hoc negligentiores aut minus fidi fuerint, næ rationem Deo reddent grauißimam, nec impunè ferent, si ipsorum culpa malè pereant, quos Christo tantopere curæ fuisse videmus.

Deute. 6. Exod. 13. Psal. 78. Gene. 18.

Alterum, quod in Christi verbis obseruandum venit, ad totius vitæ & fidei institutionem cumprimis pertinet. Ait enim: Amen dico vobis, qui non acceperit regnum Dei vt puerulus, nequaquam in illud ingredietur. Iterum ergo puerulos nobis imitandos proponit, & sicuti prius humilitatis exemplum ab illis petere docuit, ita nunc in ijs, quæ regni Dei mysteria attinent, puerulis similes fieri iubet. Sunt in his multa, quæ laudem & imitationem merentur, de quibus in Cap. præcedenti dictum est. Ad præsentem verò locum cumprimis mihi pertinere videtur fidei obedientia, cuius specimen siue typus in puerulis elucet. Etsi enim ex ingenita & originali corruptione affectibus varijs subiecti sint, facilè tamen parentum monitis & promißis cedunt, nec in longam deliberationem vocant quæ ab illis proponuntur. Taliter nos quoq; affectos esse conuenit, si regni Dei consortio frui velimus. Quia enim ab hoc caro nostra abhorret, illius capaces non erimus, quoad carnis sensum & rationem audimus. Totam ergo hanc captiuam duci, & cum suo intellectu omni per fidei obedientiam Dei verbo subijci oportet: adeò vt postpositis omnibus, quæ carnis ratio dictat, vnum Deum audiamus, illum sequamur, ne de ipsius promißis dubitemus. Talem Abrahamum fuisse legimus, quando Deo vocante patriam dulcißimam reliquit, & postea contra spem sperauit, se ex emortua quasi Sara vxore semen accepturum esse. Talis Moses fuit, quando relicta aula & regni spe amplißima diuinæ uocationi sese accommodauit. Talis Dauid, quando exul & extorris de Dei veritate non dubitauit, qui illi regnum promiserat. Tales prophetæ fuerunt & Apostoli, qui per mille pericula intrepidi & constantes durarunt, vt Deo fidem promissam seruarent. Et huius obedientiæ fructus est, quòd electi afflictionibus adeò non succumbunt, vt illis potius glorientur: quæ mundo quidem plus quàm puerilis stultitia videtur, sed reuera cælestis illa sapientia est, quam in præsenti Christus requirit, & sine qua regnum Dei nunquàm consequi poterimus.

Quomodo regnum Dei à nobis accipi poßit.

2. Corinth. 10. Rom. 1. 16. Gene. 12. Rom. 4. Exod. 2. Hebr. 11. Rom. 5.

At cùm istam ex nobis ipsis non habeamus, & ingenita carnis ratio eam non modò non admittat, verumetiam extremam stultitiam iudicet: constat nobis regeneratione opus esse, quæ repuerascere faciat, vt tales reddamur, quales nos Christus esse vult. Vnde Christus alibi dicebat: Nisi homo renatus fuerit è supernis, non poterit videre regnum Dei. E supernis, id est, diuinitus nos regenari oportere ait. Nihil ergo hìc humana sapientia efficiet, nihil nostri arbitrij vires conferent, quando ex nobis ipsis ne ad cogitandum quidem idonei sumus. Quomodo enim ad cælestem regenerationem, qua filij Dei efficimur, aliquid ex semetipso conferat, qui ad carnalem, qua homo mortalis & peccator natus est, nihil conferre potuit? Ex mera Dei gratia salutis nostræ ratio tota dependet, qui nos priusquàm mundi fundamenta iacerentur elegit in Christo, qui item quos elegit & prædestinauit, vocare solet per Euangelium suum, idq; non externa modò prædicatione, verumetiam interno & efficaci spiritus tractu: quos uerò uocat, eosdem iustificat, nec mòdò peccatis liberat et à mortis æternæ supplicio absoluit, verumetiam ex semine verbi sui immortalis & æterni renatos nouas in Christo creaturas facit, vt cum illo glorificentur. Horum ergo memores, bonitatem hanc Dei agnoscamus, & eidem nos accommodemus aßiduo verbi studio & precibus, nec contenti simus, si nos aliquò vsq; profecisse videamus, verumetiam ex nobis natos & nostræ fidei commissos liberos piè & sanctè institui curemus, vt ad Christum Iesum adducti, in illo adolescant, illi seruiant, & cum eodem æternum viuant. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Regeneratione opus esse.

Ioan. 3. 2. Corinth. 3.

Salus nostra gratuita. Ephes. 1. Rom. 8. Ioan. 6. 1. Pet. 2. Galat. 6.

HOMILIA LXXXIII.

Et egrediente eo in uiam, quidam cùm accurrisset, & accidisset ei ad genua, interrogauit eum: Magister bone, quid faciam ut uitam æternam possideam? Iesus autem dixit ei: Cur me dicis bonum? Nemo bonus, nisi unus, nempe Deus. Mandata nosti: Ne mœcheris, Ne occidas, Ne fureris, Ne falsum testimoniũ dicas, Ne quem damno afficias, Honora patrem tuum & matrem.

Postquam Dominus noster Iesus Christus de matrimonij dignitate & coniugum officijs, item de infantibus sibi adducendis disseruit, noua tractatio sequitur, qua de iuuenum & adultorum studijs, de opum item siue diuitiarum vsu (in quo tota ferè rei domesticæ administratio consistit) disputatur: & ita quidem, vt hinc omnes discant, quæ vera sit & compendiosissima beatitudinis consequendæ ratio: vnà cum multis alijs, quæ suo loco & tempore videbimus. Argumentum & usus præsentis loci.

Tractationi huic causam & occasionem præbuit quidam, qui ad Christum accedẽs rogauit, quid facere ipsum oporteat, vt vitam æternam assequi possit. Hunc verò iuuenem fuisse ex Matthæo patet, Lucas eundem principem & non vulgaris dignitatis hominem fuisse scribit. Opum certè & diuitiarum abundantiam omnes simul illi tribuunt. At omnia hæc longè superat, quòd à Christo dilectum fuisse postea audiemus. Quamobrem non oscitanter nobis consyderanda sunt, quæ de hoc dicuntur. Primò accurrisse dicitur, quod magni studij & ardoris indicium est. Deinde ad genua illi procidit, vt corporis gestu animi submissionem, & quanti ipsum faciat, testetur. Poterat hoc in homine opulento & publicis honoribus illustri planè stupendum videri, si cogitemus, Christum tunc temporis omnibus eius loci & ordinis hominibus inuisum & exosum fuisse. Præterea honorificè illum compellat. Nam magistrum agnoscit, & quidem bonum, quo nomine illum ab illis distinguere videtur, qui tunc temporis magistri & doctores videri volebant. Postremò magni fecerit oportet Christum, quando quæstionem de vita æterna consequenda ipsi proponit. Occasio tractationis præsentis. Matth. 19. Luc. 18.

Et sanè præclarum est, & non vulgare animi pij & religiosi specimen, quòd de vita æterna interrogat, cùm & iuuenis esset, & diues, quæ duo ferè homines abstrahunt, quò minus de futuris & cœlestibus cogitent. Imò si verum fateri libeat, illum omnes alios Christi sectatores longè superauisse dicemus. Quis enim hactenus de vita æterna illum interrogauit? Secuti sunt quidem ex vulgo innumeri: sed hos omnes miracula trahebant, quibus se aut gratis pasci, aut morbis liberari posse sperabant. Quare illis dicebat Christus: Quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia comedistis de panibus & saturati estis. Item: Nisi signa & prodigia videritis, non credetis. Apostolos autẽ in Christo regnum terrenum potius quàm cœleste somniasse, notius est, quàm vt multis probari oporteat. Solus ergo hic reperitur, qui animo syncero de vita æterna interrogat. Discant huius exemplo iuuenes, quis nam omnium studiorum scopus ipsis propositus esse debeat: nimirum, vt in cœlis æternum viuere possint, vbi vitæ huius cursum piè & sanctè absoluerunt. Nec audiendi sunt, qui quæstionem istam ad iuuenes nequaquam pertinere clamant, et proinde illam in extremam vsq; senectam differendam esse contendunt. At longè aliud ipsa iuuenilis ætatis conditio & natura requirit: quæ cùm affectibus & concupiscentijs quàm maximè ardeat, & huius seculi voluptates summi boni loco habeat, futuræ et cœlestis vitæ consyderatione cumprimis in officio retineri debet. Deus certè (vt nuper monuimus) à pueris statim nos in sui nominis & operum suorum cognitione vult institui. Et Legis diuinæ studium iuuenibus potissimum Dauid commendat, dicens: Quo pacto adolescens emendabit vitam suam? nempe si eam custodiat vt dictat verbum tuum. Et Ioannes Apostolus à iuuenibus hoc imprimis exigit, vt fortes sint, & Dei verbo animati malum illum deuincant. Nec desunt exempla, quæ sanctos Dei cultores in ætatis flore pietati cumprimis studuisse, & de vita æterna quàm maximè solicitos fuisse testantur. Talem enim Iacobum fuisse legimus, cum Iosepho filio. Talis Daniel cum socijs suis describitur. Et in Timotheo suo Paulus hoc præcipuè prædicat, quòd à pueris sacras literas nouerit, quæ ipsum eruditum reddere possint ad salutem per fidem, quæ est in Christo Iesu. Sed quid opus est ea commemorare, quæ veri Dei cultores fecerunt, quando qui inter gentes iuuentutis in- Iuuenes uitam æternam quærant. Ioan. 6. & 4. Lucæ 24. Actorum 1. Deut. 6. Exod. 13. Psal. 119. 1. Ioan. 2. Gen. 28. 39. Dan. 1. 2. 3. 2. Tim. 3.

stituendæ præcepta tradidêre, religionis curam ante omnia commendarunt: morum verò licentiam à iuuenibus adeò alienam esse voluerunt, vt vulgò tritum fuerit istud Latinorum prouerbium, Maturè fias senex, si velis diu esse senex? Quod nonnulli quidem de valetudinis cura exposuerunt, quæ diu viuere cupientibus cordi esse debeat: sed haud dubiè ad animi salutem potius respexerunt sapientes viri, quæ nobis à prima ætate commendatissima esse debet. Et sanè hinc maximè oritur nostri seculi corruptio, quòd iuuenes, dum religionis & vitæ æternæ studium nihil ad se pertinere putant, in vitijs teterrimis consenescunt, & ne senes quidem illud studium magni facere possunt, à quo omni vitæ tempore abhorruerunt. Nec immeritò incurabili cæcitate & contumacia eos mulctat Deus, qui ætatis florem diaboli seruitio potius quàm ipsi impendere volunt, cui tamen seipsos & omnia sua debent. Semper ergo meminerint iuuenes, breuiusculum esse vitæ tempus & tacitis annis nos senescere, nec quicquam cogitantibus mortem obrepere, quæ non huius modò vitæ commoda aufert, verum etiam nunquam finiendis cruciatibus eos mancipat, qui omisso vitæ æternæ studio carnis voluptatibus se totos consecrauerunt.

Vita æterna apud solum Christum quæri debet.

Obseruabis præterea, quòd noster hic iuuenis de vita æterna interrogaturus Christum accedit, cùm non deessent illi scribæ & sacerdotes, qui inter Iudæos legis scientiam & mysteriorum salutis cognitionem profitebantur. Quin istorum opera illum prius vsum esse, postea patebit, quando se à pueris in legis obseruatione versatum esse testatur. At non potuerunt animo eius satisfacere, qui omisso eo qui præcipuus legis finis & scopus est, ad externas modò ceremonias & operum merita relegabant. Cogitur ergo illis relictis alibi quærere quod animi ipsius famem pellat, & conscientiam anxiè solicitam recreet & tranquillam reddat. Quisquis enim bibit ex aqua, quam ipse haurit, sitiet iterum: at qui ex aqua biberit, quam Christus propinat, non sitiet in æternum. Sensit idem Paulus, qui etsi iuxta pharisæorum sectam exquisitissimam viueret, & iuxta iustitiam legis, quoad hominum iudicia, irreprehensibilis esset: omnia tamen hæc pro damnis habuit, vt Christum apprehenderet, in quo solo certa & indubitata salutis fiducia habetur. Admonemur ergo, nos quoq; ea quæ ad vitam æternam faciunt, apud vnum Christum quærere debere. Nam vt hunc nobis saluatorem ab æterno constituit Deus, ita eundem catholicum & irrefragabilem salutis doctorem esse vult, quem omnes audire debeant, quicunq; salutem consequi volunt. Et hunc nobis à Deo sapientiam factum esse Paulus testatur, in quo omnes sapientiæ & scientiæ thesauri reconditi sunt. Plurimùm ergo errant, quotquot hodie, neglecto Christo, homines sibijpsis doctores & magistratus eligunt, & Conciliorum determinationem expectant, in quibus certi nihil haberi potest, cùm in his iam inde ab initio multa dubiè & ambiguè, multa etiam sibi mutuò repugnantia decreta sint.

Marci 7. Matth. 15. 23. Ioan. 4. Philip. 3. 1. Pet. 1. Isaiæ 2. 61. Matth. 17. 1. Cor. 1. Colos. 1.

Error Iudaicus de operum merito.

Sed & ipsam quæstionem iuuenis inspicere oportet. Quid faciam (inquit) vt vitam æternam possideam? Latet in verbis hisce Iudaicus error. Quia enim Iudæi pharisæorum traditionibus seducti, ex lege iustitiam sperabant, de solis operibus fere soliciti fuêre, nec interim ingenitam nostræ naturæ corruptionem agnouerunt, qua fit, vt nihil ex nobis ipsis boni facere possimus, & cui solus Christus medetur: quem nobis medicum datum esse Isaias docet, & ipse in Euangelio disertè fatetur. Eodem igitur errore hic quoque fascinatus, se vitam æternam facilè assecuturum putat, modò edoceatur, quid ipsi sit faciendum. Similiter errant hodie, qui salutis rationem ab operibus incipiunt, quod perinde est, ac si quis ægrotum lecto decumbentem & omnibus membris debilitatum curaturus, imò statim ad saltandum & currendum hortetur. Nam & huic prius morbi agnitio necessaria est, & eidem prius remedium adhiberi oportet, quàm saltare aut currere iubeatur: Ita hominem prius in suijpsius cognitionem inducere, & eidem corruptæ naturæ remedium adhibere oportet, quàm vitæ melioris officia ipsi præscribantur. Nisi enim id fiat, in ipsis bonis operibus peccabit, dum in illis salutis meritum constituet. Vidit hoc Christus quoq; vt ex illius responsione patebit, quæ bimembris est.

Rom. 9. 10. Isaiæ 61. Matth. 9.

Christus boni titulum quomodo detrectet.

Primò ait: Cur me dicis bonum? Nemo bonus est, nisi vnus, nempe Deus. Boni titulum detrectare videtur Christus, qui vt verè Deus, ita etiam perfectè bonus est. At nec Deum nec bonum se esse negat: sed primò iuuenis intentionem respicit, qui bonum dicebat, non quòd Dei filium & omnis boni authorem agnosceret, sed quòd hominum consuetudinem peruersam sequeretur, qui titulos vni & soli Deo conuenientes, sibijpsis ambitiose & insolenter tribuunt. Id quod hodie nimis vulgare est, quando ne à Maiestatis quidem & sanctitatis & gratiæ titulis abstinetur, quæ tamen in nobis

nulla sunt, nisi Deus nostri misertus nos à maledictionis & damnationis æternæ ignominia liberet. Olim officiorum titulis contenti erant veteres, & vt illis responderent studebant, qui in aliquo excellentiori dignitatis gradu erant constituti. Hodie verò officij sui immemores pleriq; nudis titulis superbiunt, &c. Huic ergo ambitioni, quæ iam tunc regnare incipiebat (vt ex alijs locis patet Christus obiter mederi voluit: maximè quando illi cum diuite & principe res erat. Deinde hæc dicendo, occasionem dare vult iuueni cogitandi de ijs, quæ interrogabat: Quasi diceret: Quæris quid boni facias, vt vitam æternam consequaris. Atqui sola boni vox te hîc edocere poterat. Quia enim solus Deus bonus est, utique bonum dici nihil debet, nisi quod illius voluntati congruum fuerit: imò cùm solus ille bonus sit, nihil boni tu unquam facies, nisi ille hoc ipsum in te fuerit operatus. Quin ergo illum obseruas, & omissa tuarum virium fiducia, totus ad illius gratiam conuerteris, &c. Matth.23.

Interim non temere dici putemus, solum Deum bonum esse. Ratio enim huius dicti certa & solida est, quòd vt homines ex primi parentis lapsu natura corrupti sunt, ita omnem hanc mundi machinam secum in ruinam traxerunt. Terram certè propter nos maledictioni obnoxiam esse Moses testatur: & Paulus creaturam hanc omnem propter nos vanitati subiacere, & nobis congemiscere ait, vt tandem vnà nobiscum liberetur. Quòd si hominem spectes, in peccatis omnes concipimur & nascimur, & figmenta cordis humani ab ineunte ætate praua sunt, nec quicquam ex nobisipsis boni proferre possumus. Restat ergo vnum & solum Deum bonum esse, nec in quenquam alium hoc nomē verè referri debere. Huius autem sententiæ consyderatio de multis nos admonet, quæ cognitu cumprimis necessaria sunt. Si enim vnus & solus Deus bonus est, nos verò omnes natura mali sumus, quid obsecro superbimus? quid gloriamur, quasi ex nobisipsis habeamus aliquid eorum, quæ ad salutem nostram faciunt? Quid item alios præ nobis contemnimus, cum vna & eadem sit omnium nostrûm conditio? Rursum, si mali sunt suapte natura omnes homines, quid mirum fuerit, si ab homine nobis malum aut damnum aliquod inferatur? Si lupus ouem dilaniet, nemini hoc mirum videbitur. At hominem homini lupum esse olim prouerbio inter gentes quoq; dictitatum fuit. Præterea, si mali sumus omnes nos, quid miramur, tot in mundo mala grassari, cùm à Deo, qui vnus bonus est, pleriq; abhorreant? Aut quæ obsecro est illa hominum peruersitas, quòd Deo fidere dedignentur, cuius beneficam erga se voluntatem quotidie sentiunt, hominibus verò fidant, quos mendaces & impostores esse, & priuatum commodum cum aliorum incommodo quærere, toties experiuntur?

Solus Deus bonus est.
Gene.3.
Rom.8.
Psalm.5.
Genesis 8.

Sed alterum responsionis Christi membrum videamus, quo ad quæstionem iuuenis directè respondet, dicens: Mandata nosti, &c. Vel vt Matthæus habet: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata: nimirum hæc, Ne mœcheris, ne occidas, &c. Quo loco sibijpsi Christus cōtradicere videtur, cùm alibi fidem vnam doceat, & in se credentibus vitam æternam polliceatur: imò quoad legis opera, dicit: Si feceritis omnia, dicite, Serui inutiles sumus, &c: Nec desunt hodie, qui præsentis loci authoritate ad stabiliendam operum nostrorum iustitiam abutuntur, vt iustitiam fidei oppugnent, quæ nobis ex mera Dei gratia, nullo nostro merito, obtingit. Clamant illi, à Christo disertè dictum esse: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Ergo (inquiunt) quisquis mandata seruauerit, vitam consequetur. Atqui Christi sententiam minimè negamus, imò illud legis quoq; verißimè dictum esse agnoscimus: Qui fecerit ista, viuet in eis. At videndum esse dicimus, quænam Christi intentio, quodúe institutum fuerit, cùm ista diceret. Res illi erat cum homine, qui etsi pietatis & salutis studio teneretur, se ipsum tamen adhuc ignorabat, & vitam æternam humanis viribus, ac nostrorum operum meritis acquiri posse arbitrabatur. Totus ergo in hoc est vt latentem illius morbum arguat, & vel inuitū ad thronum gratiæ confugere cogat eum, qui in propria iustitia sibijpsi iam nimium placebat. Et ideo secundæ modò tabulæ meminit, cuius opera vt manifesta magis sunt, ita præstitu leuiora videntur. At si eadem ad eum sensum examinentur, quem Christus tradit, & quem vltimum Decalogi præceptum de concupiscentia monstrat, profectò neminem mortalium inueniemus, qui illa præstare poßit: quando (vt Iacobus ait) in multis delinquimus omnes: Imò cum Paulo dicere cogentur singuli: Lex spiritualis est, ego autem carnalis sum, venundatus sub peccatum, &c. Quod ipsum iuuenis hic paulò post expertus est. Vt primùm enim externa præceptorum obseruantia gloriantem Christus ad perfectam dilectionem relegauit, mox toto animo consternatus discessit, qui iam scalis suo Marte factis cœlum conscensurus putabatur. Quoties ergo Legis & præceptorum ipsius mentio fit

Christus ad legis præcepta relegat.
Ioan.3.4.5.6.&c.
Luc.17.
Leuit.18.
Rom.10.
Matth.9.
Iacob.3.
Rom.7.
Legis finis & usus.

in scripturis, ad illius finem nos respicere conuenit, qui est, vt in peccati & naturæ corruptæ cognitionem pertractos, Christo adducat, qui quod nobis factu impossibile erat, suo merito sarciuit. Quo nomine Paulus Christum Legis finem, hanc verò pædagogum esse, dixit, qui nos ad Christum deducat, qui nobis à Deo patre iustitia & satisfactio factus est, vt qui illum fide vera amplexantur, eius iustitiæ consortes fiant, quam ille nobis suæ incarnationis, obedientiæ et mortis suæ merito acquisiuit. Quapropter ex præsenti loco ita potius argumẽtari licebit: Si vis ad vitam ingredi, Legis præcepta necessariò seruanda sunt. At illa nemo seruare aut præstare potest. Ergo nemo ad vitam ingredi poterit, nisi aliunde sarciatur defectus, quem in semetipsis omnes homines reperiunt. Vnde simul sequetur, vanam & inutilem esse quæstionem omnem, quæ de hominis operibus & illorum meritis mouetur: Quòd si verò per legis opera salus acquiri non potest, quis obsecro hominum traditionibus apud Deum locus erit, quas ille iam pridem sua sententia iugulauit: Frustra me colunt, docentes traditiones hominum, &c. Interim cùm præceptorum Decalogi obseruationem Christus requirat, & idem charitatis mutuæ studium præcipiat, quæ horum completio ab Apostolo dicitur: satis constat, fidei doctrinam minimè ijs patrocinari, qui Christo & illius merito turgidi, vitam parum Christianam viuunt, & in omne genus scelerum indomita licentia effunduntur. Etsi enim sola fides nos Christo inserat, & salutis in hoc consortes reddat, eadem tamen hæc non securos & oscitantes reddit, sed in Dei verbum (vnde illa enascitur) intenta, facit vt in Christo fructum feramus multum, & fidem, quam ore profitemur, vitæ conuersatione testemur. Quare etsi operibus istis meritum planè nullum subsit, eadem tamen officij causa necessariò præstari debent, ne ex illorum numero esse deprehendamur, quibus olim dicet Iesus Christus: Discedite à me operarij iniquitatis: Nec enim omnis qui dicit mihi Domine Domine, ingredietur in regnum meum, sed qui fecerit voluntatem patris mei qui in cœlis est. Horum itaq; memores, pietati à pueris studeamus, huius verò rationem veram discamus ex vno Christo, in quo omnem quoq; salutis fiduciam nos repositam habere conuenit. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Rom. 10. Galat. 3. 1. Cor. 1. Isaiæ 29. Fides non tollit opera bona. Rom. 13. Rom. 10. Ioan. 15. Matth. 7.

HOMILIA LXXXIIII.

Ille uerò respondens dixit ei: Magister, hæc omnia custodiui à iuuentute mea. Iesus autem intuitus eum, dilexit eum, & dixit ei: Vnum tibi deest. Abi, quæcunque habes uende, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo: & ueni sequere me sublata in humeros cruce. Ille uerò mœstus factus propter hunc sermonem, abijt tristis: habebat enim bona multa.

Argumentum & vsus præsentis loci. Rom. 7.

Dominus noster Iesus Christus iuuenem de vita æterna interrogantem ad Legis præcepta ablegauit. Id verò non ita accipi debet, quasi ex Lege quisquam iustificari possit. Etsi enim illa (vt Paulus ait) per se bona & sancta sit, in nobis tamen iram operatur, dum & manifesta peccata & ingenitam nobis corruptionem arguit, qua impediti illam non possumus implere, et proinde aliena iustitia opus habemus: ea nimirum, quam nobis Deus in Christo offert, cuius non alia ratione, quàm per fidem, capaces & consortes efficimur. At quia hæc pauci agnoscunt, & proinde suarum virium & operum fiducia efferuntur: Deus nobis legem instar speculi proposuit, in quo nostræ naturæ vitia & infelicem conditionem spectemus, eiusq; cognitione humiliati, ad gratiam ipsius confugiamus, cuius thesauros ille nobis in Christo aperuit. Nec aliam Christo huius sui cõsilij rationem fuisse, præsens hic locus ostendit, quo confidentem iuuenis animum magis arguit, & sic in genere docet, quàm stultum sit proprijs humanæ naturæ viribus aliquid tribuere in ijs, quæ ad salutis negotium pertinent, &c.

Iuuenis legis iustitiam sibijpsi uendicat. Matth. 5.

Respondet enim Christo iuuenis: Magister, hæc omnia custodiui à iuuentute mea. Arrogans sanè vox, & plena ignorantiæ. Si enim legem eo sensu intellexisset, quem Christus alibi tradit, nunquam ista dicere fuisset ausus. Duplicem ergo in se ignorantiam prodit: alteram qua legis sensum non intelligebat, alteram verò, quòd nec suas vires, seu potius virium suarum corruptionem, adhuc verè perspectam haberet. Nec tamen hoc dicto contentus, apud Matthæum addit: Quid adhuc mihi deest?

deest? Adeò illum fefellit propriæ iustitiæ & virium suarum fiducia, vt non modò de mandatorum legis obseruatione gloriari ausit, verumetiam ad altiora & grauiora, si quæ faciunda restent, aspiret. Ita solent, qui sibijpsis in suis operibus placere incipiunt: quorum confidentia tandem eò usque progreditur, vt operum suorum merita coram Deo recensere, & cum illo quasi rationem datorum & acceptorum inire audeant: cuius rei exemplum in pharisæo Christus apud Lucam proponit. Attamen tolerabilior est huius nostri error, quòd illum studio salutis arsisse, nec quicquam impudentius finxisse, sed ingenita cæcitate deceptum esse constat. Dilexit enim illum Christus, qui hypocritam & impudenter mentientem diligere non potuisset. Licet ergo vana persuasione fallatur, non parvam tamen laudem meretur, quòd ita à pueris vitam instituit, vt de externa obedientia & morum integritate uerè gloriari possit. Quem enim hodie dabis eius conditionis ac ætatis, qui hoc ipsam de se dicere queat? Plures fortasse reperies, qui decalogi præcepta ne norunt quidem: quando ea est nostri seculi corruptio, ut vulgò rideantur, qui illorum obseruationi student. Docet autem exemplum hoc, quantum posit pia institutio, si à pueris statim adhibeatur, & ad Dei præcepta assuefiant, quorum cogitationes & figmenta alioqui natura praua sunt. Corrigit enim illa frequens & diligens legis diuinæ meditatio: maximè, si exẽpla simul consyderentur, quæ in temerarios huius transgressores Deus omnibus seculis edidit. At si ista negligantur, mox ingenita corruptio dominatur, quæ tales fingit homines, qui tandem & sibijpsis & multis alijs exitio sunt & dedecori. Lucæ 18. Gene. 8.

At cumprimis obseruabimus, quòd quærit quid porrò ipsi sit faciendum. Quid (inquit) adhuc mihi deest? Deesse quidem sibi aliquid sentiebat, ignorabat autem quid illud esset. Itaq; anxia & diligens legis obseruatio animum eius tranquillum reddere, aut æstuantis conscientiæ terrores reprimere non potuit. Accidit hoc omnibus qui ex operibus suis iustificari uolunt. Etsi enim omnia præstent, quæ ad externam uitæ honestatem & iustitiam faciunt, & quo ad hominum iudicia, iustissimi uideantur, manet tamen conscientiæ morsus, qui facit, ut famem sitimq; animarum subinde sentiant, necunquam requiescere possint. Est illud hodie in Papistis uidere, qui quò magis occupantur suis superstitionibus, eò plura sibi agenda superesse uident, nec tamen quod nam illud opus Dei sit intelligunt, quod solum animam saturare & tranquillam reddere potest. Imò cùm multa fecêre, & insuper monachos & sacrificos conduxêre, qui ipsorũ salutem precibus, psalmodijs, ieiunijs & operibus supererogationis (vt loquuntur) adiuuent, hoc tamen unum inde referunt, quod iam morituri, ignis purgatorijs terroribus exagitantur, & fraudatis sæpe legitimis hæredibus opes suas monachis legant, ut illorum intercessione pœnis & cruciatibus istis liberentur. Nos ergo omissis istis, qui religione quæstu metiuntur, ab uno Christo pendeamus, cuius meritũ peccatis nostris omnibus expiãdis sufficit, quem qui fide uera apprehendit, idem nec sitiet nec esuriet in æternum. Ioan. 4. 6. Quærit quid sibi desit. Ioannis 6.

Laudandus interim est pius iuuenis istius affectus, qui defectum suum non dissimulans, scire cupit, quid ipsi desit, nimirum ut proficere & defectum hunc sarcire queat. Est hoc obseruatu qer quàm necessariũ. Quia enim natura corrupti sumus, nisi indies progrediamur, mox uel torpemus, uel etiam relabimur. Et quia uiæ Domini dicuntur illius præcepta, uiatores nos imitari conuenit, qui etsi aliquò usq; progressi sint, non subsistunt tamen, donec eò, quò tendunt, peruenerint. Arguuntur his nostri seculi homines, qui sibi nihil deesse arbitrantur, & securi omne suum officium negligunt, quàmuis nihil adhuc præstiterint eorum, quæ Deus à nobis requirit. Clamant illi, si quando urgeantur: Quid mali facio? Quibus ego uicissim dico: Quid uerò facis boni? Quasi uerò non malũ sit, tempus & ætatem malè collocare, & diuinitus oblatas bene agendi occasiones negligere. Atqui damnatur seruus ille inutilis, qui talentum suæ fidei creditum defoderat, quòd nihil fecisset eorum, quæ Deus nobis agenda præscribit. Et apud prophetas Deus clamat: Recede à malo, & fac bonum. Item, Cessate malefacere, & discite bene facere, &c. Sed de his ipse Christus modò disseret. Proficiendum quotidie in lege Domini. Psalm. 25. 119. Isaiæ 2. Matth. 25. Psalm. 34. Isaiæ 1.

Intuetur ille iuuenem ista de seipso dicentem, & diligit eum, nimirum ob pietatis studium & animi integritatem, licet illi adhuc multum ad perfectionẽ deesset. Est enim propriũ Christi laborantes inuitare, arundinem quassatam non conterere, linum fumigans non extinguere, sed infirmitatibus nostris mederi. Amicè ergo respondet, & duo illi dicit. Primum, unum (inquit) tibi deest. Poterat multa nominare Christus, sed quia curandus erat, nõ consternandus, in breuem summam omnia contrahens, in uno tantum modo illum adhuc deficere, ait, Ita uerò docet, cum imperfectis & infirmis, Christus cum infirmo & ignorante amicè agit. Matth. 11. 12. Isaiæ 42. 53.

qui proficere student, amicè & humaniter agendum esse, ita ut illorum defectus extenuemus, quoad eius fieri potest, ne illorum multitudine & grauitate territi, spem omnem abijciant. Quod enim hîc facit Christus, hoc ipsum cum Nicodemo & Samaritide agens obseruauit, & multis alijs, quibus cum illi negotium fuit. Alia est autem impiorũ ratio, qui uel in peccatis gloriantur & improbè ferociunt, vel impudenti hypocrisi sese venditant. Horum enim scelera argui oportet, ut licet ipsi incurabiles maneant, alij tamen horũ exempla sibi cauenda, non imitanda, esse intelligant: cuius rei expressa Dei mãdata, ad hæc prophetarũ & Apostolorũ, imò ipsius Christi exẽpla in scripturis habẽtur.

Ioan. 3. 4. &c.

Alterum quod in responsione sua Christus agit, præceptum nouum est, quo illum edocet, quid præterea facere debeat. Abi (inquit) quæcunq; habes uende & da pauperibus, & habebis thesaurũ in cœlo, & ueni sequere me sublata in humeros cruce. Vbi nobis ante omnia scopus siue finis, quẽ Christus propositum habuit, obseruandus est. Dum enim hunc quidam nõ respiciunt, loco hoc turpiter abutuntur, partim quòd generale præceptũ faciunt ex eo, quod uni tantũ, nec sine grauissimis causis (ut mox audiemus) Christus præscripsit: partim quòd in hoc sitam esse arbitrantur Christianam perfectionẽ, si quis nulla urgente necessitate, sua omnia relinquat, & uel eremum uel monasterium ingressus uitam uiuat solitariam, nec sibijpsi nec alijs utilis. At nequaquam generale præceptum hîc tradi, ex eo constat, quòd ab eodem Christo alijs longè diuersum ab hoc præcipitur. Paralyticum enim & dæmoniacum, è quo legionem eiecerat, domum ad suos abire iubet. Nec in lege ueteri modò, uerumetiã in nouo testamento leges œconomicas tradit, & nominatim diuites instituit, quomodo opibus & diuitijs uti debeant. Imò cùm de eleemosyna & pauperum subuentione Paulus ex professo ageret, minimè requirebat, ut quis omnia sua erogaret. Ait enim: Non ut alijs relaxatio sit, uobis autem angustia. Nec exempla desunt eorum, qui & Dei cultores fuerunt fidelissimi, & opibus abundarunt, quibus ad Dei gloriam & proximorum subuentionem magna cum laude & fructu haud uulgari sunt usi. Nec statim in exemplũ trahi debet ab omnibus, quod uni alicui dicitur, cùm personales quoq; uocationes sint: quas si quiuis temerè sequatur, fortassis sub pietatis prætextu scelus impijssimum patrabit, quod olim Israeliticis accidit, quãdo iuxta Abrahami exemplũ proprios liberos immolabãt, & in parricidio pietatẽ quærebãt. Præterea non sitam esse in hoc externo opere Christianã perfectionẽ, ex philosophorũ exemplis patet, quorum multi etsi à Christo alienissimi essent, opes suas relinquerunt, ne uirtutis impedimenta essent: aliqui uerò easdem in mare demerserunt, inter quos Crates Thebanus præcipuè celebratur. Sed & Paulus scribit: Si insumam alendis egenis omnes facultates meas, imò si tradam corpus meum ut comburar, charitatem uerò non habeam, nihil iuuor.

Christus omnia uendere, & se sequi iubet.

Præceptũ hoc non generale esse.
Marc. 2. 5.
1. Timoth. 5. 6. &c.
2. Corinth. 8.

In opum amissione non sita est Christiana perfectio.
1. Cor. 13.

Quid ergo dicemus? Christum ex uiuersalibus præceptis, quæ prius citarat, peculiare quid & personale elicere, quo latentem iuuenis morbum arguat, quem ille in semetipso nondum agnoscebat. Constat enim legis hunc finem & scopum esse, quoad nos, ut hominem totum Deo uendicet per fidei obedientiam. Nec enim externa modò opera præcipit, sed concupiscentiæ etiam frenum inijcit, & prohibet, ne quod nobis bonum uidetur faciamus, sed ab unius Dei uoluntate pendeamus. Adhæc Deum ex toto corde & totis uiribus, proximum uerò perinde ut seipsum diligere iubet. Quod qui præstant, eos omnibus quæ habent ex animo renunciare oportet, ne bonorum huius seculi desiderio & amore superati, uel Dei gloriam & honorem, uel proximi charitatem negligant. Ita enim inter homines comparatum est, ut Deo simul & Mammonæ seruire impossibile sit: nec unquam in uno homine conuenire possunt uera in Deum atq; homines pietas, & ditescendi studium, quòd Dei immemores simul & inexplebiles, & proinde immites quoq; & immisericordes facit omnes eos, qui se huic addixerunt. At noster hic in magna opum & honorum abundantia constitutus, se officio suo erga Deum & homines egregiè defunctũ esse arbitrabatur, quòd in neminẽ hucusq; iniurius fuisset, nec interim animaduertebat auaritiæ affectum, quo excæcatus, opes Deo simul & hominibus præferre consueuerat. Ad intermissa ergo ueræ pietatis & obedientiæ fidei officia illum Christus ablegans, hoc ipsum ab illo requirit, quod ueris Dei cultoribus frequenter accidit, ut nimirum bonis suis omnibus cedere, & illa hostibus diripienda relinquere cogantur. Et quidem mitius cùm hoc agitur, quando illi permittit Dominus, ut ipse suas opes distrahat, & pro arbitrio pauperibus distribuat, quos Deo cõmendatissimos esse non ignorabat. Hos autẽ illi potissimùm præscribit, à quo ipsius ingenium sciebat cumprimis abhorere, quò citius & facilius uideret, quàm procul adhuc ab ea obedientia siue

Finis & usus huius præcepti

Matth. 5.
Num. 15.
Deut. 4. 6. 12.
Leuit. 19.

Matthæi 6.

iustitia abesset, quæ in lege requiritur. Ad eundem modum frequenter nobiscum agit Deus, quando vel morbis diuturnis, vel exilio, vel infamia huius seculi, vel conscientiæ tentationibus fidem nostram & obedientiam examinat. Imò hoc consilio ferè eam crucem nobis imponit, quæ nobis omnium acerbissima videtur: vt facilius colligamus, quàm nullæ sint vires nostræ, & quòd illius gratia nos per Christum sustentari oporteat, qui suo merito nostris defectibus solus medetur. In præsenti ergo ita nostro huic dicere videtur: Gloriaris tu quidem de obedientia & iustitia legali. Sed agedum videamus qui sis. Lex Deo simpliciter obedire, nec tantum à maleficio abstinere, verumetiam omnibus benefacere, adeoq; proximum perinde vt temetipsum diligere iubet. Hoc si præstitisti hactenus, vnde ergo tanta tibi opum abundantia, cùm non desint egeni & inopes, in quos illas erogare poteras? Cur multos passim esurire & algere pateris, cùm tibi ad luxum multa supersint? Cur thesauros tuos & inexplebile horum congerendorum studium legi Dei præfers, quæ prohibet, ne sit mendicus in Israel? Deut. 15.
Dices fortasse, eò rem deuenisse, vt tu solus omnibus quantum satis est, largiri non possis. At neq; ego hoc peto vt facias. Postulo autem, vt quod in te est præstes, & quia opum amor & cupiditas hactenus Dei & legis ipsius immemorē fecit, volo vt omnibus diuenditis quæ habes, pecuniam inde collectam in pauperes distribuas, & mox sublata cruce, quæ te manet, me sequaris, teq; ad omnem fortunam mecum subeundam paratum & obedientem exhibeas. Nec hoc tibi vel iniquum vel graue videatur. Habebis enim thesaurum in cœlo, qui omnem hanc iacturam tibi liberalissimè compensabit, &c. Hîc verborum Christi sensus est, quibus non aliud quàm suijpsius abnegationem & fidei obedientiam iuueni confidenti præcipit, & vult vt ad ista se & mores suos examinans intelligat, quàm procul absit adhuc à vera obedientia, quam se perfectè præstitisse putabat. Interim admonemur obiter, charitatis officia præcipuè testari posse, quantum in fide & religione profecerimus. Si enim Deum verè diligimus, si religiose illum obseruamus, pauperes certè, & quosuis alios, qui nostra ope indigent, nequaquam negligemus, cùm illos nobis Deus tantopere commendet. Et cumprimis huius loci diuites meminisse decet, ne sibijpsis stultè et perniciose blandiantur, seq; omni officio defunctos putent, si nemini violenter noceant, & singulis quæ humano iure illis debentur, officia præstent, cùm interim secure negligant pauperes & egenos, quos perinde vt seipsum à nobis diligi vult Christus, et in illos conferre iubet, quæcunq; in ipsum collaturi essemus, si in terris hisce corporaliter (vt olim) versaretur. Si enim ad hanc regulam sese examinent, mox videbunt, quàm parum habeant, quo gloriari possint, & idem illis, quod huic nostro in præsenti accidet.

Charitatis officia testantur quantum in fide profecerimus.

Matth. 25. 26.

Sequitur enim quòd mœstus factus propter hunc sermonem tristis abierit. Et causæ loco adijcitur: Habebat enim bona multa. Ita confunduntur, qui suis viribus & operibus confidunt. Nam intra conscientias suas conuicti vident sibi necessariò præstanda esse, quæ vires ipsorum longè superant Non possunt ergo non contristari & affligi animis suis, quando se sua illa fiducia adeò turpiter delusos esse intelligunt. At bene habet si doleant & contristentur, & non potius in conuitia erumpunt, quod impij & hypocritæ facere consueuerunt: qui ne errauisse videantur, veritatis doctrinam & fidos monitores hostiliter oppugnant. Errat tamen noster hic, quòd à Christo discedit, quem potius amplecti debuisset, & ex illo discere, vbi iustitiam & salutem quærere debeant, qui hanc in semetipsis inuenire non possunt. Nec enim aliam ob causam Lex nostram corruptionem arguit, quàm vt nos Christo adducat, qui nobis iustitia & satisfactio & sanctificatio à Deo patre est factus, &c. Interim docemur hoc exemplo, quantum remoræ ad salutem tendentibus afferat auaritia & opum immodicus amor. Erat hic à pueris institutus in lege, & salutis æternæ studio non ficto flagrabat, nec dubitauerim, illum maxima quæq; facturum fuisse, si quid aliud Christus præcepisset. At ubi opes in vniuersum omnes distrahere iubetur, animum despondet, & qui iuuenilis ætatis affectus frenare potuit hucusque, ne vel libidine, vel odio peccaret, aut grauius aliquod scelus designaret, auaritia & opum cupiditate flagrantem animum compescere nequit. Nec mouet illum cœlestium thesaurorum promissio, vt saltem horum consyderatione excitatus, terrenas & fluxas opes discat contemnere. Imò qui Christum suum magistrum, & quidem bonum magistrum dixerat, nunc auaritiæ potius dictatus, quàm illius præceptis obtemperat. Adeò efficax est opum splendor, quæ vt suo fulgore oculos perstringunt: ita animos quoque vinculis plusquàm adamantinis constringunt, nec ad cœlestia bona eos aspirare patiuntur, quos in suum seruitium semel pertraxerunt: vt non temerè olim Eusebius

Iuuenis mœstus à Christo discedit.

1. Corinth. 1.

Diuitiæ magnū salutis impedimentum.

ſcripſerit, ἄφθονος πλοῦτος ἐμπόδιον πρὸς καλῶς φρονεῖν ὑπάρχει, id eſt, diuitiæ multæ ad rectè ſapiendum remora ſunt. Sed quia de hoc ipſe Chriſtus in ſequentibus diſſeret, hæc nunc paucis annotauiſſe ſufficiat. Noſtrum fuerit, vt agnita noſtra infirmitate ſolius Dei gratiæ innitamur per fidem veram in Ieſum Chriſtum: cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA LXXXV.

Et cùm circumſpexiſſet Ieſus, dicit diſcipulis ſuis: Quàm difficilè, qui opes habent, in regnum Dei introibũt. Diſcipuli uerò expauerunt ad hos ſermones ipſius. Ieſus autem rurſum reſpondens, dicit eis: Filij, quàm difficilè eſt eos, qui confidunt opibus in regnum Dei ingredi. Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem in regnum Dei ingredi. Illi uerò amplius percellebantur, dicentes apud ſeſe: Et quis poteſt ſaluari? Intuitus autẽ eos Ieſus, dicit: Apud homines hoc eſt impoſſibile, ſed non apud Deum: nam omnia poſſibilia ſunt apud Deum.

Argumentum & uſus præſentis loci.

QVia Dominus noſter Ieſus Chriſtus, vt nos ſaluaret, in mundum venit, non obiter modò tradit ſalutis myſteria, verumetiam omnibus ijs ſtudioſe medetur, quæ nos impedire ac remorari poſſunt. Exemplum eius rei euidens habemus in præſenti tractatione. Venit ad Chriſtum iuuenis, ſolicitus quidem de vita æterna, ſed quem vitia duo remorabantur. Fiducia nimirum ſuijpſius & Auaritia ſiue nimius opum huius ſeculi amor. Vtriq; ergo Chriſtus occurrit. Primò enim ad legis ſpeculũ ablegat confidentem, vt in illo ſeipſum contemplatus de ſuis viribus modeſtius ſentire diſcat, & ſuperbam operum ſuorũ fiduciam deponat. Deinde de opum legitimo uſu admonet, qui in beneficentiæ ſtudio & animi tranquillitate potiſſimùm conſiſtit: vt nimirum opibus corda noſtra non applicemus, ſed illis quoad Deo ita libuerit cum gratiarum actione vtamur, aliorũ item inopiã ſubleuemus, eaſdẽ verò non ægrè nec inuiti relinquamus, ſi quid tale de nobis Deus ſtatuat. Porrò, vt quod huic dicitur, omnes diuites ſibi quoq; dictum eſſe ſcirent, modò generalem de diuitijs & diuitum conditione diſputationem ſubijcit, quæ vt hos probè inſtituit, ita conſolationem quoq; certiſſimam affert omnibus ijs, qui inter huius ſeculi opes in Chriſtum reſpicere, & ab vnius Dei gratia pendere ſolent.

Chriſtus diuites difficulter ſaluari ait.

Principiò occaſionem de his agendi iuuenis præbuit, qui cùm à Chriſto iuberetur omnia ſua pauperibus diſtribuere & cruce ſuſcepta gregi diſcipulorum ipſius ſeſe coniungere, triſtis admodum diſceſſit, eò quòd opes haberet ingentes, vel potius ab illis haberetur. Nec dubium eſt, exemplum huius multis admirationem peperiſſe, quando repentè toto animo conſternatum viderunt, qui paulò ante zelo & alacritate admirabili ferueret, & nihil quàm cæleſtia quærere videbatur. Omnibus ergo in hanc cogitationem intentis, Chriſtus non tam admirabundus, quàm dolens ob ingenij humani corruptionem, oculos circumferens diſcipulis ait: Quàm difficilè, qui opes habent, in regnum Dei introibunt? Illis verò expauefactis, expoſitionis loco mox ſubijcit: Filij, quàm difficilè eſt eos, qui confidunt opibus in regnum Dei ingredi. Et quod dicit, comparatione amplificat, dicens: Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem in regnum Dei ingredi. Omnium verò iſtorum hic ſenſus eſt, vt oſtendat, diuites ægrè admodum Euangelij vocationem ſequi, quod nos regni Dei ciues & conſortes facit. Eſt hæc dura adeoq; intolerabilis ſententia, ſi illam ad carnis rationem examines, quæ in opum abundantia non poſtremam humanæ felicitatis partem collocat, & iniquiſſimum eſſe cenſet, eos à Dei conſortio excludere, qui inter homines ſupremum dignitatis gradum obtinent. At cogitemus iſta à Chriſto dici, qui cùm Veritas ſit ipſa, mentiri non poteſt: & cùm idem nos vnicè amet, & infirmitatibus noſtris condoleat, minimè putandum eſt, quòd inanibus minis aut terriculamentis ſuperuacaneis terrere voluerit. Nam diſcipulis hæc dicit, quos ex toto hominum genere ſelectos amicorum loco habuit, vt per illum edocti, totius orbis doctores eſſent. Perpetuam ergo, & omnibus ſeculis cognitu & obſeruatu neceſſariam doctrinam tradit, de cuius veritate vel leuiuſculè dubitare nefas eſt.

Hebr. 2.

Ioan. 15.

Cæterùm

Cæterum ne (quod multi solent) hinc occasionem captemus temerè quosuis damnandi, aut etiam — Diuitiarum ratio & de quibus diuitibus hic agatur.
de propria salute desperandi, de quibus ista loquatur, probè inspicere conuenit. Nam si diuitias in se-
metipsis consyderes, illas ex Dei benedictione donari, & gratiæ Dei singularis signa esse patebit. Con
stant enim maxima ex parte terræ prouentibus, auro item & argento, quæ omnia à Deo creantur, Leuit. 26.
& ad rei domesticæ administrationem pertinent, quam ab vnius Dei prouidentia pendere scriptura Deut. 28.
testatur. Nec desunt exempla sanctißimorum hominum, quos ingentibus diuitijs diuinitus auctos Psal. 127.
fuisse legimus. De Abrahamo certè dicit seruus ille fidelis: Locupletauit Dominus herum meum Gene. 24.
insigniter, deditq; illi greges & armenta, argentum & aurum, seruos & ancillas, camelos & asinos,
&c. Idem de Iobo & infinitis alijs legitur. Et Solomoni ipse Deus opes & gloriam pollicetur. In no- 1. Reg. 3.
uo autem testamento Centuriones habemus, Zachæos, Lazarum Bethaniensem, & imprimis Iose- Lucæ 7. 19.
phum ab Arimathæa, cuius in asserenda Christi gloria maius studium eluxit, quàm eorum, qui o- Ioan. 11.
mnibus relictis ipsius aperti discipuli prius fuerant. Non ergo simpliciter ipsas diuitias & omnes Matth. 27.
diuites Christus damnat, sed hominum corruptionem & malos mores arguit, qui ea sibijpsis in exi-
tium vertunt, quæ Deus largitur, vt nobis ad virtutem & pietatem adiumento sint. Innuit hoc ipse,
quando quod in genere dixisse videbatur, mox ad eos restringit, qui diuitijs confidunt. Qui enim ta- — Diuitum confidentium peccata.
les sunt, eos saluari impoßibile est, quoad tales manserint. Primò etenim idololatras à Dei regno ex-
clusos esse, omnis scriptura testatur. At idololatras vocat Paulus auaros omnes, qui spem & fiduciã
suã in opibus collocatam habent, quæ in vno Deo sita esse debebat. Imò eò grauior illorum culpa est, 1. Corinth. 5. 6.
quòd cùm Dei nomen & cultum profiteantur, opes tamen Deo longè præferunt, si quando de illis ob Apoc. 21.
fidei & religionis profeßionem periclitantur. Iidem opes per fas & nefas acquirunt & augent, dum Ephes. 5.
vel alios defraudant & aliena rapiunt, vel charitatis officia negligunt, & alijs esurientibus ipsi aut Colos. 3.
securi helluantur, aut opum aceruis incubant insatiabiles. Vt non temerè olim dictitatum sit, omnem
diuitem aut iniquum esse, aut iniqui hæredem. In vsum verò opum apud eiusmodi homines incidunt
fastus, libido, intemperantia, luxus & omnis generis lasciuia. Concurrunt lites, rixæ & dißidia, quæ
omnia à Dei regno alienos faciunt. Quòd si verò periculum immineat, & ijs opes auferantur, qui il-
lis confidunt, mox murmura aduersus Deum, conuitia in homines & multa alia audies, quæ de il-
lorum impatientia & desperatione non obscurè testantur. In mortis autem articulo, quando ad cœle-
stis regni iter maximè expeditos esse oportebat, ibi tum amicæ opes animo obuersantur, & partim Eccli 41.
sui desyderio inescant, partim circumuentos illorum artibus fratres, spoliatas viduas, oppressos or-
phanos, neglectos pauperum clamores, fastum item & luxum intemperantem, & infinita alia scelera
in mentem reuocant, sicq; amaram reddunt mortis memoriam, quæ in Deo sperantibus inter aduersa
præsens solatium afferre solet. Taceo nunc artes illicitas, labores, curas, solicitudines, pericula, &
quæcunque alia sunt eius generis, quibus auari exercentur & distrahuntur, vt de æternis & cœle-
stibus bonis ne cogitare quidẽ poßint, nedum illis acquirendis se totos impendere. Verißimè ergo ista
in præsenti Christus pronunciat, quibus simul peruersum carnis iudicium arguit, quo pleriq; decepti, Mundi peruersum iudicium de opibus & paupertate.
opibus solis inhiant, paupertatem verò ceu summum & extremum malorum omnium horrent: cùm
reipsa experiamur, hanc ad præsentis vitæ commoditatem plus conferre quàm opes, & ad cœlestis pa
triæ hæreditatem expeditiores reddere. Adhæc offendiculo medetur, quod multi patiuntur, dum E-
uangelij prædicationem solis ferè pauperibus placere, diuitibus autem plerunque exosam & inuisam
esse vident. Si enim diligentius expendamus quot vndiq; obstacula opes nobis objiciant, & quàm dif-
ficilè sit, illis non animum adijcere quando nobis ridenti specie affluunt, minimè mirabimur opulen-
tos alieniori erga Euangelium animo esse, sed potius Dei bonitatem exosculabimur, qui aliquos illo-
rum ex Labirynthis hisce educit, suoq; spiritu ita regit, vt & opibus suis rectè vti, & vitæ cœlestis
spem atq; studium retinere poßint.

Interim horum diuites aßiduè meminisse decet, vt dum in opum abundantia Dei benedictionem — Diuitũ officia.
sentiunt, simul cogitent quantum inde periculum ad eos redire poßit, nisi carnis cupiditates & confi-
dentiam, quæ diuitias plerunq; comitatur, aßiduo pietatis studio restinguant. Admonet de hoc Dauid
quando ait: Ne collocetis spem in iniuria & rapina, nolite vos dedere vanitati: opes si affluunt, ne Psal. 62.
cor apponatis. Christus item grauiter admodum clamat: Videte & cauete ab auaritia: & ne thesau- Luc. 12.
rizetis in terra, vbi tinea & erugo corrumpit, & vbi fures perfodiunt & furantur. Sed recondite vo- Matth. 6.

1.Timoth.6. bis thesauros in cœlis, &c. Et Paulus ad Timotheum suum scribens dicit: Iis qui diuites sunt in hoc seculo denuncia, ne animo efferantur, neque spem ponant in diuitijs incertis, sed in Deo viuo, qui præbet nobis copiose ad fruendum: vt benefaciant, vt diuites sint operibus bonis, faciles ad impartiendum, & faciles conuictus, recondentes sibijpsis fundamentum bonum in posterum, vt apprehendant æternam vitam, &c.

Opum huius seculi conditio. Hæc vt faciamus, ipsa opum conditio monet. Quid enim his incertius minusq; stabile? Repentè suum possessorem deserunt, & mille sunt pericula, quæ illas eripere solent. Vsus verò illarum præsenti tantummodo seculo seruit, & sicuti nihil in mundum intulimus, ita nihil efferre dabitur, nec quicquam ex suis diuitijs ad opulentissimos quosque redit, quàm quòd ex illis alimenta habent, & tegumenta, in quibus natura nostra paucis contenta est, imò ex mediocritate & temperantiæ studio plus quàm ex abundantia & superfluitate, vtilitatis capit. Quando autem per viam vniuersæ terræ (vt Dauid inquit) in patriam nobis abeundum est, adeò nihil iuuant diuitiæ, vt moriendi necessitas regibus opulentissimis non minus quàm mendicis pauperrimis incumbat. Nam vt poetæ dixerunt, Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas, Regumq; turres. Et vna è Deis mors nulla captat munera. Sed assidua meditatione digna est prophetæ sententia, dicentis: Ex illis qui nituntur opulentiâ sua, & in multitudine diuitiarum suarum gloriantur, Nemo fratrem suum redimere potest, neque Deo pretium redemptionis eius persoluere. Quid enim dabit homo, cuius permutatione vel suam, vel alterius, animam redimat? Cum ergo nec perpetua sit opum possessio, nec earundem abundantia ad præsentis vitæ conseruationem necessaria, mortem verò adeò arcere non possit, vt illius memoriam quoque (sicuti supra diximus) amaram reddat, & ad patriam cœlestem tendentibus plurimùm incommodet: detestabilis planè est illorum insania, qui in illis fiduciam suam collocant, & illarum desyderio excæcati charitatis officia negligunt, & regni cœlorum thesauros potius quàm illas amittere malunt, &c.

1.Timoth.6. | 1.Reg.2. | Horatius. | Aeschylus apud Aristoph. | Psalm.49. | Matth.16.

Discipuli doctrina de diuitijs consternantur. Cæterùm Christi discipulos videamus, quos Marcus primùm expauisse, deinde apud sese dixisse ait: Et quis potest saluus fieri? Quorum exemplum diligentem consyderationem meretur. Dicet enim aliquis: Et quid illos expauescere, aut de salute dubitare oportuit, qui & opibus nunquam abundarant, & iam ante sua omnia reliquerant, vt Christo potiri possent? At non temerè illos perturbatos fuisse putabimus, si illos reculas quidem suas reliquisse cogitemus, regnum verò terrenum in Christo somniasse, id quod absq; opum desyderio & fiducia fieri non potuit. Non minus ergo seipsos quàm iuuenem hunc opulentum & huius similes notari sentiebant: adeoq; iam demum videbant, salutis negotium multò plus requirere, quàm ipsi hactenus putarant. Ita locũ hunc D. Augustinus exponit, quando in quæstionibus Euangeliorum sic scribit: Quid est quòd ait: Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum Dei? Diuitem hîc appellat cupidum rerum temporalium, & de talibus superbientem. His diuitibus contrarij sunt pauperes spiritu, quorum est regnum cœlorum. Nam eo manifestatur, omnes cupidos, etiamsi facultatibus huius mundi careant, ad hoc genus diuitum, quod est reprehensum, pertinere: quia postea dixerunt qui audiebant: Et quis poterit saluus fieri? cùm incomparabiliter maior turba sit pauperum: Videlicet intelligentes, in eo numero deputari etiam illos, qui quanquã talia non habeant, tamen habendi cupiditate rapiuntur, &c. Dolet ergo Apostolis tam propria ipsorum conditio, quàm aliorum hominum perditio, quos maiori ex parte opibus addictos esse, & in illis felicitatem omnem collocare videbant. Procul ergo ab illorum ingenio & moribus absuerunt, qui hodie diuitibus suam fortunã inuident, eosdem inuidiose damnant, suam verò egestatem magnificè extollunt, quasi illa per se salutem mereatur. Atqui cogitare debebant, aliud esse diuitias habere, & diuitijs confidere, nec statim ab opum cupiditate alienos esse, qui sua vel turpiter prodegerunt, vel inani superstitione persuasi reliquerunt. Solent enim plerunq; tales alienis inhiare, quæ causa est, vt multa iniustè, multa superstitiose & impiè designent. Adhæc obseruabis, quòd vt diuitiæ per se ex Dei benedictione obtingunt, & proinde neminem damnant, si rectè administrentur: ita paupertas nullum per se habet salutis æternæ meritum, præter illam, quam Christus suscepit, vt nos regni sui thesauris ditaret: nec leuius peccatum est paupertati confidere, quàm in diuitijs spem & fiduciam collocare. Imò vt diuites luxu & inhumanitate peccant, ita plerunq; pauperes inuidia, odio, impatientia & murmuratione aduersus Deum peccare consueuerunt.

Lib.2.cap.47. | Pauperum nostri seculi uitia. | 2.Corinth.8.

Quare

Quare diuites quidem in eorum meditatione versari conuenit, quæ paulò ante diximus, pauperes verò Apostolorum exemplum imitati, suam ipsorum cupiditatem agnoscant, & communem humani generis corruptionem deplorent, quæ tam diuitibus quàm egenis salutis rationem planè arduam & & difficilem reddit: vtrinq; verò pietati & precibus studeant, quæ solæ in ista difficultate constitutis succurrere possunt.

Huc facit amica & plena consolationis Christi responsio, qui discipulos intuitus, ait: Apud homines hoc est impossibile, sed non apud Deum: nam omnia possibilia sunt apud Deum. Responsionis huius partes sunt duæ. Prima, homines suis viribus saluari posse, disertè negat. In genere enim interrogarant discipuli, Et quis potest saluus fieri? In genere ergo respondet Christus, apud homines hoc impossibile esse. Ea enim est omnium hominum conditio, vt terrenis magis quàm cœlestibus intenti, hæc amplecti nec velint ne possint, nisi cœlitus regenerentur, sicuti Christus Nicodemo dixit. At quia semetipsum nemo regenerare potest, nemo etiam ex semetipso saluari poterit. Vbi probè obseruabis Christum hoc nomine consternatos discipulos, non ad inanem suarum virium aut liberi arbitrij fiduciam ablegare, sed simpliciter illis assentiri, adeoq; testari, quòd hominem ex semetipso saluari, impossibile sit. Corruit igitur hoc loco vniuersa Papæ officina, & ruinosa illa laceraq; arbitrij & nostrorum operum meritiq; supellex, quæ magna ex parte pecunijs redimitur, quibus omnem in salutis negotio laudem Christus negat. Altera verò parte consolationẽ subijcit, cùm ait: Sed non apud Deum, &c. Quasi diceret: Quoad homines, rectè colligitis. Sed non ideò impossibile est, homines saluari. Deus enim quia omnia potest, illos regenerat, & ipse ea in illis operatur, quæ alioqui ipsis præstitu impossibilia sunt: vt nimirum opibus rectè vtantur, fiduciam omnem in se vno collocatam habeant, benefici sint, & thesaurum sibijpsis in cœlo recondant. Et quod in præsenti pollicetur, id ipsum in Abrahamo, Dauide & postea in Apostolis præstitum videmus. Huc enim illud Pauli facit, qui ait: Didici in quibus sum, his contentus esse. Noui & humilis esse, noui & excellere. Vbique & in omnibus institutus sum, & saturari, & esurire, & abundare, & penuriam pati. Omnia possum per Christum, qui me corroborat. Idem Hebræos fratres hoc nomine laudat, quòd facultatum suarum direptionem cum gaudio acceperint. Nec hodie desunt, qui dum licet fortunis suis piè & benè vtuntur, & illis ipsis postea exilium spontaneum, vincula, ignominiam omnis generis, ipsam denique mortem præferunt, si fidem in Christum aliter retinere non datur. Vides ergo nec ob nostrarum virium imbecillitatem nos spem salutis abijcere, nec nos opulentiores temere condemnare debere, quando tam facile est Deo nos regenerare, quàm illi olim fuit vniuersam mundi huius machinam ex nihilo producere. Nemo tamen hinc occasionem arripiat, vt quæuis suæ rationis figmenta per Dei omnipotentiam probet. Nec enim omnia quæ potest facit Deus, sed quæcunque suo consilio fieri decreuit. Quare in verbum ipsius nos respicere conuenit, & ex hoc illius voluntatem discere, nec de illius effectu dubitare, quando illi nihil est impossibile. Qui enim in vniuerso ordine nudam omnipotentiam iactitant, semetipsos turpissimè fallunt, & absurdissimorum dogmatum siue opinionum authores sunt. Cæterum quod præcipuum huius loci caput est memori mente recondamus, vt nostræ conditionis memores, huius seculi bonis ita vtamur, ne ijsdem abutamur, thesauros verò in cœlis habeamus reconditos, quos sui sanguinis pretio nobis acquisiuit Christus Iesus Dominus noster: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Consolatio aduersus periculosam diuitum conditionem.

Ioan. 3.

Matth. 16.

Philip. 4.

Hebr. 10.

Omnipotentiæ diuinæ ratio.

Psal. 115.

1. Cor. 7.

HOMILIA LXXXVI.

Tunc cœpit Petrus dicere ei: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Respondens autem Iesus, ait: Amen dico uobis, nullus est qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorẽ, aut liberos, aut agros, mea causa & Euangelij: quin recipiat centuplicia nunc in hoc tempore, domus, & fratres, & sorores, & matres, & liberos, & agros, cum persecutionibus, & in seculo uenturo uitam æternam. Multi autem primi erunt ultimi, & ultimi primi.

CAPVT X.

Argumentum & usus præsentis loci.

ETsi plerique homines sibi bene esse velint & æternæ salutis studio teneantur, multa tamen sunt, quæ illos in vera huius consequendæ ratione impediunt. Inter quæ primus ferè locus diuitijs debetur. Quia enim has ingenita cupiditate omnes appetunt, eas aut per media illicita quærunt, aut acquisitis pessimè abutuntur, aut ita illis addicti sunt, vt & Christianæ charitatis officia negligant, & fidem turpiter abnegant, si quando illas amittendi periculum instat. Frequenter ergo de illis Christus in Euangelio disserit, vt quæ in eas collocatur fiduciam retundat, & de vero legitimoque earundem usu admoneat. Et nuper quidem magnatis cuiusdam exemplo docuit, quantum immoderata harum cupiditas ad salutem tendentes remoretur: nec exempla desunt, quibus patet, vt qui in reliquis omnibus ferè integri sunt, ad hunc tamen scopulum impingere soleant. Quia autem opum suarum amissionem omnes metuunt, Christus in præsenti nos amplissimis promissionibus excitat, ne cui graue aut iniquum videatur iacturam facere, cui amplissimam retributionem diuinitus iam præparatam esse audit.

Petrus interrogat de præmio Apostolorum.

Cæterùm tractationi huic occasionem præbuit Petri Apostoli quæstio. Somniabat ille (vt & reliqui) terrenum regni Christi, & in eo honores & dignitates maximas. Quare præter spem hoc illis accidit, quod iuuenis iste opes suas relinquere iubetur, & quòd diuites adeò difficulter in regnū suum ingressuros esse, Christus dixit. Quærit ergo quid de ipsis futurum, & quod nam sui studij præmium habituri sint, qui omnibus suis relictis, ipsum hucusque secuti sint? Vbi rursum carnis nostræ ingenium elucet, quæ dum regni Dei studio teneri videtur, terrena tamen potius quàm cœlestia quærit. Est hoc vetus & commune malum, cuius exempla in Simone Mago & Anania atque Sapphira uidit primitiua ecclesia. Et Augustinum de ijs conquestum legimus, qui ipsius tempore ad augendas opes suas & multiplicanda delectamenta terrena, religionem sibi suffragari debere arbitrabantur. Quod vnum abundè docet, nos nostris operibus nihil apud Deum mereri, cùm in illis semper priuato potius commodo, quàm Dei gloriæ, studeamus. Quomodo enim hæc Deo placere possent, quando ne hominibus quidem eiusmodi officia probantur, quæ priuati quæstus aut commodi studium suspecta facit? Quoad tamen Apostolos, laudem merentur, quòd nunc demum de præmio quærunt, cùm hactenus spe bona contenti fuerint. Ita solent ij, in quibus veræ fidei semina extant: vt nimirum de suo potius officio, quàm præmio, soliciti sint. Hoc enim sibi à Deo obuenturum minimè ambigunt: illud verò abs se facilè negligi posse vident, cùm suæ naturæ infirmitatem & corruptionem probè cognitam & perspectam habeant. Sic Abraham Deum vocantem sequebatur, relicto solo patrio, nec vbi nam locorum sedes fixas habiturus esset, interrogabat. Et Paulus cùm se cœlitus vocari audiret, non quid de se futurum esset, quærebat, sed aiebat: Domine quid me vis facere? Arguuntur his nostri seculi mores, quando plerique religionem, imò quamuis aliam quoque vocationem, quæstu metiuntur, & de præmio quærunt, priusquam aut suæ vocationis officia, aut suas in his obeundis vires inspexerint: nec quicquam sibi faciendum putant, nisi lucrum sibi ob oculos positum videant.

Acto. 5. & 8. *Epistola 89. ad Hilarium.* *Gene. 12.* *Acto. 9.*

Quomodo Apostoli omnia sua reliquerint.

Cumprimis autem hic considerandum venit, quomodo Apostoli omnia sua reliquerint. Horum enim exemplo hodie Monachi & Anabaptistæ abutuntur, dum illi quidem vitæ solitariæ sese mancipant, & huius merito confidunt, hi verò temere relictis vxoribus liberis & parentibus nouum vitæ genus suscipiunt. At nihil isti omnes cum Apostolis commune habent. Hi enim cùm ista diceret Petrus, adhuc domus suas, nauiculas, retia, & quidam uxores quoque suas habuerunt, & in sua frequenter diuerterunt, sicuti de Petro & Matthæo non semel legimus. Et ijdem post Christi resurrectionem ad piscationem redijsse leguntur. Reliquerunt ergo quoad animi sui voluntatem, & quatenus vocatio ipsorum postulabat: adeò vt licet possessionis ius retinerent, fiduciam tamen in illa minimè collocarent, nec etiam per hæc se ab officio suo abstrahi paterentur. Toto igitur cœlo errant, qui exemplo hoc vel Monachorum superstitiones & hypocrisim, vel Anabaptistarum furores stabiliri arbitrantur. Etsi enim postea omnibus in vniuersum renuntiarint Apostoli, quando illos per totum orbem prædicare oportebat: minimè tamen inde cōmunis regula petenda est, ad quam reliqui etiam omnes obstringantur, quos nulla singularis vocatio idem facere cogit. Paulus certè vnumquenque in ea conditione manere iubet, in qua vocatus sit. Et idem parentibus, & coniugibus sua erga suos officia præscribit, adhæc infideli deteriorem esse dicit eum, qui suis non honestè prospiciat. Omnium verò est, vt animos suos ab opum cupiditate auocent, & vbi ita necessitas vrget, vt vel illas amittere, vel fidem

Matth. 8. 9. 17. *Ioan. 21.* *1. Cor. 7.* *Ephes. 5. 6.* *1. Tim. 5.*

vel fidem in Christum abnegare & ab hoc nobis commissum stationem relinquere oporteat: tunc non
opes modò, verumetiam uitam deponere parati simus, nec quicquam Christo præferamus, in quo
nobis thesauri æterni repositi sunt. Rursum, dum salua fide & huius confessione nostra retinere da-
tur, illis iuxta Pauli regulam piè utamur, ut non abutamur. Ad hunc modum de opibus uel re- 1.Corinth.7.
linquendis uel usurpandis Apostolos docuisse, ex primitiuæ ecclesiæ exemplo constat, in qua uoluntate
quidem & beneficentiæ studio pij omnia sua communia habebant, ita tamen ut à possessione sua ne-
mo inuitus deturbaretur, sicuti Petri uerba ad Ananiam disertè testantur. Sicuti enim charitatis Actorum 5.
lex egentium necessitati succurrere iubet, ita eadem prohibet, ne aliena uel ipsi inuadamus, uel alios
sua nobis largiri cogamus. Imò intolerabile scandalum est, sub religionis prætextu ex alieno uiue-
re, cùm hic potius pijs scopus præfixus esse debeat, ut nemini graues uel molesti sint, quàm plurimos
uerò suis officijs subleuent.

Sed Christum Petro ad hunc modum respondentem audiamus. Amen dico uobis, nullus est qui Responsio
reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, &c. mea causa & Euangelij: Christi.
quin recipiat centuplicia nunc in hoc tempore cum persecutionibus & in sæculo futuro uitam æter-
nam. Multi autem prmi erunt vltimi, & ultimi erunt primi. In qua responsione tria potissimùm
nobis ueniunt consyderanda: Primum, de quibus hic Christus loquatur, & ad quos ista promissio
referri debeat. Secundum, quid ijsdem polliceatur. Tertium, ut confidentiam eorum reprimat, qui
aliquò usq; progressi sibijpsis nimium tribuunt, & ea occasione securiores fiunt.

De primo disertè loquitur, dum eos nominat, qui sua relinquunt ipsius & Euangelij causa: 1. Ad quos pro-
Apud Lucam ait, Propter regnum Dei: ad illud nimirum respiciens, quòd regnum Dei per Euan- missio Christi
gelium nobis offertur, & ideo interdũ regni Dei nomen accipit. In Matthæo autem, primam respon- pertineat.
sionis partem ad Apostolos restringens ait: Amen dico uobis, quòd uos qui me secuti estis, &c. Ad Lucæ 18.
eos ergo ista promissio pertinet, qui per Euangelij prædicationem in fide instituti, Christum Iesum Matth.19.
sibi imitandum proposuerunt, suamq; uocationem cum rerum suarum iactura sequuntur. Neq; hic
refert cuiuscunq; sint loci aut ordinis, modò id faciant, quod modò diximus. Minimè ergo istis locus
hic patrocinatur, qui uel prodigalitate & luxu sua dilapidant, uel superstitione dementati uolunta-
riam (ut loquuntur) paupertatem sibijpsis asciscunt. Faciunt enim prius illud impij & malæ frugis
homines, qui à Christo & regno Dei alienissimi sunt. Alterum uerò illud olim ex gentibus quidam
præstiterunt, nec in ea re inferiores nostris hominibus sunt Turcarum eremitæ, qui simul uitæ inno-
centia & morum integritate omnes Christianorum Monachos longè exuperant. Non ergo sufficit
opes reliquisse, sed ut Christum sequamur oportet, & illius uocationem expectemus: quam qui negli-
gunt, ij sub pietatis prætextu extremè impij fiunt.

Secundò præmium talibus duplex promittitur, quorum alterum ad præsens, alterum ad futurum 2. Præmium
seculum pertinet. Ad utriusq; uerò certitudinem facit solennis illa contestatio, quæ iurisiurandi in- eorum, qui sua
star est, cùm ait: Amen dico uobis. Ad primam promissionis partem pertinet, quòd ijs qui domum, propter Chri-
parentes, fratres, sorores, vxorem, liberos, agros & quæcunq; sunt eius generis, ipsius causa relin- stum deserunt.
quunt, centuplicem retributionem in hoc tempore pollicetur, & quidem cum persecutionibus. Ita ve- Retributio in
rò docere vult, talibus adeò non metuendam esse aliquam iacturam, vt potius lucrum ingens spera- hoc seculo cen-
re debeant. Centuplex enim retributio pro multiplici ponitur: numerus finitus pro infinito. Ratio tuplex.
huius promissionis in eo est, quòd omnes Christiani per fidem ita Christo inseruntur, vt in hoc
eiusdem corporis simul membra, & eiusdem patris filij, & proinde fratres atq; cohæredes sint. Vnde 1.Cor.12.
tam arcto charitatis vinculo constringuntur, ut omnia ipsis communia sint. Quotquot ergo fratres Ephes.4.
vterinos, parentes item naturales, liberos ex sese progenitos, domus item & agros propter Christum Rom. 8.
relinquunt, ijdem totidem fratres inueniunt, quot passim in orbe ueri Christiani sunt, à quibus ea
officia sibi præstari sentient, quæ uel fratres fratribus, uel parentes liberis, uel hi illis præstare tenen-
tur. Et sic fit, vt qui vno tantum in loco prius domus & agros siue redditus habuerunt, nunc vbiq;
gentium hospitia & quæcunq; ipsis ad victum necessaria sunt, reperiant. Exempla in Apostolis ex-
tant, quibus viuente adhuc cum ipsis Christo nihil vnquam defuit, sicuti in vltima cœna ipsi fatentur:
postea uerò in orbem digressi, passim repererunt pios fratres, quorum charitate & beneficentia suble- Lucæ 22.
uati sunt. Et quod illis euenit, hoc ipsum hodie non pauci experiuntur, qui propter fidei confessionem

exulant. Quid? quòd inter hostes quoq; accerrimos Christus suis prospicere solet, sicuti in Abrahami
Gen.12.13.14. exemplo patet: qui cum Deum uocantem securus patriam & cognatos suos reliquisset, inter Chananæos opibus simul & amicitijs siue fœderibus amplissimorum virorum præclarus fuit. Cum enim impiorum quoq; corda Deus in sua manu habeat, facilè illa inclinare potest, vt suis benefaciant.

Promissiones huius seculi cruce condiuntur. At hic nos conditionis semper meminisse oportet, quam huic promissioni adijcit Christus: Nimirum quòd persecutiones interea non sunt defuturæ in se credentibus: Nec enim par est, vt alia sit
Ioan.13.15. discipulorum, quàm magistri conditio. Et quia mundus totus in malo constitutus est, ac ideo ueritatis lucem ferre non potest, nunquàm non ijs molestus esse solet, penes quos illa lucet, & qui eandem
1.Ioan.5. Ioan.3. mundo inferre cupiunt. Patitur uerò hoc Deus, non quòd mundi improbitatem aliter coërcere non
1.Corinth.11. possit: sed quia nos cruce exerceri prodest, qui alioqui in effrenem peccandi licentiam erumperemus, uel securi & socordes salutis iacturam pateremur. Non est ergo quòd cum Iuliano apostata promissionem hanc nobis per ludibrium obijciant nostri aduersarij: quando ipse Christus persecutionum tam apertè meminit, & tamen simul quotidie reipsa docet, quàm sibi curæ sint, quos propter sui nominis confessionem infelix hic mundus persequitur.

Vita æterna. Altera promissionis pars ad seculum futurum pertinet, in quo uitam æternam suis dare decreuit. Constat autem in scripturis uitæ nomine ferè omnia ea comprehendi, quæ ad hominis felicitatem spectant: quæ tunc demum felicitas debet censeri, si æterna sit, & nullis fortunæ casibus obnoxia. Voluit autem hanc partem adijcere, ne pij uel in terrenis huius seculi bonis acquiescant, uel sese deceptos putent, si illa ipsis non pro uotis suis obtingunt. Quæcunq; enim in hac uita suis Deus largitur, ipsius duntaxat bonitatis erga nos testimonia sunt, quæ promissæ felicitatis æternæ spem in nobis confirment, & quæ ex cruce ad nos redeunt, molestias ceu condimento aliquo dulciori mitigent. Pa-
Philip.3. tria uerò & patrimonium nostrum, cuius hæredes in Christo reddimur, in cœlis est, ubi (iuxta illius
Ioan.12.14.17. promissionem) æternùm cum illo erimus. In huius consyderatione quotquot diligentius paulò uersantur, fortunarum suarum in hoc seculo iacturam pro lucro æstimabunt, dummodò uitam æternam possidere queant. Etsi enim opes suas non amittant propter Christi nomen, easdem tamen aliquando unà cum uita hac præsenti relinquere cogentur. Nō ergo alia lucrosior illarum iactura fieri poterit, quàm quæ Christi nomine fit, qui & præsentis uitæ necessitati succurrere potest, & olim nos secum in cœlis regnare faciet. Amplissima itaq; suis præmia pollicetur, quibus qui non mouetur, is certè se Christiano nomine planè indignum esse docet, & dum sua retinere vult, vnà cum his cœlestis regni thesauros amittet.

3. Confidentiæ & securitati medetur. Cæterum ne discipuli se iam omnia assecutos putarent, sicq; suorum meritorum fiducia securiores fierent, grauem sententiam hisce Christus subijcit, dicens: Multi autem primi erūt vltimi, & vltimi primi: Quasi diceret. Præstitistis hucusq; aliquid per Dei gratiam, quæ vos mouit, ut omnibus posthabitis me sequamini. At nondum uobis omne bellum confectum putetis. Eadem enim hic ratio est,
2.Timoth.2. quæ in reliquis certaminibus esse solet. Vt enim illic non coronatur, nisi qui legitimè certando uictor euaserit, nec brauio donatur, nisi qui finem cursus fuerit assecutus: Ita cœlestis regni brauia non nisi
Matth.24. ijs debentur, qui in finem usq; perseuerauerint. Quicunq; uerò, ubi manum aratro admouerūt, à tergo
Lucæ 9. respiciunt, indigni sunt regno Dei. Imò frequenter fit, ut qui initio præ alijs emicuerunt, tandem omnium postremi fiant, dum carnem in consilium adhibent, & illius impatientia superantur, uel blanditijs peccatorum turpiter cedunt. E' contra qui serius accedunt, ferè reliquos perseuerantiæ studio & zelo superant, & primi fiunt. Possunt huc Iudæ & Pauli exempla referri. Ille enim cum inter primos esset, auaritiæ affectu excæcatus, proditor Christi factus est: Hic uerò cùm eo tempore adhuc inter pharisæos delitesceret, & postea ecclesiæ persecutorem ageret, subitò tamen conuersus, admirabili studio & industria apostolos reliquos præuenit, ut plus omnibus alijs laboraret. Pertinent hæc ad omnes homines, & in eum finem à nobis consyderari debent, ut ad perseuerantiæ studium excitemur, non desperemus autē temere de ijs quos Christi cognitione nondum imbutos esse cernimus. Frequens enim admodum est, ut qui per omnia aduersa fortiter eluctati sunt, tandem securi & quodammodo ignari rerum ad pristinos mores relabantur. Nunquàm enim quiescit satan, & quos ferocia sua superare nequit, blanditijs & falsa securitatis persuasione seducit. Nostræ ergo conditionis memores
1.Corinth.1. simus, & qui sibi uidetur stare, videat ne cadat. Rogemus autē Deum patrem, ut nostræ naturæ ui-

tijs

tijs sua gratia & spiritu medeatur, & in fide vera confirmatos vitæ æternæ cõsortes reddat, per filiũ suum Iesum Christum, cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA LXXXVII.

Erant autẽ in uia ascendentes Hierosolyma, & præibat eis Iesus, & expauescebant, ac sequentes timebant: et assumptis rursum duodecim, cœpit eis dicere quę sibi erãt euentura. Ecce ascendimus Hierosolyma, & Filius hominis tradetur principibus sacerdotũ & Scribis, & cõdemnabunt eum morte, tradentq́ eum gentibus. Et illudent illi, & flagellabunt eum, & inspuent in eum, & occident eum, & tertia die resurget.

Argumentum & vsus præsentis loci.

QVoniam Deo patri, iuxta æternum suæ prouidentiæ consilium, placuit humanum genus per filij sui mortem à peccatis & morte æterna redimere: omnis scriptura nihil frequentius, quàm huius mortem, paßim inculcat: quin ipse Dei filius Iesus Christus, de hac cum discipulis suis subinde agit, hanc vnã ob causam nimirũ, vt nobis certa nostræ salutis ratio constaret. Facit huc etiã præsens locus, in quo alijs quoq; grauibus de causis illa ipsa repetit, quæ supra Cap. 8. & 9. de sua morte et resurrectione dixerat: partim quidem vt discipulorum timori & crucis offendiculo medeatur: partim verò vt eorundem confidentiæ occurrat, quæ ex anteactis poterat enasci. Nam relictis omnibus suis rebus Christum hactenus secuti fuerant, & ita præstiterant, quod à iuuene illo opulento fuerat requisitum. Quo nomine à Christo non parum commendati fuerunt, & promißionem amplißimam acceperunt, sicuti nuper vidimus. Ne ergo propriæ iustitiæ fiducia insolescerent, denuò illos de salutis ratione admonet, & illam in breue compendium contrahit, vt suum hoc opus esse & hanc gloriam omnem ad se pertinere intelligant, &c. Sed singula ex ordine videamus.

Discipuli metuunt Hierosolymã ascendere. Ioan. 11. Sanctorum infirmitas. Ioan. 15. Actorum 1. Ioan. 6. Matth. 16.

Principiò, qua occasione hæc dicta sint, indicatur. Ascendebat Christus cum suis Hierosolymã. Discipuli verò expauefacti timent, nimirum quòd illic hostes Christi accerrimos regnare scirent, quorum insidias & crudeles conatus iam sæpius erant experti. Patet hoc ex Ioanne, qui in Iudæam profecturo discipulos dixisse scribit: Rabbi, modò quærebant te Iudæi lapidare, & iterum vadis illuc? Elucet autem in his carnis nostræ infirmitas, quæ in sanctis quoq; & electis non rarò sese exerit. Hosce enim ex vniuerso mortalium genere Christus elegerat, vt suæ diuinæ virtutis, mortis item & resurrectionis suæ testes essent. Miracula hucusq; multa & stupenda viderant, Iidem in Christo omnia haberi sciebant quæcunq; ad salutem faciunt, sicuti ipsorum de illo confeßiones abunde docent. Et paulò ante promißione amplißima illos Christus confirmarat, quòd nec in præsenti seculo quicquam ipsis sit defuturum, quodq́; regni cœlestis hæreditas ipsis à Deo sit destinata. Adhuc tamen crucem horrent & metuũt, & quidem Christo præsente, imò illis præeunte. Exempla huius generis multa paßim occurrunt. Abraham, qui Deo vocante patrium solum fortiter reliquerat, postea ignobili timore superatus, vxoris pudicitiam in periculum adduxit. Iacobus cum in Mesopotamia Dei fidem innumeris argumentis esset expertus, postea tamen Esauum fratrem ita timuit, vt illum per angelos confirmari oporteret. Mosem non semel timuisse, ex illius historia patet. Quod ipsum Iosuæ, fortißimo heroi, & Dauidi post Goliam deuictum accidisse legimus. Elias post occisos Baalis sacerdotes Iesabelis minis adeò terretur, vt profugus mori cupiat. Et Paulus se apud Corinthios cum multo timore & tremore versatum esse scribit. Proponũtur hæc nobis in eum finem, ut agnita nostra infirmitate minus insolescamus, nec etiam temere damnemus eos, qui cùm multa bene pieq́; fecerint, aliquando timidiores fiunt. Præterea ne animo concidamus, si quid tale in nobis ipsis experimur. Interim timori & infirmitati non est indulgendum, sed discipulos hosce imitemur, qui etsi timeant, nihilominus tamen Christum sequuntur, & per fidei obedientiam timorem omnem, adeoq́; seipsos, vincunt. Docet idem Christus suo exemplo, qui cùm ad montem oliuarum aliquandiu fuisset consternatus, tandem per angelum confirmatus, hostibus suis obuiam procedit, nec vspiam suo officio deest. Admittamus ergo & nos verbi Dei consolationes, & illis animati fortiter vincamus quæcunq; nobis pericula mundus hîc obijcit.

Gene. 20. 12. Genesis 23. Ios. 7. 1. Reg. 18. 19. 1. Corinth. 2. Luc. 22. Ioan. 18.

Christus disci pulos consolatur. Lucæ 18.

Sed Christum audiamus, cuius oratio ex Luca compleri debet, & duabus partibus constat. Prima scripturis iam olim prædicta esse docet, quæcunq; ipsi sint euentura, ne scilicet hæc fortuita esse, aut ipsum ab hostibus suporatũ putarent. Ecce ascendimus (inquit) Hierosolymam, & consummabuntur omnia quæ scripta sunt per prophetas de filio hominis. Sciebat ergo Christus quid sibi esset euenturum, nec tamen effugia quærit, sed spontè Hierosolymam contendit, ubi ipsum pati oportebat. Vnde uerò ista animi fortitudo? Nimirum ex eo, quòd ita à Deo patre decretum esse sciret, ut sua mortis merito humanum genus redimeretur. Hoc enim innuit, quando scripturas propheticas allegat, & hoc ipso argumento discipulos aduersus crucis scandalum confirmat, quo semetipsum consolabatur. Transferamus ergo ad nos præsens exemplum, & discamus, unde consolationis argumenta peti debeant in afflictionibus. Eandem enim esse fidelium Christi sortem, quæ ipsius Christi olim in terris fuit, ipsa experientia docet. At hic cogitandum est, nihil nobis fortuitum accidere, sed diuina prouidentia afflictiones nostras gubernari. Nec enim fieri potest, ut electos suos se inscio affligi patiatur, absq; cuius uoluntate ne passerculi quidem intereunt. Et de nostris afflictionibus passim in scripturis testimonia extant. Multæ sunt (inquit) tribulationes iustorum. Christus item: In mundo afflictionem habebitis, & ueniet tempus, ut quicunq; occiderit uos, putet se Deo cultum præstare. Si quis vult post me uenire, abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me. Et Paulus olim ecclesias confirmans dicebat, quòd per multas afflictiones oporteat nos ingredi in regnum Dei. Item, Omnes qui uolunt piè uiuere in Christo, persecutionem patientur. Si quid ergo aduersi incidit, id nobis insolens uideri nõ debet: quin potius Christi exemplo nos ad patientiam & fidei obedientiam præparemus. Præiuit enim ille, & (ut Petrus ait) exemplum præbuit, cuius uestigia ipsi sequamur. Nec id modò, uerumetiam nobis in cœlis locum parauit, ubi cum ipso æterna gloriæ & felicitatis consortes erunt, quotquot cum illo in tentationibus perseuerarint. Hæc ergo singuli sibijpsis applicent, & mox mirificas in animis suis consolationes experientur.

Ex Dei prouidentia petendæ consolationes. Matth. 10. Psalm. 34. Ioan. 16. Matthæi 16. Acto. 14. 2. Timoth. 3. 1. Pet. 2. Ioan. 14. Luc. 22.

Christus nostræ redemptionis mysteriũ morte & resurrectione cõplectitur.

Altera parte, quam solam Marcus recensuit, diligenter exponit Christus, quid ipsum Hierosolymis iuxta scripturas pati oporteat, dicens: Filius hominis tradetur principibus sacerdotum & scribis, & condemnabũt eum morte, tradentq; eum gentibus. Et illudent illi, & flagellabunt eum, & inspuent in eum, & occident eum, & tertia die resurget. Faciunt hæc quoq; ad confirmandam discipulorum fidem. Habent enim euidens diuinitatis Christi argumentum, cùm illum adeò nihil latuerit eorum, quæ passurus erat. Attamen hic cumprimis consideranda uenit nostræ salutis siue redemptionis ratio, quam his summatim comprehendit. Quia enim prophetarum uel scripturæ sacræ meminit, satis patet, hæc eò referri debere quando scriptura non in alium finem nobis data est, quam ut ex ea vitæ æternæ mysteria discamus. Videamus ergo quid de se dicat Christus, quidùe illum propter nos pati & facere oportuerit. Exponit quidem hæc multis, sed duobus capitibus res tota comprehendi potest: Morte nimirum & resurrectione. Ad mortem eius pertinet quòd à Iuda proditus, quòd captus à ministris pontificijs in sacerdotum, hostium acerrimorum, manus peruenit, quòd ab illis in Concilio condemnatus, quòd ab his illusus, flagellatus, consputus, & tandem in crucem suffixus est. Oportuit enim mortem eius ignominiosissimam simul & acerbissimam esse, ut per hanc primi parentis omniumq; nostrum superbia expiaretur, qua factum fuerat, ut excusso Dei iugo peccati mancipia efficeremur. At non sufficiebat mori, nisi etiam à morte resurgeret, sicq; mortis imperium aboleret, quæ propter peccatum nobis dominabatur. In duobus ergo istis vniuersa nostræ salutis ratio consistit & ideo hæc passim coniungit Christus, & eadem Apostoli in omnibus suis scriptis & concionibus sedulò inculcant. Facit enim huc quòd Paulus ait, se Christum prædicauisse, qui mortuus fuerit pro peccatis nostris secundum scripturas, quiq; sepultus tertio die resurrexerit secundum scripturas. Item, quòd alibi illum dicit mortuum esse propter peccata nostra, resurrexisse autem propter iustificationem nostri. Et rursum: Hoc est verbum fidei quod prædicamus, nempe si confessus fueris ore tuo Dominum Iesum, & credideris in corde tuo, quòd Deus illum excitauit à mortuis, saluus eris. In his ergo nobis acquiescendum erit, quæ simul totius scripturæ veteris authoritate confirmantur. Nam si libros huius omnes euoluas, vnum Christum humanæ salutis authorem nobis monstrari reperies. Hunc Adamo Deus promisit, quando serpentis caput per semen mulieris conculcandum fore dixit. De eodem promissiones patriarchis datæ intelligi debent. Eundem

Ioan. 5. 1. Corinth. 15. Rom. 4. Rom. 10.

In uno Christo nobis acquiescendum. Gene. 3. Gen. 22, 26, 28.

idem typi legales adumbrant, vtpote serpens æneus, manna, petra in deserto, agnus pascalis totusq; cultus Leuiticus, sicuti ipse Christus & Apostoli testantur. Huius item paßionem & quæ hæc secuta est gloriam prophetæ scrutati sunt: Illo autem iam ex Maria virgine incarnato, angeli eum saluatorem esse prædicant, eidem testimonium fert Ioannes, & Deus pater cœlitus testatur, hunc filium suum esse, in quo sibi complacuerit. Ipse verò in cruce iam moriens, dicebat, Consummatum est: eo dicto docens in ipso compleri quæcunque ad nostræ redemptionis negotium faciebant. Consentiunt his Apostoli, qui omnes vnanimi consensu coram Hierosolymitano senatu dixère: Non est in alio quoquam salus: Non est enim aliud nomen sub cœlo hominibus datum in quo saluari poßint: & Paulus cùm in tertium cœlum raptus ineffabilia vidisset regni cœlorum mysteria, tamen se nihil præter Christum Iesum scire fatebatur, & idē anathema pronunciat tam homines quàm angelos, qui aliud Euangelium, id est, aliam salutis rationem prædicare ausi fuerint. Patet ergo ex his, quæ fides antiquissima & orthodoxa sit, de qua hodie paßim contenditur: Vna nimirum hæc, quæ omnem salutis spem in vno Christo collocat, hunc vnum nostrum pro delictis omnibus sacrificium, vnicum mediatorem & aduocatum, & vnicam viam agnoscit, qua ad patrem venitur. Quicquid ergo præter Christum traditur, hoc omne nouum, fictitium & falsum est. Nec est, quòd huius fidei prædicatione homines securos reddi & bona opera abrogari quisquam metuat. Quicunque enim solius Christi morte peccata expiari potuisse intelligunt, ij simul quanta sit illorum atrocitas vident, illa abominantur, & iuxta Christi exemplum ipsi quoq; peccatis moriuntur indies, carnem suam cum suis cupiditatibus crucifigunt, & cum Christo resuscitati in vitæ nouitate ambulant. Minimè ergo Epicuri de grege porcis hæc doctrina patrocinatur, qui fidei profeßionem peccandi licentia polluunt.

Ioan. 3. 6.
1. Cor. 10. 3. &c.
1. Pet. 1.
Ioan. 19.
2. Cor. 12.
1. Cor. 2.
Galat. 1.
Fides orthodoxa & antiquißima.
Rom. 6.
Galat. 5.

Porrò, vt dicendi finem faciamus, obseruandum est, vt ista acceperint discipuli. Meminit huius Lucas, & bis terq; inculcat, quòd nihil horum intellexerint. Ignorantiæ huius causa alia allegari nequit, quàm quòd falsa opinione de regno Christi terreno præoccupati, ea capere nequeunt, quæ illi aduersabantur. Vbi patet, quanta sit nostræ carnis cæcitas. Cùm enim homo animalis per se non percipiat ea, quæ sunt spiritus dei: incurabilis planè & plusquàm belluinus stupor oboritur, si insuper falsæ imaginationes hominis mentem occupent. Quid enim simplicius, apertius & magis perspicue dici poterat, quàm quod in præsenti Christus dixit? Sed nequicquam hæc illis dicit, qui regnum terrenum somniabant. Ne miremur ergo, quòd hodie ex Euangelij prædicatione pauci proficiunt, quando non vnus affectus hominum ferè omnium mentes fascinat. Sūt enim quos veteris superstitionis persuasio captos tenet. Sunt qui opum & dominandi spe excæcantur. Alios peccandi licentia transuersos abripit. Multi odio et nefaria æmulatione inflammati, agnitam Veritatem auersantur. Sinamus autem nos eos, quibus sordere & perire libet. Ipsi verò eam salutis viam ingrediamur, quam scripturæ nobis monstrant: nec terreamur cruce & afflictionibus quas suæ crucis merito consecrauit Christus Iesus, vt in illum credentibus ad salutem cooperentur. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Discipulorum ignorantia.
1. Corinth. 2.

HOMILIA LXXXVIII.

Et accedunt ad eum Iacobus & Ioannes filij Zebedæi, dicētes: Præceptor, uolumus ut quicquid petierimus, facias nobis. Ipse uerò dixit eis: Quid me uultis facere uobis? Illi autem dixerunt ei: Da nobis, ut unus à dextra tua, & alter à sinistra tua sedeamus in gloria tua. Iesus autem dixit eis: Nescitis quid petatis. Potestis ne bibere poculum, quod ego bibo: & baptismo, quo ego baptizor, baptizari? At illi dixerunt ei: Possumus. Iesus autem ait eis: Poculum quidem quod ego bibo, bibetis: & baptismate, quo ego baptizor, baptizabimini: Sed sedere à dextra mea & sinistra mea, non est meum dare, sed ijs continget quibus paratum est.

EVangelistæ non modò nostræ redemptionis mysteria & salutis rationem in Christo tradūt, verumetiam multa exempla proponunt eorum, qui Christum vel verè vel perperā amplexi sunt:

Argumentum & usus præsentis loci.

Christus discipulos consolatur.
Lucæ 18.

Sed Christum audiamus, cuius oratio ex Luca compleri debet, & duabus partibus constat. Prima scripturis iam olim prædicta esse docet, quæcunq; ipsi sint euentura, ne scilicet hæc fortuita esse, aut ipsum ab hostibus superatū putarent. Ecce ascendimus (inquit) Hierosolymam, & consummabuntur omnia quæ scripta sunt per prophetas de filio hominis. Sciebat ergo Christus quid sibi esset euenturum, nec tamen effugia quærit, sed spontè Hierosolymam contendit, ubi ipsum pati oportebat. Vnde uerò ista animi fortitudo? Nimirum ex eo, quòd ita à Deo patre decretum esse sciret, ut sua mortis merito humanum genus redimeretur. Hoc enim innuit, quando scripturas propheticas allegat, & hoc ipso argumento discipulos aduersus crucis scandalum confirmat, quo semetipsum consolabatur. Transferamus ergo ad nos præsens exemplum, & discamus, unde consolationis argumenta peti debeant in afflictionibus. Eandem enim esse fidelium Christi sortem, quæ ipsius Christi olim in terris fuit, ipsa experientia docet. At hic cogitandum est, nihil nobis fortuitum accidere, sed diuina prouidentia afflictiones nostras gubernari. Nec enim fieri potest, ut electos suos se inscio affligi patiatur, absq; cuius uoluntate ne passerculi quidem intereunt. Et de nostris afflictionibus passim in scripturis testimonia extant. Multæ sunt (inquit) tribulationes iustorum. Christus item: In mundo afflictionem habebitis, & ueniet tempus, ut quicunq; occiderit uos, putet se Deo cultum præstare. Si quis vult post me uenire, abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me. Et Paulus olim ecclesias confirmans dicebat, quòd per multas afflictiones oporteat nos ingredi in regnum Dei. Item, Omnes qui uolunt piè uiuere in Christo, persecutionem patientur. Si quid ergo aduersi incidit, id nobis insolens uideri nō debet: quin potius Christi exemplo nos ad patientiam & fidei obedientiam præparemus. Præiuit enim ille, & (ut Petrus ait) exemplum præbuit, cuius uestigia ipsi sequamur. Nec id modò, uerumetiam nobis in cœlis locum parauit, ubi cum ipso æterna gloriæ & felicitatis consortes erunt, quotquot cum illo in tentationibus perseuerarint. Hæc ergo singuli sibiipsis applicent, & mox mirificas in animis suis consolationes experientur.

Ex Dei prouidentia petendæ consolationes.
Matth. 10.
Psalm. 34.
Ioan. 16.
Matthæi 16.
Acto. 14.
2. Timoth. 3.
1. Pet. 2.
Ioan. 14.
Luc. 22.

Christus nostræ redemptionis mysteriū morte & resurrectione cōplectitur.

Altera parte, quam solam Marcus recensuit, diligenter exponit Christus, quid ipsum Hierosolymis iuxta scripturas pati oporteat, dicens: Filius hominis tradetur principibus sacerdotum & scribis, & condemnabūt eum morte, tradentq; eum gentibus. Et illudent illi, & flagellabunt eum, & inspuent in eum, & occident eum, & tertia die resurget. Faciunt hæc quoq; ad confirmandam discipulorum fidem. Habent enim euidens diuinitatis Christi argumentum, cùm illum adeò nihil latuerit eorum, quæ passurus erat. Attamen hic cumprimis consideranda uenit nostræ salutis siue redemptionis ratio, quam his summatim comprehendit. Quia enim prophetarum uel scripturæ sacræ meminit, satis patet, hæc eò referri debere quando scriptura non in alium finem nobis data est, quam ut ex ea vitæ æternæ mysteria discamus. Videamus ergo quid de se dicat Christus, quidùe illum propter nos pati & facere oportuerit. Exponit quidem hæc multis, sed duobus capitibus res tota comprehendi potest: Morte nimirum & resurrectione. Ad mortem eius pertinet quòd à Iuda proditus, quòd captus à ministris pontificijs in sacerdotum, hostium acerrimorum, manus peruenit, quòd ab illis in Concilio condemnatus, quòd ab his illusus, flagellatus, consputus, & tandem in crucem suffixus est. Oportuit enim mortem eius ignominiosissimam simul & acerbissimam esse, ut per hanc primi parentis omniumq; nostrum superbia expiaretur, qua factum fuerat, ut excusso Dei iugo peccati mancipia efficeremur. At non sufficiebat mori, nisi etiam à morte resurgeret, sicq; mortis imperium aboleret, quæ propter peccatum nobis dominabatur. In duobus ergo istis vniuersa nostræ salutis ratio consistit & ideo hæc passim coniungit Christus, & eadem Apostoli in omnibus suis scriptis & concionibus sedulò inculcant. Facit enim huc quòd Paulus ait, se Christum prædicauisse, qui mortuus fuerit pro peccatis nostris secundum scripturas, quiaq; sepultus tertio die resurrexerit secundum scripturas. Item, quòd alibi illum dicit mortuum esse propter peccata nostra, resurrexisse autem propter iustificationem nostri. Et rursum: Hoc est verbum fidei quod prædicamus, nempe si confessus fueris ore tuo Dominum Iesum, & credideris in corde tuo, quòd Deus illum excitauit à mortuis, saluus eris. In his ergo nobis acquiescendum erit, quæ simul totius scripturæ veteris authoritate confirmantur. Nam si libros huius omnes euoluas, vnum Christum humanæ salutis authorem nobis monstrari reperies. Hunc Adamo Deus promisit, quando serpentis caput per semen mulieris conculcandum fore dixit. De eodem promissiones patriarchis datæ intelligi debent.

Ioan. 5.
1. Corinth. 15.
Rom. 4.
Rom. 10.

In uno Christo nobis acquiescendum.
Gene. 3.
Gen. 22, 26, 28.

Eundem

dem typi legales adumbrant, vtpòte serpens æneus, manna, petra in deserto, agnus pascalis totusq; cultus Leuiticus, sicuti ipse Christus & Apostoli testantur. Huius item paßionem & quæ hãc secuta est gloriam prophetæ scrutati sunt: Illo autem iam ex Maria virgine incarnato, angeli eum saluatorem esse prædicant, eidem testimonium fert Ioannes, & Deus pater cœlitus testatur, hunc filium suum esse, in quo sibi complacuerit. Ipse verò in cruce iam moriens, dicebat, Consummatum est: eo dicto docens in ipso compleri quæcunque ad nostræ redemptionis negotium faciebant. Consentiunt his Apostoli, qui omnes vnanimi consensu coram Hierosolymitano senatu dixêre: Non est in alio quoquam salus: Non est enim aliud nomen sub cœlo hominibus datum in quo saluari poßint: & Paulus cùm in tertium cœlum raptus ineffabilia vidisset regni cœlorum mysteria, tamen se nihil præter Christum Iesum scire fatebatur, & idẽ anathema pronunciat tam homines quàm angelos, qui aliud Euangelium, id est, aliam salutis rationem prædicare ausi fuerint. Patet ergo ex his, quæ fides antiquißima & orthodoxa sit, de qua hodie paßim contenditur: Vna nimirum hæc, quæ omnem salutis spem in vno Christo collocat, hunc vnum nostrum pro delictis omnibus sacrificium, vnicum mediatorem & aduocatum, & vnicam viam agnoscit, qua ad patrem venitur. Quicquid ergo præter Christum traditur, hoc omne nouum, fictitium & falsum est. Nec est, quòd huius fidei prædicatione homines securos reddi & bona opera abrogari quisquam metuat. Quicunque enim solius Christi morte peccata expiari potuisse intelligunt, ij simul quanta sit illorum atrocitas vident, illa abominantur, & iuxta Christi exemplum ipsi quoq; peccatis moriuntur indies, carnem suam cum suis cupiditatibus crucifigunt, & cum Christo resuscitati in vitæ nouitate ambulant. Minimè ergo Epicuri de grege porcis hæc doctrina patrocinatur, qui fidei profeßionem peccandi licentia polluunt.

Ioan. 3. 6. 1. Cor. 10. 3. &c. 1. Pet. 1. Ioan. 19. 2. Cor. 12. 1. Cor. 2. Galat. 1. Fides orthodoxa & antiquißima. Rom. 6. Galat. 5.

Porrò, vt dicendi finem faciamus, obseruandum est, vt ista acceperint discipuli. Meminit huius Lucas, & bis terq; inculcat, quòd nihil horum intellexerint. Ignorantiæ huius causa alia allegari nequit, quàm quòd falsa opinione de regno Christi terreno præoccupati, ea capere nequeunt, quæ illi aduersabantur. Vbi patet, quanta sit nostræ carnis cæcitas. Cùm enim homo animalis per se non percipiat ea, quæ sunt spiritus dei: incurabilis planè & plusquàm belluinus stupor oboritur, si insuper falsæ imaginationes hominis mentem occupent. Quid enim simplicius, apertius & magis perspicue dici poterat, quàm quod in præsenti Christus dixit? Sed nequicquam hæc illis dicit, qui regnum terrenum somniabant. Ne miremur ergo, quòd hodie ex Euangelij prædicatione pauci proficiunt, quando non vnus affectus hominum ferè omnium mentes fascinat. Sũt enim quos veteris superstitionis persuasio captos tenet. Sunt qui opum & dominandi spe excæcantur. Alios peccandi licentia transuersos abripit. Multi odio et nefaria æmulatione inflammati, agnitam Veritatem auersantur. Sinamus autem nos eos, quibus sordere & perire libet. Ipsi verò eam salutis viam ingrediamur, quam scripturæ nobis monstrant: nec terreamur cruce & afflictionibus quas suæ crucis merito consecrauit Christus Iesus, vt in illum credentibus ad salutem cooperentur. Ipsi debetur benedicto, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Discipulorum ignorantia. 1. Corinth. 2.

HOMILIA LXXXVIII.

Et accedunt ad eum Iacobus & Ioannes filij Zebedæi, dicẽtes: Præceptor, uolumus ut quicquid petierimus, facias nobis. Ipse uerò dixit eis: Quid me uultis facere uobis? Illi autem dixerunt ei: Da nobis, ut unus à dextra tua, & alter à sinistra tua sedeamus in gloria tua. Iesus autem dixit eis: Nescitis quid petatis. Potestis ne bibere poculum, quod ego bibo: & baptismo, quo ego baptizor, baptizari? At illi dixerunt ei: Possumus. Iesus autem ait eis: Poculum quidem quod ego bibo, bibetis: & baptismate, quo ego baptizor, baptizabimini: Sed sedere à dextra mea & sinistra mea, non est meum dare, sed ijs continget quibus paratum est.

EVangelistæ non modò nostræ redemptionis mysteria & salutis rationem in Christo tradũt, verumetiam multa exempla proponunt eorum, qui Christum vel verè vel perperã amplexi sunt:

Argumentum & usus præsentis loci.

vt ex ijs discamus, quid nos vel facere vel vitare conueniat. Facit huc imprimis præsens historia, quæ primùm duorum discipulorum exemplo docet, quid caro in Christi regno potissimùm quærat: deinde ipsius Christi verbis nos admonet, quæ nam fidelium conditio sit in hoc mundo, & quæ præcipua sint fidei & vitæ Christianæ officia. Diligenter ergo per singulas partes inspicienda erit.

Zebedidæ in Christi regno primatum ambiunt.

Matth. 4.

Marc. 4.

Principiò discipuli producuntur, qui in Christi regno primatum ambiuerunt. Fuerunt hi Ioannes & Iacobus filij Zebedæi, Iesu Christi iuxta illius humanam naturam cognati, quos initiò statim suæ manifestationis ille vocauit, & sibi familiarissimos habuit, & ob singularem prædicationis ipsorum authoritatem tonitrui filios dixit. Hi cùm Christum Dominum de sua morte & resurrectione differentem audiuissent, iam tempus regni ipsius (quod terrenum & externum somniabant, vt iam sæpe dictum est) instare arbitrabantur, & quia ob cognationem aliquam in hoc prærogatiuam sibi deberi putabant, de hac consequenda soliciti esse cœperunt. Et quidem mira industria causam suam agunt, vt illam ipsis cordi fuisse satis pateat. Primò enim (quod Matthæus annotauit) matrem subornant, vt huius intercessione, quod volunt, impetrent. Deinde Christum sibi promissione facta obstringere conantur, priusquam petitionem suam exponant. Volumus (inquiunt) vt quicquid petierimus, facias nobis. Illo autem interrogante quid velint, aiunt: Da nobis, vt vnus nostrûm à dextera tua, alter à sinistra tua sedeamus in gloria tua. Iis verò verbis non aliud quàm primatum inter discipulos sibi tribui petunt: vt nimirum Christo proximi assideant, illi sint à consilijs, vtq; ipsorum potissimùm nutu & authoritate regnum illius totum administretur.

Matth. 20.

Carnis uanitas in electis quoq; elucet.

Habent hæc exemplum humanæ vanitatis, imò peruersitatis, quæ in pijs quoque & veræ fidei zelo præditis sese frequenter exerit. Fide enim hos donatos fuisse, ex eo patet, quòd hucusque Christum secuti sunt, quòd regnum in hoc sperant, etsi nullum adhuc regni aut gloriæ specimen viderint. Nihilominus tamen ambitione superati, petionem absurdam simul & iniquam, vt postea patebit, proponunt: imò ad eundem lapidem offendunt, de quo non semel illos Christus admonuerat. Causa tanti mali est, quòd de Christi regno non verè iudicant, sed illud terrenum & temporarium imaginantur. Hæc ipsa causa multis imponit hodie, quòd nimirum in Christo longè alia quærunt, quàm Euangelium nobis in illo polliceatur. Eo enim prætextu multi opibus ecclesiarum insidias struunt, multi ad honores & dignitates aspirant, multi immunitatem à censibus, decimis, vectigalibus & alijs eius generis oneribus politicis quærunt, plerique verò peccandi impunitatem & carnis licentiam venantur. Hinc est quòd multa ineptè & absurde, multa iniustè & non sine graui aliorum scandalo fiunt. Sedulò igitur orandus est Deus, vt mentis oculos non modò semel fide vera illuminet, verumetiam illuminatos dirigat, ne quid in Christo quæramus quàm ea, quorum nomine is in mũdum venit, vtq; omissis terrenis studijs ad cœlestia bona aspiremus.

Christus Zebedidarum petitionem reijcit.

Porrò Christum audiamus, qui istorum petitionem reijcit, sed non sine grauissimis rationibus, quas ita proponit, vt omnium nostrûm institutioni seruiant. Primam ex ipsa petitione sumit, eò quòd absurda & inutilia & discipulis suis indigna postulent. Dicit enim: Nescitis quid petatis. Quasi dicat, Qui se indigna & inutilia petunt, nec ipsi certam habent suorum votorum rationem, nequaquam merentur exaudiri. Atqui talis est vestra petitio, vt si illam probè intelligeretis, nunquam eam ausi essetis proponere. Vobis ergo illam concedere nec possum nec debeo. Putabant quidem se rem præclaram, vtilem & se dignam postulare: sed multiplex ignorantia & error suberat. Primò enim conditionem regni Christi ignorabant, cùm illud humano sensu metiretur. Deinde suum officium nondum intelligebant, quòd nimirum non ad imperium, sed ministerium essent vocati. Plus ergo petebant, quàm ipsorum conditio pateretur. Adhæc inutile, imò noxium fuisset hominibus ambitiosis superbiendi occasionem præbere. Præterea intolerabilis superbia fuit, qua dementati fuêre, vt admonitionum Christi immemores, supra alios discipulos omnes euehi vellent. Optimo igitur iure illos Christus ignorantiæ accusat, & ipsorum petitionem reijcit.

Cur Deus precibus nostris non annuat semper.

Porrò admonemur isto exemplo, qui fiat, quòd precibus nostris Deus non semper annuit. Nimirum quòd plerumq; inscitia & carnis affectu abrepti vel inepta & indigna petimus, vel iniusta & quæ cum Dei honore pugnant, vel etiam noxia. Tales sunt, qui corporis formam venustiorem, vel opum abundantiam, vel honores, vel valetudinem bonam absolutè petunt, quibus illos abusuros esse Deus nouit. Quibus turpius errant, qui vindictam Dei contra hostes implorant, adeoq; Deum iræ & odij sui

sui ministrum fieri volunt. Istos omnes Deus exaudire nequit, quia sapiens, bonus, nostri amans & iustus est. Quotquot ergo votis suis potiri volunt, eam precandi regulam sequantur, quam in oratione Dominica nobis Christus præscripsit, & preces suas per fidei obedientiam voluntati diuinæ subijciant, nec illi quicquam temerè præscribant: & mox sentient ratas esse promissiones, quas de precibus nostris exaudiendis passim in scripturis Deus proponit. Matth. 6.

Secundam rationem à communi omnium in se credentium conditione Christus petit, quos per crucem & afflictiones exerceri oporteat, priusquàm regni cœlestis coronam assequantur. Vt verò simul duorum istorum confidentiam arguat, interrogatione vtitur, dicens: Potestis ne bibere poculum quod ego bibo: & baptismo, quo ego baptizor, baptizari? Poculi verò nomine, iuxta vsitatum scripturæ morem, afflictiones intelligit: & easdem baptismi quoq; metaphora denotat, vt ostendat, ipsos de cruce ferenda potius debere cogitare, cùm in baptismo in militiam Christianam nomen dederint, quæ in carnis mortificatione, patientia item in cruce & afflictionibus maxima ex parte consistit. Sensus ergo est: Qui ad ad certamina & crucem vocati sunt, de triumphis & otio quærere non debent, donec victores euaserint. Nec enim coronatur qui certat, nisi legitimè certauerit. At vos ad certamen vocatos esse scitis haud dubiè, cùm non ita pridem omnibus vobis dixerim: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me. Quæ ergo hæc vestra est importunitas, vt de præmio iam quæratis, priusquàm in arenam descendistis, imò priusquàm vires vestras explorauistis, an huic vestræ vocationi sufficiant? Dicitis quidem, vos posse meum poculum bibere, sed longè aliud res ipsa testabitur, quando me capto & vincto diffugietis: bibetis tamen suo tempore, sed nec id vobis regni mei consortium merebitur, cuius assequendi ratio aliunde, quàm ex hominum dignitate & meritis dependet. Hæc verborum Christi sententia est, meo iudicio, simplicissima. In qua diligenti obseruatione dignum est, electos & fideles, quoad præsens seculum, ad crucem vocari. Docet hoc passim scriptura, sicuti nuper diximus, nec aliud nos sperare sinit cùm mundi peruersitas, tum nostræ carnis ingenium, cuius ferociam afflictionibus quotidianis coerceri ac frangi oportet. At hîc nos animare debet, quòd afflictiones nostras Dei prouidentia gubernari scimus, qui illas ceu calice quodam aut poculo, id est, mensura iusta & æqua, pro virium nostrarum ratione distribuit: vt vbi afflictiones abundant, ibi etiam abundent consolationes. Deinde Christi consortes sumus, quando affligimur, & idem cum illo poculum bibimus, & eodem cum illo baptismate baptizamur. Cum eodem ergo (vt Paulus ait) viuemus & regnabimus. In horum meditatione nos hodie versari oportebat, quando crux & pericula vndiq; imminent. At pleriq; Zebedidas hosce imitati, nihil quàm otium quærunt, & triumphos parant priusquàm certauerint. Turpior tamen & grauior illorum culpa est, qui cùm se Christianos profiteantur, totos sese impuris voluptatibus consecrant, nec Christi poculum bibunt, sed Bacchanalia perpetua agentes potandi certamina sustinent, nec alia in re viri fortes sunt, quàm quòd vinum immodicè & intemperanter hauriunt. Atqui vel sola poculi vox illos conditionis suæ & officij admonere debebat. Sed regnat pestis hæc, sicuti regnaturam nouissimo seculo Christus prædixit. Non tamen ideò excusantur isti, quando idem Christus nos grauiter monuit, ne corda nostra ebrietate & crapula aggrauari patiamur, & exemplis quotidianis nos excitat, quæ in illos edit, qui admonitionum immemores, turpissimis hisce studijs sese perdunt.

Electos cruce oportet exerceri priusquàm glorificentur. Isaiæ 51. Iere. 25. 49. 51. Thren 4. Ezech. 23. 2. Timoth. 2. Matth. 16. Marc. 8. Acto. 12. Apoc. 1. 2. Corinth. 1. Psal. 94. 2. Timoth. 2. Isaiæ 5. Matth. 24. Lucæ 21.

Sed ad Christi verba redeamus, qui tertiam adhuc rationem infert, à sua persona simul & regni cœlestis conditione petitam. Cùm enim illos poculum suum bibituros dixisset, mox addit: Sed sedere à dextra mea & sinistra mea, non est meum dare, sed ijs continget, quibus paratum est. Quibus verbis nihil suæ diuinitati derogat, nec etiam negat potestatem sibi à patre traditam in cœlo & in terra, sed primò ad suæ dispensationis mysterium respicit, iuxta quod eos, qui ab æterno electi fuerunt, sua mortis merito redimere, non autem nouam cœlestis gloriæ distributionem instituere debuit, nec etiam reuelare qui nam alijs excellentiores futuri sint. Quales enim futuri simus, iam non constat, scimus autem quando Christus in gloria sua apparuerit. Deinde discipulorum errorem arguit, qui prærogatiuam istam sibi cùm propter cognationem, quæ illis cum ipso intercedebat, tum propter operum suorum merita deberi arbitrabantur. Ostendit enim non esse aliquem personarum respectum apud Deum, nec quicquam hîc vel generi vel dignitati humanæ tribui, sed omnem cœlestis regni hæreditatem à gratuita & libera Dei electione & prædestinatione pendere. Docet hoc ipsum alibi,

Christi officiũ. Matth. 28. 1. Ioan. 3.

Regni cœlorũ hæreditas à Dei gratia dependet. Ioan. 6. Colos. 3. Galat. 3. Rom. 8. Acto. 13. Rom. 11. Rom. 8. 2. Pet. 1. Ephes. 1.

cùm ait: Nemo venit ad me, nisi pater meus traxerit eum. Et Paulus in huius articuli explicatione frequens est admodum, nec semel modò inculcat, in Christo Iesu non esse Iudæum vel Græcum, Scytham vel barbarum, seruum uel liberum, marem vel fœminam. Et ad Romanos redemptionis nostræ & salutis gradus ab electione Dei deducens ait: Quos præsciuerat, eosdem & præfiniuit: quos prædefinierat, eosdem & vocauit, & quos vocauit, eos & iustificauit: quos autem iustificauit, hos & glorificauit. Quò etiam facit, quòd in Actis credidisse dicuntur, quotquot erant prædestinati ad vitam æternam. Sunt hæc diligenter obseruanda. Vt enim superbam nostri meriti fiduciam euertunt, & Dei gratiam firmißime asserunt: Ita de salutis nostræ certitudine testantur, & proinde consolationem in tentationibus afferunt haud vulgarem. Quia enim Dei dona & vocatio eiusmodi sunt, vt illum horum pœnitere non poßit, de salute sua dubitare non possunt, quicunque per fidem Christo insiti, diuinæ electionis & vocationis indicia in semetipsis deprehendunt. Idem ergo cum Apostolo clamant: Si Deus nobiscum, quis contra nos? Quis nos separabit à dilectione Dei? Præterea institutioni hoc ipsum seruit, vt nimirum Deo grati simus, & vt Petrus monet, electionem & vocationem nostram firmam faciamus, id est, reipsa testemur, nos verè electos & vocatos esse, adeoq; nosipsos in vocatione nostra confirmemus, dum sanctè & innocenter viuimus. Semper ergo horum memores, nihil nostræ vel dignitati vel iustitiæ tribuamus, nec etiam huius seculi honores ambitiose sectemur, sed salutis spem omnem in sola Dei gratia repositam habeamus, qui nos priusquàm mundi fundamenta iacerentur, elegit in Iesu Christo, cuius merito deinceps peccatorum culpa liberati & regni cœlestis hæredes facti sumus. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA LXXXIX.

Et cùm audissent hæc alij decem, cœperunt indignari de Iacobo & Ioanne. Iesus autem cùm aduocasset eos, dicit eis: Scitis quòd quibus placet imperare gentibus dominantur in eas: & qui magni sunt inter eas, licentia in eas utuntur. Verùm non ita erit inter uos: sed quicunq; uoluerit fieri magnus inter uos, sit minister uester. Et quicunq; uoluerit ex uobis fieri primus, sit omnium seruus. Nam & Filius hominis nõ uenit ut sibi ministraretur, sed ut ministraret, & daret animam suam redemptionis pretium pro multis.

Argumentum & usus præsentis loci.

VT homo, cùm è terra originem ducat, terrenis studijs delectatur, & in his omnem felicitatem consistere putat: Ita religionem quoque huius seculi prosperitate metitur, & sub huius prætextu opes, honores, imperium aut voluptates quærit. Exempla eius rei non modò in prophanis hominibus, verumetiam in electis Christi discipulis scriptura proponit, vt horum consyderatione excitati vigilemus, nec vnquam eorum obliuiscamur, quibus Christus istorum ambitionem represßit. Facit huc cumprimis præsens tractatio, cuius occasionem dederunt duo Zebedæi filij, qui propter cognationis ius sibi in Christi regno primatum deberi putarunt. At licet hos Christus seriò corripuerit, nunc tamen ad eundem lapidem reliqui decem offendunt, vt ipsi quoque reprehendi mereantur. Seruit autem communi omnium nostrûm institutioni locus hic, quia humilitatis studium commendat, & simul ecclesiasticæ gubernationis rationem continet, quæ palàm eos arguit, qui hodie Apostolorum nomine ad suum primatum in ecclesia stabiliendum abutuntur.

Discipuli Zebedidis indignantur.

Principio de discipulis reliquis agitur, qui omnes simul indignati sunt, quòd Zebedidas istos tanto astu & studio in hoc versari viderent, vt primum in Christi regno locum possent occupare. Indignantur autem, non quòd ambitio hæc illis displiceat, sed quòd ipsi eodem ambitionis æstro exagitati, ferre non possunt, ab æqualibus sibi præripi, quòd singuli sibijpsis deberi arbitrabantur. Vt enim ambitiosi neminem prorsus suæ dignitatis cõsortem admittere possunt: ita hoc demum illis indignum simul & intolerabile videtur, si ab ijs superentur, qui ipsis prius æquales & socij fuerunt. Ideo indignatio

quatio hæc discipulorum cum inuidia & odio coniuncta in apertum dissidium erupit: sicuti ex Christi responsione patet, qua illos ad humilitatem & mutua obsequia hortatur.

Obseruabimus autem in horum exemplo infelicem humani ingenij corruptionem, quæ vix vllis admonitionibus satis corrigi vel coerceri potest. Corripuit modò duorum discipulorum ambitionem Christus, & grauissimis rationibus euicit, petitionem ipsorum inhonestam, iniquam & à regni sui conditione alienissimam esse: simulq; docuit, crucem potius quàm huius mundi gloriam ijs paratam esse, qui in discipulorum suorum numero censeri, & in ipso piè viuere cupiant. Et quis obsecro sperasset, aliquem fore posthac, qui de regno vel cogitare, nedum illud palàm ambire auderet, quando Christi consanguinei repulsam adeò pudendam passi erant? Sed ecce, non vnus modò & alter, sed reliqui decem simul omnes se eodem morbo laborare testantur, & latentem in animis suis ambitionem, inuidiam item & odium, manifestis rixis & dissidijs produnt. Fit idem passim, & sicut in agro sentibus & spinis obsito, vix vlla agricolæ industria effici potest, vt non repullulent quæ probè excisa videbantur: Ita inter homines, qui natura corrupti sunt, eadem & similia vitia subinde denuo emergunt. Imò quæ in alijs corripiuntur, ferè in nobisipsis non obseruamus, quæ causa est, quòd correptiones eiusmodi nihil putamus ad nos pertinere. Non temerè ergo Deus in verbi sui ministris tantum studium & ardorem requirit: nec sufficit vitia in genere accusauisse, nisi doctrina singulis applicetur. Quod qui indignum factu & intolerabile esse putant, næ illi seipsos nondum satis nouerunt. Si enim sui ingenij corruptionem rectè perspectam haberent, nunquam hoc sufferre detractarent, quo dilectos Christi Apostolos videmus opus habuisse, &c.

Humani ingenij corruptio.

Deinde patet hîc etiam, quanta sit ambitionis pestis. Erant Apostoli æquales, & in eodem officij gradu constituti, omnia communia habebant. Charitatem ijsdem Christus quotidie commendabat, quam sibi necessariò colendam esse, non poterant ignorare, cùm vndiq; hostes infestissimi ipsis imminerent. Accedebat his Christi exemplum, qui totus nihil quàm charitatem & modestiam spirabat. Attamen quia ambitioni locum dedere, mox communis officij simul & periculi, adhæc institutionis quotidianæ obliti, sibi mutuò inuident, odiunt, rixantur. Exempla similia passim occurrunt. Imò hinc omnibus seculis turbæ enatæ sunt, quæ respublicas & ecclesias horribiliter attriuerunt. Annon ambitione exagitatus Cain, Abelum occidit, quem se fortunatiorem esse videbat? Annon ambitio fratres aduersus Iosephum armauit? Annon Coræ ambitione Israelitæ in deserto aduersum se mutuò commissi sunt? Quid Saulum Dauidi infensum fecit, nisi ambitiosa regnandi cupiditas? Vnde apud Romanos ciuilia bella exorta sunt? Ex eorum nimirum ambitione, qui nec pares sibi, nec se maiores ferre poterant. Et hodie insatiabili regum superbia orbem totum bellis turbari cernimus. Sed & in ecclesia episcoporum de primatu contendentium ambitio, Antichristi tyrannidem maxima ex parte stabiliuit. Discant igitur huic malo resistere, quotquot respublicas & ecclesias saluas & incolumes esse volunt.

Ambitionis pestis quanta.

Matth. 11.

Gen. 4. & 37.
Num. 16.
1. Sam. 18.

Porrò ad Christi responsionem transeamus, qui ad se vocatis discipulis, litem hanc amicè componit, & diligentem institutionem ijs adhibet, quos ignorantia potissimùm peccare sciebat. Cùm verò suam authoritatem tam citò interponit, satis docet, se nihil minus quàm suorum dissidia ferre posse. Et illius exemplum imitari debent in cõponendis dissidijs, quicunq; aliqua authoritate sunt prædíti. Ipsius enim vox est: Beati pacifici, quoniã filij Dei vocabuntur. Responsionis autem partes sunt tres.

Christus Apostolorum lites componit.

Matth. 5.

Primò, quia regnum terrenum somniando aduersus se inuicem amarulentius efferebantur, ostendit longè aliam esse regni sui conditionem, sicq; inter magistratus huius seculi & ipsorum munus publicum distinguit. Scitis (inquit) quòd quibus placet imperare gentibus, dominantur in eas: & qui magni sunt inter eas, licentia in eas vtuntur. Quibus verbis eos perstringit, qui potestate sibi concessa pro suo arbitrio abutuntur, quasi in hoc demum ipsorum gloria & laus consistat, si subditis, perinde ac belluis imperitent. A quorum moribus non procul aberant discipuli, cùm in eos singuli cuperent dominari, quos pro fratribus & symmystis agnoscere debebant. Argumentum igitur tale est: Quicunque mei discipuli & mei regni administratores esse volunt, ij nequaquam reges gentium, à Dei cognitione alienos, imitari debent, qui nulla subditorum & salutis publicæ ratione habita, ambitiosa licentia insolenter efferuntur. At vos mei regni administratores constitui. Ergo tales vos esse nequaquam conuenit, &c.

1. Distinguit inter ministros et magistratus.

Christus non abolet magistratus. Hîc verò diligenter obseruari debet, Christum hoc loco legitimos magistratus minimè abolere, vt quidam calumniantur: sed partim (vt modò diximus) ambitionem & insolentiam tyrannorum perstringere, partim inter magistratũ politicum & functionem ecclesiasticam distinguere. Cùm enim non venerit ad abrogandum legem, vtiq; nec ea abrogat, sine quibus legis disciplina consistere nequit. Inter quæ magistratus primo ferè loco censeri debet, quem in lege ordinaria potestate armauit, & ecclesiæ suæ nutritium fore promisit. Sed & Paulus magistratus à Deo institutos esse, & Dei ministros agere testatur. Et cùm ipse Christus, deinde Apostoli quoque nonnullos, qui magistratum gerebant, ad fidem adduxerint, nulli tamen illorum vnquam mandarunt, vt suæ functioni, ceu illicitæ & prophanæ, renunciaret. Attamen meminerint tales, à Christo ambitionẽ & tyrannidem taxari, & proinde cogitent, iudicium omne ipsius Dei esse, à quo ipsi potestate donati & iudiciorum ipsius executores constituti sint: qui & ipse iudicijs & consessibus illorum (vt Psaltes monet) interest, & olim rationem factorum omnium exiget. Meminerint item, se ad publicæ salutis defensionem & conseruationem institutos esse, vt ius dicant populo in iustitia, & afflictos in populo vindicent, seruent pauperes & violentos coerceant. Vide plura in Psalmo 72. quæ si obseruarint magistratus, nunquam aberrabunt, & tam suæ quàm publicæ saluti probè consulent.

Matth. 5. Isaiæ 49. Rom. 13.

Deut. 1. 2. Para. 19. Psal. 82.

2. Conditionis suæ & officij admonet discipulos. Secundò, quæ discipulorum conditio futura sit docet, & eosdem officij sui admonet. Quicunq; voluerit inter vos magnus fieri, sit minister vester: & qui voluerit ex vobis fieri primus, sit omnium seruus. Quæ verba non ita accipi debent, quasi ideò seruos fieri iubeat, vt eo prætextu magni fiant: sed vt multis inseruiendo se præstantiores alijs esse probent. Sensus enim est: Quò quis plura & maiora dona accepit, eò plus se reliquis debere intelligat. Nec enim sua dona Deus hominibus largitur, vt ea sibi solis vsurpent, sed vt in commune conferant: & quòd de opibus dispensandis alibi dicitur, hoc ipsum ad omnia alia dona, tam spiritualia quàm temporalia transferri debet. At hîc tenere oportet, de quo nam seruitij genere Dominus loquatur. Nec enim vult, vt seruiliter cuiuis hominum sese subijciant, & omnium dictis aut factis turpiter applaudant: sed de ecclesiastico ministerio loquitur, cuius hîc illis finis propositus esse debet, vt docendo, monendo, hortando, increpando, promittendo item & consolando quàm plurimos Deo lucrifaciant: adeoq; ceu publici speculatores pro cõmuni omnium salute excubent, quæ ratio est, quòd olim Episcopi dicti sint, qui ecclesijs præsunt. Ita prophetæ & Apostoli omnibus seruierunt, & (vt Paulus ait) omnibus facti sunt omnia, qui tamen interdum regibus & Imperatoribus sese fortiter opposuerunt. At hodie Pontifices, cùm Apostolorum successione glorientur, tam conditionis suæ, quàm admonitionis huius obliti, docendo quidem nemini seruiunt, omnes verò homines in suo seruitio occupatos esse volunt, inq; omniũ fortunas & corpora & animas sibi imperium vendicant, simulq; regibus & Imperatoribus sese opponunt, vt terrenum regnum stabiliant, & pro sua libidine dominentur.

Luc. 16. 2. Cor. 8. &c.

3. Suum exemplum imitandum proponit. Tertiò, quia carni graue & iniquum videtur, alijs seruire, quando se donis maioribus instructã esse videt, suo exemplo illos Christus vrget. Quasi dicat, Non debet hoc vobis graue videri, quando me hoc ipsum facere cernitis. Ego enim qui Dei filius sum, hominis quoq; filius sum factus, & in mundum veni, non vt principum more famulorum turbam meis seruitijs occupatam haberem, sed vt ego alijs ministrarem: nec modò vulgaria præstarem officia, sed animam quoq; darem in pretium redemptionis pro multis, id est, pro omnibus quos pater cœlestis ab æterno elegit vt meæ mortis merito redimantur. Ad horum confirmationẽ faciunt, quæcunq; Euangelistæ de humili & seruili Christi Iesu in terris conuersationis tradunt, quam ita instituit, vt neminem ad se venientem sit aspernatus, nemini consilium vel auxilium suum negarit: imò ipse quæsierit eos, quibus docendo & benefaciendo inseruiret, & adeò nullum detrectauit officium, vt sanguinem quoq; pro nobis fundere, & infamem in cruce mortem subire voluerit, vt miseros nos ex peccati seruitute in libertatem filiorum Dei assereret. Seruiunt ista institutioni quoad præsentem causam. Nam si Christi discipuli sumus, illum nos imitari conuenit. Quòd si verò quis ille sit consyderes, quid item fecerit, & pro quibus serui formam suscipere & mori voluerit: mox ambitiosis & superbis omnis prætextus adimetur, quem illi vel à sua dignitate, vel aliorum indignitate, aut etiam difficultate earum rerum petere solent, quæ ab ipsis requiruntur. Finis autem idem, qui Christo, nobis propositus sit: vt nimirum multorum redemptioni studeamus. Etsi enim redemptio animarum ad salutem æternam ad vnum au-

thorem Christum referri debeat: singulorum tamen est, pro suorũ donorum facultate ijs redimendis studere, quos vel paupertas, vel inscitia, vel conscientiæ tentationes, vel morbi, vel exilium, vel alia eius generis aduersa captiuos detinent. Ea enim vera laus est, quæ Christo quàm simillimos reddit, à cuius ingenio & moribus alienissimi sunt, qui ex eo gloriam venantur, si plurimos imperio suo premant, neminem verò sua ope & auxilio subleuent. Deinde ad salutis nostræ certitudinem asserendam plurimùm facit, quòd Dei filius animam suam, pretium nostræ redemptionis, pro nobis tradidit. Quis enim hunc passurum arbitretur, vt eos perire sinat, quos tanto pretio acquisiuit? Simul verò arguuntur, qui nouas satisfactiones fingunt. Quid enim nos tanto pretio redimi opus erat, si hoc ipsum nostra merita, nostræ preculæ, nostra ieiunia, peregrinationes, cucullæ, Missæ, bullæ & quæcunq; alia sunt huius farinæ, præstare poterant? Nostrum fuerit, in vnius Christi merito acquiescere, & illius exemplum imitari. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA XC.

Et ueniunt Hiericho, eoq; egrediente ab Hiericho unà cum discipulis suis & turba multa, filius Timæi, Bartimæus, sedebat iuxta uiã mendicans: Et cùm audisset, quòd esset hic Iesus Nazarenus, cœpit clamare & dicere: Fili Dauid Iesu, miserere mei. Et obiurgabant eum multi ut sileret: ille uerò multò magis clamabat: Fili Dauid, miserere mei. Et Iesus cùm restitisset iussit eum uocari. Vocãt igitur cæcum, dicentes ei: Cõfide, surge, uocat te. Ipse uerò abiecto pallio suo cùm surrexisset, uenit ad Iesum. Et respondens dicit ei Iesus: Quid uis faciam tibi? At cæcus ait illi: Rabboni, ut uisum recipiam. Iesus autem dixit ei: Abi, fides tua te seruauit. Et statim recepit uisum, & sequebatur Iesum in uia.

Diu quidem multumq; Dominus noster Iesus Christus suos discipulos in humanæ redemptionis & regni sui mysterijs instituit: adeò tamen nihil aut parum profecit, vt illum ne intellexerint quidem (vt nuper dictum est) & cæca carnis ambitione elati, regnum carnale & terrenum subinde affectarint. Proponuntur ista in eum finem, vt nostram corruptionem, & quæ ex primi parentis lapsu nobis inhæret, cæcitatem agnoscamus, deq; eius remedio & curatione sedulò cogitemus, quam præsentis miraculi historia nobis monstrat. Docet enim Christum Iesum esse lucem mundi, quæ omnem hominẽ illuminat, simulq; eos officij admonet, qui vera ista & salutari luce illuminari cupiunt. Quare singulæ eius partes diligentissimam consyderationem merentur. *Argumentum & usus præsentis historiæ.* *Ioan. 8.*

Primò ille producitur, in cuius persona miraculum est factum: Cæcus is fuit, quæ non postrema miseria est. Accedit egestas, quæ tanta fuit, vt stipem poscere, & mendicando victum quærere cogeretur. At quoties in Euangelio mendicorum mentio fit, simul Iudaicæ gentis corruptio perstringitur. Scimus enim Deũ olim in lege sua prohibuisse, ne mendici essent in Israel. Nolebat enim vt quos ipse sibi peculium fecerat, fratres & cognatos suos hinc inde vagari & publica egestatis exemplo fieri paterentur. Vt enim illud charitatis legibus repugnat, ita in fidei & religionis contumeliam cedit, & disciplinæ cùm ecclesiasticæ tum politicæ officit, quando mendici ferè errones facti, paulatim omni pudore absterso, in omnem licentiam ruunt. Rationem ergo ostenderat Deus, qua publicè simul & priuatim fratribus egenis subuenirent, ne qua ex mendicitate confusio oriretur. At postquàm sacerdotum auaritia religionem quæstum fecit, & ijdem in Dei populo dominium occuparunt, mox opes etiam ecclesiæ inuadere, sibiq; vendicare cœperunt: quæ causa fuit, vt contra Domini præceptum mendici passim reperirentur. Correxit vitium hoc primitiua ecclesia, quæ etsi in templi opes à sacerdotibus iam ante occupatas, nihil iuris habere posset, ita tamen ex Apostolorum consilio res suas instituit, vt ex pecunijs sponte collatis egentium necessitati subueniretur, nec quisquàm esset, quem egestas ab alienis victum emendicare cogeret. Erant hæc obseruanda hodie, quando multi cum Iudæis ad eundem lapidẽ impingunt. Sed cogitent, quàm horribiliter Iudæorum inhumanitatem vltus sit Deus, quando fame enecati & miserabiliter occisi sunt, qui pauperes suos adeò crudeliter neglexe- *Cæci descriptio* *Deut. 15.* *Deut. 14.16.* *Leuit. 23.25.* *Act. 2.4.5.*

fant: Quibus si ea quoq; addas exempla, quæ nostro seculo vidimus, facilè patebit, quid nobis præterea expectandum sit, nisi immane hoc flagitium emendemus.

Cæcus quid fecerit.

Cæterum vt ad præsentis historiæ tractationem redeamus, cùm Bartimæus hic cõmunis cæcitatis nostræ typum gerat, qui & ignari rerum & opis diuinæ indigi in hac lachrymarum valle sedemus: videndum est quid ille fecerit, & quid nos facere oporteat, vt animis nostris illuminati vitæ æternæ vijs insistere possimus. Primò iuxta viam sedens & insolitum turbæ strepitum audiens, quærit quis tanto cum comitatu transeat. Vbi verò Iesum hunc esse audit, mox opem illius implorat. Vnde coniicitur, illum de hoc iam ante multa audiuisse, & inde salutis spe concepta omnẽ captasse occasionem, qua Christi beneficio restitueretur. Deinde inuocationis formula commemoratur, quæ fuit, Iesu fili Dauid, miserere mei. Dauidis filium vocans, promissum Messiam & humani generis redemptorem esse fatetur. Hunc enim olim prophetæ Dauidis filium, & nonunquam Dauidem ipsum vocauêre, eò quòd illum ex Dauidis semine nasciturum esse Deus promiserat. Talem ergo cæcus hic agnouit, partim miraculorum fama, partim occulta spiritus sancti suggestione edoctus, et proinde plus videt miser hic, quàm Iudæorum scribæ & sapientes vniuersi, qui sibijpsis oculatissimi videbantur. Cumprimis tamen obseruatione dignum est, quòd nulla suorum operum aut iustitiæ mentione facta, solam Christi misericordiam implorat: ita nimirum confitens, se non corpore modò miserum, & quoad fortunas egenum, verumetiam animi viribus destitutum esse, & proinde in sola Dei gratia omnem salutis spem collocatam habere. Accedit his constantia fidei singularis. Etsi enim turba illum increpent, è quibus fortassis alij titulo filij Dauidis offendebantur, alij indignum singulari Christi ope iudicabant, & nonnulli forsan iniquum putabant, Christum plurium aliorum saluti intentum vnius homuncionis causa interturbari: pergit tamen ille clamando, & easdem voces tam Christi quàm totius populi auribus ingerit. Proponuntur hæc nobis in exemplum, quod imitemur. Agnoscamus ergo ipsi quoq; miseriam nostram, & salutis desyderio inflammati, omnem eius acquirendæ occasionem sedulò captemus. Huius verò fiducia in sola gratia Dei collocata sit, ad cuius thronum per Christum Iesum accedamus, qui solus est via & veritas, & qui idem salutem suo sanguine partam nobis offert. Obstabunt hic nobis non pauca, quæ fiduciã nostram impugnent & remorentur. Obstrepit enim mundus, è quo alij Christum odio persequuntur, alij verò ludibrio habent. Increpant iustitiarij hypocritæ, quia per fidei lucem suum honorem & quæstum euerti vident. Terret mens male sibi conscia, & huius terrores auget auxilij optati mora siue dilatio. Sed aduersus omnia hæc nobis eluctandum est, eoq; magis clamandum, quò plura nos impedire videntur. Nec enim conuenit, vt mundi iudicijs moueantur, quos è mundo Christus elegit. Nec etiam eundem timere debent, qui Christo nomen dederũt, contra quem nec mundus nec inferorum portæ præualebunt. Cur autem iustitiariorum nugas audiant, qui Christum sibi à Deo iustitiam factum esse sciunt? Vel cur conscientiæ terriculamentis succumbant, quos ipse Christus sibi adeò pacificè & amanter inuitat? Vel cur eos mora aut cunctatio Dei offendat, qui illi iudiciorum omnium rationem certò constare in scripturis audiunt? Quin ergo illum expectant, qui suos non vltra vires tentari patitur? Horum itaq; memores pergamus constanter, nec irritus erit conatus noster, sicuti ex secunda historiæ parte discemus.

Lucæ 18.
Isaiæ 11.
Ierem. 23. 30. 2
Ezech. 34. 37.
2. Sam. 7.
Vt nos illuminationem animorum quærere debeamus.
Ioan. 14.
Ioan. 15.
Matth. 16.
1. Corinth. 1.
Habac. 2.
1. Cor. 10.

Vt Christus cæcum illuminarit.

Sequitur enim quid fecerit Christus, qui cæci huius clamores hucusq; neglexisse videbatur. Primo subsistit, quòd vt miræ bonitatis indicium est, ita docet quanta sit vis fidei & orationis ex vera fide manantis. Potest hæc cursum iudiciorum Dei sistere, & eiusdem gratiam cohibere, ne à nobis discedat. Exempla sunt passim obuia in scripturis, & faciunt huc cumprimis, quæ Christus de precandi assiduitate sub iniqui iudicis & viduæ parabola admonet. Deinde iubet illum adduci. Atqui absentem curare poterat, vt Centurionis famulum & regij illius ministri filium, de quo apud Ioannem legimus. Sed docere vult, eos ad se accedere oportere, qui in illo illuminationis & salutis beneficio frui volunt. Accedunt autem Christum, qui verbum ipsius audiunt, & in hoc sese nobis offerentem vera fide recipiunt. Hæc enim facit vt relictis omnibus carnis & mundi huius studijs, animos in cœlum subuehamus. Non mirum ergo, quòd hodie pauci illuminantur: cùm pleriq; Christum adire nolint, adeoq; iniquius secum agi putent, si vel veteres superstitiones, vel pristina sua studia relinquere, & Christum omnibus quæ in mundo habent, præferre iubeantur. Multi item, ubi aliquò vsq; progressi sunt, à tergo respicere solent, & cum Israelitis ad Ægypti ollas redire cupiunt. Atqui

Luc. 18.
Lucæ 7.
Ioan. 6.
Lucæ 9.
Num. 11.

eiusmodi

iusmodi cultores requirit Deus, qui ipsius voce excitati, ad ipsum sancta fide accedant. Tertiò ad se adductum, quid sibi fieri velit interrogat. Poterat hoc ridiculum videri, sed non temere quæstionem hanc motam fuisse patebit, si mendicorum mores consyderes. Sunt enim inter hos pleriq; qui curari nollent, cùm ex morbis quæstum faciant, adeoq; morbos interdum simulent. Quos egregiè imitantur, qui per veritatis lucem illuminari nolunt, eò quòd vel ex superstitionum tenebris lucrum captant, vel peccatorum cœno delectantur, & talparum instar lustra libidinis & auaritiæ radiantibus regni cœlorum palatijs longè præferunt. Adhæc fidem huius innotescere voluit Christus, vt omnibus constaret ab ipso non stipem quæri, sed maiora, quàm ab homine vulgari peti debeant. Addit postremò: abi, fides tua te seruauit. Nec mora, visum recipit qui cæcus hucusq; fuerat. Diuina ergo virtute illi medetur, simulq; medium quo ille hanc amplexus est, exprimit: Fidem nimirum, quæ vna & Christum & quæcunq; in hoc nobis Deus offert, amplectitur. Fide enim illuminati ea apprehendimus, quæ captum nostrum superant: quis nimirum sit Deus, quæ eius voluntas, quæ regni ipsius conditio, quæ deniq; salutem assequendi ratio vera sit & infallibilis. Inquisiuerunt hæc omnibus seculis quotquot sibijpsis sapientiæ aut saltem studij eius laudem & titulũ vendicarunt. Quàm parum verò profecerint, illorum libri testantur, quæ præter inanes argutias nihil continent. In solo enim Christo, qui expressa patris imago, & gloriæ ipsius splendor est, ista innotescunt: qui cùm fide sola apprehendatur, per hanc quoq; solam nobis lucem illam animarum obtingere abunde constat. Huius igitur studium sectemur, & per Christum illuminabimur, extra quem tenebræ plusquàm Cimmeriæ sunt, quæcunq; homines sibijpsis fingere consueuerunt. Hebr. 1.

Restat postrema historiæ pars, vt oblatum à Christo beneficium cæcus iste exceperit: vbi tria nobis obseruanda veniunt. Primùm vocatus exilit, & pallio quoq; relicto ad Christum festinat. Est hoc magnæ fidei & zeli flagrantissimum argumentum, quo (vt antea quoq; monuimus) in salutis negotio cumprimis opus est, ne videlicet ijs detineri nos patiamur, quæ à Christi regno nos auocare possunt. Sunt ea quæcunq; carni nostræ adlubescunt, aut etiam necessaria videntur. Vbi ante omnia sano & recto de rebus huius seculi iudicio opus est: quæ omnes simul nil nisi cento, & huius mendici pallio viliores sunt. Nam vt animi dotes inspiciamus, quæ ex peccato nobis adhuc reliquæ sunt, quid obsecro in illis certum est & solidum? Annon in plerisq; caro nostra cæcutit & fallitur? Annon fortissimorum quoq; hominum vires labascunt? Annon iustitiæ nostræ omnes apud prophetam centonibus & pannis menstruæ mulieris conferuntur? Quid verò de gloria, nominis fama, hominum fauore & opibus dicere attinet, quibus nihil in rerum natura magis fluxum atq; caducum est? Omnis caro fœnum (dicit propheta) & omnis gloria eius sicuti flos agri. Exaruit fœnum, & flos decidit, verbum autem Domini Dei nostri manet in æternum. Quid ergo istis inhæremus? Quin relictis omnibus Christum vocantem amplectimur, in quo sapiẽtia vera, iustitia solida, robur animi inuictum & cum hoc gloria etiam cœlestis æterni thesauri nobis conferuntur? Sed carnis iudicio dementamur, quæ res inutiles & noxias maximi facit & deperit.

Vt cæcus illuminationem exceperit.

Isaiæ 64.

Isaiæ 40.

Secundò, quid sibi fieri velit, rogatus, non aliud quàm oculorum vsum sibi restitui postulat. Pro eo igitur Christum agnoscit, qui cæcis illuminandis in mundum venerit, sicuti olim ab Isaia fuit prædictum. Discamus hoc exemplo, ipsi etiam ea quæ ad veritatis cognitionem & animarum salutem faciunt, in Christo quærere. Si enim corporis lucem tanti fecit cæcus hic, vt de mendicitatis miseria vix cogitarit: quantò pluris vera illa & cœlestis animarum lux fieri debet, sine qua noxia nobis sunt, quæcunq; alia in mundo habentur? Est hæc optima illa pars, quam Maria olim elegit, quamq; solam Christus necessariam esse ait. Sed ô turpem & præposteram hominum cupiditatem, qui solis terrenis intenti, cœlestia & æterna bona ferè negligunt, &c. Isaiæ 35. 61. Luce 10.

Postremò, visu recepto Christum sequitur in via, glorificans Deum, vt Lucas monuit, Non tam corpore ergo quàm animo illuminatus fuit. Rursum verò officij admonemur, vt per Euangelij verbum illuminati, relictis mundi studijs, Christum sequamur, & per Dei vias ambulemus, quas ille nobis in scripturis commonstrat. Pertinet huc tota vitæ conuersatio, fidei confessio, cultus externi puritas: quorum omnium hic nobis finis & scopus esse debet, vt in nobis glorificetur Deus pater per filium suum Iesum Christum, Dominum nostrum: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Illuminatorum officia.

CAPVT XI.

HOMILIA XCI.

ET cùm appropinquarent Hierosolymis, Bethphage & Bethaniæ, ad montem olearum, mittit duos è discipulis suis, & dicit eis: Abite in uicum qui uobis è regione est, & statim ut ingrediemini in eum, inuenietis pullum ligatum, super quem nullus hominũ sedit: soluite eum, & adducite. Et si quis uobis dixerit: Cur facitis hoc? dicite, quòd Dominus eo opus habet: & statim eum mittet huc. Abierunt ergo, & inuenerunt pullum ligatum ad ianuam foris in biuio, & soluunt eum. Et quidam eorum qui illic astabant, dixerunt eis: Quid facitis qui soluitis pullum? Ipsi uerò dixerunt eis sicuti mandarat Iesus: & illi dimiserunt eos.

Argumentum & usus praesentis loci.

PROPHETAE *veteres vnanimi consensu Christum Iesum Regem fore testantur, qui diaboli tyrannidem destructurus & inde regnum immortale & æternum habiturus sit. Quia autem Iudæi ex prophetijs malè intellectis regnum sibijpsis terrenum pollicebantur, & eodem errore decepti Apostoli, de primatu frequenter inter se contendebant, Christus hucusque multùm & sæpe illos de regni sui conditione, & quodnam in hoc ipsorum sit futurum officium, admonuit. Cæterùm instabat iam mortis hora, cuius ignominiosam acerbitatem multis offendiculo fore non ignorabat. Ergo quod verbis antea docuit, nunc exemplo suo & facto singulari declarat. Nam vt se Regem esse testetur, vrbem Hierosolymorum non pedes (vt antehac) sed asinæ pullo uectus, non absq; publica solennitate ingreditur, populi vndiq; concurrentis lætas faustasq; acclamationes recipit, & mox templum ingressus ex illo prophanas & quæstuosas superstitiones eijcit: & in omnibus istis regiam maiestatem, ipsis quoque hostibus terrificam, ostendit: eandem verò modestiæ humilitatis specie ita temperat, vt satis constet, regnum ipsius non in externo splendore & armorum huius mundi potentia, sed potius in spiritus virtute consistere, & proinde cæleste & spirituale esse. In quorum consyderatione nobis ita versandum est, vt diuina illius potentia & maiestate nosmetipsos aduersus impiorum conatus consolemur, ex eiusdem verò humilitate spem certam concipiamus, nos apud illum minimè repulsam passuros esse, si ad illius thronum confugientes, ab ipso opem petamus in afflictionibus nostris. Vt verò simul, quæ nostra sint erga hunc Regem nostrum officia intelligamus, proderit singulorum, qui hîc proponuntur, personas, & quid singuli egerint, inspicere.*

Christus in uili specie regiam maiestatem exerit.

Primus se hîc nobis Christus offert, qui cùm vrbi appropinquaret, eamq; Regis instar esset ingressurus, discipulos duos, qui asinæ pullum sibi adducant, emittit. Mirum sanè consilium, & perquàm ridiculum, si ad humanæ rationis calculum reuoces. Nam regni specimen editurus, asino vehi vult, & hoc quidem aliunde precariò petito, nec vllis phaleris ornato, imò ne sella quidem aut ephippijs vulgaribus instructo, vt postea patebit. Quid autem à regiæ maiestatis forma magis alienum excogitari poterat? Aut quid hoc aliud erat, quàm seipsum & discipulos aduersarijs deridẽdos exponere? At si totam actionẽ penitius inspicias, illum præcipuas, quæ in Regibus requirũtur, virtutes in hac egestate & contemptibili specie declarauisse reperies.

Regis in Christo uirtutes. 1. Scientia & sapientia.

1 Primò nimirum scientiam & sapientiam, qua Reges instructos esse oportet, vt norint, quæ ad regni administrationẽ pertineant, quæ populi ipsis commissi conditio sit, & quibus rationibus publicæ saluti & incolumitati prospici & consuli queat: id quod maiores nostri obseruasse videntur, qui illis à scientia nomen indiderunt.

Künig.

Quia enim eos capitis instar fecit Deus, illorum fuerit videre, audire, ratione præditum esse, consulere & publicis necessitatibus prospicere. Nec regum nomine digni sunt, sed idola potius dici merentur, qui nec populi sui conditionem, nec subditorum mores, nec imminentia ipsis Dei iudicia obseruant, sed inani splendore & titulis vanissimis excæcati, securè omnia negligunt. At non talis est Christus Rex noster, super quo requiescit spiritus sapientiæ & intelligentiæ, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & timoris Domini, vt Isaias olim prædixit. Patet hoc in præsenti, quando quid in vico agatur nouit, &

Isaiæ 11.

uouit, & discipulis indicat, quid ipsis eò profectis futurum sit. Exempla eius generis multa Euangelistæ commemorant. Tale enim est, quod cum Nathanaele egit, & quòd discipulis ad epulum Ioannis 1.
paschale instruendum emissis similiter prædixit, quid ipsis vrbem ingressis esset euenturum. Num Lucæ 22.
ergo illum quicquam ignorare putabimus? Vel num ille regnum suum negliget, aut populi sui conditionem & mores ignorabit, qui asinos videt, & hos quoq; suæ prouidentiæ subijci tam euidenti argumento docet? Est hoc plenum consolationis, si nos talem Regem habere cogitemus, qui & nos tentationum pondere grauatos videt, & hostium suorum conatus atq; consilia nouit, adeoq; de illis nos per spiritum suum iam olim admonuit. Ita verò nos istud consolari debet, vt simul Regis nostri omniscij memores, innocentiæ studeamus, ne illius contra nos iram prouocemus, qui olim iudex vniuersæ terræ venturus est.

Secundò regali quoq; potentia se instructum esse probat Christus, qua Regibus planè opus est, 2. Potentia.
quando sine hac nec rebelles & contumaces coerceri, nec boni & obedientes defendi possent. Vnde magistratus ab ipso Deo gladio & authoritate armatos esse Paulus testatur, & res ipsa abundè docet, Rom. 13.
quando hanc omnes gentes, ex communi lege naturæ agnoscunt. Cæterum hac quoq; Christus omnes huius seculi reges longè superat, eò quòd non modò in fortunas & corpora hominum, verumetiam in ipsas mentes & voluntates imperium exercet, quas nulla vis externa cogere potest. Patet hoc in præsenti ex eo, quòd audito ipsius nomine, mox asinum abduci patiuntur, qui illum alioqui hominibus peregrinis & ignotis nunquam concessuri fuissent. Eiusdem generis est, quòd Apostolos mouit, Matt. 4. & 9.
vt omnibus quæ habebat relictis, ipsum secuti sint, quòd Paulum ex persecutore Apostolum, adeoq; Acto. 9.
ex lupo pastorem fecit. Quin idem ille in omnibus (vt Paulus ait) operatur velle & facere, dum Philip. 2.
ex verbi sui semine renatis nouas mentes inserit, & voluntatem ad ea inclinat, à quibus antea prorsus abhorrebat. Nec in electis modò hæc facit, verumetiam impiorum corda sua manu continet, vt velint nolint ipsi seruire cogantur. Consoletur hoc nos quoties vel propriæ carnis affectibus vel egestate, vel hostium insidijs & inimicitijs tentamur. Poterit enim Christus, si volet, cogitationibus & affectibus mederi, poterit aliorum mentes inclinare, vt nobis benefaciant: poterit hostibus frænum inijcere, vel quæ contra nos meditantur, aliò deriuare, ne quid inde mali nobis accidat. Et licet interdum aliqui ipsi non obedire videantur, tamen illi nequaquam præualent: quin illos iusto iudicio grassari permittit, vt ipsorum petulantia in suis castigandis benè vtatur, vtq; mari suos limites con- Iob 38.
stituit, ad quos fluctus suos tumentes deponat: ita impiorum furoribus iam olim suum finem præscripsit, quem illi nunquam transilient: cuius rei cum vndiq; exempla occurrat, ijs commemorandis non est opus immorari.

Tertiò iustitiæ studet Christus, sine qua nec Reges nec regna consistere possunt. In eum enim fi- 3. Iustitia.
nem magistratus omnes instituti sunt, vt vnicuiq; quod suum est tribuant, omnisq; illorum potestas populi defensionem & conseruationem spectat, non vt ipsi pro sua libidine omnia versent. Tyrannorum enim hæ voces sunt: Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas. Longè aliter autem Christus, qui etsi rerum omnium creator sit & Dominus, omnemq; potestatē in cœlo & in terra ad se pertinere Matth. 28.
sciret, non tamen asinæ pullum vel inscijs vel inuitis heris abduci vult, sed rationem allegare iubet discipulos, qua audita, ipsum illis sint concessuri. Idem illum alibi fecisse scimus, nec vspiam suo iure ita vsus est, vt alicuius vel iniustitiæ vel violentiæ insimulari queat. Quin pharisæis hostibus infensissimis dicere ausus fuit: Quis vestrum arguet me de peccato? Toto igitur cœlo errant, qui Christi Ioan. 8.
& Euangelij prætextu abutentes bonorum omnium cōmunionem inuitis obtrudunt, quam nec Christus vspiam requisiuit, nec in primitiua ecclesia aliter obseruata fuit, quàm vt vnicuiq; liberum esset sua retinere, sicuti verba Petri ad Ananiam abunde testantur. Christianorum est, de suo largiri Actorum 5.
egentibus, interim alijs suarum rerum ius integrum relinquere. Et hæc quidem de Christo Iesu, Rege nostro sapientissimo, iustissimo & potentissimo dicta sint.

Sequuntur hunc Apostoli duo, qui illius iussis illicò obtemperant, & pullum adducturi abeunt. Discipuli Christo obtemperant.
Atqui multa poterant obijcere, quò minus hoc facerent. Nec enim inciuile modò & inhonestum videri poterat, rem alienam ab ignotis postulare, verumetiam cum periculo coniunctum erat, ne fortasse furti insimularentur. At qui prius ad Christi vocationem omnia reliquerant, omnesq; carnis sensus per fidem Dei verbo subijcere didicerant, hîc quoq; illi absq; vlla inquisitione obtemperandum

erant

esse censent. Exigitur obedientia hæc ab omnibus qui Christo nomen dederunt, adeò vt hanc Paulus Euangelicæ prædicationis, quoad nos, finem & scopum constituat: nec fieri potest, vt quis sine hac Christianum agere possit. Frequenter enim carni nostræ inhonestum, iniquum, impium & noxium videtur quod Dominus præcipit: qualia ferè sunt, fidei præcepta inuitis obtrudere, magistratibus legitimis in causa religionis sese opponere, sententiam animi sui ex verbo Dei conceptam omnium aliorum iudicijs præferre, parentes vnà cum dilecta coniuge & dulcibus natis relinquere, fortunas & cum his vitam quoq; præsenti periculo obijcere, & si quæ alia sunt huius generis, quæ in Christi vocatione ambulantibus occurrere solent. At in omnibus istis Dei mandatum & voluntas sufficere debet, nec aliæ rationes admittendæ sunt, vbi de hac nobis certò constat. Quod enim ille iubet, iniustum vel iniquum esse non potest, & idem eos defendere solet, qui ipsius præceptis obtemperant. Quòd si aduersus illius præcepta humanis rationibus disputare libeat, intolerabilis est ea impietas & audacia: quando hoc fieri non potest, quin Deum vel iniustitiæ vel oscitantiæ aut imprudentiæ accusemus, quasi ille iniqua & iniusta iubeat, vel pericula nō præuideat, aut etiam nos illis temere obijcere velit. Et horrenda omnibus seculis exempla in eos Dominus edidit, qui suas rationes illius præceptis præferre ausi sunt. Ergo Apostolos imitati, Domino simpliciter obtemperemus, & (vt olim in Lege iussit) nec ad dexteram nec ad sinistram à præceptis ipsius declinemus, & feliciter cedent, quæ initio periculosa & noxia videbantur.

Rom. 1. & 16.
2. Corinth. 10.
1. Sam. 13. 15.
1. Re. 11. 13. etc.
Deute. 28.
Iosuæ 23.

Heri pullum Christo concedunt.

Restat, vt de ijs quoq; dicamus, à quibus asinum Christus sibi concedi voluit. Interrogant illi quidem discipulos, cur iniussi pullum soluant? at ratione audita, quòd nimirum Dominus illo opus habeat, illam recipiunt, & abduci patiuntur. Mouit sic animos illorum Christus, vt paulò ante dictum est. Attamen generalem doctrinā nobis hoc exemplo spiritus sanctus proponit, ne quid eorum Christo negemus, quibus ipsum audimus opus habere. Atqui ille nullius rei indiget, quoad suam personam. At quoad regni sui administrationem, eo honore nos dignatur, vt illud nostro ministerio propagari & conseruari velit. Hic ergo præconum verbi fide & industria, magistratuum consilio & authoritate, patrumfamiliâs cura & diligentia, adeoq; singulorum hominum studio opus est: singuli ergo pro suæ vocationis ratione omne illud conferant, quod ad regni ipsius propagationem facere potest. Præterea, quia in se credentes pro membris suis Christus agnoscit, in ijsdem seipsum esurire, algere, ægrotare, exulare & vinciri ait. Nostro igitur officio opus habet, vt esurienti cibum, sitienti potum, nudo vestitum, ægroto curam, exulanti hospitium, vincto consolationem præbeamus. Hic ergo neminem laboris aut impensæ alicuius pigeat, quando hæc optimo iure à nobis exigit, vt qui maiora multò & plura in nos conferre dignatus est. Sed ô duritiem & ingratitudinem nostram plusquàm Cyclopicam. Laborat sectis & vitijs innumeris ecclesia, periclitatur disciplina, affligitur passim in membris suis Christus, & sibi nostro consilio, authoritate, industria, & auxilio opus esse clamat. At quotusquisq; est, qui clamantem exaudiat, & non potius impuris huius mundi studijs hoc tribuat, quod in Christum debebat conferre? Punit ergo & meritò punit istam ingratitudinem iustus Deus, nec ad se clamantes audit, qui ipsum clamantem audire dedignantur. Emendemus hoc vitium & beneficiorum Christi memores, ipsi nos totos impendamus, vt eiusdem quoq; consortes simus in regno patris sui: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Matth. 25.
Zach. 1.
Prou. 21.

HOMILIA XCII.

Et adduxerunt pullum ad Iesum, & iniecerunt ei uestimenta sua, seditq; super eum. Multi uerò uestimenta sua strauerunt in uiam: alij autem frondes cædebant ex arboribus & sternebant in uiam. Et qui præibant, quiq; sequebantur, clamabant dicētes: Hosanna, benedictus qui uenit in nomine Domini. Benedictum quod uenit regnum in nomine Domini patris nostri Dauid: hosanna in altissimis.

Argumentum & usus loci præsentis.

NOn temerè ab omnibus Euangelistis regius Iesu Christi in vrbem Hierosolymam ingressus diligentissimè describitur. Vt enim ille per hūc offendiculo mederi voluit, quod paulò post ex crucis

crucis ignominia exoriturū esse sciebat, dum videlicet se regem esse testatur, qui in ipsas quoq; hominū mentes & voluntates ius & imperiū habeat: Ita simul docet, quale nam ipsius regnum sit, quid item nos in illo sperare conueniat, & quod nostrum sit officium, quo ipsi obstricti sumus. Et hæc quidem nuper ex parte vidimus, plenius tamen in præsenti omnia patebunt, vbi ipse ingressus in vrbem describitur, in quo tria nobis consyderanda erunt. Primùm, cur isto habitu siue apparatu voluerit ingredi. Deinde, vt illum deduxerint discipuli, & postea quidam exceperint. Tertiò, vt omnibus istis affecti fuerint hostes ipsius, sacerdotes nimirum & scribæ. At quia Marcus quædam breuitatis studio omisit, quæ in illo desyderantur ex Matthæo Luca & Ioanne sarciemus. Matth. 21. Luce 19. Ioan. 12.

Et causam quidem, quòd ad hunc modum vrbem ingredi voluit, Matthæus & Ioannes hanc assignant, quòd sic impleri oportuerit quod olim per Zachariā prædictum fuit. At hîc rursum quæritur, cur hoc ita prædictum, & cur hæc ita fieri Deus decreuerit? Patet hoc, si prophetæ verba examines: nimirum quòd ita demonstrari oportuit, qualis rex Christus, & quale illius regnum futurum esset. Et hæc quidem diligenter tradi oportebat, non modò propter Iudæos, qui in Messia terrenum regnum & victorias somniabant: verumetiam vt afflictæ conscientiæ hinc consolationem habeant, & omnibus nobis certò constet, quid in Christi regno quæri & sperari debeat. Audiamus ergo prophetam sic loquentem: Exulta filia Zion, iubila filia Ierusalem: en Rex tuus venit tibi, iustus & seruator, mitis & sedens super asinam & pullum asinarum, &c. Quibus verbis duo agit. Primò ecclesiàm, adeoq; omnes & singulos fideles hortatur, vt regem hunc honorificè & cum gaudio excipiant. Cùm enim hæc spes & expectatio electorum omnium fuerit ab ipsa mundi origine, fieri nequit, quin gaudeant & exultent, quotquot hunc nobis exhibitum esse intelligunt. Olim certè Abraham exultauit, vt videret diem Christi Domini, & eundem prophetæ & iusti omnes videre & audire desyderauerunt. Et Simeon cùm illum ulnis suis excepisset, lætus exclamabat: Nunc dimitte in pace seruum tuum ô Deus, &c. Quin angeli natiuitatem eius pastoribus prædicaturi, se gaudium magnum annunciare testantur. Ergo à Christi spiritu prorsus alieni sunt, qui hodie Christo per Euangelij prædicationem se nobis offerente, terrentur, trepidant, concursant, deq; regno eius opprimendo consultant. Hoc enim impios Dei hostes facturos esse olim Dauid prædixit, & postea sacerdotum exemplo abundè patebit. Deinde gaudij huius causas expositurus propheta, ab ipsius Regis Christi descriptione orditur, qua omnia complectitur quæ de rege bono dici possunt. En (inquit) Rex tuus venit tibi. Dicuntur hæc singulis credentibus qui in hoc fidei cardinem versari intelligunt, & ex eo summam consolationem capiunt, quòd Christum sibiipsis venisse, & ad ipsos pertinere sciunt. Habent enim promissiones vniuersales, quas singuli sibiipsis applicare possunt. At simul qualis veniat Christus, indicatur. Primùm, Iustus. Ita verò dicitur, non modò quoad seipsum, quia innocens & absq; macula: verumetiam quoad nos, quorum iustitia à patre factus est. Quod Paulus pulchre explicans, ait: Eum qui non nouit peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iustitia Dei per illū. Deinde Seruatorem vocat, quod angelus illo nondum nato exposuit, dicens: Is saluum faciet populū suum à peccatis suis. Omnes enim peccauimus, & propter peccatum destituimur gloria Dei, ac æternæ mortis iudicio subiacemus. At Christus suæ mortis merito expiatis peccatis nostris, vnà cum mortis ipsos quoque inferos omnemq; potestatem aduersariam confregit, nosq; in libertatem asseruit, perinde ac si quis sontem è carnificis manu liberans, ipsos quoq; laqueos confringat, crucemq; euertat, ex qua ille debuerat suspendi. Eò maius autem & excellentius est Christi beneficium, quòd seipsum pro nobis ad mortem crucis obtulit, & quòd ex æternæ mortis supplicio in vitam immortalem asseruit. Nec asseruit modò, sed quotidie instar leonis suos protegit (vt propheta ait) nec oues suas è manu sua eripi patitur. Tertiò mitem & mansuetum esse ait, cuius multa argumenta sunt in Euangelica historia. Vt enim omnes laborantes & oneratos ad sese inuitat, ita neminem ad se venientem reijcit, nostrisq; infirmitatibus non tyrannicè irascitur, sed amicè condolet, vt qui similiter vt nos tentatus est. Præterea humilis & modestus, suis nec fastu, nec pompæ magnificentia, nec impensis regni vel exactionibus onerosus est. Docet hoc apparatus. Nam pullo asinæ vehitur, nec vllo armorū splendore strepit: & si vniuersum suæ in terra conuersationis tempus examines, multa illum quotidie in quosuis beneficia contulisse, nulla autem aut perquàm exigua vicissim exegisse reperies. Et quæ à nobis exigit hodie, eiusmodi sunt, vt nobis maximè prosint, & ijsdem æternæ vitæ præmia con-

Marginal notes: Cur Christus sic urbē ingressus sit. Zach. 9. — Ioan. 8. Matth. 13. Lucæ 2. — Psalm. 2. — Christus qualis rex sit. — 1. Iustus. 1. Corinth. 1. 2. Cor. 5. — 2. Seruator. Matthæi 1. Rom. 3. — Ioel. 3. Ioan. 10. — 3. Mitis. Matth. 11. Ioan. 6. Hebr. 2. &c. — 4. Humilis.

Ioan.13.15. stituit. Quid enim charitate (quæ summam præceptorum ipsius omnium complectitur) iucundius, suauius, vtilius & magis necessarium? Quid item quæstuosum magis, quàm in Christum & eius membra impendere ea magno cum fœnore, quæ alioqui amissurus eras? Porrò arguunt hæc personatos Christi vicarios, qui cùm peccatis omnino addicti, orbis totius turbatores, crudeles, immites, fastuosi, expilatores, & ijdem (quoad animarum salutem) fures & latrones sint, dum per aliud ostium
Ioan.10. ingredi conantur: nihilominus tamen Christi vicarij & ecclesiæ caput censeri volunt. Nec minus deploranda est hominum insania, qui Christo Rege mitissimo & saluifico relicto, tales sequuntur, colunt & adorant, inq; ipsorum gratiam Christi verbum & membra hostiliter infestant. Ita verò impletur quod Iudæis olim Christus dicebat: Ego veni nomine patris mei, & non recipitis me. Si alius venerit nomine suo, illum recipietis. Ioan.5.

Vt discipuli Christum deduxerint. Porro videamus nunc, vt Christum deduxerint discipuli, & vt eundem populus exceperit. De discipulis dicitur, quòd vestes suas pullo iniecerint, & Christum super illo collocarint. Illo autem ad vrbem tendente, mox fama præuia multi eorum, qui ad festum confluxerant, excitati, cum ramis palmarum (vt Ioannes habet) obuiam illi processerunt. Fuit autem palma veteribus victoriæ symbolum, quod in præsenti non sine numine adhibuerunt, vt sic victoriam significarent, qua (ut D. Au-
In Ioã. tract. 51. gustinus scribit) erat Dominus mortem moriendo superaturus & trophæo crucis de diabolo, mortis principe, triumphaturus. Et illos in Christo Regem uictorem agnouisse, acclamationes ipsorũ abunde docent. Alijs enim inter eundum vestes, alijs arborum frondes in viam sternentibus, mox spiritu diuino excitati, lætis & faustis vocibus illi acclamant: Hosanna, id est, salua obsecro. Benedictus, qui venit in nomine Domini. Fuit hæc solennis precatio, qua pro regni in Messia promissi instauratione
Psal.118. orabant, vt ex Psalmis patet, vnde ea petita est. Cùm verò eandem Christo applicent, satis fatentur, se illum pro Dauidis filio Messia agnoscere. Ideò addunt: Benedictum, quod venit, regnum in nomine Domini nostri patris Dauid. Vbi iterum ad veteres promissiones respiciunt, & in Christo instaurandum esse agnoscunt felix illud regnum, in quo benedictionem omnis generis credentes con-
Colos.1. sequuntur. Addunt his apud Lucam: Pax in cœlo, gloria in altissimis. In Christo enim sibi recon-
Rom.5. ciliauit Deus omnia, quæ in cœlo & in terris sunt, & illius merito iustificati ex fide pacem habemus apud Deum. Et hoc nomine isti Deo omnem gloriam tribuunt. In his verò nobis duo veniunt obseruanda.

Vulgus Christum agnoscit, quem scribæ persequuntur. Primum est admirabile consilium Dei, qui vilem & ignobilem turbam excitauit, vt contra legem à Senioribus latam, nec vlla habita ratione excommunicationis, quam illa Christi sectatoribus minabatur, tantum honorem illi publicè deferunt: & ex scripturis de illo pronunciare possunt, quem
Ioan.9.12. ipsi scribæ & sacerdotes hactenus nec ex scripturis, nec ex miraculis agnoscere voluerunt. Hoc illud
Matth.11. est, quod ipse Christus ait, regni sui mysteria abscondita esse sapientibus, patere autem paruulis. Et habes hîc quod respondeas ijs, qui nobis Euangelicorum ignobilitatem exprobrant, & in controuersijs de fide & religione summorum pontificum regumq; iudicijs standum esse vociferantur. Quod enim hîc accidit, hoc ipsum iam inde à rerum origine accidisse, sacra historia docet. Et si isti non expectato principum & antistitum suorum consensu, Christum rectè recipiunt, laudemq; meretur publica hæc fidei ipsorum confessio: qua ratione obsecro nobis hodie vitio vertitur, quod sine pontificum & episcoporum consensu, Christo per Euangelium ad nos venienti locum damus, & illum nostræ salutis authorem agnoscimus?

Vt Christus in Euangelio se offerens excipi debeat. Secundò docemur horum exemplo, vt nos quoq; Christum per Euangelium suum nos inuisentem excipere debeamus: Exigitur hîc ante omnia, vt talem agnoscamus, qualis reuera est: Regem nimirum nobis à Deo datum, in quo (vt Abrahamo olim promissum fuit) omnes gentes benedicantur,
Gene.22. quiq; solus nobis salutiferæ illius pacis apud Deum author sit, quæ cœlestis gaudij hæredes facit. Deinde agnitũ publicè confiteamur, apud eos etiam, quos illius hostes non esse ignoramus. Nec enim
Marc.8. eiusmodi cultores ille fert, quos sui nominis & Euangelij pudeat, vt supra audiuimus. Nec fateamur modò, sed simul regni ipsius propagationem pro virili adiuuemus precibus studio & industria, quantùm nostræ vocationis ratio requirit. Substernamus ergo illi vestes nostras, quas conuersationis
Matth.22. Colos.3. Galat.3. nostræ symbolum esse, parabola vestis nuptialis & Apostolicæ illæ locutiones docent, quibus veterem hominem exuere & Christum induere iubemur. Tota ergo vitæ nostræ morumq; cõuersatio per fidei obedien-

obedientiam Christo subigi debet, vt huic soli seruiat. Et cùm ista omnia præstitimus, nos tamen seruos inutiles esse fateamur, omnemq; gloriam vni Deo solidam transcribamus. Hæc sunt hominum verè Christianorum officia, quæ quàm rara sint singuli mox intelligent, si in semetipsos descendant, & animorum suorum socordiam examinent: vt interim de illis nihil dicamus, qui Christum ne intra vrbes quidem admittunt, vel spontè se ingerentem eijciunt, & sæuißimè persequuntur. Lucæ 17.

Quid autem inter hæc auspicata regni Christi præludia pharisæi faciunt, quos contra illum conspirauisse iam sæpe diximus? Ringuntur illi & tantos honores ei inuident. Nam vt Lucas scribit, discipulos increpari & ipsis silentium imponi postulant. Quo exemplo docemur, semper fore, qui suum Christo honorem inuideant: quorum principes facilè sunt Pharisæi, quos propriæ iustitiæ fiducia inflat. Successerunt in horum locum hodie Monachi, qui cum Christi prædicatione suam hypocrisim argui, & proinde regnum suum, quod illa sola nititur, euerti non ignorant, mox illi obstrepunt & nefarium scelus esse arbitantur, si homines plebei & illiterati de Christo & religione verba faciant. Interim quæ ipsorum est astutia, principes & reges in suas partes trahunt, & illis nefariorum consiliorum aduersus Christum antesignanos sese præbent. At hîc nos Christi responsum consoletur, dicentis: Dico vobis, quòd si hi tacuerint, lapides clamabunt. Docet his fieri non posse, vt regni sui & salutis doctrina reprimatur. Quia enim ita Deo visum est, vt Christus per Euangelium in orbe regnet, totumq; hoc negotium non humanis vel viribus vel consilijs, sed spiritus sancti operatione transigitur, quis obsecro Dei decreto obstare, aut spiritui sancto silentium imponere poterit? Spirat ventus vbicunque voluerit, nec lapides modò, verumetiam omnes mundi partes contra eos conclamant & pugnant, qui Christi regnum extinguere conantur. Exempla in historijs paßim sunt obuia. Consolentur nos illa aduersus impios mundi conatus. Ringantur Monachi, contabescant sacrificuli, fremant populi, frendant principes, & armis omnia misceant potentißimi reges, illisq; classicum canant, & læta omnia polliceantur Pontifices. Regnabit tamen Christus, et in se credentes regni sui cohæredes faciet. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Vt Christi gloria & regno impij afficiantur.

Monachi

Psalm. 2. 110.

Marc. 13.

Ioannis 3.

HOMILIA XCIIII.

Et ingressus est Hierosolymam Dominus, & in templum: cùmq; circumspexisset omnia, & uespera iam hora esset, uenit Bethaniam cum duodecim. Et postero die, cùm exissent Bethania, esurijt. Cùmq; uidisset ficum eminus habentē folia, uenit num aliquid in ea inueniret: & cùm uenisset ad eam, nihil inuenit nisi folia (non enim erat tempus ficuum) & respondens Iesus, dixit ficui: Ne amplius ex te in seculum quisquam fructum edat. Et hoc audierunt discipuli eius.

QVoniam omnibus seculis de regno Dei per Christum instaurando variæ & diuersæ hominum sententiæ fuerunt, quorum alij quidem illud propter vilem & ignobilem speciem aspernati sunt, alij verò terrenis modò intenti cœlestia neglexerunt: Ipse Dominus Iesus non temerè paulò antequam moreretur, suo in vrbem ingressu palàm testari voluit, quæ nam sit regni ipsius ratio, quid in hoc sperari debeat, & quæ illorum sint officia, qui cœlestis regni gaudijs in ipso frui cupiunt. Et de his quidem omnibus nuper abundè dictum est. Sequitur in præsenti, vt Hierosolymitani ciues Christi aduentu affecti fuerint, quid ille primùm in vrbe fecerit, & vt eodem quo venerat die, vrbem denuo sit egressus. Et quia in his describendis Marcus pro suo more breuior est, aliunde petenda erunt quæ ab illo omittuntur.

Argumentum & usus præsentis loci.

De Hierosolymitanis Matthæus scribit, quòd ad Christi ingressum tota ciuitas commota siue consternata fuerit. Erat hoc factò necessarium. Nisi enim insolito terrore ipsos consternasset Dominus, nunquam paßi fuissent illum pro Rege celebrari, eò quòd istud non absq; periculo totius gentis fieri poterat, qua illo tempore Romani imperij legibus parebat. Territi verò, quis nam ille sit, interrogant. Respondetur à turbis ipsum deducentibus (quos exteros & peregrinos fuisse, nuper diximus.) Hic est Iesus ille propheta à Nazareth Galilææ. Prophetam vocant, quem prius Regem & Sal-

Hierosolyma ad Christi ingressum commouetur.

Deute.18. Isaiæ 61. uatorem dixerunt, non quòd nunc humilius quid de illo sentiant, sed ad scripturas respiciunt, quæ Messiam prophetæ titulo insigniunt. Et vt priores acclamationes ipsis spiritus sanctus suggessit, ita nec istud responsum illis temerè excidisse arbitror. Nam si regem dixissent, mox seditionis accusari poterant. Nobis autem in his diuina Christi potentia & maiestas obseruanda venit, quæ in vili & humili ista specie elucet. Puerile & ludicrum videri poterat omne hoc quod agebatur. Sed qualecunque sit, vrbi maximæ & celeberrimæ terrorem incutit. Eadem est Euangelicæ prædicationis vis & efficacia. Etsi enim mundi iudicio stulta & ridicula videatur, tamen & reges terret, & mundum totum cōmouet. Quid ergo fore putabimus, quando in nouissimo die terribilis illa Christi vox & archangeli tuba audietur, & ipse Christus in gloria patris veniet ad iudicandum viuos & mortuos? Huius memores studeamus nos in illū diem sanctos & integros seruare, simulq; aduersus mundi furores consolationem petamus, &c. At non minus obseruanda est Hierosolymitanorum ignorantia & stupiditas. Fuit in ea vrbe sedes religionis & schola totius gentis florentissima. Audiebantur illic frequenter Mosis et prophetarum voces, in quibus luculenta de Christo testimonia extant. Docuerat ibidem Christus non semel magna omnium cum admiratione, & doctrinā miraculis plurimis confirmarat, ex quibus vel rude vulgus ipsum promissum Messiam esse agnoscebat. At qui vrbis huius ciues sunt post omnia illa nunc demum, quis nam sit, interrogant. Causa tantæ stupiditatis fuit, quòd humanis traditionibus potius quàm scripturis intenti essent, & ipsi scribæ ambitione & gloriæ priuatæ studio excæcati, ea quæ in scripturis de Messia habentur, nec intelligere nec credere possent, sicuti ipse Christus apud Ioannē ipsis exprobrat. Quid ergo mirum est, si hodie etiā in scholis celeberrimis & cathedralibus ecclesijs, vbi magnifici illi doctores & præsules regnū obtinent, maxima est Christi & mysteriorū salutis ignorantia? quādo ijsdem humanarū traditionū & ambitionis tenebris veritatis doctrina inuoluitur, quæ olim apud Iudæos regnarūt? Veneremur nos potius Dei consilium, qui iusto iudicio hæc sui regni mysteria cælat sapientes huius seculi, & eadem reuelat paruulis: & nulla habita aliorum ratione, Christum Iesum agnoscamus & amplectamur, qualem nobis scripturæ proponunt.

Marginalia: Diuinæ Christi potentiæ argumentum. — Ioan.5. — 1.Corinth.15. — 1.Thess.4. — Hierosolymitanorum ignorantia. — Ioan.5. — Luc.24. — Ioan.7. — Matth.15. — Ioan.5. — Matth.11. — 1.Cor.1.

Christus in templum diuertit. Porrò Christus, vrbem ingressus, rectà in templum diuertit, & in hoc singula videt ac inspicit. Quia enim regni Dei instaurator venerat, hanc curam maximè ad se pertinere putauit, vt Dei cultum ab erroribus & prophanis mixturis repurgaret. Mox ergo (vt Matthæus & Lucas tradunt) vendentes & ementes é templo eijcit, & hoc ipsum (vt sequenti sermone patebit) crastino die reuersus denuo faciat, deq; vero templi vsu illos admonet. Præterea claudos & cæcos miraculose sanat, & populum ad se confluentem docet, quod illum vsque ad eum diem, quo captus est, fecisse Lucas testatur. At quia de templi repurgatione suo loco dicetur, in præsenti illud consyderabimus, quòd in templum potius, quàm regium palatium (quale tunc Antonia erat Hierosolymis) siue prætorium diuertit. Ita enim testari voluit, regnum suum non esse de hoc mundo, & se non nisi veritatis causa, & vt hominum saluti consulat, in mundum venisse. Simul autem suo exemplo docet, religionis curam ad magistratus & reges pertinere. Etsi enim hanc non armis, sed Verbi sui prædicatione Deus propagari velit, singulorum tamen est, vt hanc inter suos rectè constituant, & constitutā tueantur atque seruent. Docet hoc communis sensus, & lex naturæ exigit. Quia enim magistratus à Deo instituti sunt, qui illos authoritate & potentia instruxit, interq; illos (vt in Psalmis habetur) medius considet: æquissimum sanè fuerit, vt ijdem Dei gloriam cumprimis curent, nec illam in populo suæ fidei commisso collabi patiantur. Ideò Legis librum regibus familiarissimum esse voluit, & pseudoprophetis simul atq; blasphemis pœnas capitales constituit, quæ de illis non nisi per magistratus legitimos sumi possunt, nisi ἀναρχίαν & effrenem quiduis audendi & faciendi libidinem instituere libeat. Arguuntur his fanatici, qui religionem ad magistratus nihil pertinere clamitant, & nefas esse, vt qui Christo nomen dederunt, magistratum gerant, aut in aliqua politica functione versentur: nec alio ferè argumento nituntur, quàm quòd veteris testamenti exempla nobis nihil seruire clamant. At aliud scripturæ docent, quæ de Christi regno vaticinantes, reges ecclesiæ nutritios fore dicunt, & eosdē hortantur, ut se totos Christo & verbo ipsius subijciant. Et in nouo testamento Iosephum ab Arimathæa, Nicodemum, Eunuchum Æthyopem, Cornelium, Paulum Sergium, Erastum quæstorem & alios plures, qui in magistratu erant, ad fidem conuersos esse legimus, qui interim functionem suam retinuerunt, nec illi renuntiare iussi sunt. Et quis obsecro dubitet illis omnibus re-

Marginalia: Ioan.18. — Religionis curam ad magistratus pertinere. — Rom.13. — Psalm.82. — Deut.17. — Psalm.72. — Leuit.24. — Deut.13. — Isaiæ 49. — Psalm.2. — Matth.27. — Ioan.3.7. — Act.8.10.16. — Rom.16.&c.

bus religionem & ecclesiæ pacem cumprimis cordi fuisse? Quid? annon Paulus ob fidem periclitans Romani imperij leges & magistratus opem implorauit, & armorum præsidio legitimo sese defendi voluit? Minimè ergo audiendi sunt, qui hodie sub religionis prætextu magistratus & publica iura conuellunt: & quicunque in magistratu versantur, tunc demum se officio fungi sciant, si Dei gloriam & cultum prouehant atque tueantur, quod olim Dauidem, Solomonem, Ezechiam, Iosiam, & post hos Constantinum, Theodosium aliosq́ plures magna cum laude fecisse legimus. Act.16.22.& 23.&c.

Cæterùm ad Christum redeamus, qui sub vesperam vrbe egressus, Bethaniam sese recepit. Causam Lucas annotare videtur, nimirum quòd sacerdotes & seniores populi vitæ ipsius insidias struxêre, & fortaßis propter hos nemo illum domi sua excipere ausus fuit, ne (vt Ioannes inquit) è synagoga eijceretur. Subducit ergo sese periculo, ne ante tempus caperetur. Habemus ergo hîc inconstantiæ & ingratitudinis vulgi exemplum memorabile. Paulò ante illius aduentu omnes commoti, in illo quiddam homine maius agnouerunt. Acclamationibus magnificis ipsam celebrarunt, audiuerunt docentem & probarunt, simulq́ nouis beneficijs saluificam illius virtutem experti sunt. Vt primùm verò primates illius vitæ insidiari cernunt, nemo est, qui illi vel hospitium præbeat, nedum causam eius defendendam suscipiat. Exempla huius generis multa hodie extant: quibus nos nõ offendi oportet, cùm talia Christus & Apostoli experti sint. Quin obseruemus hîc, quid ingratos hosce & inconstantes maneat. Discedit ab illis Christus, qui seipsum miraculose tueri poterat: discedit autem, vt ingratos sibi displicere intelligant, vtq́ simul ostendat, ipsi nunquam defore locum, quò sese recipiat. At Christi discessus omne genus malorum secum trahit. Quia enim in vno hoc nobis pater placatus est, fieri nequit, quin Dei iram & maledictionem omnigenam incurrant, quicunq́ illum sua perfidia & ingratitudine abs sese discedere cogunt. Christus sub uesperam urbe exire cogitur. Ioan.12. Inconstantiæ et ingratitudinis exemplum. Matth.3.17. Ioan.3.

Facit huc ficus sterilis historia, quæ subijcitur. Cùm enim postero die Christus in vrbem reuersurus esuriret, eminus ficum videt, accedit si quem fructum in illa inueniat: at ubi nullum inuenit, illam perpetuæ sterilitati adiudicat, quæ & ipsa illicò exaruit. Videntur in his quædam leuicula esse, sed cùm Marcus ipse dicat, non fuisse tunc tempus ficuum, & illud Christus non potuerit ignorare, aliud vtique spectauit: nimirum vt doceret, quid ingratam vrbem maneat, adeoq́ totam Iudeorum gentem, quæ hucusque inani specie Deum deluserat. Docuerat hoc prius, quando cum lachrymis exposuit, quid de illa futurum esset. Et sanè probè cõuenit huic rei præsens miraculum. Fuit enim Hierosolyma instar ficus plantatæ à Domino, & vnà cum lege & cultu externo promißiones habuit amplißimas, quæ in Psalmis & prophetis leguntur. Venit Christus salutem ipsius esuriens, & quidem manè venit, id est, tempore oportuno, nec vnquam illos vrgere & hortari desijt. Sed nihil inuenit præter folia, id est, inanem fidei profeßionem, insolentem externi cultus fiduciam & hypocriticum sanctitatis fucum. Maledixit ergo, & sic quidem vt omnem quoque fructificandi facultatem illis ademerit, sicuti olim per Isaiam minatus fuerat. Et sicuti ficus hæc subitò radicitus exaruit, vt ne folia quidem reliqua manserint: Ita Iudæi à Deo repudiati, ipsum quoque ecclesiæ titulum, & cùm hoc templum & sacra externa amiserunt, quibus sese antea venditarunt, & horribile totius gentis excidium secutum est. At hîc meminerimus ista propter nos scripta esse, & ad nos pertinere, qui in Dei peculium cooptati & singuli instar ficuum in vinea Domini plantati sumus. Vt autem in vineis arbores minimè feruntur, nisi quæ fructum faciant: ita nec nobis in ecclesia locus erit, nisi fructum in Christo feramus, sicuti is alibi in vitis & palmitum parabola docet. Et quidem venit quotidie Christus fructus quærens pietatis, quibus ardens nostræ salutis desyderium exaturet. Cibus enim eius est, vt patris voluntatem faciat, qui illum nobis saluatorem constituit. Quid verò inueniat, res ipsa loquitur. Folijs quidem multi sese ostentant, Christiani nominis nimirum professione & externis ceremonijs: fructus autem fidei ferunt nullos. In aduersis certè plerique concidimus, vitam agimus impuram & à pœnitentiæ studio alienißimam, charitas omnis extincta refriguit, regnant autem libido, intemperantia, luxus, auaritia & quæcunque alia à Dei regno homines excludunt. Quid ergo expectemus præter maledictionem à Domino? quæ si semel nos feriat, omnes quoque bene agendi facultates auferet, & ab ecclesiæ consortio exclusos æterno interitu mulctabit. Præcesserunt huius generis exempla iam olim in ecclesijs Asiæ, Ægypti, Aphricæ, Græciæ & multarum aliarum gentium: & vtinam non etiam nostro seculo imminentis iræ & iudicij Dei præludia vidissemus. No- Historia ficus ob sterilitatem maledictæ. Lucæ 19. Psal.132. Isaiæ 2.&c. Isaiæ 6. Lucæ 13. Ioan.15. Ioan.4. Nota.

stræ ergo vocationis memores, fidei professionem fructibus testemur. Ita fiet, vt indies progressus maiores faciendo æternam vitam assequamur in Christo Iesu Domino nostro: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA XCIIII.

Et ueniunt Hierosolymam, & ingressus Iesus in templum cœpit eijcere eos qui uendebant & emebant in templo, & mensas numulariorũ & cathedras uendentium columbas subuertit: nec sinebat, ut quisquam deportaret uas per templum. Et docebat, dicens eis: Nonne scriptũ est, quòd domus mea domus orationis uocabitur omnibus gentibus, uos autem fecistis eam speluncam latronũ. Et audierunt scribæ principesq; sacerdotum, & quærebant quomodo eum perderent. Timebant enim eum, quia tota turba percellebatur super doctrina ipsius. Et cùm uespera iam esset, egressus est Iesus è ciuitate.

Argumentum & usus præsentis loci.

QVoniam Dei filius ideò in mundum venit, vt diaboli opera destrueret, & Dei regnum inter homines instauraret: totus in hoc est, vt suos in vera Dei cognitione instituat, & ea tollat, quæ obstant quo minus ille in nobis regnare possit. Inter ea præcipua sunt falsa doctrina & superstitio, quæ vt in externis cultibus scelerum expiationem quærere docent, ita à Deo vero maximè abducunt, qui in spiritu & veritate coli vult. Quapropter Iudæorum scribas & sacerdotes, veræ doctrinæ corruptores, paßim oppugnat, & populum à cultibus superstitiosis sedulò reuocat, omnemq; salutis spem in sola Dei gratia & mortis suæ merito nobis repositam esse docet. Nec hoc verbis modò facit, verumetiam manus admouet, quando apud præfractos & obstinatos docendo nihil proficiebat. Semel enim & iterum templo eiecit, quæcunque à sacerdotibus contra verbum Dei inuecta fuerant, & hoc ipsum nunc certò facit, quando planè incurabiles esse videt. Describunt ista Euangelistæ admodum diligenter, & à nobis non minori diligentia consyderari debent, quia suo exemplo Christus docet, quæ optima sit reformandæ ecclesiæ & religionis ratio, de qua hodie paßim contenditur. Quæ vt melius nobis pateat, primò videndum est, quæ fuerit apud Iudæos templi & religionis corruptio. Deinde quid Christus fecerit, & quid hodie fieri conueniat. Postremò vt eius factum sacerdotes, & scribæ acceperint.

Templi & religionis corruptio apud Iudæos.

Ioan. 1. Apocal. 13. Rom 10. Hebr. 9. 10. etc.

Apud Iudæos tabernaculi & templi usus præcipuus fuit, vt ad hoc vnum, ceu publicam totius gentis parrochiam, collectus populus in fidei & religionis vnanimi consensu retineretur, nec ad varias & diuersas superstitiones deflecteret. Et in templo quidem doctrina verbi Dei proponebatur. Huic coniungebantur sacrificia omnis generis, quæ maxima ex parte Christum Iesum, verum illum Dei agnum, figurabant. Fiebant item illic preces publicæ in aduersis, quas Deus se exauditurum promiserat: nimirum propter Christum, quem totius legis cultusq; legalis finem esse scriptura docet. Corruperat hæc omnia sacerdotum auaritia, qui populi superstitione abusi, satisfactionem pro peccatis & eorundem remißionem, non in promisso Saluatore, sed in externis hisce ceremonijs monstrabant: quem errorem iam olim prophetarum temporibus cœpisse, ex illorum sermonibus abundè patet. Magis tamen postea auctus est, quando sub Romanis præsidibus sacerdotium venale factũ, & annuæ Pontificum vices excogitatæ fuerunt. Qui enim illud magno pretio redimebant, omnem quoq; quæstus occasionem auidè aucupabantur. Introductæ ergo sunt hominum traditiones, quarum omnium finis erat, vt posthabitis veræ pietatis officijs, victimæ & oblationes quotidie fierent, sicuti Christus non vno loco illis exprobrat. Deinde quia Iudæi ex diuersis regionibus ad templum illud veniebant, & qui peregrini erant, victimas Hierosolymis emere consueuerant, vt hinc quoque lucri pars ad sacerdotes rediret, in ipso templi atrio pecudes & quæcunq; alia ad sacrificandum necessaria erant, vænum exponebantur: néue monetæ diuersitas quæstum impediret, numularij instituti fuerunt, qui omnis generis monetam cum lucro commutarent. Denique vt in celeberrimo aliquo emporio, ita hîc omnia ad quæstum erant instituta. At si hæc cum templis Papistarum conferas, eandem omnino

Matth. 15. 23. Marci 7.

omnino rerum faciem videbis. Olim certè templorum vsus erat, vt illic collecti fideles Dei verbum audirent, sacramentis à Deo institutis communicarent, & preces ad Deum facerent. At postquàm antistitum auaritia factum est, vt pauci omne ius & imperium sibi in ecclesia vendicarunt, multò maior corruptio inuecta est, quàm olim apud Iudæos fuerit. Hi enim saltem ad vnius Dei cultum omnia referebant. At hîc Diuorum cultus institutus est, quibus imagines & aræ positæ sunt, & omnis generis oblationes excogitatæ, institutæ præterea peregrinationes, sacra pro defunctis, nundinationes Missarum, sacerdotiorum, indulgentiarum, quas tanta cum impudentia exercuerunt, vt ne à rapinis quidem & sanguinis pretio abhorruerint, à quo olim Iudæorum sacerdotes abhorruisse in Iudæ proditoris historia legimus. Clamant illi, per nos templa prophanari, et in stabula equorũ conuerti, dum ex illis aras & simulachra totamq; illam supellectilem quæstuosam eijcimus: nec interim uident, illa apud ipsos emporiorum loco esse, in quibus & usuræ sacrilegæ exercentur, & vnà cum Christi & sanctorum imaginibus equi simul & asini, imò & porci & mures cum gliribus, adeoq; ipsi etiam diaboli depicti sculptiq; prostant. Poterant hæc multis demõstrari, nisi ita omnibus nota essent, vt nemo nisi impudentissimus illa negare posit.

Templorũ prophanatio apud Papistas.

Matth. 27.

Cæterum videamus, quid Christus fecerit, vbi tantam in templo sacrorum prophanationem inuenit. Duo de hoc dicitur. Primùm eijcit quæcunq; præter Dei verbum ad quæstum instituta erant. Expellit enim vendentes & ementes, quos initio quoq; prædicationis suæ flagello ex funibus facto, instar canum, eiecerat. Euertit item mensas numulariorum, quod absq; iactura pecuniæ effusæ fieri non poterat. Adhæc sedes eorum confringit, qui columbas vendebant: deniq; nulli vel rei vel personæ parcit, templumq; ab omni vsu prophano ita repurgat, vt ne vas quidem aliquod per illud deportari patiatur. Zelo igitur magno rem egit, quem discipuli quoq; in simili facto prius agnouerunt (vt Ioannes scribit) simulq; diuinæ suæ potentiæ specimen exhibet, qua omnes istos cohibuit, vt hæc fieri paterentur, nec se ipsi violenter opponerent. Deinde docet populum, & docendo facti sui rationem reddit, eamq; scripturæ locis confirmat. Annon (inquit) scriptum est, quòd domus mea domus orationis vocabitur omnibus gentibus, vos autem fecistis eam speluncam latronum. Cuius dicti partes sunt duæ, quarum altera verum templi vsum tradit, altera abusum arguit, quem ipsi inuexerant. Priorem ex Isaia sumit, qui hisce verbis de gentium vocatione vaticinatur, quæ omnes ad ecclesiam venturæ, & illic Deum verum inuocaturæ sint. Pro sui seculi autem more loquens templi meminit, quod cum ecclesiæ typus fuerit, rectè eidem nunc Christus oraculum hoc accommodat. Alteram ex Ieremia petit, qui eos accusans, qui templo & externo cultu ad peccandi licentiam & impunitatem abutebantur, illos templum in speluncam latronum conuertisse ait. Vt enim latrones suis lustris sese tegunt, ita illi sua flagitia sacrificijs & templi frequentatione occultari, vel etiam expiari posse putabant. Fiebat hoc ipsum Christi tempore, eoq; magis peccabatur, quòd ipsi sacerdotes latronum instar sub religionis prætextu Deo gloriam suam suffurabantur, adhæc rudis plebeculæ pecunijs insidiabantur, & miserorum animas simul falsa doctrina iugulabant, cùm eos à promisso saluatore abducerent, in quo vno vita salusq; habetur. Nec dubium est, quin hæc omnia pluribus exposuerit Christus, cùm Euangelista ipsum docuisse scribat.

Vt Christus corruptelam omnem templo eiecerit.

Ioan. 2.

Isaiæ 56.

Ierem. 7.

Ioan. 10.

Porrò ex his discamus, quæ optima sit reformandæ ecclesiæ ratio. Est hæc causa consyderatu dignissima, imò etiam necessaria. Reformatione enim opus esse, aduersarij quoq; testantur, qui nondum pudorem omnem absterserunt. Disputatur autem, quibus authoribus illa fieri debeat, vnde eius forma vel regula petenda, & quomodo instituenda sit: & alij quidem summi Pontificis uel Concilij generalis authoritatem expectandam esse clamant, alij humanis rationibus rem transigi posse arbitrantur, multi verò non pauca relinqui vellent, quæ nullis scripturis defendi posse sciunt. At omnibus istis facilè occurretur, si Christi exemplum inspiciamus.

Reformandæ ecclesiæ ratio.

Primò enim cùm omnia apud Iudæos corruptissima essent, & ipsi quoq; Pontifices officium suum negligerent, nequaquam illos expectat Christus, nec Concilium omnium tum Leuitarum tum Rabbinorum conuocari petit: sed ipse opus hoc longè pulcherrimum aggreditur. Facit autẽ hoc tanquam Rex, quem se esse suo in urbem ingressu ostenderat, vt supra dictum est. Ad singulos ergo magistratus pertinet, vt in suo populo abusus tolli, religionem verò rectè constitui curent. Fecit hoc olim Moses, quando in vituli aurei cultu tota ecclesia vnà cum suo Pontifice Aarone peccauerat. Secutus

1. Magistratus est, reformationem instituere.

Exod. 32.

Iud.6. est huius exemplum Gedeon, ita iubente Domino: & hoc ipsum postea sanctissimos reges, Asam, E-
2.Re.15.18.22. zechiam & Iosiam fecisse legimus: nec aliam esse noui testamenti rationem nuper abundè est de-
2.Par.14.29. monstratum. Quia enim magistratuum est afflictos asserere & publicam sui populi salutem tueri, re-
30.34.35. ligionis causam minimè possunt negligere, quando sine hac nec publica salus consistere, nec afflictorum
Psalm.72.82. conscientiæ pacari possunt. Vidit hoc Constantinus Imperator qui & Nicenam Synodum instituit, & illam non modò sua præsentia ornauit, verumetiam sua authoritate gubernauit, & episcopos contentiosos coercuit, ne priuata sua negotia publicæ saluti præferrent. Cuius exemplum imitatus postea Theodosius II. qui Ephesinam Synodum conuocauit, pœna graui constituta episcopis, qui comparere nollent. Et Martianus Imperator Chalcedonensi Synodo interfuit, suaq; authoritate obstitit, ne seditiosis tumultibus facultas dicendi sententias impediretur. Et recitantur eius verba distinct. 96. Nos ad confirmandam fidem, non ad ostendendam potentiam, exemplo Constantini Imperatoris pij Synodo interesse volumus, vt inuenta veritate dissidia tollantur. Magistratibus verò simul sua ope adesse debent ecclesiarum ministri, vt quod isti faciunt, ipsi diuini verbi authoritate tueantur. Sic Dauidi Gadum & Nathanum, Asæ Asariam filium Obed, Ezechiæ Isaiam, Iosiæ Helkiam & alios ex sacerdotibus & prophetis affuisse legimus.

2. Reformationis regula ex Dei uerbo petenda. Vnde verò reformationis regula peti debeat, similiter suo exemplo Christus docet. Etsi enim ipsius authoritas hîc sufficere posset, scripturas tamen allegat, quibus & abusum templi arguit, & verum eiusdem vsum tradit. Ergo ex Dei verbo, quod scripturis continetur, reformationes institui debent. Quia enim tota hæc causa Dei est, qui humanis intentionibus & traditionibus coli nequit, hunc quoq; solum audiant oportet, quicunq; cum laude reformare volunt. Adhæc quia ecclesia Dei domus est, eius solius fuerit in illa leges dare, neq; probari debet quorumcunque temeritas, qui tantam sibi in illa authoritatem vendicant, vt ex suo arbitrio res omnes constitui velint. Quare toto cœlo errant, qui Conciliorum canones adducunt, aut humanis rationibus rem tantam componere conantur. Quoad enim his locus datur, nunquã satisfiet dubijs conscientijs, & singuli ex suo cerebro quotidie noua figmenta proferent. Sola Dei authoritas conscientijs hominum satisfacere, & curiosorum commentis uiam præstruere potest.

Modus reformationis. Quoad verò reformationis modum, Christus vt Dei patris verbum allegat, ita semel omnia tollit & euertit, quæ huic aduersabantur, & templum non nisi sanctis & legitimis vsibus ita consecratum esse vult, vt nefas putet vel vasculum aliquod per illud deferre. Duo igitur in reformationibus spectanda sunt. Primò tollantur oportet, quæcunq; contra Dei verbum irrepserunt, & quorum nullus in legitimo Dei cultu vsus est: ea imprimis, quæ ad quæstum & superstitionem faciunt. Et quia hic mul-
Deut.7. ta occurrunt, quæ nos remorantur, ingenti zelo opus est, qualem in lege requirit Deus, quando ne au-
2.Reg.18. ro quidem parcere iubet: & qualis in Ezechia eluxit, qui ne serpenti quidem æneo parcendum esse putauit, cùm illi adoleret populus, et superstitiose eo abuteretur, cuius illo tempore non aliquis in religione vsus esse poterat. Minimè ergo audiendi sunt, qui vel vetustatis, vel artificij ergô imagines, aras, cereos, lampades, vestes, laruasq; Papisticas, & alia eius generis relinqui volunt, quibus & infirmorũ conscientiæ læduntur, & aduersarij in spe superstitionis aliquando instaurandæ confirmantur. Secundò reducantur quæ Deus olim instituit, Verbi nimirum doctrina, legitimus sacramẽtorum vsus, preces item publicæ & priuatæ, morum disciplina & quæcunq; Apostolos ecclesijs tradidisse constat. Caueatur deniq; ne eiectis superstitionibus templa, & quæ ad templa & externum Dei cultum per-
1.Cor.11.14. tinent, vsibus prophanis cedant, aut absq; religione tractentur, qua de re Paulus ad Corinthios disputat contra eos, qui in templis conuiuia priuata instituebant, quibus Cœnæ Dominicæ vsus prophanabatur. Et hic quidem opum ecclesiæ ratio cumprimis habenda est. Si enim vas aliquod prophanum aliunde templo inferri, aut saltem per hoc deferri Christus noluit: num illum eos probare putabimus, qui templi opes efferunt, & quæ ipsi consecrata sunt, in vsus prophanos conuertunt? Poterant hæc fusius per singulas partes explicari, sed summa rerum capita annotasse sufficit, ex quibus singuli discere possunt, quid in suis templis eijci, quidúe restitui debeat.

Scribæ & sacerdotes Christo insidiantur. Restat vltima huius loci pars, vt Christi factum nonnulli acceperint. Audiuerunt hæc (inquit Marcus) scribæ & principes sacerdotum, & quærebant quomodo eum perderent. Causa: timebant enim eum, ne scilicet omnem ipsorum quæstum & dignitatem euerteret, maximè cùm populum ab eius

eius doctrina pendere viderent. Est hoc proprium impijs, quòd terrenis & temperarijs commodis metuunt, quando regnum cœleste oritur. Ita Herodes terretur & regno suo metuit, quando promissum illum Iudæorum regem natum esse audit. Matth. 2. Et hodie præposterus hic metus Monarchas & principes exagitat: quasi verò terrena multùm curet, & ea suis possessoribus eripiat, qui vt cœlestis regni thesauros nobis conferret, in mundum hunc venit. Admonet locus hic, quid expectet qui Dei cultum restitutum & ecclesias reformatas volunt. Insidias nimirum potentissimorum hominum, & omnis generis pericula. Vt enim veritatis lucem mundus odit, ita suis vel commodis vel voluptatibus quicquam derogari minimè patitur. Ioan. 3. Exempla in scripturis passim extant, & similia quotidie experiuntur, qui istud saxum voluunt. Minimè tamen ipsos terreri oportet, vt ideo officium negligant. Nam etsi Christo isti insidientur, nihil tamē possunt donec hora ipsius veniat. Ita omnibus suæ vitæ & mortis hora iam constituta, imò omnes capitis pili numerati sunt: & qui istorum rabiem modò compescere potuit, vbiq; & semper hostibus suis frenum inijcere, suosq; tueri potest. Imò qui reformationibus obstant, tandem malè pereunt, cuius rei in Iudæis exemplum euidens habetur. Instaurant indies quæ Christus eiecta voluit, & postea vt templum suum cultusq; quæstuosos tueantur Stephanum lapidibus obruunt. Acto. 6. 7. 8. Apostolos & ecclesiam omnem persequuntur. Veniunt ergo tandem Romani, qui vnà cum templo superstitionum officina, vrbem gentemq; omnem excindunt. Est hoc ipsum multis expectandum hodie. Eijcit enim Christus verbi sui flagello impias sacrorum nundinationes, cultus prophanos, idololatriam & doctrinas hominum, imò dæmoniorum (vt Pauli verbo vtar) pestiferas. 1. Timoth. 4. At pro illis pugnant præcipui, qui sanctos Christi seruos iuuare debebant, & quæ bene eiecta sunt infelicibus planè auspicijs instaurant. Aliunde ergo adducet reformatores Dominus, qui ipsas quoq; superstitionum officinas, monachorum lustra, vnà cum horum sectatoribus radicitus extirpet. Præludia quædā huius mali iam annis aliquot in regnis per Turcas occupatis vidimus, grauiora haud dubiè visuri, nisi Christo cedere, & obedire libeat. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA XCV.

Et mane prætereuntes uiderunt ficum exaruisse radicitus: & Petrus recordatus dicit ei: Rabbi, ecce ficus illa quā execratus es, exaruit. Et respondens Iesus dicit eis: Habete fidem Dei. Amen enim dico uobis, quòd quicunq; dixerit monti huic, Tollitor & proijcitor in mare, & nō disceptauerit in corde suo, sed crediderit, quòd fient quæ dicit: erit ei quicquid dixerit. Propterea dico uobis, quæcunque orantes petitis, credite quòd accipietis, & erunt uobis. Et cùm steteritis orantes, remittite si quid habetis aduersus aliquem: ut & pater ille uester, qui in cœlis est, remittat uobis offensas uestras.

Quemadmodum Dominus noster Iesus Christus regio suo in vrbem ingressu diuinæ potentiæ & maiestatis specimen præbuit: Ita simul multa dixit fecitq;, quæ Iudæos, & cum his omnes nos, officij admonent, docentq; quid eos facere cōueniat, qui imminentem sibi Dei iram subterfugere, & regni cœlestis hæreditatem obtinere cupiunt. Argumentum & usus præsentis loci. Inter hæc non postremum est miraculum in ficu editum, cui sterilitatem perpetuam est imprecatus, eò quòd esuriens nullum in ea fructum inuenisset. Ita verò docere voluit, Iudæorum gentem esse ficum illum, quam Deus pater singulari cura & studio plantarit vt veræ pietatis fructus proferrent: & se quidem fructus illos iam sæpius quæsiuisse, inuenisse autem nullos, & proinde dignos esse, qui perpetua sterilitate mulctentur, & incurabiles facti æternùm pereant. At quia hæc minus obseruarunt discipuli, modò miraculi istius vsum ipse plenius exponit, simulq; docet, quid ipsis omnibus faciundum sit, ne similem maledictionem incurrant.

Occasionem tractationi huic Petrus præbuit, qui ficum ita subitò exaruisse videns, quī hoc factū sit miratur, & illam Christo ostendit, nimirum vt ex hoc rei totius causam discat. Discipuli ficus arefactæ miraculum non intelligunt. Vbi non temere Petrum aliquis mirabitur, qui cùm maiora multa signa per Christum facta vidisset, ad præsens hoc

ita obstupescit, vt interim nec obseruet nec interroget, quid illo facto Christus portẽdere voluerit: cum vel sola temporis circumstantia illos ad huius rei consyderationẽ excitare posset. Quia enim non erat tempus ficuum (vt nuper Marcus annotauit) aliud certè voluit Christus, quàm arborem sensu & ratione carentem vlcisci, quæ esurienti cibum nullum exhibebat. At discipulos rei nouitas ita attonitos habet, vt de eo minimè cogitent quod hîc præcipuè agebatur. Est hoc carnis ingenium, vt externis occupata, ea negligat quæ cumprimis obseruare oportebat. Et hodie hoc ipsum fieri videmus, quando pleriq; dum Euangelium prædicatur, vel signa requirunt non necessaria, vel euentus rerum obseruant: interim verò veritatis & fidei doctrinam & signa, quibus illam quotidie Deus confirmat simul & mundum ad pœnitentiam excitat, planè negligunt. Fit idem, quando iudiciorum suorum exempla Deus adit, & hominum scelera mulctat, vt pleriq; calamitates & plagas quidem obseruẽt, illarum verò causas & Dei consilium, qui his reliquos homines ad frugem meliorem inuitat, minimè curent.

Christus miraculi usum exponit.

Sed audiamus Christum Dominum, qui miraculi vsum (vt ante diximus) indicat, eaq; occasione fidem commendat, cuius ea sit virtus & potentia, vt & veræ pietatis obstacula tollat, & in aduersis tutos conseruet, & fructus ferat, qui Deo probentur, iramq; ipsius à nobis auertant. Proderit ergo singula diligentius inspicere.

Fidem Christus commendat, quæ Dei iram auertat.

Propositio aut summa eorum quæ dicit, hæc est: Habete fidem Dei. Ita verò vocat fidem, quæ vno Deo verè & certò nititur, et sensus verborum hic esse videtur: Miramini quod ficui accidit. At aliud potius vobis hîc erat obseruandum. Docere enim volui, quid ingratos maneat, qui pietatis fructus Deo patri negare solent. Videndum ergo omnibus ne pœnam similem incurrant. At hîc vos sola fides tueri & seruare poterit. Hæc si vobis in Deo fixa & collocata sit, bene erunt omnia. Nã & fructibus vos ornabit sanctissimis, & omnia ea amolietur, quæ vel pietatis studio vel saluti vestræ obstare poterant. Vbi probè obseruandum est, quòd disertè fidem Dei nos habere iubet. In hoc enim vno & solo fiduciam & spem omnem collocandam esse, vnanimi consensu omnes scripturæ docent.

Fides in unum Deum collocetur, non in Creaturas. Gene. 17. Exod. 20.

Monet hoc fœderis cum Abrahamo olim facti articulus, quo se Deus nobis ad omnia sufficientem fore profitetur. Docet idem Lex Domini, in qua simul cauet, ne Deos alienos nobis faciamus, id est, ne fiduciam, quæ sibi debetur, alibi collocemus. Innuit hoc ipsum orationis Dominicæ initium, quo oraturi eum inuocamus, qui communis omnium nostrûm pater est, & qui in cœlis præsidens omnia suo nutu & imperio regit. At hunc solum Deum esse, notius est, quàm vt multis demonstrari oporteat. Quid? annon in Symbolo Apostolico, nos in vnum Deum credere profitemur, qui vt omnium creator est vnicus, ita nos per filium suum vnigenitum redemit, & spiritu suo sanctificatos sibijpsi ecclesiam fecit, cui gratiæ suæ & remissionis peccatorum thesauros vitæq; æternæ hæreditatem pollicitus est? Errant igitur, quotquot Deo huic Diuos coniungunt, & vel minimam suæ spei et fiduciæ partem in eos collocant, dum illos sibi vel auxiliatores vel mediatores constituunt. Quoad enim auxilium & liberationem ex aduersis, perpetuò ratum erit, quod olim dixit Dominus: Inuoca me in die tribulationis, & eruam te, &c. Item, non est alius Deus præter me. Deus iustus & saluans nullus præter me. Quoad verò intercessionem, huius meritum ad solum Christum pertinere, ipse docet, quando neminem ad patrem venire ait, nisi per se, qui via sit, veritas & vita. Et Apostoli hunc vnum nobis intercessorem & aduocatum apud patrem constituunt. Vnus Deus (iuquit Paulus) & vnus mediator Dei & hominum, homo Iesus Christus. Et Ioannes dilectus ille Christi discipulus, cui ille moriturus matrem virginem commendauit, scribit: Filioli mei, hæc scribo vobis ne peccetis: & si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem, Iesum Christum iustum. Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. En solius Christi meminit, quod nunquam facturus erat, si istum honorem vel Mariæ virgini vel alijs Diuis, iam cum Christo regnantibus deberi credidisset. Quin seipsum peccantibus adnumerat, cum ait: aduocatum habemus, non Habetis. Quod diligenter admodum obseruauit Augustinus, qui in hunc locum inter multa alia sic scribit: Maluit Ioannes se ponere in numero peccatorum, vt haberet aduocatum Christum, quàm ponere se pro Christo aduocatum, & inueniri inter damnandos superbos. En in damnatorum numero eos censeri debere Augustinus sensit, qui se aliorum hominum aduocatos & intercessores constituunt. Quod vtinam obseruarent, qui nos hodie hæresis accusant & Diuorum hostes esse vociferan-

Psalm. 50. Isa. 45.

Ioan. 14. 1. Timoth. 2.

1 Jo: 2

Tractatu 1. in epistolam Ioannis.

cifrantur, dum hanc gloriam vni Christo vendicamus, de qua ipse apud prophetam pronũciat, quòd eam alteri non sit daturus. Audiant quæso illi Augustinum, qui modò citatis hæc quoq; adijcit. Fratres, Iesum Christum iustum ipsum habemus aduocatum ad patrem, ipse propitiatio est peccatorum nostrorum. Hoc qui tenuit, hæresim non fecit: hoc qui tenuit, schisma non fecit. Vnde enim facta sunt schismata? Cum dicunt homines, nos iusti sumus: cum dicunt homines, nos sanctificamus immundos, nos iustificamus impios, &c. Fides ergo (vt paulò ante docuimus) vno Deo niti debet, idq; per vnum Christum, quem ille nobis mediatorem & intercessorem constituit. Isaiæ 42.

Deinde obseruabimus, qualis nam fides hæc esse debeat. Innuit hoc Christus, quando in sequentibus se de illis loqui ait, qui ita credunt, vt non disceptent in corde suo. Est enim hoc carnis ingenium, vt in rebus arduis & difficilibus dubia hæreat, & in diuersas sententias hinc inde distrahatur. Est autem hoc à fidei ingenio alienissimum, quæ Deo sic nititur, vt de illius vel voluntate vel potentia nullo modo dubitet, etsi ipse naturæ ordo ipsius promissis aduersari videatur, sicuti Abrahami exemplo docet Apostolus. Videt enim illius bonitatem immensam & infinitam esse, & eundem omnipotentem esse nouit, adeò vt illius consilium nemo impedire queat. Adhæc Veritatem ipsam intelligit esse Deum: & istorum omnium pignus infallibile agnoscit in Christo Iesu, quem ex gratia ineffabili in mundum misit, vt veteres promissiones impleret, & per mortem ignominiosam diaboli regnum destrueret. Et horum consyderatione ita animantur fideles, vt cum Paulo dicant: Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quî fieri potest, vt non cum eodem omnia nobis donet? Quis nos separabit à dilectione dei? &c. Quoad verò æternam salutem, ijdem disceptare nequeunt, quando hanc in Christo fundatam esse norunt, aduersus quem ne portæ quidem inferorum præualent, & qui suas oues nequaquam è sua manu eripi patitur. Vbi iterum confutatur papistarum doctrina, quæ hominem salutis suæ semper incertum esse iubet, & proinde de illa dubitare docet, qui proximus ad desperationem gradus est. Nos Christum audiamus, qui vt vni Deo confidere iubet, ita fidem hanc certam, firmam & ab omni disceptationis specie alienissimam esse docet. Fides certa sit, nec dubia uacillet. Rom. 4. Psalm 103. & 136. &c. Rom. 8. Matth. 16. Ioan. 10.

Cæterùm rationes allegat ab effectis fidei petitas, quò facilius persuadeat quod iubet. Prima est, quòd illi nihil sit impossibile, & id quidem locutione hyperbolica enunciat, dicens: Amen dico vobis, quòd quicunq; dixerit monti huic, Tollitor & proijcitor in mare, & non disceptauerit in corde suo, sed crediderit quòd fient quæ dicit, erit ei quicquid dixerit. Atqui nec Christum nec Apostolos vnquã montes loco mouisse legimus. Hac ergo locutione miracula; omnium maxima intelligit, & quòd omnia pietatis & salutis obstacula fides facillimè tollat, adeò vt montes quoq; (si ita fieri necesse sit) illi sint loco cessuri. Et sanè maiora fieri patebit, si fidei effecta consyderes. Nam in salutis negotio montes cumprimis ardui & insuperabiles nobis obijciuntur. Talis est caro, quæ partim prauis affectibus, partim zelo inconsyderato nos à salutis via transuersos abripit: quam vincere adeò arduum est, vt philosophi quoq; hanc omnium pulcherrimam victoriam esse dixerint, si quis seipsum vincere queat. Mons quoq; ingens est mundus, qui exemplo, authoritate, potentia, minis & tyrannide piorum studia oppugnat. Accedit his diabolus, qui ipsis quoq; animis sese insinuat, simul foris & intus nihil non mouet, vt vel salutis suæ negligẽtes reddat homines, vel desperationis terroribus absorbeat, vel metu crucis superatos ad defectionem impellat. At omnibus his superior est fides, quam ideo Ioannes victoriam nostram esse scribit. Hæc carnis affectus vnà cum intellectu & ratione Deo subijcit. Hæc mundum nobis contemptibilem reddit, vt nec exemplum eius nobis imitandum, nec authoritatem sequendam, nec tyrannidem metuendam esse putemus. Eadem diabolum fortissimè reijcit. Facit enim vt homo Dei verbo illuminatus suam infirmitatem agnoscat, & proinde salutem suam cum timore & tremore operetur, ne thesaurum hunc, quem in vasis fictilibus circumgestamus securitate & oscitantia sua perdat. Similiter ignita desperationis tela promissionum & gratiæ dei consyderatione restinguit, simulq; fortes reddit & intrepidos, ne hostem nostrum, quantumuis furentem, timeamus, quem iam olim eiectum esse, nec quicquam contra se posse Christus testatur. Faciunt huc exempla credentium, quæ passim in scripturis commemorantur, & quorum pulcherrimum catalogum Apostolus ad Hebræos contexit. Hæc verò cùm solius fidei effecta sint, quæ non ab hominis arbitrio dependet, sed dei donum est, vtique ad gratiam referri debet, quicquid à nobis bene fit: si- Fidei nihil est impossibile. 1. Ioan. 5. Phil. 2. 2. Corinth. 4. Ioan. 12. 14. & 16. Hebr. 11. Ephes. 2.

multiq; arguuntur, qui cùm fidem iactitent, montes tamen istos non loco moueant, sed ijs pulcherrima fidei & virtutum exercitia impediri sinunt, sine quibus illius professio consistere non potest.

Fides preces reddit ratas & efficaces.

Altera ratio, qua fidem nobis commendat Christus, est, quod preces Deo gratas & efficaces reddat. Nam addit: Propterea dico vobis quæcunq; orantes petitis, credite quòd accipietis, & erunt vobis. Consentiunt his multæ aliæ promissiones. Vt enim Deus in se vnum sperare, seq; vnum inuocare iubet: ita se ex fide vera inuocantibus opem & auxilium liberalissimè promittit. In die tribulationis (inquit) inuoca me, & eruam te. Item: Erit vt priusquam inuocent, ego respondeam: & adhuc illis loquentibus ego exaudiam. Et Christus alibi inquit: Petite, & dabitur vobis, &c. Et rursum: Quicquid petieritis in nomine meo, hoc faciam. Item: Amen dico vobis, quæcunq; petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Exempla verò, quibus promissiones hæ probentur, passim occurrunt, quorum commemoratione tamen non est opus, quando nemo hominum est, qui Dei bonitatem non ipse aliquoties sit expertus. Hoc saltem teneamus, ex fide preces nostras suum pondus & authoritatem habere. Sola enim hæc Christum apprehendit, qui nos Deo reconciliauit, vt nostra illi grata & accepta esse queant. Interim verba Christi non absolutè accipi debent, quasi Deus quibusuis precibus quas temere fundimus, annuere debeat. Nam fidei meminit, cuius proprium est in Dei verbum respicere, nec quicquam optare aut petere, quod cum eius voluntate dissentire nouit. Itaq; de ijs precibus loquitur, quibus ea petimus, quæ & nobis salutaria sunt, & cùm Dei voluntate sancta & bona conueniunt. Semper ergo dum precamur, eius conditionis meminerimus, quã Christus adhibuit, cùm patri diceret. Non mea voluntas, sed tua fiat. Et si quãdo non exaudiamur, cogitemus ita nobis opus esse, nec interim de Dei veritate eiusq; bona voluntate erga nos dubitemus.

Psalm.50. Isaiæ65. Matth.7. Ioan.14.& 16. Luc.22.

Precaturi proximis offensas condonent.

At quia in precum mentionem incidit Christus, aliud etiam adijcit, quod precaturis quàm maximè necessarium esse, alibi monuit. Cùm steteritis (inquit) orantes, remittite si quid habetis aduersus aliquem: vt & pater ille vester, qui in cœlis est, remittat vobis offensas vestras. Quæ non eo sensu dicuntur, quasi eius condonationis merito, quæ à nobis proficiscitur, peccatorum remissio tribuatur. Constat enim peccata nobis ex mera gratia remitti, & ex gratia quoq; preces nostras exaudiri. Sed officij admonet Christus, simulq; nos de precum nostrarum effectu minimè dubitare docet, si quando nos iam ante per Dei gratiam eò vsq; promouisse sentimus, vt exutis iræ, odij & vindictæ affectibus, ex animo proximis condonemus si quid aduersum nos deliquerunt. Est enim hoc præsentis gratiæ & spiritus Dei indicium, quo pij adiuti postea maiores progressus faciunt. Itaq; precaturis nunquam excidere debet hoc Christi præceptum. Quia enim charitatem nobis passim commendat Deus, & hanc notam esse constat, ex qua Christi discipuli agnoscuntur: nunquam Deo probari poterunt, qui animos odij & vindictæ tenaces in ipsius conspectum afferunt. Et si munus suum apud altare relinquere, & priusquam sacrificent fratribus reconciliari debent, qui illos aliqua in re offenderunt: quantò magis ad preces offerendas inepti & indigni erunt, qui ipsi offensionem & vindictam animo volunt? Facit huc, quòd ex Christi mandato debita nostra ita nobis remitti oramus, sicuti nos nostris debitoribus remittimus. Quæ conditio ita nos astringit, vt si hîc difficiliores simus, nosmetipsos per preces nostras deuoueamus, adeoq; in nostram perniciem conuertamus preces, quibus nihil in hac vita habemus magis nessarium. Neq; nobis graue videri debet quod Christus iubet, quando ipse Deus suo exemplo præit, & innumera quotidie delicta nobis condonat, sicuti Christus in parabola principis & seruorum euidenter docet. Interim in omnibus hisce scopi istius tractationis memores, cogitemus nos singulos ficus esse, quas in sua vinea Deus plantarit. Esurit ille salutem nostram, & quotidie pietatis & fidei fructus quærit, quibus hanc suam famem exaturet. Sumus nos natura steriles, & insuper multa obstant, quò minus fructus feramus: quæ humanis viribus tollere tam difficile est, quàm montes loco mouere. Potest tamen hoc fides, quæ in Christo fortes reddit, & vt obstacula tollit omnia, ita cum charitatis studio coniuncta preces nostras Deo gratas & acceptas facit. In hac ergo fortes simus & constantes, nec deerit pijs conatibus Deus, qui & hîc omnibus periculis superiores faciet, & olim in regnum suum cœleste transferet, per Christum Iesum, cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Ioan.13. Matth.5. Matth.18.

HOMI-

HOMILIA XCVI.

Et ueniunt rursus Hierosolymam, & cùm ipse ambularet in templo, ueniunt ad eum principes sacerdotum, & scribæ & seniores, & dicunt ei: Qua authoritate ista facis, & quis tibi dedit authoritatem istam, ut ista facias? Iesus autem respondens ait illis: Interrogabo uos & ego uerbum unum: respondete ergo mihi, & dicam uobis qua authoritate hæc faciam. Baptismus Ioannis è cœlo erat, an ex hominibus? respondete mihi. Disputabant autem inter se, dicentes: Si dixerimus, E cœlo, dicet: Quare ergo non credidistis ei? Sed si dicamus, Ex hominibus, timemus populum: Omnes enim sentiebant de Ioanne, quòd uerè propheta fuisset. Et respondentes dicunt Iesu, Nescimus. Et Iesus respondens dicit eis: Nec ego dicam uobis, qua authoritate hæc faciam.

QVemadmodum Dei filius nostræ salutis ergò in mundum venit: ita suo exemplo docet, vt mundus hic erga salutis negotium affici soleat, & quid omnes expectent, qui hanc promotam cupiunt. Et hoc quidem in ijs potissimùm elucet, quæ paulò antequam moreretur acciderunt. Nam vrbem regali pompa ingressus omnia fecit, quæ de suo in Iudæorum gentem studio abundè testari poterant. Fleuit ad vrbis conspectum, & sua illi fata non sine dolore & gemitu prædixit. Mox religionem, ex qua salus hominum non minima ex parte dependet, ab erroribus & corruptelis repurgauit. Inde docuit, & doctrinam miraculis confirmauit saluberrimis. Tandem in ficu, cui ob sterilitatem maledixerat, apertè ostendit, quid ipsi passuri sint, nisi emendentur. Quam verò pro omnibus istis gratiam retulit? Pessimam sanè. Insidiantur vitæ illius sacerdotes cum Senioribus & occisum volunt. Populi verò ea est inconstantia, vt nemo sit, qui hospitium præbeat ei, cuius doctrinam toties commendarant, quemq́ paulò ante tanto cum honore in vrbem deduxerant: quando illi extra vrbem est pernoctandum. Atqui idem suis euenturum esse, qui hoc ipsum negotium agunt, ipse non vno loco prædixit, & hodie multis exemplis probatur. Ad ista ergo nos obfirmari decet, ne offendamur. Sequitur vt dolo aggressi sint, quem aperta vi opprimi non posse videbant: vbi cumprimis hostium Veritatis astutia consyderanda venit, & quomodo huic occurri debeat.

Argumentum & usus loci præsentis. — *Luc.19.* — *Matth.10.* — *Ioannis 15.*

Priusquam verò congressum hunc Christi & hostium eius inspiciamus, videndum erit, quid nam ille tunc temporis fecerit. Marcus illum in templo ambulauisse scribit. Matthæus docuisse ait. Lucas verò doctrinæ genus simul exprimens, ipsum euangelizauisse tradit. Non pugnant hæc inter sese. Nam aut inter deambulandum docuit, aut cùm docuisset deambulare cœpit. Illud potius hîc obseruari debet, quòd templum quotidie ingredi & docendo pergere voluit, cùm insidias sibi à sacerdotibus tendi non ignoraret. Suo enim exemplo docet, neminem propter pericula vocationem diuinitus sibi commissam deserere debere, quoad illi hanc exequendi locus datur. Potest enim Deus suos tueri, & hostium conatus reprimere: & vt alibi dicebat Christus, horæ diei duodecim sunt, nec quicquam suis conatibus hostes efficient, nisi ea hora veniat, quam nobis laborum & periculorum finem Deus constituit. Quòd si verò periclitandum, & vita hæc omnino deponenda est, nunquam certè vel laudabilius vel maiori cum lucro deponi poterit, quàm si in Dei vocatione amittatur, qui illius nobis author & largitor fuit. Qui perdiderit animam suam (inquit Christus) causa mea & Euangelij, hic seruabit eam. Pretiosa enim est in conspectu Domini mors sanctorum eius, & iustorum animæ (vt Sapiens ille ait) in manu Dei sunt, nec attinget eos cruciatus. Obseruent hæc singuli in sua vocatione, cuiuscunque loci sint vel ordinis. Durum videtur ministris, si totius mundi studijs sese opponere, & eo nomine periclitari debeant: nec desunt prophetarum exempla de hoc nimis acerbè conquerentium. Clamabat olim Ieremias: Væ mihi ô mater mea, quòd me peperisti virum litigatorem & virum controuersiæ vniuersæ terræ, &c. Item: Ego sicut agnus assuefactus ductus ad lanienam. At cùm ista incidunt, cogitent simul quantò durius sit, Deo reluctari, cuius voluntas etiam inuitis nobis fiat oportet. Vnde Amos rectè dicebat: Leo rugiuit, quis non timeat? Dominus Deus locutus est, quis non prophetet? Et notum est Ionæ exemplum, quanto periculo is

Christus inter insidias & pericula officio suo fungitur. — *Lucæ 20.* — *Ioannis 11.* — *Marc.8.* — *Psalm.116.* — *Sap.3.* — *Ierem. 15. et 11.* — *Amos 3.* — *Ionæ 1.*

Exod.4. Ierem.1. Lucæ 21.

semetipsum inuoluerit, cùm Dei vocationem subire detrectaret. Neque hîc aliquem sua vel inscitia vel infantia terreat. Vt enim Mosi olim & Ieremiæ, & postea Apostolis suam opem Deus pollicitus est, ita eandem omnibus feret, qui vocantis imperium secuti fuerint. Eadem obseruent qui in magistratu versantur. Etsi enim laboris & periculi plena sit ipsorum functio, & multi passim exurgãt, qui bonas leges euersas, & sanctos principes extinctos vellent: attamen qui olim Dauidem, Ezechiã & horum similes defendit, ipsos quoq; proteget, si officium fecerint. Quòd si hoc neglexerint, peribunt quidem illi, aliunde verò respiratio & salus pijs oborietur, vt olim Hestræ reginæ Mardocheus dicebat. Cogitent hoc ipsum priuati quoq; homines, si quid vel pro Dei gloria vel publica salute audendum est. Quotquot enim quæ ex hominibus oboriuntur pericula tanti faciunt, vt propter illa Dei vocationem negligant, næ illi se Dei prorsus ignorantes esse, abundè probant.

Hest.4.

Aduersarij Christi qui fuerint.

His præmissis ad Christi aduersarios transeamus, vbi qui nam illi fuerint, quidúe fecerint, est consyderandum. Nominantur hîc sacerdotum principes, quos plures fuisse quàm Deus olim constituerat, nuper diximus. Accedunt his Scribæ & Seniores, quorũ hi quidem publica authoritate insignes erant, illi verò legis siue scripturæ cognitionem sibi præ alijs vendicabant. Coniurarũt ergo aduersus Christum primates omnes, cùm spirituales tum seculares, vt hodie loquuntur. Est hæc perpetua veritatis sors. Non possunt hanc ferre falsi antistites, eò quòd huius luce ipsorum imposturas & tyrannidem argui sentiunt. Non scribæ, qui sua potius, quàm diuina sapientia nituntur. At hi deinde principes & magistratus facilè in suas partes trahunt, qui si nemo vrgeat, veritatis tamen doctrinam suspectam habent, semperq; metuunt, ne ipsorum licentiæ vel tyrannidi frenum aliquod inijciatur. Exempla hodie passim cernuntur: vbi multos hoc non leuiter offendit, quòd Euangelij doctrinam omnibus penè inuisam & exosam esse vident: & quidem ijs potissimùm, qui in aliquo eminentiæ gradu sunt constituti. At hinc potius colligi debebat, doctrinam hanc diuinam & cœlestem esse. Nam si de hoc mundo esset, mundus quod suum est, diligeret. Ioan.15.

Christus astutè seditionis insimulatur.

Cæterum quo astu ipsum aggressi sint, videamus. Qua authoritate (aiunt) ista facis? & quis tibi dedit istam authoritatem, vt hæc facias? Non audent doctrinam ipsius reprehendere, quam diuinam & cœlestem esse, ex miraculis patebat: & quam populi totius consensus approbabat. Neque illud quoque accusant, quòd è templo sacrorum nundinationem eiecisset. Tanta enim eius turpitudo erat, vt vel ipsos sacerdotes eius posset pudere, ad quos ex illa quæstus vberrimus redibat. Aliud ergo crimen illi intentare conantur, quòd nimirùm ista negotia illi non liceat tractare, quodq; rebus nihil ad se pertinentibus seipsum temerè & insolenter ingerat. Erat enim Leuitica tribus à Deo electa, quæ rebus sacris vacaret, nec alijs licebat diuini cultus administrationem sibijpsis vendicare. Et in prophetarum sermonibus grauiter admodũ accusantur, qui currebant, cùm à Deo non essent missi. Hîc ergo Christum constringi posse putant, ne elabatur. Quia enim ius ordinandi penes ipsos erat, sciunt ipsum nequaquam dicere posse quòd ab illis ipsis hæc agendi authoritatem acceperit. Quòd si se diuinitus missum esse dicat, mox insolentiæ accusabunt, & signum è cœlo dari postulabunt, sicuti prius non semel fecerunt. Hîc ergo illis scopus propositus est, vt populo suspectũ & inuisum reddant, vt qui priuata authoritate, imò seditiose nimis, ea sibi vendicet, quæ ad ipsos solos pertineant, vtpote legitimos Aaronis successores. Et hîc quidem egregium habes & euidens exemplum eorum, quæ hodie passim fiunt. Non possunt negare aduersarij nostri abusus & errores in ecclesiam irrepsisse prorsus intolerabiles, nec dissimulari possunt querelæ piorum, quas iam annis aliquot fuderunt. Sciunt reformationem ab omnibus expectari. Interea clamant istam rem nec ad ecclesiarum ministros, nec ad principes siue magistratus singulos pertinere, sed Concilij generalis determinationem esse expectandam: simulq; audaces & seditiosos ecclesiæ & totius orbis Christiani turbatores esse vociferantur omnes eos, qui non expectata Concilij sententia suas ecclesias reformare student. Quòd si de Concilio quæras, omnem huius & conuocandi & gubernandi potestatem sibi suisq; coniuratus Romani Pontifices vendicant, qui non alio firmiori argumento, quàm Apostolorum, Petri imprimis, successione nituntur. At ijdem illi omnium in ecclesia errorum & malorum præcipui authores sunt: & hisce Iudæorum sacerdotibus planè similes, dum reformationem malignè differunt, interim ne alij hoc opus cum primis necessarium aggrediantur impediunt, sicq; sub Christi prætextu in ecclesia tyrannidem exercent. Quàm verò friuolum sit argumentum, quod ex successione Apostolorũ petitur, facilè patet, si nostros

Exod.13. Num. 3. & 17. Ierem.23.

Matth.12. & 16.

ſtros hoſce Aaronis ſucceſſores reuera fuiſſe cogites, qui et templum & pontificatum à Deo inſtitutum habuerunt. Non tamen illos ea immunitate deus armauit, quam noſtri hodie ſibi vendicant. Quoties enim cultum dei vel ſua negligentia collabi paſſi ſunt, vel ipſi eum malitioſe corruperunt, ſemper pios reges à deo excitatos eſſe legimus, qui illos in ordinem redigerent: & nunc ceſſantibus vniuerſis, Chriſtus huic operi manum admolitur, & ſuo exemplo docet, quid magiſtratus quoſuis facere conueniat, qua de re nuper plura diximus. Poterat etiam hîc confutari Pontificum de ſucceſsione Apoſtolorum gloriatio: ſed cùm ea adeò putida ſit & elumbis, vt vel ipſos pontificios, ſi qui ex illis cordatiores ſunt, eius pudeat, non opus eſt iſtis fecibus diutius immorari: quando licet illam quàm maximè obtineant, non potiori loco ſint, quàm hoſce Iudæorum pontifices Deus eſſe voluit.

Nunc ergo iſtis omiſsis ad Chriſtum transeamus, qui non directè illorum quæſtioni reſpondet, ſed aliam opponit: non quòd illum ſui facti pudeat, aut eius rationem reddere inſolenter detrectet, ſed quòd ita illorum improbitatem argui oportebat. Imò quaſi aliud agens ita reſpondet, vt ſatis perſpicuè teſtetur, ſe diuina authoritate hæc omnia facere. Interrogabo (inquit) & ego vos verbum vnum: reſpondete ergo mihi, & dicam vobis, qua authoritate hæc faciam. Baptiſmus Ioannis è cœlo erat, an ex hominibus? &c. Senſus verborum hic eſt: Si vobis de me inquirere licet, qui tot ſignis meam vocationem approbo: non grauabimini opinor ſi quid de vobis ipſe quoque interrogauero. Dicite quæſo quid de Ioanne & toto illo negotio ſentiatis, cuius ille miniſter fuit? An illum diuinitus miſſum fuiſſe putatis, aut ſpontè cucurriſſe? Atqui illum ex prauo affectu quicquam feciſſe, incredibile eſt, cuius ea fuit in rebus agendis grauitas, vt & populus & Herodes non obſcura ſpiritus Dei indicia in illo deprehenderint. Quin veſtras ipſorum conſcientias teſtor, vos negare non poſſe, quin à deo ille miſſus fuerit. Quid ergo opus eſt rogare, qua authoritate hæc faciam? Num iam Ioannis de me teſtimonia animo exciderunt? quibus ille teſtatus eſt, me agnum illum dei, & verum eccleſiæ ſponſum eſſe, quem indies creſcere oporteat: quiq; ſolus in me credentes ſpiritu & igne baptizem? Ita alibi ad Moſis & ſcripturæ teſtimonia aduerſarios relegat, dicens: Scrutamini ſcripturas, & illæ teſtificantur de me. Si Moſi credidiſſetis, vtique & mihi crederetis, &c. Docet autem ſuo exemplo Chriſtus, quomodo cum iuratis hoſtibus veritatis agi debeat. Cauendum quidem, ne vel metu vel vt ipſorum gratiam venemur veritas diſsimuletur. Interim cautè agendum, ne vel margaritas porcis proijciamus, vel nos abſque graui cauſa in periculum præcipitemus. Facit huc quòd alibi ſerpentinam prudentiam à ſuis requirit, & illos ſibi ab hominibus cauere iubet. Et obſeruauit hoc ipſum Paulus ſæpe, cumprimis, quando prudenti proteſtatione Phariſæos & Sadducæos, hoſtes ſuos, inter ſe commiſit. Imitemur exempla eiuſmodi hodie, & conſtanti ſimplicitate hoſtium conatus facilè ſoperabimus.

[Margin: Chriſtus aduerſarios noua quæſtione eludit.]

[Margin: Ioan. 1. & 3. Matth. 3. Ioannis 5. Matth. 7. Matth. 10. Acto. 23.]

Facit huc quod de hoſtibus Chriſti dicitur. Diſputant inter ſe, & anxij hærent, dum modo ſuæ exiſtimationi metuunt, modò vulgi furorem expaueſcunt. Omnia autem timent præter quàm deum, quem cumprimis timere debuiſſent. Eſt hoc proprium impijs, vt ſuum honorem & quæſtum & gloriæ dei & publicæ ſaluti longè anteponant. Nec aliud eſt, quod hodie veritatis cauſæ magis officiat, quàm quòd magnates cùm eccleſiaſtici tum politici hiſce affectibus ſeſe regi patiuntur. At ijdem dum timent omnia, dei verò timorem ex animis ſuis procul eijciunt, ſuis ipſorum laqueis capiuntur, ſeq; indignos eſſe produnt, quos deus amplius inſtituat. Seruiant hæc conſolationi, ne minis huius mundi cedamus. Vt ut enim hic furiat, vincet tamen in ſuis Chriſtus Ieſus: cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

[Margin: Chriſti aduerſarij confunduntur.]

CAPVT XII.

HOMILIA XCVII.

ET cœpit eis per parabolas loqui: Vineam plantauit homo, & circũposuit sepem, foditq́ lacũ, & ædificauit turrim, & elocauit eam agricolis, ac peregrè profectus est. Et misit seruum ad agricolas in tempore, ut ab agricolis acciperet de fructu uineæ. Illi uerò captum eum cæciderunt, ac remiserunt uacuum. Et rursum misit ad eos alium serum, & illi lapidato caput uulnerarũt, & remiserunt dedecoratum. Et rursum aliũ misit, & illum trucidarunt; multosq́ alios, hos quidem cædentes, illos quidem trucidantes.

Argumentum & usus præsentis loci.



Hristus Iesus, dominus & saluator noster, cum sacerdotibus Iudaicis, hostibus suis acerrimis, sic agit, vt simul scandalo mederi studeat, quod apud vulgus ex illorum exemplo oriebatur. Et hîc idem huius etiam parabolæ præcipuus scopus est. Nec enim dubium est, multos grauiter offensos fuisse, quòd scribas & sacerdotes Christo tam infestos esse viderent. Ideò parabolæ veteris commemoratione ipsorum quidem ingratitudinem illis exprobrat, simul verò docet illa neminem offendi debere: eò quòd hæc illis auita adeoq́ hæreditaria sit ex patribus, qui simili contumacia olim prophetas quoque sint persecuti. At quia Iudæi olim communis ecclesiæ typus fuerunt, quæcunq́ de illis dicuntur, ad nos quoq́ transferri debent, vt inde discamus quæ nam ecclesiæ officia sint, & quales antistites illius esse conueniat, quæ item vitia à singulis vitari debeant, qui in ecclesiæ consortio manere cupiunt.

Ecclesia uineæ confertur. Deut. 33. Psal. 80. Hoseæ 10. Isaiæ 5. Ierem. 2. &c. Act. 20. 1. Pet. 1. Psalm. 104.

Et primò quidem ecclesia dei vineæ confertur: quæ parabola in scripturis frequens est admodũ. Exprimit autem egregiè dei erga nos studium, nosq́ simul officij admonet, quod à nobis deus requirit. Vt enim vinearum possessio pretiosissima est, & eadem magno sumptu & labore coluntur: Ita ecclesiam suam deus ingenti pretio, nimirum filij sui sanguine acquisiuit, & eandem per verbum suum & spiritus sui dona studiose excolit, suoq́ præsidio mirificè conseruat. Vt verò in eum finem coluntur vineæ, vt vinum ferant, quod exhilarat cor hominis: Ita à singulis ecclesiæ membris deus fructus fidei, charitatis, sanctimoniæ & innocentiæ exigit, quibus ille quodammodo exhilaratur, dum ex salute nostra, quæ his coniuncta est, voluptatem capit singularem. Est hoc singulari diligentia obseruandũ, ne illorum persuasione nos seduci patiamur, qui Deum de nostris moribus non multùm cogitare dicunt, & proinde non opus esse, vt virtutis studio homines seipsos excrucient, aut etiam fidei & religionis causa petriclitentur. Atqui sicut lignum vitis nulli alij rei vtile est, quàm vt fructum ferat, & nisi hunc ferat, resectum igni committitur: Ita nisi ipsi quoq́ fructus Deo feramus, nullus planè nostri in ecclesia vsus est, & instar palmitum vitiosorum auulsi, in ignem æternum conijciemur.

Ezech. 15. Ioannis 15. Parabolæ partes.

Porrò vt ad parabolæ partes accedamus, Christus primò Dei beneficia in veterem ecclesiam collata exponit: deinde sacerdotum dignitatem adumbrat, in quam illos Deus euexit, simulq́ officij admonet: tertiò eorundem ingratitudinem & contumaciam cõmemorat: cui postremò pœnas dignas comminatur.

Beneficia Dei in ecclesiam.

Quoad beneficiorum cõmemorationem, in eum finem hæc instituitur, vt sacerdotum ingratitudinem exaggeret. Vt enim villici ingratitudo maior & grauius punienda censetur, si herum habeat beneficum & liberalem, & quidem in eo perfidus sit, ex quo res heri sui omnes dependent: Ita antistitũ culpa etiã hoc nomine grauior est, si ecclesiã negligant, aut in hanc sibi tyrannidẽ vendicent, in quam tot tamq́ luculenta extant diuinæ liberalitatis & beneficentiæ testimonia, & quæ vnicus Dei thesaurus est, & vnica quasi possessio, ex qua ille gaudium & oblectationem capit. Sunt autem beneficia dei in veterem ecclesiã potissima hæc. Primùm plantasse dicitur vineam. Comprehendit vno verbo, quod pluribus apud Isaiam explicatur, qui ex vitibus nobilissimis in loco pingui & elapidato consitã fuisse dicit. Fuerunt enim Iudæi oriundi ex sanctissimis patribus & in terram lacte & melle fluentem introducti

troducti, ex qua Chananæos vnà cum superstitionibus & alijs veri cultus impedimentis Deus eiecerat. Secundò sepem circumduxit, quæ præsidium Dei significat, quo illos mirificè aduersus vim hostilem & falsos doctores tutatus est. Equidem miraculum ingens fuit, quòd non in terra modò patribus ipsorum promissa, verumetiam in exilio inter immanissimos hostes defendit, ne vel gentibus permixti nomen ecclesiæ amitterent, vel ab illis omnino delerentur, qui eos cane & angue peius oderant. Tertiò fodit in ea lacum siue torcular. Adumbratur per hoc bonorum cùm corporalium tum spiritualium abundantia: deinde legis quoque disciplina, qua fructus veræ obedientiæ exprimere siue extorquere nunquam non studuit. Quartò turrim quoque ædificauit, vel speculam, id est, verbi sui ministerium inter illos ordinarium esse voluit, & prophetas dedit, qui speculatorum instar pericula imminentia obseruarent, & incautos præmonerent. Et hæc quidem præcipua sunt, quæ olim in Iudæorum gentem Deus contulit: ex quibus patet, quibus ecclesia opus habeat, vt vel rectè constitui, vel etiam conseruari possit. Primùm etsi nihil referat, ex quibus aut qualibus parentibus oriundi simus (non est enim in Christo Iudæus, aut Græcus, aut Scytha, aut barbarus) attamen nos quoque à Deo plantari oportet, et in veram illam vitem, Christum Iesum, inseri, vt ex illo vim illam fructiferam hauriamus, sine quo ex nobis ipsis nihil possumus. A Deo autem plantationem hanc fieri oportet, quia nisi ille nos trahat, ad Christum venire nobis impossibile est. Ioan. 6. Opus deinde Dei præsidio, quo aduersus omne genus insidias defendamur: imprimis aduersus diabolum, qui instar rugientis leonis obambulans, indesinenter quærit quem deuoret, & si suggestionibus prauis nihil proficiat, ad externam vim conuersus tyrannos persecutores commouet, qui & ecclesiam totam euersam volunt, & in singula eius membra crudelitatem suam exercent. Opus præterea spiritualibus donis, simul & legis doctrina ac disciplina, quæ carnis securitatem excutiat, & ferocientem coerceat, ne cum mundo pœnitere nescio condemnemur. Opus assiduo ministrorũ studio, qui singulorũ mores obseruent, præterea doceant, moneant, hortentur, increpent, instent deniq; tempestiuè & intempestiuè, prout rei necessitas postulare videtur. Sine his ecclesiã cõsistere impossibile est. Vbi simul obseruabis, hæc omnia vni & soli Deo tribui. Is enim vineã plantauisse, sepe muniuisse, lacũ effodisse & turrim ædificasse dicitur. Ad vnum ergo hunc vniuersa redit nostræ salutis gloria, nec quicquam hîc vel nostræ ipsorum vel ministrorũ industriæ tribui debet: quæ nulla omnino fuerit, nisi deus nostra opera vti, & ipse in nobis operari dignetur. Et fungitur quidem ille suo officio, neq; nobis deest in ijs omnibus quæ ad salutẽ nobis necessaria esse diximus. Curemus modò, ne ipsi nobis defuisse videamur, & Dei gratiam amplexi, tales esse & manere studeamus, quales ipse nos esse vult.

Ezech. 3. & 33.

Quibus rebus ecclesia opus habeat.

1. Pet. 5.

2. Timoth. 4.

Nunc sacerdotum dignitatem & officium videamus, quæ paucis verbis complectitur, dicens: Et elocauit vineam agricolis, & peregrè profectus est. Agricolæ dicuntur Sacerdotes, quos in veteri testamento Deus suæ ecclesiæ colonos constituerat. Fuit hæc incomparabilis Sacerdotum dignitas, quòd ipsorum fidei commissi essent, quos Deus pro suo peculio agnoscebat. Admonebant illos huius dignitatis gemmæ, quæ nominibus duodecim tribuum Israeliticarum inscriptæ erant, & in Ephod insertæ humeris ipsorum gestabantur: vt sic non suæ modò dignitatis, verumetiam officij meminissent, nec vnquam illorum curam deponerent, quos ipsis Deus volebat esse commendatos. Dicitur autem Deus peregrè profectus vineam suam agricolis locauisse: quod non ita accipi debet, quasi ille instar Iouis illius Homerici ab ecclesia sua vnquam discedat: sed pro parabolæ ratione dicitur, sicq; Christus innuit, quam rationem Deus in ecclesiæ suæ administratione sequi soleat. Illius quidem est omne opus, iuxta illud Pauli: Dei agricolatio, Dei ædificatio estis. Idem tamen ille in nobis excolendis hominum opera vtitur, vt nostri captus imbecillitati sese accommodet: quæ tanta est, vt nec Dei loquentis maiestatem sustinere possimus (sicuti in Israelitarum exemplo ad montem Sinai patuit) nec regni ipsius mysteria percipere, si nuda proponantur. Gratiæ ergo singularis est, quòd ex hominibus sibi cooperarios sumit Deus, & externis ritibus velat, ac sensibus quodammodò exponit, quæ nostrum captum superant. Et tales quidem olim Leuitæ fuerunt, quibus etiam prophetas coniunxit, qui quasi operum exactores monendo & hortando tam Leuitas & Sacerdotes, quam reliquum populum vrgerent. Successerunt in horum locum Apostoli & viri Apostolici, qui per Ecclesias singulas Episcopos siue pastores & Seniores constituerunt, qui hoc ipsum exequantur, quod olim per Leuiticum sacerdotium adumbrabatur. Qui vt suam dignitatem agnoscere, ita simul

Sacerdotum dignitas.

Exod. 28.

1. Cor. 3.

Titi 1.

semper meminisse debent, se vineæ colonos esse, non dominos, & proinde ecclesiam verbi doctrina & legitima Sacramenrorum administratione excolere, vt Deo dignos fructus ferat. Arguuntur igitur hoc loco primùm ignaui suæ dignitatis contemptores, improbi item prophanatores: deinde dominatores superbi, qui sibi in ecclesia omne imperium vendicant, & contra Apostoli præceptum in Domini hæreditatem dominium superbè exercent, nec à quoquam reprehendi volunt: quales hodie Pontifices & mitratos Episcopos, totumq́ illum purpuratæ meretricis senatum esse constat. Nam vt demus illis, ipsos à Deo institutos, & Apostolorum successores esse: non alia tamen conditione instituti sunt, quàm vt coloni sint, & Deo fructum reddant suo quoq; tempore, non vt sibijpsis omne ius & imperium in ecclesiam Christi vendicent, &c.

1.Pet.5.

Sacerdotum ingratitudo & contumacia.

Porrò sequitur sacerdotum Iudaicorum ingratitudo atque contumacia. Cùm enim tempus esset, misit Dominus seruos suos, qui fructus exigerent. Intelliguntur per hos prophetæ, quos (vt paulò ante diximus) si quando omnes propè ordines officium suum negligerent, extraordinariè Deus omnibus seculis excitauit, vsque ad Christi ferè tempora, qui populum vnà cum sacerdotibus & regibus officij admonerent, & ad illud præstandum magno zelo hortarentur. At illi (inquit) non contenti vacuos & inanes dimisisse, insuper ipsos verberibus & contumelijs atrocissimis mulctarunt, & quosdam etiam occiderunt. Faciunt ad horum expositionem, quæ de prophetis reiectis & occisis in sacra historia traduntur. Et hîc quidem singularis Dei bonitas nobis consyderanda venit, qui malæ fidei colonos, adeoq; vniuersum Iudæorum gentem tam diu tulit, & plures subinde seruos illi submisit, licet illos incurabili contumacia quotidie in peius proficere videret. Experimur eandem nostro quoque seculo, & vtinam non simul eiusdem ingratitudinis exempla haberemus, quæ hîc in Iudæis notantur. Sed est hoc proprium infelicis mundi uitium, vt sicuti malæ fidei debitores suos creditores non modò frustrari & fallere, verumetiam odisse & persequi solent: ita plerique hominum non contenti Deo officium negauisse, insuper eius odio inflammentur, nec eos ferre possint, qui illos vrgent, vt sese Deo gratos & morigeros præbeant. Factum hoc fuit apud primi seculi homines, priusquàm diluuium inundaret. Idem Sodomæos fecisse legimus, Ægyptios item cum suis Pharaonibus, postea Romanos Imperatores & plerosq; ferè gentium, qui illis subiecti fuerunt. Et hîc quidem omnibus seculis facilè primatum obtinent antistites, qui si semel exorbitarint, mox admonitionū impatientissimi sunt, & quiduis moliuntur, ne possessione mala fide occupata decedere cogantur. Exempla sunt passim in scripturis. Et hodie Pontifices, Episcopos, Abbates & alios huius farinæ potissimum aduersus Euangelij prædicationem insanire videmus, & in hoc vnum incumbere, ne Christo suæ ecclesiæ possessio restituatur. Imitantur hos deinde qui in magistratu agunt, imò priuati quoque homines, qui mox furere & in suos monitores horribili audacia insurgere solent, si quando liberius admonentur, vt debitos fructus Deo ferant. Proderit autem hîc obseruasse, quòd prophetas exactoribus confert Christus. Fructus ergo exigant, quos Deo probari norunt: Iustitiam nimirum & Iudicium, vt Isaias inquit. In fidei iustitia quosuis instituant, & singulos hortentur, vt pro suæ vocationis ratione officium faciant. Neque hîc illos mundi ingratitudo & contumacia intractabilis terreat. Et si enim priores prophetæ olim indignius tractarentur, attamen minimè officio defuerunt, quos post illos misit Dominus. Nemo igitur ex mundi impietate occasionem arripiat detrectandi officium. Nouit illam Dominus, qui si eam per te corripi velit, tu officium facito, quando quid per te ipse effecturus sit, scire non potes. Et si nihil proficias, saltem tuam ipsius animam liberaueris. Rursum, qui per ministros officij admonentur, illos Dei exactores esse & officium facere meminerint, nec illos eo nomine persequantur. Qui enim id faciunt, in ipsum Deum peccant, & quotidie in peius proficiunt, sicuti in sequenti Sermone plenius patebit. Facit Deus, vt vinea Dei simus, quæ fructus ferat dignos in Christo Iesu: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

2.Par.36.
Matth.23.

HOMILIA XCVIII.

Cùm ergo unum adhuc haberet filiū, dilectum suum, misit etiā eum ad illos ultimum, dicens: Reuerebuntur filium meum. Illi uerò agricolæ dixerūt inter se: Iste est hæres, uenite, occidamus eum, & nostra erit hæreditas.

reditas. Et captum eum occiderũt, & eiecerunt extra uineam. Quid ergo faciet dominus uineæ? Veniet, & perdet agricolas, & dabit uineam alijs. Ne hanc quidem scripturam legistis: Lapis, quem reprobauerunt ædificantes, is factus est caput anguli? A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. Studebant igitur eum prehendere, sed timuerunt turbam: norant enim quòd aduersus ipsos illam parabolã dixisset: & omisso eo abierunt.

Parabolæ huius argumentum & scopum præcipuum esse nuper diximus, quòd Christus Iesus rudibus & infirmis mederi instituit, qui grauiter offendebantur, quòd ipsum à sacerdotibus & senioribus reijci viderent, qui summam in Iudæorum gente cùm doctrinæ tum sanctitatis existimationem sustinebant. Illorum ergo ingratitudinẽ arguit, vt omnibus constet, quàm indignè & inique hoc faciant, qui in hoc à deo olim instituti sint, vt vineam vel ecclesiã ipsius excolant, vt ex illa digni fructus ad deum redire poßint. At non nouam esse ostendit ingratitudinem istam, quando constet, idem olim à maioribus ipsorum factitatum esse, qui simili iniquitate à deo submissos prophetas trucidarint. Vsus verò istorum omnium hîc nobis præcipuus esse debet, ne hodie offendamur, si quando Christum & doctrinam ipsius ab ijs reijci cernimus, qui ecclesiæ antistites haberi volunt. **Argumentum & vsus præsentis loci.**

Pergit autem in tertia parabolæ parte Christus, quæ sacerdotum ingratitudinem & iniustitiam continet, & postquàm quid maiores ipsorum olim dei seruis prophetis fecerint, exposuit: nunc quid ipse ab illis passurus sit, prædicit: vtq; rei indignitatem exprimat, dei patris de humana salute consilium & ipsorum effrenem audaciam inter se confert. Et deum quidem inducit consultantem, quid porrò faciat, quando tot serui ab infidis colonis tam indignè tractati sint: & tandem filium quem vnicum & dilectißimum habebat, missum fuisse ait, si fortè illius reuerentia tangerentur. Vbi minimè putabimus, eiusmodi cogitationes dubias & incertas in deum cadere, quem nihil eorum, quæ futura sunt, latere potest: sed (vt in parabolis fieri solet) humano more ista dicuntur, & æternum dei consiliũ exprimunt, quo ille filium suum humano generi saluatorem destinauit, cùm illi aliter consuli non posset. Simul verò adumbratur ineffabilis dei bonitas, qui filium ad Iudæos quoq;, & quidẽ ad Iudæorũ sacerdotes, mittere dignatus est, in quos ob occisos prophetas suo iure vti et ingratos excidio mulctare poterat. Quod vt consolationem magnam affert afflictis conscientijs, ne in peccatis de Dei bonitate temerè desperent: ita charitatis officia nobis commendat, vt Deum patrem imitati potius cogitemus quid nos deceat, quàm quid meruerint, qui aliquam nobis iniuriam fecerunt. Præterea cùm eadem fuerit aliarum quoq; gentium conditio, quibus tamen filium suum Deus per Euangelij prædicationem innotescere voluit, apparet salutem nobis ex mera gratia obtigisse. Quid enim meriti allegabimus, propter quod Christus nobis redemptor datus sit? Vel quid nos meruisse dicemus, qui priusquàm essemus, ante ipsam mundi constitutionem in Christo sumus electi? Vide Ephes. 1. **Dei patris de filio mittendo consilium.**

Sed colonos videamus, qui ubi herilem filium venire vident, Hic (inquiunt) est hæres, venite occidamus eum, & nostra erit hæreditas. Sunt hæc consultantium verba, quæ ideò inducuntur, ne illos ex ignorantia tantum scelus designasse putemus. Et sanè ignorantiæ excusationem illis nullam fuisse ex eo patet, quòd toties Christi doctrina simul & miraculis conuicti fuêre, vt illum Dei filium esse, negare non possent. Innuit hoc ipse Christus, quando discipulis ait: Si opera non fecissem inter eos, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Nunc autem & viderunt et oderunt, non solum me, verum etiam patrem meum. Sunt autem in istorum verbis quædam nobis diligentius consyderanda. **Sacerdotum iniquitas in Christum.** **Ioan. 15.**

Primùm, quòd Ecclesiam Christi hæreditatem vocant. Iste (inquiunt) est hæres. Et rectè quidem, quando hoc in scripturis frequens est admodum. In Psalmis enim scribitur: Postula à me, daboq; gentes, vt sint hæreditas tua, &c. Et in Ioele: Ne des hæreditatem tuam in probrum, &c. Nec temerè nomen hæreditatis ecclesiæ spiritus sanctus tribuit: eò quòd illo iustum legitimumq; Christi in hanc dominium exprimitur. Vt enim hæreditas iure & legitimè ex patribus ad filios peruenit: ita Deus ecclesiam, quam ab æterno elegit, filio suo, ceu hæredi vnico, conceßit, & hunc illius dominum & caput constituit. Interim huius consyderatio tum institutioni tum consolationi plurimùm seruit. Si enim Christi hæreditas sumus, certè nec nosipsos nec alios qui ad istam hæreditatẽ pertinent, à Christo ab- **Ecclesia hæreditas Christi dicitur.** **Psalm. 2.** **Ioel. 2.**

strahere vel alienare debemus. Faciunt hoc priuatim, qui vel fidē in Christum abnegant, vel peccati mancipia fiunt, publicè autem, qui vel falsa doctrina vel tyrannide ecclesias à Christi obedientia abstrahunt, & idololatriæ authores sunt ijs, quorum fides vno Deo per Christum niti debebat. Rursum minimè putandum est, quòd Christus hæreditatem suam vel ignoret, vel illam sibi eripi patiatur. Nouit Dominus qui sint sui, inquit Apostolus. Et ipse in Euangelio: Ego sum pastor ille bonus, & cognosco oues meas, & cognoscor ab illis. Item: Oues meas nemo rapiet de manu mea. Si enim homines frugi hæreditates suas studiose seruant, adeò vt mori potius, quàm illas turpiter dissipare velint (sicuti in Nabothi exemplo est videre) num Christum adeò negligentem aut leuem putabimus, vt aliquam suæ hæreditatis partem perire sinat?

2. Timoth. 2.
Ioan. 10.
1. Reg. 21.

Cur Christum homines persequantur.
Exod. 19.

Secundò causam exprimunt, quæ homines Christo infestos reddere consueuit. Occidamus (aiunt) eum, & nostra erit hæreditas. Non ergo occidunt, quòd aliquam ab illo iniuriam passi sint, sed quòd illius hæreditatem sibipsis vendicare cupiunt. Scimus enim Deum Iudæorum gentem olim elegisse, vt suum peculium esset & regnum sacerdotale. Illam ipsam amplissimis promissionibus donarat, quas externis ceremonijs & ritibus mysticis obsignauerat. At omnia hæc sacerdotes in suum quæstum conuerterant (vt supra vidimus) & ijdem simul Domini hæreditatem suis traditionibus miserè aggrauabant. Arguebat illorum audaciam & impietatem Christus, & sibi vendicabat regnum & sacerdotium in ecclesia Dei, & ista ad se, vtpote legitimum hæredem pertinere, tum scripturarum authoritate, tum miraculis planè diuinis demonstrabat. Ne ergo possessione malè occupata deijciantur, de illo occidendo consultant. Nec modò consultant, sed captum mox occidunt, & occisum extra vineam eijciunt, quasi indignum, qui aliquem in ecclesia Dei locum habeat. Et huc faciunt, quæ Caiaphas postea dixit, occidendum esse Christum, ne Romani illis terram & gentem totam auferant: & quòd Pilato crucifigendum tradiderunt, homini ethnico & à populi Dei communione alienissimo, qui in supplicio latronum socium fieri voluit, vt indignum, qui inter ciuiliter bonos viros, nedum in Dei populo locum haberet. Atqui hæc ipsa causa hodie multos publicè & priuatim aduersus Christum armare solet. Postquàm enim Pontifices summum sibi ius & imperium in ecclesia, quæ Christi peculium & hæreditas est, vsurparunt, eundem per Euāgelij prædicationem ius suum sibi vendicantem ferre nequeunt, sed in illius membra, adeoq; in illum ipsum (vt olim Saulus) ferro & igne grassantur. Nec negari potest, hanc præcipuam persecutionum causam esse, quòd suæ tyrannidi metuunt episcopi & pontifices. De Paulo tertio P. M. certè viri graues & Romanæ curiæ non ignari referunt, illū quæuis dogmata, facilè ferre potuisse, modò illorum authores audiret nihil aduersus sedis Romanæ dignitatem moliri. Quin priuatim in singulis hoc ipsum cernitur. Sunt enim singuli homines Christi peculium, & instar palmitum in ipsum insiti, fructus vocatione & professione sua dignos ferre debebant. Quàm multos autem videre est, qui non contenti fructus negasse, illius insuper seruos contumeliose tractant, quin ipsum vnà cum Euangelio suo eiectū & profligatum volunt, vt ipsis pro sua libidine vitam suam instituere liceat. Habet enim sua incrementa impietas, & primus quasi gradus est, Deo debitos fructus negare: quod tunc fit, quando carnis & diaboli mancipia fiunt, qui Deo toti seruire debebant. Sequitur hinc odium ministrorum verbi, quos Deus nobis exactores mittit. À ministris verò in ipsum Dei verbum istud odium transfertur. Quod vbi factum fuerit, mox omnis generis contumeliæ, iniuriæ, imò cædes crudelissimæ sequuntur, & nec ipsi Christo parcitur, cuius non modò membra, verumetiam verbum, scripturas nimirum sacras, impijs flammis tradere impij non verentur. Sunt ista horrenda dictu, sed vtinam non passim huius impietatis exempla hodie extarent. Ergo primum gradum cauere discant, qui vlterius nolunt progredi.

Ioan. 11.
Act. 9.

Pœnam sacerdotibus prædicit.
Matt. 22

Cæterum pœnam istorum videamus, quæ postrema parabolæ pars est. Quid ergo faciet Dominus vineæ? Interrogatione vtitur, vt ex ipsorum ore sententiā, qua ipsi sese cōdemnent, extorqueat, sicuti Matthæus annotauit. Additur ergo: Veniet, & perdet agricolas, & dabit vineā alijs. Venturū dicit Deum, vt ostendat, illum nequaquam suæ causæ & ecclesiæ defuturum, licet hucusq; multa dissimulauerit. Deinde perdet (inquit) agricolas, & vineam locabit alijs, id est, vos infidos colonos vnà cum vestris sectatoribus excindet, & regnum suum vnà cum ecclesiæ titulo transferet ad gentes. Vtrumq; verò factum esse constat. Venerunt enim à Domino missi Romani, qui templo vnà cū vrbe

exusto

excusso infelicem Iudæorum gentem eiusq; antistites destruxerunt: simulq; secutum est Iudaici populi repudium, quod toties olim prophetæ minati fuerant, & ad gentes emissi Apostoli, ex illis ecclesiam Christo adduxerunt, qui prius sine Deo, sine testamento, & à salutis promissionibus alieni fuerant. Quo exemplo docuit Deus, quid omnes gratiæ ipsius contẽptores & perfidos fidei professores maneat. Et idem multis postea euenisse historiæ docent, qui Iudæorum mores imitati sunt.

Obseruabis autem, quòd propter perfidos colonos nequaquam vastatur vinea, sed illis sublatis locatur alijs. Nam ex Iudæorum reliquijs (sicuti prophetæ prædixerant) ecclesiam inter gentes instauratam per totum orbem Deus mirificè propagauit. Soletur hoc nos, si quando ex multorum perfidia & ingratitudine toti ecclesiæ interitus imminere videtur. Nec enim fieri potest, vt ecclesia Deus careat, qui filium suum inter medios hostes perpetuò regnaturum esse promisit. Et Christi vox est: Ecce ego vobiscum sum vsq; ad consummationem seculi. Meminerimus tamen, ecclesiam nulli loco aut genti priuilegio quodam immutabili alligatam esse, sicuti olim Iudæi sibijpsis persuaserunt, & hodie stulti Romanistæ de sua Roma nugantur. Qui enim Iudæorum genti electissimæ non pepercit, & ipsam oleam excindi voluit, cùm sterilis & malè grata esset: multò minus ijs parcet, qui ex oleastris desumpti, & ex gratia in radicem illam sanctam inserti sunt, si etiam ipsi steriles & Deo ingrati esse pergant. Et terreat nos ecclesiarum ruinæ, quæ cùm olim Europæis ecclesijs cum vetustate tum fidei & pietatis existimatione præstantiores fuerint, hodie totæ extinctæ iacent: quales Antiochenam, Alexandrinam, Ephesinam & infinitas alias fuisse legimus, in quarum locis hodie immanis Turcarum tyrannis grassatur, & infelicis Mahumeti deliria dominantur.

Vinea non vastatur, sed locatur alijs.
Isaiæ 10.
Ioel. 2.
Mich. 5. &c.
Psalm. 110.
Matth. 28.
Rom. 11.

Cæterùm quia absurdum & incredibile videbatur, sacerdotes, quos Deus suæ ecclesiæ colonos & architectos esse voluit, tale quid designaturos esse, & ipsi (vt Lucas tradit) hoc ipsum cum detestatione abs se remouerent: Christus se istud non ex suo cerebro finxisse, sed ita olim prædictum esse docet. Ne hanc quidem scripturam legistis? ait: Lapis, quem reprobauerunt ædificantes, is factus est caput anguli, &c. Extat locus Psal. 118. ex quo faustas illas populi acclamationes petitas fuisse, supra diximus, quibus Christi in vrbem ingressum populus celebrauit. Sensus autem verborum est: Si incredibile videtur quod dico, & vestræ conditionis dignitate ita estis inflati, vt tantum nefas aut scelus in vos cadere posse nequaquam putetis: quid ergo ad Dauidis vaticinium respondebitis, qui ipsos ecclesiæ architectos illum lapidem reprobaturos esse prædixit, quem Deus anguli caput facturus sit? Nec est, quòd hoc uobis mirum videatur. Dei enim opus est, cuius consilia non humanis rationibus inuestigari possunt, sed fide apprehendi debent. Copiosiorem huius loci expositionem in Actis adduximus, vnde petant quibus hic breuiores æquo esse videmur. Illud hic obseruasse sufficiat, Christum verbis istis præcipuum parabolæ de vinea scopum indicare, ne scilicet aliquis offendatur, si antistites ipsi infensos esse videat. Ita enim olim prædictum, & à Deo institutum esse: vt vel ex eo constet, regnum ipsius non esse de hoc mundo, nec hominum authoritate & potentia propagari, sed diuina virtute, quæ per infirmos & ignobiles sese exerit, quò illustrior sit illius effectus & gloria, sicuti Paulus in priori ad Corinth. admonet. Quod ipsum hodie obseruari debet aduersum eos, qui nobis Pontificũ, episcoporum & præsulum authoritatem obijciunt: Quid enim noui est, si etiam isti pretiosum illum lapidem reijciunt, qui solus ecclesiæ totius ædificium sustinet? Annon hoc fore olim prædixit Deus? Annon hoc fecerũt, quorum functio diuinitus instituta erat? Vel quid aliud speres à nostris, quorum mores cum Iudaicorum sacerdotum moribus, & studijs per omnia conueniunt? Paulus certè Antichristi sedem in ipso Dei templo monstrat, & episcopis loquens: Ex vobis (inquit) exibunt lupi graues, qui gregi non parcent, &c. At hic soletur nos, quòd Christum ecclesiæ suæ fundamentum insuperabile & caput anguli perpetuò fore audimus, vtut illum potentissimi quiq; reijciant. Quàm uani enim illorum conatus sint, ex eo patet, quòd cùm se notatos esse intelligant, & Christum illicò occisum cupiant, nihil tamen audent præ metu populi, quo illos Deus, ceu fræno cohibebat: quam iniustitiæ principum & tyrannidis aduersus veritatem institutæ iustissimam pœnam esse, alibi diximus: vt nimirum eos metuant mali præsides, à quibus (si officio suo dignè fungerentur) metui & obseruari deberent. Fortes ergo & constantes uno Christo Iesu nitamur, qui vt peccatum, mortem & diabolum deuicit: ita in se credentes perpetuò tuetur, & regni sui cœlestis consortes facit. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Parabolæ confirmatio ex scripturis.
Acto. 4. homilia 27.
1. Cor. 1.

HOMILIA XCIX.

Et mittunt ad eum quosdam è pharisæis & Herodianis, ut eum caparent sermone. Illi uerò cùm uenissent, dicit ei: Magister, scimus quòd uerax sis, nec cures quenquam: non enim respicis in personam hominum, sed in ueritate uiam Dei doces. Licet ne censum dare Cæsari, an non? demus, an non demus? Ipse uerò cùm sciret eorum hypocrisim, dixit eis: Quid me tentatis? afferte mihi denarium, ut uideam. Illi uerò attulerunt. Tunc dicit eis: Cuius est imago ista, & inscriptio? Illi uerò dixerunt ei: Cæsaris. Et respondens Iesus dixit eis: Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ Dei sunt Deo. Et admirati sunt super eo.

Argumentum & usus præsentis loci.

Dominus & saluator noster Iesus Christus in Vineæ parabola sacerdotum ingratitudinem & contumaciam aduersus Deum arguit, & iisdem pœnas denunciauit grauissimas, quæ in totam Iudæorũ gentem redundarunt. Quàmuis verò illi de se hæc dicta fuisse intellexerint, adeò tamen non sunt emendati, vt potius ad nouas artes conuersi, illum quæstionibus insidiosis circumuenire tentarint. Quo exemplo admonemur, impios, vbi veritatis odium conceperũt, subinde (vt Paulus inquit) in peius proficere, eoq; præfractiores fieri, quò magis Dei verbo vrgentur. (2. Timoth. 3.) *Exempla eius generis multa extant, quorum omnium hic nobis vsus esse debet, ne aduersus Dei verbum affectibus indulgeamus, si non ipsi quoq; volumus incurabiles fieri. Interim consolationis plenum est, quòd omnes hostium Christi conatus ad ipsius gloriam & publicam piorum institutionem faciunt. Agitur enim hac occasione de articulis præcipuis, quorum cognitio vtilissima planè & cumprimis necessaria est, quos Christus ita edisserit, vt hostium suorum tum ignorantiam tum improbitatẽ arguat, simulq; doceat, quid pijs de illis sit sentiendum. Et in præsenti quidem de magistratu agitur aduersum eos, qui fidei & religionis prætextu suis magistratibus obedientiam negant. Vbi discemus, vt hæc cum fide possit coniungi, & quid Deo, quid item hominibus præstari debeat.*

Pharisæi & Herodiani aduersus Christum conspirant.

Primi autem hostes Christi producuntur, qui ipsi de his dicendi occasionem præbuerunt. Fuere illi ex pharisæorum & Herodianorum numero, in eum finem à sacerdotibus submissi, vt simulato iustitiæ studio (vt Lucas annotauit) ipsum disputatione aliqua insidiosa irretirent. Qua ratione pharisæi delecti fuerunt, qui præcipuam iustitiæ existimationem sustinebant. Coniunguntur his Herodiani, multùm illis dissimiles, vtpote homines aulici, voluptuarij, prophani et Romanarum partium studiosi: quos disputationis & responsionis Christi testes esse volunt. Vbi non temere aliquis mirabitur, qui fieri potuerit, vt inter se conuenerint, qui moribus & studijs dissimillimi erant. Sed est hoc proprium impijs, vt cùm in externis perpetuò dissideant, & vel auaritia vel ambitione duce inter sese conflictentur, in vnius tamen Veritatis oppressione conuenire soleant, eò quòd illam omnes ex æquo oderunt. Hinc est, quòd postea Sadducæos quoq; cum pharisæis, & alibi milites cum sacerdotibus contra Christum conspirauisse legimus. Et in Romana historia Iulianus apostata Iudæos aduersus Christi fidem suo fauore armauit, & vt templum ædificarent instigauit, licet ipse ad gentilismum defecisset, & proinde nec Iudæis nec Christianis ex animo faueret. Et hodie Monachos, qui mundo & carni mortui videri volunt, non modò cum voluptuarijs aulicis, verum etiam cum sanguinarijs militibus consentire videmus, adeoq; eorum amicitias & opem expetere, à quorum moribus ipsorum professio infinitis parasangis distare videtur. Possumus hinc nostræ religionis veritatem infallibilem agnoscere, quando in hanc solam omnes impij conspirant, qui alias superstitiones omnes ferre possunt, imò etiam defendunt. Quod si quando illos in rebus externis dissidere contingat, nemo tamen illorum dissidijs quicquam tribuat, sed in vno Deo speremus, qui et suorum animos vnire, & impiorum coniurationes dissipare solet: ipsi verò vnum & idem in Christo sentiamus, ne ambitiosis rixis inter nos commissis hostibus impijs nos opprimendos propinemus.

Astuta hostium Christi insinuatio.

Porro videamus, quanto cum astu causam hanc agant, & quàm mirificè se illi insinuent. Nam non veritatis modò & iustitiæ studium, verumetiam se Christi obseruantissimos esse simulant. Tribuunt enim illi quæcunq; sunt boni doctoris officia. Huius est, non sua placita, sed Dei viam, id est,

est. Dei præcepta & ab illo traditam salutis rationem docere: et eandem rectè docere, vt singulorum ædificationi doctrina seruiat. Quod nunquam fiet, nisi à personarum respectu alienissimus sit, & se omnis loci & ordinis hominibus pastorem à Deo datum esse cogitet: & proinde nec timore aut præpostera obseruantia, nec odio, nec amore sese duci patiatur. Atqui omnia hæc in Christo magnificè prædicant. Magister: scimus (inquiunt) quòd verax sis, nec cures quenquam: non enim respicis in personam hominum, sed in veritate viam dei doces. At quorsum hæc tam magnifica præconia? Vt incautius aliquid effutiat, quod ipsi vel apud Rom. præsidem periculũ, vel apud populum inuidiam & odium conflare possit. Habent enim hoc proprium impij, quòd cùm odio piorum toti flagrent & ringantur, venenum tamen occulere & amorem vel obseruantiam simulare possint, quando maximè illis insidiantur. Referunt enim patris sui diaboli ingenium, qui simili astu primos parentes olim seduxit. Non temere ergo Christus à suis serpentinam prudentiam requirit, & vt ab hominibus nobis caueamus, admonet. Simul autem vide quàm egregiè suo sese indicio prodant sorices isti, vtcunq; astutissimi videri velint? Si enim magistrum agnoscunt, cur non discipulos se illi dociles & obedientes præbent? Si viam dei rectè docet, cur non illam sequuntur? cur per auia pharisaicæ sectæ aberrant? Cur Herodi incesto & plus quàm Epicuræo inseruiunt? Ad eundem modum hodie multi suam impietatem produnt, quando Apostolorum & Diuorum omnium fidem & doctrinam magnificè prædicant, eandem verò in nobis hostiliter persequuntur. Matthæi 10.

Sed quæstionem audiamus, cuius ergò hac tam blanda insinuatione vsi sunt. Licet ne (aiunt) censum dare Cæsari, an non? demus, an non demus? Petitur quæstio hæc ex ea, quæ tunc erat, Iudaici populi cõditione. Scimus enim illos Romanorum imperio subiectos fuisse, id quòd molestissimum erat hominibus, qui & libertati assueuerant, & suopte ingenio ad seditiones proni erant, vt ex illorum historijs colligere licet. Accedebat his, quòd Dei peculium volebant videri, & proinde indignissimum & iniquissimum facinus esse arbitrabantur, Dei populũ idololatris & prophanis hominibus subijci. Præterea intolerabilis ea tyrannis videbatur, quòd Romani censum sibi vendicarent, quem Deus pro cultus externi & templi conseruatione dari voluerat: adeò vt qui illum Romanis negarent, non pro fortunis suis, sed pro ipsa religione pugnare viderentur. Vides ergo quantum periculi quæstio hæc occultarit. Si enim illam abs se reijciat, vel tacendo dissimulet, populi & ecclesiæ causam negligere dicetur, & multis suspectus fiet. Si dandum esse censum pronunciet, populi odium in se prouocabit, nec amplius Messias esse putabitur, in cuius regno sibijpsis ex prophetijs perperam intellectis liberationem ex Romana seruitute & immunitatem tributorum pollicebantur, sicut alibi monuimus. Quòd si dandum esse neget, mox apud præsidem seditionis reus agetur. Hæ ergo tendiculæ, isti sunt laquei, quibus Christum irretiri posse arbitrãtur, vt vel magistratus iram in se prouocet, vel populi animos & studia abs sese alienet. Simul verò admonemur Iudæorum exemplo, quæ eorum sors sit & cõditio, qui libertatem sua culpa amiserunt. Tales enim Iudæos fuisse constat. At ijdem nunc pro illius restitutione frustra laborant, imò dum hanc quærunt, perfidis impostoribus sese seducendos præbuerunt, quales Theudam & Iudam Galilæum, aliosq; horum similes fuisse legimus. Nec desunt exempla in prophanis historijs, quæ ingentes labores illis incubuisse docent, qui quam luxu & libidine sua prodiderant, libertatem recuperare conati sunt. Huc enim Lacedæmoniorum & Atheniensium historiæ referri debent. Et idem Roma sensit, vbi luxu suo perdita ab illis se opprimi vidit, quorum licentiam nimis diu fouerat. Obseruent hæc, qui hodie libertatis dono ex singulari Dei beneficio fruuntur, ne illius abusu similiter Dei iram contra seipsos prouocent. Videmus item, quid ferè vulgus in Christo quærat: Carnis libertatem nimirum, opes, honores, pacem huius seculi: quorum spe & expectatione Iudæos ita fascinatos fuisse scimus, vt salutem æternam, quam Christus offerebat, prorsus neglexerint. Qui error hodie etiam multis imponit, & maximorum scandalorum causa est. Prodest ergo in regni Christi consyderatione diligenter versari, vt inter huius promissiones distinguere discamus. Sunt enim aliæ spirituales, & ad æternæ salutis rationem faciunt: aliæ verò temporales de ijs, quæ carni & vitæ præsenti inseruiunt. Et illæ quidem semper ratæ & firmæ sunt. Hæ verò crucis conditionem sibi coniunctam habent, vt supra cap. 10. vidimus, & ita dispensantur, vt nos opus habere viderit Deus, cui ingenium nostrum melius, quàm nobis ipsis, perspectum est. Hoc nisi obseruemus, non possumus non offendi eorum consyderatione, quæ pijs in hoc mundo accidere solent.

Insidiosa de censu quæstio.

Exod. 30.

Actorum 5.

Vide homil. 86.

Christi de censu responsio.

Cæterùm ad Christum transire tempus est, qui in causa maximi momenti singulari grauitate vtitur. Primò agnoscit hypocrisim ipsorum, & illam publice arguit, dicens: Quid me tentatis? Quod vt diuinitatis ipsius argumentum est euidens, ita docet, quomodo cum apertis hostibus veritatis agi debeat. Arguantur illorum fraudes, vt se nequaquam latêre intelligant. Nisi enim id fiat, non modò non emendantur, sed audaciores fiunt. At cùm consiliorum astutia maximè confidentes reddat, mox totis animis concidunt, vbi hæc patefacta esse vident, & pios quoque non dormitare audiunt. Deinde quæstionis propositæ solutionem ex hostium ore elicit, vt ipsos eo laqueo capiat, quem ipsi tetenderant. Iubet enim denarium afferri, deq; impressa illi imagine & inscriptione interrogat. Est enim vetustus ille mos, quo numismata principum imagines & inscriptiones referunt, nec temere à viris grauibus & cordatis inuentus. Vt enim hæc subditos suæ subiectionis & officij admonent, ita de principum & magistratuum fide testantur, quos sui imperij nequaquam pudeat, quando monetæ etiam sua nomina inscribant, vnde illis quæstus maximus prouenire poterat, si quid præter ius & æquum facere vellent. Non postremum ergo seculi nostri corruptionis argumentum est, quòd hodie principes & respublicæ nomina & signa sua hominibus auarissimis & fraudulentis numularijs prostituunt, qui monetam veterem conflare, & ex ea nouam nullius propè pretij cudere consueuerũt. Sed ad præsentem historiam redeamus. Quærit Christus, cuius sit imago & inscriptio, quæ in denario visebatur. Respondent illi, Cæsaris hanc esse. Infert ergo: Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ Dei sunt, Deo. Sensus verborum est: Cùm Cæsaris moneta vtamini, vtiq; Cæsaris imperium agno-

1.Sam.8.

scitis. Huic ergo reddite, quæ regibus deberi Deus olim per Samuelem admonuit. Neq; hoc vobis iniquum videri debet, eò quòd Dei populus estis. Non obstabit enim hoc, quò minus Deo quoq; præstetis, quod illi debetur.

Christus non tollit leges politicas.

Matth.17.

Rom.13.
Ephes.6.
1.Pet.2.

Est hîc obseruandum, quòd inter Cæsarem & Deum distinguens, vtrique quod ad ipsos pertinet, reddere iubet. Ergo non tollit leges politicas, & quæ magistratibus debetur, obedientiam. Imò vult potius, vt qui Dei cultores sunt, magistratibus quoq; sua officia præstent, ne illa negando, religionem seditionis suspicione grauent. Quæ causa fuit, quòd antea pro seipso & Petro didrachma persoluit, & eam quæ magistratibus debetur, obedientiam miraculo nobilitauit, ne cui offendiculo esset. Faciunt huc, quæ ab Apostolis de subditorum erga suos magistratus, & seruorum erga suos heros officijs copiosè traduntur. Intolerabilis ergo illorum error est, qui sub Euangelij prætextu ius publicum abolent, & Christiana libertate ad carnis licentiam abutuntur: qua audacia & publicam pacem turbant, & Euangelij doctrinam magnatibus suspectam & exosam reddunt. Probè tamen ob-

Quid magistratibus debeatur.

seruanda est distinctio Christi, ne quod Dei est, magistratibus tribuatur, aut contra. Magistratibus honor debetur & reuerentia, ne qua à nobis contumelia afficiantur, & Dei lex est: Honora parentes tuos, &c. quem ad magistratus quoq; pertinere ex eo constat, quòd illi in populo parentum instar sunt constituti. Et iterum: Coram cano capite assurge, & honora faciem senis. Item: Dijs ne maledicas, & principem populi tui ne execreris. Debetur etiam illis amor, qui omni officiorum genere declarari debet, precibus cumprimis ad Deum, sicuti Paulus monuit. Obedientia item, ne bonis legibus improbè reluctemur: et hanc non metus pœnæ, sed potius diuinæ ordinationis conscientia nobis elicere debet. Debentur etiam tributa, census, vectigalia, & si quid aliud est eius generis, quæ pro cuiusq; regni aut reipublicæ conditione bona fide Christianos exoluere decet: licet interdum in illis modum excedant principes. Nec enim conuenit, vt propter terrena bona tumultus & seditiones excitent, quorum patria in cœlis est, vbi thesauros æternæ felicitatis, Christi sanguine acquisitos, olim

Leuit.19.
Exod.22.
1.Timoth.2.
Rom.13.

Quid Deo debeatur.

possidebunt. E contra Deo quoq; sua debentur officia, quæ cultu & vitæ conuersatione comprehendi possunt. Ad cultum doctrina pertinet, quæ non aliunde quàm ex Dei verbo debet deriuari. Tradit hoc fidem in vnum Deum, confessionem item fidei non fucatam, vnius Dei inuocationem, & puram veramq; sacramentorum administrationem. Vitæ conuersatio autem innocentia & charitatis officijs potissimùm constat. Hac Deo illibata præstari debent, adeò vt nihil istorum in alicuius hominis gratiam omittamus, nec vllius authoritate nos adduci patiamur, vt quicquam à nobis fiat legibus diuinis contrarium: quando nulla hominum authoritas tanta est, vt diuinæ illa præiudicare debeat. Docent hoc prophetæ, quos contra Regum suorum edicta Dei verbum prædicasse, & cultum verum asseruisse legimus. Idem Danielis & sociorum ipsius exempla testantur, quæ mortis suppli-

Dan.2.& 6.

cium

tium potius subire, quàm in dei cultum peccare voluerunt. Et Apostolorum vox est: Oportet deo magis obedire, quàm hominibus, &c. Horum exemplum secuti Martyres Imperatorũ leges impias & iussa superstitiosa contempserunt. Et Ambrosius, cum Valentinianus II. Imper. à matre Iustina extimulatus templum sibi dari postularet, respondit: deus affirmat suas esse domus templa in quibus sonat vera doctrina, iuxta illud: Domus mea domus orationis vocabitur. Et simul hunc locum citabat: Date Cæsari quæ sunt Cæsaris, & Deo quæ sunt Dei. Toto igitur cœlo errant, qui hodie doctrinam & religionem Regum arbitrio subijciunt, & se coram Deo abundè excusatos putant, si nefarijs cultibus & publicis flagitijs horum authoritatem prætexere possint. Ita enim stultitiæ & temeritatis accusant sanctissimos Martyres, quotquot fidem suam sanguine suo obsignauerunt. Quid? Nonnè apud Hoseam Israelitæ accusantur, quòd regum suorum edicta secuti superstitiones recepissent? Hos.5. At ea est nostri seculi infelicitas, vt quæ Dei sunt, pleriq; regibus & principibus tribuant, in alijs verò nec Dei nec sanctorum magistratuum legibus obtemperent. Acto.4.& 5. Doctrina et Religio non subijcienda principibus.

Restat disputationis huius exitus, qui Christo quidem eximiam laudem, hostibus verò ipsius magnam infamiam peperit. Mirantur enim acumen diuinum, quo nodum hunc ita secuit, vt & suam Romanis authoritatem incolumem reliquerit, & nemo cordatus ex populo ipsi indignari posset. Itaq; spe sua frustrati, nõ habent quod opponant. Ita exeunt quæcunq; aduersus Christum suscipiuntur consilia. Dissipat illa Deus, vt ipsis consultoribus ignominiam & malum concilient. At simul impudens & incurabilis hostium veritatis contumacia hîc elucet. Etsi enim nihil reprehendere possint, paulò post tamen Christum coram Pilato accusare audent, quòd censum Cæsari minimè dandum esse docuerit. Quid ergo à calumnijs tutum erit hodie? Vel num mirari opus est quæ olim Christianis obiecta sunt crimina, & quæ hodie nobis obijciuntur? Nostrum fuerit, curare, ne quid iniustitiæ nobis meritò exprobrari possit. Aduersus calumnias verò & nefarios mundi conatus intrepidi stemus in Christo Iesu, qui vt olim mundum & huius principem vicit: ita suorum famam & memoriam semper asseret & tuebitur. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen. Exitus disputationis Christi hostibus ignominiosus. Luc.23.

HOMILIA C.

Tunc ueniunt ad eum Sadducæi, qui dicunt non esse resurrectionem, interrogaueruntq; eum, dicentes: Magister, Moses scripsit nobis, si cuius frater mortuus sit, & reliquerit uxorem, & filios non reliquerit: ut accipiat frater eius uxorem eius, & exuscitet semen fratri suo. Atqui septem fratres fuerunt, ac primus uxorem duxit, & moriens non reliquit semen. Et secundus accepit eam, ac mortuus est, & nec ipse quidẽ reliquit semen: & tertius itidem. Et acceperunt eam septem illi, neque reliquerunt semen: ultima omnium mortua est & mulier. In resurrectione ergo cùm resurrexerint, cuius eorum erit uxor? Nam septem habuerunt eam uxorẽ. Et respondens Iesus, ait eis: Nonne propterea erratis, quòd nesciatis scripturas, neq; potentiam Dei? Cùm enim à mortuis resurrexerint, neq; uxores ducunt, neq; nuptum dantur: sed sunt ut angeli, qui in cœlis sunt. De mortuis uerò, quòd suscitandi sint, nõ legistis in libro Mosis, quomodo in rubo locutus sit ei Deus, dicens: Ego sum Deus Abrahami, Deus Isaaci, & Deus Iacobi? Non est Deus mortuorum, sed Deus uiuentium. Vos ergo multùm erratis.

Evangelistæ postrema Christi Iesu cum hostibus suis certamina diligenter describunt: partim quidem, quòd in illis elucet impiorum pertinacia incurabilis, qua illi perpetuò veritatem oppugnant, ac in peius proficiunt: partim verò, quòd in illis agitur de articulis, quorũ exacta cognitio omnibus nobis perquàm necessaria est. Et nuper quidem de magistratus authoritate disseruit, aduersus eos, qui Christi & Euangelij prætextu ad carnis licentiam seditiosè abutuntur. In præsenti verò de mortuorum resurrectione disputatur, in qua salutis nostræ fundamentum maxima ex parte con- Argumentum & usus præsentis loci.

1. Cor. 15. sistit. Nam vt Paulus ait: Si resurrectio mortuorum non est, ne Christus quidem resurrexit. Quòd si Christus non resurrexit, inanis vtiq; est prædicatio nostra, inanis autem est & fides nostra: adhuc estis in peccatis vestris: igitur & qui obdormierunt in Christo, perierunt. Deniq; si tantùm in hac vita spem in Christo fixam habemus, maximè miserabiles omnium hominum sumus, &c. Quia ergo mortuorum resurrectionem Christus ipse hoc loco aduersus homines non vulgares asserit, eò diligentius nobis in eius consyderatione versandum est, vt quid de illa sentiri & credi debeat, discamus.

Sadducæi aduersarij Christi. Primò autem loco hostes vel antigonistæ Christi consyderandi veniũt, quos ex Sadducæis fuisse, Euangelistæ scribunt. Erat istorum secta contraria prorsus pharisæis, licet à iustitia nomen haberent, & huius studium publicè profiterentur. Docebant enim iustitiæ studendum esse propter ipsam iustitiam, non alicuius præmij spe aut expectatione: & huius quidem studium nostris viribus perfici posse sentiebant, nec multa gratiæ Dei ratione habita liberum hominis arbitrium magnificè extollebant. Et quia præmium iustitiæ nullum expectari debere dicebant, simul etiam mortuorum resurrectionem, spiritus item tam bonos quàm malos, & animarum immortalitatem negabant, sicuti Iosephus & Lucas in Actis prodiderunt. (Belli Iud. lib. 2. cap. 7. Acto. 23.) Et illorum quidem partes sequebantur ferè opulentiores, qui cùm plerunq; religionem non multùm curent, iustitia tamen opus esse vident, & vulgus saltem aliqua religionis opinione in officio contineri volunt, vt fortunis suis tutius fruantur. Quò factum est, vt Sadducæorum opinio eò vsque præualuerit, vt postea docentibus Apostolis, in Synagoga præcipuam authoritatem obtinerent. (Acto. 4. & 25.) Hi, cùm Pharisæos & Herodianos infelicius cum Christo congressos esse cernerent, ipsi aduersus illum in arenam descendunt, vlturi quodammodo ignominiæ notam, quam illi ex hoc congressu reportarant. Nam vt nuper diximus, probè impijs omnibus in Christo oppugnando conuenit, quàmuis in plerisque alijs hostiliter dissentiant. Elucet autem in his ingens populi Iudaici corruptio, quando inter eos, qui Dei peculium dici volebant, ea publicè negare licuit, sine quibus nec fides vel religio, nec salutis ratio consistere potest. Quid enim in his omnibus reliquum manet, si animæ cum corporibus intereunt, si corporum resurrectio est nulla, si spiritus item omnino nulli sunt? Annon ita Deus ipse negatur, quem spiritum esse Christus dicit? (Ioan. 4.) Maior tamen populi istius corruptio elucet in eo, quòd cùm Sadducæis ista profiteri licuerit, Christo tamen veram salutis rationem docere non licuit, & cùm in honore & pretio fuerint Sadducæi, soli illi excommunicatione digni visi fuerint, qui Christi discipuli erant. (Ioan. 9. & 12.) Poterat hoc mirum & stupendum censeri, si non hodie huius generis multa fierent. Postquam enim pontificum tyrannis ecclesiæ vnitatem scidit, & sectæ variæ enatæ sunt, quàm plurimos est videre, quibus ludus & fabula videtur, quicquid de religione ex scripturis traditur. Imò in vrbe Roma, in Cardinalium & Pontificum conspectu feruntur, qui cùm ex religione quæstum maximum faciant, interim tamen animarum immortalitatem negant, aduersus corporum resurrectionem publicè disputant, & fidem Christianam hoc vno nomine magni faciunt, quòd sub huius prætextu ipsis in hominum animas simul & fortunas dominari liceat. Quòd si verò aliquis Epicureos hosce errores arguat, & Christianæ fidei mysteria verè doceat siue profiteatur, illum mox ecclesiæ hostem, schismaticum, impium & hæreticum esse clamitabunt. Eadem ergo est nostrorum temporum ratio, quæ olim apud Iudæos fuit, & nisi Christi nominis professionem ab hisce labibus liberent, qui rerum in ecclesia potiuntur, idem nobis quoque, quod olim Iudæis, iusto Dei iudicio eueniet.

Quæstio Sadducæorum de resurrectione. Sed audiamus quæstionem, qua isti Christum aggressi sunt. Sciebat Christum & resurrectionem & angelos fateri. De illa ergo interrogant, nimirum quòd sperent, illum vel odio Pharisæorum negaturum esse quod prius docuerat, vel si in sentẽtia persistat, rei absurditate conuinci posse. Et credibile est, ipsos cum Pharisæis sæpe de hoc ipso argumento disputauisse, quorũ inscitia ferociores facti, cum ipso Christo cõgredi audent. (Deute. 25.) Proponunt autem casum ex lege petitum, quæ præcipiebat, vt frater fratris absq; prole defuncti vxorem duceret, & ex illa fratri mortuo semen suscitaret. Ratio legis huius multiplex erat. (Num. 27. et 36.) Primò enim cauebant, ne hæreditates & familiæ dissiparentur: & ideò ad eos præcipuè fratres pertinebat, qui simul habitabant. Deinde viduis quoq; consulebatur, ne defuncto marito mox ea domo eijcerentur, in cuius administratione operã bonam prius nauassent. Præterea officia erga defunctos admonebat, ne illorum memoriam turpiter intercidere paterẽtur. Videtur etiã dissidijs fratrum viã obstruxisse, ne quis ex fratris morte lucrũ speraret, quando defuncto etiã semẽ excitare

cogebatur,

cogebatur, ad quod illius hæreditas perueniret. Ex ista verò lege fallaciam struunt, qua Christū capi aut in absurdas opiniones abduci posse arbitrātur. Fuerunt (inquiunt) septem fratres, quorū primus vxore ducta absq; liberis defunctus est. Illius ergo vxorē ex affinitatis iure secundus frater duxit, qui & ipse nulla prole suscepta è viuis decessit. Eadem fuit sors reliquorum omnium, post quos ipsa quoq; mulier est mortua. Quærimus ergo, si resurrecturi sunt illi, cuius nam vxor in resurrectione futura sit: Omnium ne simul, an primi vel alicuius alterius ex septem illis? Ita verò Christū non habiturum putant quod respondeat. Nam si omnium vxorem simul futuram dicat, fœdissima & detestatione digna dicetur fore in resurrectione rerum confusio. Si vnius tantum: iam reliquis omnibus iniuriam fieri clamabunt, qui ad illam ducendam legis authoritate impulsi sint: nec aliqua ratio poterit aßignari, ob quam huic potius quam illi debeatur. Vide autem, quòusque tandem progrediatur impietas, si illi habenas laxaueris. Non verentur illi disertas Dei leges scurriliter ridere, & Dei uerbo ad salutis rationem oppugnandam abuti. Est hoc stratagema diaboli proprium, quo illum aduersus Christum in deserto vsum fuisse, supra vidimus. Imitantur hunc simul & Sadducæos hosce, qui nostro seculo ex scripturis locos aliquos vel exempla conquirunt, quibus vel ebrietatem, vel scortandi libidinem, vel adulteriorum licentiam, vel belligerandi rabiem, aut alia immania flagitia tueri conantur. Marc.1. Matth.4.

Imprimis verò patet hoc exemplo, quid in regno Dei fingant & somnient, qui toti carnis affectu reguntur. Vt enim in præsenti hoc seculo solis terrenis inhiant: ita quoad futuram vitam absurdis & fœdis cogitationibus occupantur. Talia sunt quæ Mahumet de futura piorū beatitudine tradidit, cuius præcipuam partem in hortorum delicijs, fœdis amoribus & conuiuijs collocauit. Nec multùm dißimiles sunt, qui absurdißimis quæstionibus aut etiam scurrilibus dicterijs dubia & suspecta facere conantur, quæcunq; de resurrectione mortuorum & nouißimo Christi ad iudicium aduentu scriptura tradit: & eadem planè dicunt, quæ illos dicturos esse D. Petrus olim prædixit. 1.Pet.3. Minimè tamen illorum iudicijs nos offendi docet, quando hæc non noua sunt: sed Christum potius Sadducæis istis respondentem audiamus, cuius responsionis partes sunt tres.

Prima absurdæ istius quæstionis causam indicat, ne qui ex vulgo offenderentur, qui homines non postremæ authoritatis tam scurriliter de re maximi momenti loqui audiebant. 1. Christus causam errorum detegit. Nónne propterea erratis (inquit) quod nesciatis scripturas, neque potentiam Dei? Scripturarum ergo ignorantia præcipua errorum causa est. Per hanc enim fit, vt nec Dei potentiam obseruemus, & proinde absurdum & impoßibile esse putemus, quicquid nostræ rationis captum exuperat. Scripturis ergo nos assuescere oportet, & Dei verbo non modò carnis nostræ sensum, verumetiam rationem & intellectum nostrum omnem subijcere per fidei obedientiam, sicuti Paulus Abrahami exemplo docet, qui Rom.4. non effœtas sui corporis uires, aut emortuam Saræ vuluam, sed Dei omnipotentiam simul & veritatem respiciens, Dei promißionibus indubitata fide credidit. Obseruabis autem, Christum nō nudam Dei potentiam, sed simul cum hac scipturas, id est, verbū Dei allegare. Nec enim facit statim Deus quicquid potest, sed quicquid vult, vt in Psalmis dicitur: Omnia quæ voluit, fecit. Psal.115. Voluntatem verò suam verbo reuelat, quod scripturis continetur. Frustra ergo aduersarij nostri hoc ipso argumento contra nos in Cœnæ negotio vtuntur, & nobis omnipotentiam Dei objiciunt, nosq; illam negare calumniantur, dum fieri posse negamus, vt Christi corpus simul in cœlo & in terris sit. Nec enim hoc impoßibile esse dicimus simpliciter, sed quòd ipsius Christi & Apostolorum verbis instituti, longè aliam illius voluntatem esse scimus, quàm quòd in terris posthac corporaliter versari velit. Ipsius enim verba sunt: Exiui à patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad patrem. Ioan.16. Item, expedit vobis, vt ego vadam. Et rursum: Si quis dixerit vobis, Ecce hîc Christus, ecce illic, Matth.24. nolite credere. Petrus quoque dicebat: Oportet Christum cœlos accipere vsq; in tempus restitutionis Actorum 3. omnium. Et Paulus de ipsa Cœna disserens, iubet vt mortem Domini annuntiemus, donec veniat. 1.Corinth.11. At non ignorabat illum in se credentibus nunquam non præsentem esse diuinitatis virtute: de corpore igitur hoc dicit, in quo die nouißimo ita venturus est, sicuti abeuntem viderunt Apostoli, &c. Acto.1. Non ergo omnipotentiam Dei negamus, sed huius limites constituimus voluntatem, quam illa non prætergreditur, nisi impotentem dicere velimus, qui ipsi sibi pro suo arbitrio imperare nequeat. Itaq; de ipsis dicere possumus, quòd omnipotentiam quidem Dei magnificè prædicent, scripturas verò ignorent, aut saltē ignorare velint, quæ de Christi corpore & eius ascensione in cœlos longè aliter loquun-

tur, quàm ipsi somnient. Sed omissis istis ad alteram partem transeamus.

2. Arguit absurdam imaginationem de regno cœlorum.

Confutat in ea crassam & fœdam imaginationẽ, qua ipsi sese seducebant. Cùm à mortuis resurrexerint (inquit) neq; vxores ducunt, neq; nuptum dantur: sed sunt vt angeli, qui in cœlis sunt. Copiosius tamen hæc apud Lucam in hunc modum leguntur: Filij huius seculi ducunt vxores, & nuptum dant: Illi verò, qui digni habebuntur seculo illo, & resurrectione à mortuis, neq; ducunt vxores, neq; nuptum dant: nam non vltra mori possunt: æquales enim angelis sunt, & filij sunt Dei, cùm sint filij resurrectionis. Distinguit ergo inter præsens hoc & futurum seculum, & à causa finali coniugiorum argumentatur, vt ostendat illa in cœlis locum non habitura esse. Est ea, vt legitima sobolis procreatione genus humanum conseruetur, quod alioqui breui interiturum erat, cùm omnes simus mortales. Quia ergo in futuro seculo vltra mori non poterunt, neq; aliquis corruptioni locus erit amplius, certè nec generatione opus erit, & proinde ne coniugio quidem, quod generationis ergò est institutum.

Gene. 1.

Piorum in cœlis conditio.

Docet autem hoc loco Christus, quæ nam piorum in cœlis conditio futura sit. De illis enim solis hîc loquitur, impios Dei iudicio relinquens, quorum sortem infelicissimam fore, alibi docemur. Primùm filios resurrectionis vocat. Tales vocat Hebraica phrasi, eò quòd morte semel excussa, amplius mori non poterunt. Vt enim filij mortis dicuntur, quibus iam iam absq; dubio moriendum est: ita resurrectionis filij sunt quos ita ex mortis imperio vel tyrannide Deus asseruit, vt hæc illis non sit amplius formidanda. Comprehendit verò mortis vocabulum omne illud agmen malorum, quod ex peccato obortum nos infestat. Quare cùm resurrectionis filij futuri simus, omnem simul peccati pœnam cessare oportet, sicq; hoc titulo salutis nostræ certitudo asseritur. Deinde angelis æquales fore dicit: quod non de essentia, sed conditione resuscitatorum debet intelligi. Cõstat enim angelos spiritus esse, at nos corporibus nostris resurrecturos esse, scriptura disertè docet. Angelorum verò similes, nullis vel impuris vel molestis affectibus turbabimur. Quia enim omnis lachryma abstergetur, omnia quoq; simul tollentur, quæ doloris & lachrymarum causam præbere possunt. Tertiò Dei filios fore ait. Atqui iam tales dicimur, & spiritum adoptionis accepimus, in quo clamamus Abba pater. Sed de futura filiorum Dei manifestatione loquitur, qui dum in hoc seculo viuunt, nihil minus quàm filij Dei putantur, cùm nouas quotidie afflictiones sustineant. Vbi verò Christus aduenerit, publicè toti mundo innotescet, Dei filios esse, qui nunc mundi excrementa censentur, sicuti multis in libro Sapientiæ traditur. Et huc Ioannes respexit, dicens: Charissimi, nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit, quod futuri sumus. Scimus autem, quòd si apparuerit, similes ei erimus, &c. Comprehendit autẽ filiorum Dei titulus summã hominis beatitudinẽ. Nam si filij sumus (inquit Paulus) igitur & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autẽ Christi. Faciunt huc promissiones Eangelicæ, quæ nobis à Christo locũ in cœlis paratum esse testantur, vbi cum ipso æternũ viuamus. Nobis verò omniũ istorum hic vsus esse debet, vt in aduersis quidẽ consolationi, in secundis autẽ institutioni seruiant, ne inanibus huius mundi illecebris nos inescari patiamur. Celebratur in Romana historia M. Castricij fortitudo, qui cùm Placentiæ magistratũ gereret Cn. Carbone Consule iubente decretũ fieri, quo sibi obsides à Placentinis darentur, nec summo eius imperio obtẽperauit, nec viribus cessit: imò dicenti Carboni, se multos habere gladios, respondit. Et ego multos annos habeo. Animũ huic addidit, quòd in extrema senecta agens non nisi paucissimos vitæ annos sibi superesse videbat, quos hostis eriperet. At quantò plus fiduciæ nobis addere debet, quod nos vitam hanc breuem & ærumnosam cum æterna & beata cõmutaturos esse scimus, in qua merces laborum maxima nobis est præparata?

Psalm. 104.

Isaiæ 25.

Rom. 8.

Galat. 4.

Sap. 4. 5. &c.

1. Ioan. 3.

Rom. 8.

Ioan. 14.

Luc. 22. &c.

3. Resurrectionem asserit ex Mose, Exod. 3. Antiq. 18. c. 2.

Tertia parte ipsius dei testimoniũ adducit, quo resurrectionem fore probat. Et Mosis quidẽ authoritate vtitur, cùm multa alia clariora in scripturis testimonia extent, eò quòd Sadducæi nullas alias quàm legis obseruationes recipiebãt, sicuti Iosephus annotauit: et vt ostendat resurrectionẽ negari nõ posse, nisi patres atroci iniuria afficere velint, quibus Iudæi potissimum gloriabãtur. Argumentum formari potest hoc modo: Deus non est Deus mortuorũ. Est autẽ Deus Abrahami, Isaaci & Iacobi. Ergo Abrahã, Isaac & Iacobus uiuunt. Mortuos vocat ex Sadducæorũ opinione, quibus nulla ex morte resurgendi spes sit reliqua, & qui (vt in scholis loquuntur) non actu modò, verumetiã potentia vitam omnẽ amiserunt. At qui tales sunt, nusquã in rerũ natura sunt, & proinde nulli sunt. At quomodo Deus rei, quæ nulla est, Deus vel Dominus dici poterit? Dicitur autẽ Deus patrũ, qui seculis aliquot iam ante mortẽ obierant. Illos ergo sic obijsse cõstat, vt corã deo viuant, et olim corporibus quoq;

bus quoque resurrecturi sint. Nisi enim hoc demus, illos prorsus interijsse oportet, & proinde vanissimæ erunt promissiones, quæ illis datæ sunt, & quibus tota gentis vestræ dignitas nititur. Videtur huc respexisse Paulus, quando ait: Si resurrectio non est, ergo qui obdormierunt in Christo, perierunt. 1. Cor. 15.

Cæterum istis alia quoque scripturæ testimonia coniungere oportet, vt in eius articuli fide confirmemur, qui præcipua nostræ religionis & salutis mysteria comprehendit. Apud Isaiam certè dominus ait: Mortui tui viuent, qui meum corpus sunt, resurgent. Expergiscimini & iubilate habitatores pulueris: quoniam ros herbarum virentium ros tuus, & terra mortuos eijciet. Danieli item angelus dixit: Multi dormientium in puluere resurgent, hi quidem ad vitam æternam, illi verò ad probra & contemptum æternum. Cumprimis verò euidens est, quòd Iob inter grauissimos dolores ex spiritus suggestione in hæc verba pronuntiauit. Noui quòd vindex meus viuit, & nouissimo die adhibebit vim suam pulueri. Postquàm verò circumdederint hoc mea cute, spectabo deum ex carne mea. Quem ego mihi contemplabor, & oculi mei videbunt, & non alius: reposita est hæc spes mea in sinu meo, &c. Habent hîc singula verba emphasim, & adeò perspicua sunt, vt ampliori explicatione non opus habeant. Certè apud veteres tanta fuit resurrectionis certitudo, vt Ezechiel inde argumenta peteret, quibus probaret, deum Iudæos ex Babylone liberaturum esse. In nouo autem testamento passim huius generis multa occurrunt, sed multorum instar esse possunt, quæ apud Ioannem Christus sic ait: Veniet hora, qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei, & prodibunt qui benè egerunt, in resurrectionem vitæ: qui verò mala patrarunt, in resurrectionem iudicij. Quibus si ea addas, quæ Matth. 24. & 25. de nouissimi diei historia habentur, nemini hoc amplius dubium fore puto, nisi quis & scripturas & ipsum Dei filium mendacij insimulare audeat.

Scripturæ testimonia de resurrectione. Isaiæ 26. Dan. 12. Iob. 19. Ezech. 37. Ioan. 5.

At quia nonnullos eò audaciæ progredi videmus, unum hoc addam, Dei iustitiam consistere non posse, nisi mortui resurgant. Vt enim iustitia suum cuiq; tribuit, ita dei proprium est, remuneratorem esse, & vt Paulus inquit, qui ad deum accedit, hunc credere oportet, esse deum, & esse remuneratorem quærentibus se. At in præsenti seculo remunerationem pijs ferè nullam obtingere constat, imò illos plerunq; affligi, impios autẽ feliciter agere & securè voluptuari videmus, & Christi vox est: Vos plorabitis & lamentabimini, mundus autem gaudebit. Item: In mundo afflictionem habebitis. Remunerationem ergo in seculo futuro esse oportet: aut si illic quoque non est, nulla est, & per consequens nec iustus est Deus, cùm nec pijs sua præmia, nec impijs meritas pœnas dispenset. Nec est, quòd animabus retributionem obtingere dicas, & proinde non iniustum esse deum, licet corporum resurrectio nulla sit. Quia enim non solæ animæ deo seruiunt, sed in dei cultu corporum ministerio vtuntur, imò in corporibus suis plerunq; pij propter veritatis confessionem affliguntur: ipsis quoq; corporibus retributio debetur. Et quia carnalibus desyderijs plerunq; pij abducuntur, & in corpore peccant: in eodem quoq; puniantur oportet, nisi Deo iustitiam mutilam & imperfectam tribuere libeat. Reuera ergo ἄθεοι sunt, & ipsius Dei iustitiam abnegant, quotquot resurrectionis mysterium scurriliter irrident.

Resurrectio nititur iustitia Dei. Hebr. 11. Ioan. 16.

Nec est, quòd ijdem vel ingenij acumen, vel sapientiæ laudem sibijpsis vendicent, cùm hoc ipsis impossibile videatur, cuius tot argumenta in rerum natura apparent. Nónne enim semina in sulcis mori, & eadem cum fœnore enasci videmus? Annon arbores & plantæ, quæ hyberno tempore emortuæ sunt, nouo ineunte verè reuiuiscunt? Annon fœtus, vbi in vtero materno nouem mensibus ceu in sepulchro delituerunt, decimo post mense in vitæ huius consortium prodeunt? Cur ergo impossibile videtur, hominem è terra resurgere, cùm huius rei tot exempla habeamus, & hoc ipsum scripturæ tam disertè tradant? Atqui breuis ista Christi responsio, vnius tantum loci testimonio cõfirmata, Sadducæus conuincere, reliquis verò auditoribus omnibus veritatis confessionem extorquere potuit, vt Lucas & Matthæus tradiderunt. Ipsis ergo Sadducæis præfractiores sunt, qui hæc lætissima salutis nostræ mysteria adhuc negare audent. Nostrum fuerit, diuinam Christi sapientiam & eiusdem potentiam inuictam agnoscere, nec impiorum conatibus offendi, quibus hodie etiam illum oppugnant. Imprimis verò consoletur, quòd nec mors ipsa nos à Dei dilectione separare potest. In huius enim manu sunt iustorum animæ, nec attinget eos cruciatus. Eorundem verò corpora olim excitabit Deus, vt laborum suorum & periculorum præmia cùm in anima tum in corpore percipiant, cum Christo Iesu filio suo: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Resurrectio nõ debet impossibilis uideri. Rom. 8. Sap. 3.

HOMILIA CI.

Et cùm accessisset quidã è scribis, qui audiuerat eos disputãtes, & sciebat quòd bene respondisset eis, interrogauit eum: Quod est primum omnium mandatum? Iesus autem respondit ei: Primum omniũ mandatorum est: Audi Israel, Dominus Deus noster, Dominus unus est, Diliges igitur Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex totis uiribus tuis. Hoc est primum mandatum.

Argumentum & usus praesentis loci.

QVemadmodum Dominus noster Iesus Christus toto illo tempore, quo in terris versatus est, in ijs diligentißimus fuit, quæ ad hominum salutem faciunt: Ita hostes habuit infestißimos, qui non minori diligentia in hoc incubuerunt, vt ipsum opprimere & perdere possent: quorum pertinacia incurabilis in disputationibus captiosis potißimùm elucet, quas paulò ante mortem ipsius aduersus illum instituerunt. Agitur in his de rebus cognitu dignißimis: nobis autem præter has simul obseruandum est, piorum eandem sortem esse, quæ Christi olim fuit: quòd nimirum impiorum insidijs perpetuò tentantur, & noua quotidie certamina sustinent. In quibus illos constantes esse, nec animos despondere decet. Vt enim Christus semper victor discessit, hostiumq́ suorum conatus diuina sua potentia & sapientia egregiè elusit: ita in membris suis per verbi sui prædicationem perpetuò triumphabit, & in medio inimicorum suorum dominabitur. Quin ipsius virtute fit, vt inter pugnas & certamina eiusmodi Veritatis cognitio plenior & luculentior effulgeat, eaq́ occasione de multis admoneamur, quorum alioqui vix aliqua cogitatio animos nostros subiret. Vidimus hoc in ijs quæ hactenus præcesserunt: clarius tamen & perfectius in præsenti disputatione elucebit, qua Christus vniuersam fidei simul & vitæ Christianæ rationem complectitur, & simul efficaci spiritus sui operatione eum in suas partes pertrahit, quem ipsius aduersarij ex multis delegerant, qui ipsi opponi posset. Dignus ergo locus hic, qui singulari diligentia consyderetur.

Psalm. 110.

Aduersarij Christi, & illorum conatus.

Matth. 22.

Primò Christi hostes inspiciendi erunt, & qui nam illorum conatus fuerit. Nominatur hìc vnus tantùm, Scriba nimirum vel legisperitus, qui ipsi quæstionem proposuit. Sed plenius omnia apud Matthæum habentur, qui negotium hoc totum à Pharisæis institutum fuisse scribit. Viderant illi, quòd Sadducæis os obturasset: hominibus nimirum planè carnalibus, nec multùm in scriptura exercitatis. Quare doctiorem aliquem antagonistam quærendum esse arbitrantur, quem illi opponant. Deligunt ergo quendam Legis doctorem, qui Sadducæorum disputationi interfuerat, & quem non infeliciter in Lege versatum fuisse, postea ex ipsius Christi testimonio patebit. Mouit hìc quæstionem, quod nam primum, id est, præcipuum aut summum sit in Lege Dei mandatum. Quærit autem, non vt discat, sed vt captiose tentet. Sperat enim Christum, quem hominem illiteratum esse arbitrabatur, vel non habiturum quod respondeat, vel aliquid pronuntiaturum esse, quod Legi minus conueniat: & ita fore, vt aut ignorantiæ suspicionem incurrat apud populum, aut pro schismatico accusari poßit.

Contumacia impiorum incurabilis.

Vbi primò obseruari debet hostium Christi contumacia, qui toties iam victi & confusi, certamen subinde instaurant, nec sibi satisfieri patiuntur. Causa huius mali est, quòd ambitiosi & auari homines, non veritatis studio aguntur, sed in hoc incumbunt, vt suis rebus consulant. Nam qui tales sunt, eos rationibus moueri impoßibile est, quando nec plagis emolliri, nec propriæ conscientiæ testimonio adduci possunt, vt veritati cedant, quam sibi aduersam esse sentiunt. Tales olim Pharaonem, Saulem, Achabũ, Zedechiam, & alios plures fuisse legimus. Et hodie non pauci istorum similes reperiuntur, quibus si satisfacere coneris, non plus feceris, quàm si Æthyopem dealbare instituas. Nec idcirco illorum exemplo quisquam offendi debet, si incurabiles maneant, quando ij quoque incurabiles manserunt, quibus Christus ipse toties disseruit.

Consortia impiorum quantum noceant.

Eccli 13.

Præterea Scribæ huius exemplo admonemur, quid poßit impiorum commercium. Fuit is doctus, & in scripturarum cognitione eò vsque progressus fuerat, vt Christus illum non procul à regno Dei abesse testetur. Audiuerat item Christum Sadducæis bene respondisse. Adhuc tamen operam suam Pharisæis locat, & sub Legis prætextu Christo insidias struit. Vt enim qui picem contrectat, ab illa inquinatur: ita qui superbis & impijs Dei contemptoribus conuersantur, illorum ferè similes sunt,

sunt, nec vnquam illæsi discedunt. Aut enim impietatem contrahunt perfectam, aut multa præter conscientiam faciunt, ne à gratia illorum excidant, aut saltem multa dissimulant, ne ab ipsis dissentire videantur. Exempla huius generis hodie multa extant, & interdum eos ad hunc lapidem videmus offendere, qui non vulgarem doctrinæ & pietatis existimationem sustinent. Quid enim non patiamur hodie, quando Petrus ex hostium Christi consortio ita refriguit, vt eum publicè abnegaret, quem Dei filium esse antea confessus erat? Et idem Antiochiæ à synceriori Euangelicæ veritatis regula deflectere cœpit, quoad vitæ conuersationem, cùm apud Iudæos gratiam bonam inire vellet. Semper ergo meminerimus, amicitiam huius mundi esse inimicitiam cum Deo, & separemur à praua illorum generatione, qui priuatim honorem & quæstum gloriæ Dei præferunt.

Matth. 26.
Galat. 2.
Iacobi 4.

Porro ad Christum transeamus, qui etsi responsione prorsus indigni essent, respondet tamen: tum quia quæstio hæc pia esset & cognitu necessaria, tam quia videbat Scribam hunc à regno Dei non omnino alienum esse, & proinde lucrifieri posse. Est hoc magnæ bonitatis argumentum, & quòd (vt alibi fatetur) neminem ad se venientem reijciat. Docet præterea suo exemplo, vt veritatis doctrinam quacunque occasione propagemus, & interrogati nihil dissimulemus, licet nos insidiose interrogari sciamus. Grauiter de hoc Apostolus admonet, quando nos paratos esse iubet semper ad respondendum cuilibet petenti: & faciunt huc Christi verba: Quemcunq; mei & sermonum meorum puduerit in generatione hac adultera & peccatrice, illius pudebit & filium hominis, quando venerit in gloria patris sui cum angelis sanctis: Marc. 8.

Christus respõdet, etsi responsione indigni sint.
Ioan. 6.
1. Pet. 3.

Cæterùm ita respondet Christus, vt non modò quod nam primum sit præceptum indicet, verumetiam totius legis summam & vsum, adeoq; omnem salutis rationem illis ob oculos ponat. Nam ea capita allegat, quibus tota lex cootinetur, dilectionem nimirum Dei & proximi: quæ simul hominis corruptionem arguunt, imò cogunt, vt iustitiam, qua lex impletur, alibi quàm in nobis ipsis quæramus. Et ne quam habeant calumniandi occasionem, ipsius Mosis verbis vtitur: quorum pars prior, quæ de Dei dilectione præcipit, Deuteron. 6. cap. habetur: altera verò de proximo diligendo Leuit. 19. In præsenti priorem modò videbimus. Vult autem Moses breui compendio complecti, quid Deo debemus, & inter alia ait: Audi Israel, Dominus Deus noster, Dominus vnus est. Diliges itaque dominum deum tuum, &c. Sunt loci istius partes duæ. Prima Dei descriptionem habet, quæ commodissimè præmittitur, vt ex illa discamus, quàm meritò ille à nobis diligi & obseruari debeat. Vbi interim admonemur, quid de Deo credere aut sentire debeamus. Primùm, quòd noster Deus sit. Inculcat hoc passim scriptura, & in fœdere olim cum Abrahamo facto, deinde in Decalogi exordio hoc ipsum præcipuè vrget. Et sanè in hoc fidei cardo versatur, vt deum nostrum esse deum intelligamus, quicquid tandem malorum incidat. Hinc enim non modò obedientiæ, verumetiam patientiæ & constantiæ fontes deriuantur. Ideò Dauid in maximis angustijs, quando à deo derelictus videri poterat, clamabat: Deus meus, deus meus, vt quid me dereliquisti? Quam vocem Christus postea in cruce suo exemplo confirmauit, vt doceret nobis tunc etiam in deo, ceu nostro & nobis obstricto deo, sperandum esse, quando à nobis alienissimus esse putatur. Deinde deum hunc, quoad essentiam, vnum esse agnoscamus. Quia enim supremum bonum est, vnicus sit oportet, cùm duo vel plura suprema simul esse non possint. Consentiunt his scripturæ omnes. Ipse certè per Mosen pronuntiat: Videte, quòd ego, ego inquam ipse sum, & non est deus præter me: ego occido, & rursus viuifico, &c. Et Dauid in Psalmis canebat: Quis deus, præter dominum? quis petra, præter deum nostrum? Et apud Isaiam: Ego sum primus, & ego sum nouissimus, & præter me non est deus. Item: Ego dominus, & nullus præterea, præter me non est deus: His Apostolica ista coniunge: Vnus deus, vnus etiam mediator dei & hominum, &c. Vnus dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus deus & pater omnium, qui est super omnia, & per omnia, & in omnibus nobis. Et in priori ad Corinthios scribitur: Nullus est deus alius, nisi vnus. Nam etsi sint, qui dicantur dij, siue in cœlo siue in terra (quemadmodum sunt dij multi, & domini multi: nimirum non reuera & essentialiter, sed hominum falsa opinione) nobis tamen vnus est deus, Pater ille ex quo omnia, & nos in illum: & vnus dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per illum, &c. Vnus ergo deus credendus est, in quo tres personas distinctas scripturæ monstrant, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum: & procul abijci debent dij fictitij & alieni, quos homines sibijpsis ex suo cerebro fingunt. Vsus verò cognitionis dei vnius hîc nobis

Christus summam Legis totius complectitur.
Quid de Deo credi debeat.
Gene. 17.
Exod. 20.
Psalm. 22.
Matth. 27.
Deute. 32.
Psalm. 18.
Isa. 44. et 45.
1. Timoth. 2.
Ephes. 4.
1. Corinth. 8.

esse debet, vt vno hoc contenti simus, vnum colamus, vnum inuocemus, & in illo vno spem omnem repositam habeamus. Quare aduersus ipsa pietatis principia peccant, quicunq; ad creaturas transferunt, quæ scriptura vni Deo tribuit.

Quid Deo debeamus.

Sed huc facit altera huius loci pars, qua quid Deo debeamus, exponitur his verbis: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex totis viribus tuis. Sunt hæc perspicua quidem, attamen multis nominibus dignissima, vt in illorum meditatione multùm diuq; imò indesinenter versemur. Et primò quidem obseruabimus, quòd dilectionem sui tam studiose à nobis Deus requirit. Est autem dilectio animi motus siue propensio erga aliquid, non propter nos, sed illud ipsum quod diligimus. Quapropter qui deum diligunt, animo toto in illum propensi sunt, non tam priuati commodi causa, quàm vt illius honorem & gloriam proueheant. Comprehendit ergo in se dilectio hæc fidem & obseruationem cum obedientiæ studio coniunctam, vt postea pluribus docetur. Nunc verò bonitas Dei admirabilis, & vicissim nostri ingenij corruptio hic elucet. Hæc quidem in eo, quòd peculiari præcepto nos ad Deum amandum excitari oportet, quem ex communi sensu summum bonum esse, plerique hominum intelligunt. Illa verò, quòd à nobis amari vult deus, cùm nihil nobis cum ipso commune sit, nec quicquam nos illi præstare possimus. Hinc verò patet, nos illi curæ esse quàm maximè, & hinc nos in aduersis consolationis argumenta petere conuenit. Qui enim se diligi vult à quoquam, diligentem aspernari non potest. Cuius rei exempla in parentibus est videre, qui immorigeros quoque filios, ad se conuersos, non reijciunt: eò quòd se ab illis amari & obseruari volunt. Ita prodigum filium recipiebat pater, qui dei personam sustinet, cùm illum miserum & egenum redire videret. Siue ergo morbis cruciemur, siue exules oberremus, siue peccatorum conscientia vexemur, Deum diligamus, & illum inuocemus, & mox illum sentiemus nobis clementem esse atq; propitium.

Lucæ 15.

Vt Deus diligi debeat.

At prodest videre, qualis nam hic amor esse debeat. Exprimit hoc diligenti partium & facultatum hominis enumeratione Moses, vel Christus potius: summa autem omnium, quæ dicuntur, est, vt dilectio dei in nobis syncera & perfecta sit. Synceritas enim ab omni hypocrisi aliena exigitur, dum cordis, mentis, animæ & aliarum facultatum hominis meminit. Perfectionem verò notat, dum cor totum, animam totam, vires denique hominis omnes requirit. Quia enim deus vnus est, vnus etiam amari debet, maximè cùm zelotes sit, qui alium sibi conferri nequaquàm patitur. Præstat autem singula verba penitius excutere. Primò, vt ex toto corde se diligamus, requirit. Atqui cor affectuum sedes est. Hos ergo omnes in dei dilectionem dirigi oportet: quod absq; regeneratione & totius hominis innouatione fieri non potest. Deinde ex tota anima se vult diligi. Animæ verò hominis uita tribuitur, & proinde hanc nos illi consecrare decet, vt quod viuimus, ipsi viuamus, adeoq; deo nos sistamus viuentem hostiam, qui verus ille & rationalis cultus est, sicuti Apostolus monet. Quo loco vehementer peccant, qui meliorem vitæ partem diabolo tribuunt, senectam verò frigidis ceremonijs aut superstitionibus consecrant, quasi ita cum deo ludere nobis liceat. Tertiò mentem totam requirit, quæ (vt postea ex Scribæ interpretatione patebit) intellectum & omnes interiores hominis facultates comprehendit. Et licet hisce tribus totum hominem sibi vendicet Deus, addit tamen: Et ex totis viribus tuis: ita nimirum omne illud complectens, quod homo tum corpore tum animo potest. Vides ergo non inanem dilectionis dei professionem nobis præcipi, sed talem quæ hominem totum deo subijciat, & effectis pulcherrimis sese conspiciendam præbet. Qui enim ita Deum diligunt, illi coniungi, & vniri cupiunt, nec quiescunt, donec se illi coniunctos esse sentiunt. Detestantur ergo peccata, quibus nos ab illo separari norunt, verbo autem ipsius vnicè student, in quo seipsum & voluntatem suam nobis reuelat. Nec illud audiunt modò, verumetiam eidem obediunt, quoad hoc nostræ carnis infirmitas patitur. Semper enim hæc Christi in illorum auribus resonant: Qui ex Deo est, verba Dei audit. Et oues meæ vocem meam audiunt. Item: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit. Diligunt item eos, quos ad deum pertinere, vel ab illo nobis commendatos esse sciunt: Omnes nimirum homines, imprimis tamen domesticos fidei, qui eiusdem corporis in Christo nobiscum membra sunt. Vnde Ioannes dicebat: Qui dixerit, diligo deum, & fratrem suum oderit, mendax est, &c. Praterea ijdem nullis aduersis siue periculis sese superari patiuntur, sed cum Apostolo dicunt: Quis nos separabit à dilectione dei? num afflictio? num angustia? num persecutio? num fames? num nuditas? num

Rom. 12.

Dilectionis Dei effecta.
Isaiæ 59.

Ioan. 8, 10, 14.

1. Ioan. 4.
Rom. 8.

tas? num periculum? num gladius? Quemadmodum scriptum est: Propter te morti tradimur tota die, habiti sumus veluti oues destinatæ mactationi. Verùm in his omnibus superamus per eum, qui dilexit nos, &c. Postremò Deum diligentibus nihil suauius & iucundius est, quàm frequenter cum illo colloqui: quapropter in precibus & gratiarum actione assidui, omnia pericula fortiter spernunt, quæ veri Dei inuocationem impedire solent: cuius rei exemplum euidens in Daniele habetur, qui leonibus proijci potius, quàm preces ad Deum intermittere voluit. Hæc (inquam) dilectionis huius effecta sunt, quæ si in nobis hodie requiramus, mox patebit, quàm procul absimus ab ea obedientia, quàm à nobis Deus optimo iure exigit. Profitemur quidem omnes, quòd Deum diligamus, & Deum odisse prophanis quoque hominibus scelus immane videtur. At quotus quisque est, qui Deo totus coniungi cupiat? Annon peccati seruitio & mundi illecebris plerique oblectamur? Annon verbi Dei fastidia sentimus? Annon carnem spiritui reluctari experimur? Annon fratres periclitantes securi negligimus, modò nobis bene sit? Annon ignaui succumbimus, vt primùm aliquid pro Dei gloria audendum est? Annon in precibus frigidi ferè sumus & languidi? Nisi ergo ista corrigantur, Legi nunquam satisfaciemus. At per nos corrigi nequeunt: sed regeneratione opus est, & spiritu sancto, cuius operatione fit, vt dilectio dei in cordibus nostris diffundatur, sicuti Paulus monet. Ad solam ergo Dei gratiam hoc omne referri debet, qui vt prior nos in Christo dilexit, ita suæ dilectionis ignem in nobis accendere consueuit. Interim nostri officij fuerit, nosmetipsos assiduo verbi studio excitare, Dei beneficia frequenter meditari, regni cœlestis gaudia cum mundi studijs conferre, preces fundere ardentes, & carnem vel inuitam ad hæc sanctissima exercitia assuefacere. Ita fiet, vt deum diligamus non fucatè, & quod nobis deerit, deus pro sua bonitate sarciet per meritum Iesu Christi filij sui: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Daniel. 6.

Rom. 5.

1. Ioan. 4.

HOMILIA CII.

Et secundum [mandatum] simile est hoc: Diliges proximum tuum, ut teipsum. Maius istis aliud mandatum non est. Et dixit ei scriba ille: Bene, Magister, in ueritate dixisti, quòd unus sit Deus, & non sit alius præter eum: & quòd diligere eum ex toto corde, & ex tota intelligētia, & ex tota anima, & ex totis uiribus, ac diligere proximum ut seipsum, plus sit quàm omnia holocautomata & sacrificia. Tunc Iesus cùm uidisset eum cordatè respondisse, ait ei: Non longè es à regno Dei. Et nemo amplius audebat eum interrogare.

Dominus & saluator noster Iesus Christus apud Ioannem ait: Omne quod dat mihi pater, ad me veniet: & eum qui venerit ad me, non eijcio foras. Exemplum huius promissionis euidens in præsenti tractatione habetur. Venit enim ad illum scriba quidā à pharisæis subornatus, ut ipsum quæstionibus captiosis & insidiosis circumueniat. Interrogat is, quod nam primum sit inter dei mandata. Quæstionis verò hic scopus est, vt vel ignorantiam Christi apud populū traducant, vel ipsum accusandi occasionem venentur, si quid contra Mosem & Legem dei pronunciet. Christus tamen nulla habita instituti ipsorum ratione, ita respondet, vt non modò doceat, quod nam mandatorum omnium primum sit, verumetiam totius scripturæ summam, & in hac omnem vitæ rectè & beatè instituendæ rationem duobus præceptis complectitur. Primum dei dilectionem præcipit, quæ & huius veram cognitionem & fidei obedientiam continet, & proinde totius scripturæ compendium dici potest. At quia eadem in ijs potissimùm elucet, quæ ad vitæ conuersationem & externa officia spectant, alterum de proximi dilectione præceptum priori huic coniungit: & ita causam hanc proponit, vt aduersarium propriæ conscientiæ testimonio conuictum cedere & verum fateri cogat. Est ergo locus hic consyderatu dignissimus, docens, vt ipsi quoque veræ pietatis studium externis operibus testari, & agnitæ veritati cedere debeamus.

Argumentum & usus loci præsentis.

Ioan. 6.

Secundum (inquit Christus) mandatum simile, est hoc: Diliges proximum tuum, vt teipsum. Meminit huius quoque Moses ijsdem verbis, vbi vindictæ priuatæ studium prohibens, monet, ne iniu

Præceptum de dilectione proximi.

Leuit.19. riarum memores simus, quas nobis conciues aut populares nostri inferunt. Dicit autem Christus præceptum hoc priori simile esse: primum, quòd in hoc etiam, vt in priori, non aliud quàm dilectio præcipitur. Deinde, quia dei dilectio eius dilectionis vera & vnica causa est, qua proximum cōplectimur. Præterea, quòd vt dei dilectio obedientiam & quæcunq; illi debemus officia continet: ita dilectio proximi omnia ea comprehendit, quæ secundæ tabulæ præceptis de proximo & rebus illius traduntur. Vnde Paulus dicebat: Nemini quicquam debeatis, nisi hoc vt inuicem diligatis. Nam qui diligit alterum, legem expleuit. Siquidem illud: Non mœchaberis, Ne occidas, Ne fureris, Ne dicas falsum testimonium, Non concupiscas, & si quod aliud præceptum est, in hoc sermone summatim comprehenditur. Nempe, Diliges proximum tuum, vt teipsum. Dilectio siquidem primo malum non operatur: & proinde consummatio legis est dilectio. Rectè ergo Christus hæc duo mandata inter se similia esse ait.

Rom.13.

Dei bonitas in dilectionis præcepto elucet.

Nobis verò priusquam de dilectione dicamus, admirabilis & planè paterna Dei gratia consyderanda venit: qui non alijs præceptis nos astringere voluit, quàm quæ omnia ad dilectionem siue charitatem referri possunt: qua nihil inter homines iucundius, suauius & salutarius inuenitur. Hæc enim nos Deo patri simillimos reddit, qui vt ipsa charitas est, teste Apostolo, ita bonitatem suam in omnibus operibus suis exerit, dum in indignos quoq; beneficia confert, & solem suum (vt in Euangelio dicitur) super bonos & malos oriri sinit. Viderunt hoc olim ethnicorum sapientes, qui homines benefaciendo ad diuinitatem proximè accedere, & hoc nomine hominem homini Deum esse dixere. Deinde ad tranquillè & beatè viuendum nihil conducibilius est charitate, quam vitæ totius suauissimum condimentum rectissimè dixeris. Hæc enim offensis mutuis medetur, proximi infirmitatibus ignoscit, iniurias suffert patienter, & aduersa omnia mitigat: cum è contra odium nihil nobis suaue & iucundum esse patiatur, sicuti in Caino, Saule & horum similibus est videre. Magna ergo est hæc Dei bonitas, qui legibus suis ad ea officia nos astringere voluit, ex quibus fructus omnis ad nos redit, & sine quibus vita hæc nobis iucunda esse nequit. Simul verò hæc ipsa peruersum & malignum nostræ carnis ingenium arguunt, qui vt istis obtemperemus, vix vllis rationibus nos adduci patimur, sed odijs potius & simultatibus ac inuidiæ indulgemus, quæ vitam omnem nobis tristem & amaram reddunt.

1.Ioan.4. Psal.145. Matth.5.

Dilectio quid sit.

At dilectionem nuper diximus esse animi propensionem, qua alicui benè volumus, non nostri, sed ipsius causa, & qua fauorem hunc reipsa pro virili testamur. Nec enim de eo amore Deus in sua lege præcipit, quo aliquos nostri commodi causa prosequimur, eò quòd beneficia ab illis iam ante accepimus, vel nos accepturos speramus. Ita enim publicani quoq; (vt Christus ait) imò fures & latrones se mutuò diligunt, qui (si propriè loqui libeat) seipsos potius, quàm proximos suos diligere dicentur. Tolle enim priuati commodi spem, & mox amorem hunc euanescere videbis. Nobis autem hoc loco tria cumprimis consyderanda erunt. Primùm, quibus nam dilectionem Deus præcipiat. Deinde quis à nobis diligi debeat. Tertiò, quis nam dilectionis istius modus sit.

Matth.5.

Dilectionis præceptum ad omnes ex æquo pertinere.

Quoad primum, probè tenendum est, generale esse præceptum hoc, & ex æquo ad omnes homines pertinere. Solent enim hîc tergiuersari nonnulli, & in sua vel egestate & inopia, vel ignobilitate & imbecillitate sibijpsis patrocinium quærere. Et hi plerunque dilectionem ab omnibus admodum rigidè exigunt, eandem verò in semetipsis securi negligunt, nec se illius lege teneri arbitrantur. Causa erroris est, quòd dilectionem operibus non cordis affectu metiuntur, nec obseruant affectum dilectionis in illis quoq; locum habere posse, qui eundem operibus testari minimè possunt. Distinguendum ergo est inter dilectionem & opera dilectionis. Dum enim hæc præcipit Deus, vt nimirum famelicis cibum, sitientibus potum, nudis vestes, peregrinis hospitium præbeamus, captiuos item & afflictos consolemur, deniq; auxilio & consilio nostro subleuemus eos, qui his opus habent, illis loquitur, quos ijs facultatibus iam antè instruxit, vt istis præstandis sufficiant: nec violatæ legis reatu tenentur, quos egestas & donorum Dei inopia impedit, quò minus ista præstare queant. At cùm idem ille proximum diligere iubet, animi propensionem & voluntatem requirit, quam omnes ex æquo præstare tenentur, eò quòd illa non modò in diuitibus & authoritate præditis, verumetiam in egenis, obscuris & rerum inexpertis locum habere potest. Esto enim, desint opes, quibus aliorum egestati subuenias, desint vires quibus laboranti succurras: desit consilium, quo periclitantem subleues, animus tamen deesse

Isaiæ 58. Matth.25.

desse non potest, quo illi benè velis & adiutum cupias, nisi illum tibi infelix odij & inuidiæ affectus abstulerit. Vt ergo diues peccat, dum inopem & famelicum negligit: ita non minus peccat inops, dum alijs suas fortunas inuidet. Peccat qui ocio & pace abundans, oberrantes Christi exules domum suam colligere dedignatur: at non minor extorris & exulis culpa est, si illi pacem & ocium malignè inuideat. Peccat, qui afflictum suo consilio & consolatione destituit: at non leuius afflicti scelus est, si vel odio vel impatientia superatus, omnes homines similiter miseros esse cupiat, & inuidiosè omnes eos damnet, quos lautiori fortuna frui cernit. Peccant, qui à debitoribus suis debita inhumanius exigunt: at æquè peccant, qui charitatis lege ad fallendos creditores abutuntur, & in compotationes aliaq; inhonestiora studia insumunt ea, ex quibus creditoribus suis satisfacere debebant. Eadem enim lex & à creditore humanitatem, & à debitore satisfactionis officium exigit. Idem in alijs quoque obseruare nos conuenit, ne quis cæcis inuidiæ & odij affectibus abreptus dilectionis legem nihil ad se pertinere putet.

Secundò, quis diligi debeat, videamus. Exprimit hoc proximi vocabulo, & sic ingenitæ philautiæ malo medetur. Per hanc enim fit, vt singuli cum Comico illo dicant: Heus, proximus egomet sum mihi: & proinde varia fingunt personarum discrimina, quibus sese excusent, ne cui charitatis officia præstare cogantur. Aut enim veteres iniurias cõmemorant, aut ob vitam turpiter transactam indignos dicunt quibus benefiat, aut etiam gentium publica vitia priuatis hominibus exprobrant. At omnia hæc amolitur Deus, dum nos proximum diligere iubet: quo nomine omnis loci & ordinis homines comprehendit, vultq; vt omni posito personarum discrimine quemuis obuium fauore & beneuolentia prosequamur, proq; virili nostra iuuemus, si illum nostra ope & consilio opus habere videamus. Et hoc quidem in Samaritani parabola apud Lucam copiosè explicatur. Quia enim vna & eadem est omnium hominum origo & conditio, deusq; communi necessitatis lege omnium ordinum & nationum homines ita constrinxit, vt mutuis operis & auxilijs omnino opus habeant, non est quòd alias atque alias dilectionis causas quæramus, sed sufficiat nobis, quòd homo sit, quem nostræ opis indigum esse videmus. Quòd si autem omnibus hominibus hoc officij debetur, quantò magis domesticis fidei illud debebimus, quos præter communem naturæ legem, fidei quoq; vinculum nobis deuinxit, & nobiscum in Christo vnius & eiusdem corporis membra constituit? Vides ergo quàm detestabilis illorum error sit, vel potius inhumanitas, qui fratres in necessitate constitutos non negligunt modò, verumetiam inde occasionem arripiunt, qua aut odium suum iniustum & iniquum exaturent, aut veteres iniurias vlciscantur.

Quis diligi debeat.

Proximus quis.

Luc. 10.

Galat. 6.
1. Cor. 12.

Tertiò quis dilectionis modus esse debeat, indicatur, quando proximum perinde vt teipsum diligere iuberis. Facit & hoc ad coercendam philautiam, qua fit, vt nos solos amore dignos iudicemus, alios verò omnes aut securè negligamus, aut fastidiosè aspernemur. Deinde ijs respondet, qui ignorantiam prætexunt, seq; nescire quiritantur, quid aut quantum proximo egenti largiri debeant. At audi ô bone, perinde vt teipsum proximos tuos te diligere Dominus iubet, & quis tibi proximus sit, modò audiuisti. Non ergo in te vno amor requiescat, nec quenquam negligere vel fastidire debes. Nec est, quòd de dilectionis modo anxiè quæras. Quis enim mortalium ignorat, quàm tenerè singuli seipsos ament? Vt primùm enim aliquid præter animi voluntatem accidit, mox dolore afficimur, nosq; nostrijpsorum miseret. Deinde non simulatè, sed verè: non frigidè, sed ardenter nosipsos diligimus, idq; assiduo & indefesso commodi nostri studio palàm testamur. Vitia verò, si quæ in nobis sunt, aut studiosè corrigimus, aut prudenter dissimulamus. Deniq; nosipsos amando nunquam defatigamur. Ad eundem modum proximus quoq; à nobis amari debet. Misereamur eius, si quando illum infelicius agere videmus, nec inanibus modò verbis, sed reipsa amorem pro virili testemur. Vitia illius amicè & pro vocationis nostræ ratione corrigamus, aut (si id fieri nequit) quoad sine scandalo licet, illa prudenter occultemus. Hoc enim charitati proprium esse, Solomon sapientissimus mortalium, & post hunc Petrus Apostolus testantur. Nec sufficiat nobis, aliquandiu proximum dilexisse, sed pergamus in amore nostro, nec vnquam defatigemur, quoad sese aliqua offert de illo benè merendi occasio. Hæc præcipua sunt, quæ veram dilectionis proximi regulam constituunt.

Dilectionis modus.

Prouerb. 10.
1. Pet. 4.

His absolutis, scribam audiamus, qui tentandi causa quæstionem istam mouerat. Probat ille Christi responsum, imò illud ipsum pluribus verbis repetit et scripturarũ authoritate cõfirmat. Benè

Scriba Christo assentitur.

1 diues! 2 otiosus. 3 Afflictus 4 debitor.

(inquit) Magister, in veritate dixisti, quòd vnus sit deus, & non sit alius præter eum, & quòd diligere eum ex toto corde, & ex tota intelligentia, & ex tota anima, & ex totis viribus ac diligere proximum vt seipsum, plus sit quàm omnia holocautomata & sacrificia. Habent hæc aliquam eorum expositionem, quæ Christus paucis attigerat: cuius exemplo admonemur, nobis in dei verbo non perfunctoriè versandum esse, sed ita, vt quid illo tradatur, quæq; ex illo dogmata necessariò sequantur, intelligamus. Repetit enim Christi verba noster hic, quod attentionis & meditationis diligentis indicium est, quam prophetæ ab auditoribus suis crebrò requirunt, quamq; necessariam esse, Christus supra in seminis parabola docuit. Deinde quæ ex Christi verbis consequuntur, egregiè elicit. Dixerat ille: Dominus deus tuus, Dominus vnus est. Hinc colligit scriba, quod præter hunc deus alius non sit, nec quisquam præter illum pro deo haberi aut agnosci debeat. Dixerat item Christus: Maius istis aliud mandatum non est. Ex eo iste infert, quòd horum obseruatio omnibus sacrificijs longè excellat: id quod illum in prophetarum sermonibus obseruasse credibile est, qui frequenter beneficentiæ & iustitiæ publicæ studium externo cultui & omnibus ceremonijs præferunt: nec immeritò, cùm charitas per se deo probetur, externi verò ritus non nisi propter alium finem illi grati sint: quem si negligamus, à prophanis superstitionibus nihil differunt. Hæc ratio si hodie in articulis controuersis obseruaretur, facilè contentionum finis inueniri posset. Fatemur omnes vnum deum cæli & terræ creatorem. Cur ergo non cum scriba hoc inferimus, non esse aliũ præter hunc? cur illi alios deos quasi subsidiarios substituimus? cur illi debitum honorem in creaturas transferimus? Fatemur Christum in ara crucis immolatum dixisse, Consummatum est. Cur ergo non illius sacrificio contenti sumus? cur noua quotidie instituimus, quibus illius meritum in dubium vocatur? Scimus Apostolos dixisse, non esse aliud nomen sub cœlo, præter Iesum Christum, in quo nos saluos fieri oporteat, & hunc nobis à deo patre mediatorem & aduocatum esse constitutum. Cur ergo infinitas alias salutis vias, & innumeros aduocatos ipsi ex nobis fingimus? Poterant hæc & omnia alia faciliè discuti & expediri, nisi infelix cõtendendi libido multorum animos obsedisset, qui affectus priuatos publicæ saluti & religioni longè præferunt.

Marci 4. — Isaiæ 1.58. Hos. 6. Amos 5. Mich. 6. &c. — Ioan. 19. — Actorum 4. 1. Tim. 2. 1. Ioan. 2.

Est etiam aliam ob causam memorabile admodum scribæ huius exemplum. Elucet enim in eo quanta sit veritatis vis apud eos, qui animos suos nondum obstinauerunt. Venit enim vt Christum insidiosè tentaret. Audito autem Dei verbo, illi consentit, & illius doctrinam publicè commendat, cùm ignorare non posset, quàm malam gratiam apud suæ factionis homines esset initurus. Imitemur exemplum hoc, vt cõuicti cedamus, & Deo gloriam demus: cui qui cedere solent, ij demum victoriam longè pulcherrimam saluberrimamq; reportant. Ita enim fit, vt priores quoq; lapsus illis Deus condonet, & ipsi quotidie in melius proficiant. At magnum hodie incurabilis pertinaciæ argumentum est, quòd pleriq; ne conuicti quidem veritati cedere dignantur. Potuit olim Deus vno & altero miraculo Nabuchodonozorem & Darium, potentissimos reges, flectere, vt ipsum agnoscerent, & errores suos publicè faterentur. Potuit breui responso scribæ huius animum Christus emollire, vt veritati testimonium ferat. At eadem hodie multis non sufficiunt, licet & olim plurimis miraculis confirmata sint, & indies infinitis scripturæ locis illustrentur. Similis multorum pertinacia in ijs elucet, quæ ad mores & vitæ conuersationem faciunt. Dauid olim à Nathano correptus peccatum suum agnoscebat, & Dei opem implorabat. Et Nineuitas ad vnicam Ionæ prophetæ concionem peccata sua agnouisse, & resipuisse legimus. Hodie verò multi ex eo laudem captant, si in ijs quoq; sceleribus pertinaciter perseuerent, quæ olim gentes pœnis digna iudicarunt. Sed magno illis olim constabit hæc gloria, quando Dei vltoris sententiam audient.

Veritatis uis magna. — Dan. 2. 3. & 6. — 2. Sam. 12. Psal. 51. Ion. 3. Matth. 12.

Sed ad Christum redeamus, qui cordatum scribæ responsum probat, & illum non procul à regno Dei abesse dicit. Intelligit verò salutis negotium & veram huius cognitionem, quæ ex Euangelio hauritur. Ab ea verò non procul aberat, cùm quòd veritatem priuatis affectibus præferebat, tum quòd vera pietatis officia ab externis laruis discernebat, quibus hypocritæ se venditare consueuerat. Docet autem suo exemplo Christus, non statim damnandos esse omnes eos, qui veritati aduersantur. Si enim hoc ex ignorantia faciant, diligenti institutione lucrifieri possunt. Quò Paulus respiciens, infirmos in fide assumere & amicè fouere iubet. Minimè ergo audiendi sunt, qui nimio rigore quosuis reijciunt, & importunitate sua multos absterrent, qui pia & sancta mansuetudine trahi ac lucri-

Christus scribã ueritati cedentem probat. — Rom. 14.

lucrifieri poterant. Alia est reproborum ratio, qui deplorata proteruia omnem doctrinam & institutionem reijciunt.

Restat exitus disputationis huius felicissimus, qui fuit, quòd nemo illum post hæc interrogare audebat. Ea enim veritatis vis est, vt impij quoq; velint nolint illi succumbant. Facit autem hoc ad arguendum incurabilem istorum impietatem. Etsi enim intra animos suos conuicti sint, non tamē emendantur, sed ad insidias simul & apertam vim conuersi, de Christo occidendo consultant, vt suo loco videbimus. Est hoc ipsum in multis etiam hodie videre, quorum iudicium non dormitat. Nos autem Christi exemplo confirmati, in veritatis causa propugnanda fortes & constantes simus. Vincemus enim & nos inter medias afflictiones per Christum Iesum, cuius promissiones habemus, quòd nos orphanos relinquere nolit, sed præsens nobis adesse velit vsque in consummationem seculi. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Christi de hostibus victoria.

Ioan. 14.
Matth. 28.

HOMILIA CIII.

Et respondens Iesus, dicebat, docens in templo: Quomodo dicunt scribæ, quòd Christus filius sit Dauid? Nam ipse Dauid dixit in spiritu sancto: Dixit Dominus Domino meo, Sede ad dexteram meam, donec posuero inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Ipse ergo Dauid uocat eum Dominum, unde igitur filius eius est? Et pleraq; turba audiebat eum libenter.

DEscripsit Marcus aliquot disputationes à scribis & sacerdotibus contra Christum institutas: in quibus videre licuit, quibus artibus ferè impij veritatem oppugnent. Etsi enim huius lucem non ferant, studium tamen veritatis interdum simulare possunt, colloquia cum pijs instituunt, de multis interrogant: sed insidiose faciunt omnia, cùm non discendi studio teneantur, sed in hoc potius intēti sint, vt veritatis doctrinam aliqua occasione vel inuisam vel contemptā reddant. Fecerunt hoc olim Iudæorum scribæ, & hoc ipsum hodie à multis fieri notius est, quàm vt exemplis demonstrari oporteat. Cæterùm insidiosis hostium disputationibus nouam subijcit Euangelista, quam ipse Christus longè alio consilio instituit: nimirum non vt illis laqueos struat, sed vt publicè omnium saluti consulat, sicuti mox dicetur: sicq; suo exemplo docet, quænam piorum disputationes sint & qua ratione institui atque expediri debeant. Primò igitur institutum Christi & illius causas, deinde ipsam disputationem, postremò illius finem & exitum inspiciamus.

Argumentum & usus præsentis loci.

Quæstionis siue disputationis causam præbuit Iudæorum igorantia, qui Messiam quidem venturum credebant, cuius beneficio liberarentur, de eodem tamen & regno ipsius non rectè sentiebant. Nam è Dauidis stirpe illum nasciturum esse, ex prophetarum oraculis didicerant, regnum quoque habiturum fatebantur felicissimum & multa gloria illustre. Interim verò nihil diuini in ipso agnoscebant, sed nudum hominem fore, & in terris more principum huius seculi regnaturum esse putabant. Causa erroris erat, quòd veteres promissōes & prophetarum oracula obiter modò inspicerent, & ijs quæ carni adlubescebant solis intenti, non omnia diligentius excutiebant, quæ in illis continentur. Fuit hæc omnibus seculis maximorum errorum & absurdissimarum opinionū præcipua causa: quòd nimirum homines vel contentiosi vel minus oculati vno alicui scripturæ loco intenti, alios omnes negligūt, quorum collatione is illustrari poterat, nec deinde vllis rationibus sese à concepto semel errore abduci patiuntur. Exempla huius mali olim in Arrianis extitêre, & hodie simili pertinacia Anabaptistas infantes à baptismo arcere, & quosdam Euangelicæ professionis corporalem Christi in Cœna præsentiam propugnare videmus: qui si totam baptismi & Cœnæ dominicæ causam penitius inspicerent, & posito cōtendendi studio, diligentiori scripturarū collocatione vterentur, mox nobis magis propitij fierent, & melius de causa tota iudicarent. Quoad verò præsentem tractationem, quia Iudæos errore, cuius supra meminimus, detineri Christus sciebat, hunc illis eximere studet, & proinde ex ipsis scripturæ penetralibus quæstionem proponit, qua omnem sui regni rationem plenissimè complectitur. Erat hoc facto necessarium, vt huius cognitio crucis scandalo mederetur, quod paulò

Disputationis causa Iudæorum error de Messia.
2. Sam. 7.
Psalm. 89.
Isaiæ 11.
Ierem. 23.
Ezech. 34.

post ex morte ipsius oriturum erat. Ideo illum hæc inter docendum proposuisse dicit Euangelista, ne quis ostentationis ergò dicta suspicaretur. Sed ipsam quæstionem videamus.

Quæstio de Meßia Dauidis filio. Psalm. 110. Quomodo (inquit) dicunt scribæ, quòd Christus, id est, vnctus ille dei & promissus humani generis saluator, sit filius Dauidis? Nam ipse Dauid dixit in spiritu sancto, Dixit Dominus Domino meo, &c. Quibus verbis se Dauidis filium esse minimè negat, nec scribas hoc nomine reprehendit, quòd promissum Meßiam ex Dauidis familia nasciturum docerent: sed illos in mysterijs hisce considerandis non satis attentos esse ostendit, nec obseruare ea, quæ ipse Dauid de Meßia ex se prodituro dixerit, & quæ veram illius cognitionem tradere possunt: adeoq; erroris arguit, quòd Meßiam hominem nudum fore arbitrentur, nec quicquam in illo excellentius, quàm regnum terrenum, sperent. Argumentum verò ex communi & ipsius naturæ legibus confirmato more deducit, hoc modo: Nec naturale, nec æquum, nec etiam vsu receptum est, vt patres suos posteros siue nepotes, Dominos suos appellent. 2. Sam. 7. At Dauid Meßiam, quem ex sua stirpe post suum obitum demum nasciturum esse sciebat, suum Dominum vocauit. Ergo plus quiddam in illo agnouit, quàm vos, qui hominem duntaxat fore putatis. Et facit ad confirmationem minoris, quòd verba ista Dauidi non temere excidisse, sed in spiritu sancto dicta esse testatur, id est, ex spiritus suggestione, qui illum in saluatoris cognitione per illa instituere voluerit. Vbi simul patet, apud Iudæos nemini dubium fuisse olim, quin Psalmus iste de Meßia compositus esset: alioqui elumbe fuisset apud scribas argumentum, quòd ex illo Christus petebat. Posteris demum temporibus eò usque profecit Iudæorum impietas, vt cùm se Psalmi huius authoritate validißimè constringi viderent, illum de Abrahamo alij, alij de ipso Dauide, alij de Solomone, nonnulli de Ezechia, aut quouis alio, quàm de Christo, exponere voluerint. Facilè enim patitur mundus scripturas in quosuis sensus torqueri, & expositionibus absurdißimis corrumpi, modò Christi cognitionem veram non vrgeamus, quæ & superstitiones euertit, & peccandi licentiam coercet. Cæterùm quia illum in eum finem Christus allegauit, vt ista occasione ipsum rectius agnoscerent Iudæi, nobis quoq; ea diligentius excutienda erunt, quæ ad Christi & regni ipsius veram cognitionem faciunt.

Christi persona, Deus & homo. Et primò quidem patet hinc, quid de Christo quoad essentiam siue personam ipsius sentire debeamus. Agnouerunt hunc verum hominem esse Iudæi, & talem sanè omnis scriptura prædicat. Huc enim veteris Testamenti promißiones referri debent, in quibus semen mulieris, semen item Abrahami, germen Isai & Dauidis filius dicitur: qui tituli falsò illi tribuerentur, nisi ex istorum stirpe verus homo natus esset. Gen. 3. 22. &c. Isaiæ 11. 2. Sam. 7. &c. Lucæ 1. Quin angelus Gabriel illius incarnationem annuncians, Mariæ virgini dicebat: Quod in te nascetur, &c. Et Elizabetha ex spiritus suggestione eundem fructum ventris Mariæ appellauit. At quid testimonijs opus est, quando tota Christi in terris conuersatio, & eiusdem mors atque resurrectio luculenta naturæ humanæ testimonia exhibent? Lucæ 2. Ioan. 4. 19. etc. Lucæ 24. Nam vt puer cum ætate succreuit, vt homo verus esuriuit, sitiuit, laborauit, vapulauit, & tandem mortem subijt acerbißimam. Et à mortuis resuscitatus semetipsum discipulis palpandum præbuit, & se carnem atque ossa habere testatus est. Meritò igitur Marcionem cum Manichæis & horum socijs vetus ecclesia damnauit, qui Christi humanitatem in dubium vocare ausi sunt, quasi ille vel phantasma inane assumpserit, vel corpus quoddam sydereum & supernaturale cœlitus attulerit. At non in humana natura nobis cum Iudæis subsistendum est, sed simul verum dei filium patri coæternum & consubstantialem nos illum agnoscere oportet: cuius multa simul & grauia testimonia locus hic Dauidis continet. Primò enim annis ante Christi incarnationem circiter mille quadraginta tribus Dauid mortem obijt, qui tamen deum patrem Christo locutum esse, & illi regnum destinauisse, in spiritu testatur. Neque id in præsenti modò, verumetiam alibi, quando in Christi persona loquens, ait: Recensebo decretum. Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te, &c. Psal. 2. Act. 4. & 13. Hebr. 1. & 5. Quæ verba de Christo intelligi debere, primitiuæ ecclesiæ & Pauli authoritate admonemur. Deinde Dominum suum vocat Dauid eum, qui post multa secula demum (vt modò diximus) ex ipsius posteris nasci debebat. At quomodo nondum natus, vel Dauidis vel alionum illius seculi hominum dominus esse potuit, nisi illi naturam humana excellentiorem tribuamus? Præterea ad dexteram dei sedere iubetur, quod diuinæ gloriæ et maiestatis consortium significat. Isaiæ 42. Atqui deum dixisse scimus: Gloriam meam alteri nō dabo. Illam verò Christo dedit, cùm ista diceret. Deus ergo & patri consubstantialis sit oportet, nisi

alterutrum

alterutrum Dei pronuntiatum falsi insimulare libeat. Hæc & huius generis alia diuinitatis Christi argumenta ex Psalmo hoc elici possunt. Quibus infinita alia ex nouo simul & veteri testamento accedunt, quibus recensendis ideò non immoramur, quòd diuinitatem suam operibus suis ita asseruit, vt illam hostes quoque interdum agnoscere coacti sint. Omne siquidem morborum genus propria virtute curauit, leprosos mundauit, spiritus immundos eiecit, mortuis vitam restituit, peccata remisit, hominum cogitationes arguit, & infinita alia fecit, quæ solius Dei virtute perfici possunt. Est ergo Christus in vna & eadem persona Deus & homo, Deus quidem ab æterno, homo autem ex muliere factus constituto tempore: estq́ certa in personæ unitate naturarum (diuinæ nimirum & humanæ) distinctio, adeò vt nec illa in hanc mutata sit, neque hæc ab illa absorpta vel exinanita. Præstat autem ista probè tenere, quia in his præcipua fidei nostræ fundamenta consistunt. Nisi enim Deum verum agnoscamus Christum, nulla nobis in hoc esse poterit salutis fiducia: imò in illo sperare nefas erit, cùm scriptura dicat: Maledictus, qui confidit homini, & facit carnem brachium suum. Item, ne fidetis principibus nec filijs hominum, in quibus non est salus. Rursus, nisi hominem & fratrem nostrum factum esse credamus, adhuc diuinæ maiestatis & iustitiæ terror impediet, quò minus ad illum accedamus, cum quo nihil nobis commune est. Non temerè ergo ista in scripturis tam diligenter traduntur, vt ex ijs discamus, Christo nec facultatem nec voluntatem deesse nos saluandi, adeoq́ verum & vnicum esse mediatorem, per quem nobis ad Deum accessus pateat.

Ioan. 7. 10.
Galat. 4.
Ierem. 17.
Psalm. 146.

Secundò officium quoq́ Christi exprimitur, quando illum Dauid Dominum suum vocat. Quia enim Psalmum hunc ecclesiæ decantandum proposuit, in cõmuni omnium credentium persona loquitur, nec modò qualem ipse eum agnoscat fatetur, verumetiam docet, qualis ab omnibus nobis credi & agnosci debeat. Domini enim vox relationem habet ad seruos, & proinde vniuersum redemptionis nostræ mysterium cõplectitur. Nam si Dominus noster est Christus, nos serui illius simus oportet. Vnde verò hoc? Inde nimirum, quòd cùm diaboli mancipia essemus, & ad mortem æternam abriperemur, ille nos pretio sanguinis sui redemptos asseruit in libertatem, & sibi acquisiuit in genus electum, regale sacerdotium, gentem sanctam & populum acquisitum, vt illius virtutes prædicemus, qui è tenebris nos vocauit in admirabilem lucem suam. Et huc pertinet, quod de regno simul & sacerdotio Christi paulò post subijcitur, quando illum à dextera Dei sedere, & æternũ sacerdotem esse testatur, secundùm ordinem Melchizedech. Vt enim redimeremur nos, primò quidem regia potentia opus erat, deinde etiam sacrificio, quod peccata nostra expiaret, & iustitiæ Dei satisfaceret. Vtrumq́ autem Christus habet, qui regis instar suorum causam suscepit, aduersariam potestatem debellauit, & simul sacerdos verus semetipsum pro nobis in ara crucis obtulit, & (vt Paulus ait) peccatum, id est, hostia pro peccato factus est, vt nos efficeremur iustitia Dei per illum. Verè ergo Dominus noster est, cuius sanguine nos redemptos esse nunquam non meminisse debemus, ne vel oscitantes in peccatorum seruitutem relabamur, vel hoc derelicto alios nobis quæramus Dominos, adeoq́ hominum serui fiamus, dum illorum statutis nos turpiter submittimus. Nec enim temerè Paulus clamat: Pretio empti estis, nolite effici serui hominum. Erat hoc illis obseruandum, qui non contenti Christo in Monachorum regulas iurant, & factiosa Benedictinorum, Iacobitarum, Franciscanorum aliorumq́ similiũ nomina in se recipiunt: vel etiam Diuos cœlites sibijpsis dominos & aduocatos siue mediatores constituunt, nec Christi voce mouentur apud Isaiam clamantis: Ego Dominus, hoc est nomen meum, & gloriam meam alteri non dabo. Item, Nemo venit ad patrem, nisi per me. Et quæ obsecro dementia est, Diuos pro dominis inuocare, qui ipsi, cùm in terris essent, Christũ solum Dominum suum agnouerunt, seq́ illius merito redemptos eiusdẽ etiam intercessione apud Deum patrem opus habere confessi sunt? Annon Dauid, vir iuxta cor Dei, hîc Christum suum Dominum vocat, nec ea prærogatiua sibi superbiendum esse arbitratur, quòd illum ex se nasciturum sciret? Annon Ioannes, dilectus ille discipulus, se reliquæ credentium turbæ adnumerat, quorum aduocatus sit Christus Dominus? Annon Paulus, vas electionis, se inter peccatores recenset, quibus saluandis Christus in mundum venerit? Annon idem ille eos damnat, qui Paulini vel Petrini potius quàm Christiani dici volebant? Annon Apostoli omnes vni Christo discipulos adduxerunt, & vnanimi consensu testantur, salutem in Christo solo contineri? Hos ergo

Christi officiũ & dignitas.
1. Pet. 1. & 2.
2. Cor. 5.
1. Cor. 7.
Isa. 42.
Ioannis 14.
1. Sam. 13.
1. Ioan. 2.
1. Tim. 1.
1. Cor. 1. & 3.
Act. 4.

imitemur ipsi quoque, & vnum Christum Dominum & saluatorem nostrum agnoscamus, qui propter peccata nostra traditus, & propter nostri iustificationem excitatus, nunc ad dextram Dei sedet, & intercedit pro nobis. Rom. 4. & 8.

Regnũ Christi. Tertiò regnum quoque Christi Dauid paucis hisce verbis complectitur, & illud diuinum, inuictum & æternum esse docet. Diuinum enim & cœleste sit oportet, cùm ad dei dexteram sedeat. Inuictum, cùm hostes omnes illius pedibus instar scabelli subijci antur. Et quia tale est, necessariò æternum quoque fuerit. Cur enim cesset aut desinat, cùm nemo sit, qui illud possit euertere? Faciunt hæc ad salutis nostræ certitudinem & mirificè consolantur in omni tentationum genere, simulq́ officij admonent. Si enim omnes Christi hostes pedibus ipsius subijci oportet, certa vtique erit salus nostra, nec illam aliquis impedire poterit. Inter illos enim numerantur peccatum, mors, inferi, diabolus, mundus & quæcunque in hoc nos infestare solent. At peccatum iam olim ille expiauit, vt electis dei posthac imputari nequeat: mortem resurrectione sua gloriosa deuicit, inferorum portas confregit, diabolum exarmatum foras eiecit, & ipsum mundum potenti dominio premens, illius furores pro suo arbitrio moderatur: adeò vt quàmuis gentes fremant, reges concurrent, & de iugo ipsius excutiendo consultent, ipse tamen (ut hoc ipso Psalmo mox dicitur) in medio inimicorum suorum regnum obtineat: non quidem humanis armis & externa mundi potentia munitum, sed verbi sui sceptro, quod olim è Zione egressum orbem totum peruasit, & inuitis omnibus impijs vsque in consummationem huius seculi prædicabitur. Sunt hæc multorum seculorum exemplis probata & hodie multa fiunt, quæ istis fidem faciunt. Etsi enim ab ipsa mundi origine, postquàm Cain Abelum occidit, Christi regnum in credentibus perpetuò oppugnatum sit, & Romani Imperatores non semel ad illud opprimendum vires suas omnes contulerint, & hodie quoque vi aperta simul & insidijs vndique infestetur, tamen viuit adhuc Christus, regnat, regnabit & vsque, Atque hostes omnes sub ditione premet. Hinc ergo nobis in tentationibus consolationis argumenta petenda sunt, vt nec peccatorum conscientia, nec mortis aut inferorum metu, nec tyrannorum terrificis conatibus nos superari patiamur: sed intrepida fidei constantia armati, Christo nos totos consecremus, & inter certamina huius mundi, quibus ille nos exerceri vult, obedientiæ officium illi præstemus, quando qui cum illo patiuntur, cum eodem quoq; olim in cœlis regnaturi sunt. Et hæc quidem in Psalmi huius locum de Christo & regno ipsius dicta sufficiant. &c.

Rom. 8. 1. Corinth. 15. Ioan. 12. & 16. Psal. 2. 2. Timoth. 2.

Disputationis exitus. Matth. 22. Videamus nunc disputationis huius exitum, non minus felicem quàm priorum fuerit. Nam vt Matthæus tradit, non habent quod respondeant scribæ, nec illum interrogare quisquam amplius audet. Populus verò illum docentem libenter & magna cum voluptate audit. Vbi rursum Christi sapientia & diuina authoritas elucet, qua astutissimorum quoq; hostium consilia dissipare, & hominũ mentes efficaciter mouere potest. Imprimis autem sacerdotum & scribarum stupiditas & contumacia obseruari debet, qui hactenus multa cõminisci potuerunt, quibus Christum vel exosum vel contemptum reddant: nunc verò in quæstione graui & cognitu maximè necessaria, quæq́; ad ipsos cumprimis pertinebat, prorsus obmutescunt: & licet ignorantiam suam silentio fateantur, tamẽ non interrogant, nec volunt veritatem, quam ignorabant, edoceri. Tales hodie sunt non pauci, homines nimirum astutissimi in ijs confingendis, quæ ad piorum oppressionem faciunt: qui ijdem, cùm ecclesiæ curam maximè ad se pertinere glorientur, de fidei articulis & dogmatis ex scripturis interrogati pisce magis muti reperiuntur, aut ineptissima quædam ex sophistarum lacunis balbutiunt: cumq; veritatem non pudeat oppugnare, pudet tamen illos ignorantiam fateri, & quæ ignorant discere. Istis ergo omissis, nos eos imitemur, quos Christi doctrina delectatos fuisse Marcus scribit. Est enim hoc proprium ijs, qui ex Deo nati sunt, & ijdem in veritatis cognitione maiores quotidie progressus faciunt, & tandem omnibus hostium conatibus superiores facti in cœlis regnabunt cum Christo Iesu, filio Dei & saluatore nostro vnico: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Ioan. 8.

HOMILIA CIIII.

Et dicebat eis in doctrina sua: Cauete à scribis, qui amant stolati obambulare, & amant salutationes in foris, primosq́ consessus in conuentibus

tibus & primos accubitus in cœnis. Qui deuorant domos uiduarum, idq́ sub prætextu prolixæ precationis. Isti grauius auferent iudicium.

Dominus noster Iesus Christus non modò insidiosas scribarum & sacerdotum disputationes prudenter elusit, verumetiam cùm illi nihil amplius possent opponere, ipse quæstionē cognitu cum primis necessariam proposuit, in eum finem, vt ipsorum vera Messiæ & regni ipsius cognitione institueret. Didicimus illic præcipua fidei & salutis nostræ capita: nimirum, quis Christus, quod eius officium, & quæ regni ipsius conditio. Disputationis verò hic exitus fuit, quòd plerique ex populo veritatis doctrina delectati sunt, scribæ verò etsi intra animos suos conuicti essent, nec quicquam respondere possent, incurabiles tamen & excæcati, Veritati cedere nolunt: eò quòd (vt alibi Christus testatur) suam ipsorum gloriam & honorem gloriæ Dei & publicæ multorū saluti præferrent. Sciebat hoc Christus, quem nec occultæ hominum cogitationes latere possunt: ideò omissis illis, ad populum & discipulos conuersus docet, quid de istis sentire, vtq́, sibi ab illorū imposturis cauere debeant. Estq́, locus hic multa consyderatione dignissimus, quia paucis præcipuas falsorum antistitum notas cōprehendit, & quid hodie iudicandum sit docet de illis, qui veritati cedere dedignantur.

Argumentum & usus præsentis loci.

Ioan. 5.

Ioan. 2.

Et primò quidem, quibus cum egerit Christus, indicatur. Nimirum cum illis, quos illius doctrinam libenter audiuisse, nuper dixerat. Fuerunt ex his discipuli ipsius, deinde non pauci ex reliquo populo. Et Matthæus hæc illum turbis simul & discipulis dixisse scribit. Nec id temerè factum, aut etiam annotatum fuisse putabimus. Primò enim quia discipulos totius orbis doctores constituerat, illos omnino præmoneri oportuit, ne istorum vestigijs sibi insistendum esse putarent, qui hactenus in ecclesia doctrinæ antistites fuerant. Deinde non minus necesse fuit populum admoneri, quid scribarū & sacerdotum authoritate impediebatur, quò minus in veritatis doctrina proficeret, licet illa non vulgariter delectaretur. Nec enim alia salutis & fidei remora est efficacior, quàm ementita & longi temporis præscriptione confirmata falsorum antistitum authoritas. Huius enim reuerentia fit, vt ne propter errores quidem manifestos ab illis vulgus discedere audeat, quos tot iam seculis apud omnis loci & ordinis homines in summo pretio fuisse nouit. Exemplo sunt hodie, qui etsi Romanorum Pontificum nefaria dogmata, teterrimos in Romana ecclesia abusus, fœdam sacrorum omnium nundinationem, mores ecclesiasticorum dissolutissimos, dissimulare nullo modo possint, adhuc tamen stulta & præpostera reuerentia fascinati, grande nefas esse arbitrantur, si vel palàm illis contradicant, vel veritatis doctrinæ ab illorū statutis dissentienti subscribant. Et tales quidem inter Iudæos fuisse multos, non malos alioqui aut impios, vel ex eo patet, quòd postea Euangelij luce illuminati, vix tamen adduci potuerunt vt innatam, sibi Leuitici sacerdotij reuerentiam exuerent. Palàm ergo & omnibus audientibus illorum hypocrisis arguenda fuit, qui stulta sui nominis admiratione simplicium mentes detinebant.

Christus coram uulgo de scribis agit.

Matth. 13.

Hinc verò generalis doctrina peti debet: Licere nimirum omnibus seculis, imò necessarium esse, vt falsi doctores publicè arguantur, si incurabiles sint, & veritati reluctari nunquā desinant. Quod enim Christus fecit, hoc ipsum prophetas quoq́, & Apostolos magno zelò fecisse legimus, qui non modò sui seculi impostores oppugnarunt, verumetiam de ijs vaticinati sunt, quos nouissimis temporibus venturos esse, in spiritu præuidebant. Vehementer ergo errant, qui illis hodie in ouili Christi grassantibus, de illis tamen in ecclesijs verba fieri nolunt, & sui consilij rationes egregias, si dijs placet, se habere arbitrantur: Primò enim non temerè lacessendos esse dicunt eos, qui publica regum authoritate defenduntur, & quos irritare periculosum sit. Deinde in ministris mansuetudinem & lenitatem potissimùm cōmendari dicunt. Tertiò charitatis lege præcipi aiunt, ne cuius nomen aut fama proscindatur. Postremò stultum illis videtur cum illis contendere, apud quos te nihil profecturum scias. Habet aliquam veri speciem apud eos, qui religionē mundi huius iudicio metiuntur, & Christo cum Belial aliquo modo conuenire posse putant. At si eadem penitius inspicias, & ad Christi exemplum examines, nullius ponderis vel momenti esse videbis. Nam quoad primum, nullis periculis eos terreri conuenit, quos publicæ salutis custodes & vindices Deus constituit. Et semper ea felicitate (siquidē ita dici meretur) pseudoprophetas vsos esse scimus, vt reges & principes protectores habuerint. At non ideò ijs cesserunt prophetæ vel Apostoli, quos Dei præceptum vrgebat, vt se illis simul & patro-

Seductores publicè argui debere.

Dan. 7. & 11.
Actorum 20.
2. Thess. 2.
1. Timoth. 4.
2. Tim. 3. 4.
2. Pet. 2. &c.

Ierem. 1. nis ipsorum, vel cum capitis sui periculo opponerent. Et nota sunt Dei verba ad Ieremiam dicentis: Ne paueas à conspectu eorum, ne te perdam in facie ipsorum. Ecce enim ego facio te hodie ciuitatem munitam, columnam ferream & murum æneum contra omnẽ terram, contra reges Iuda, contra principes eius, contra sacerdotes, &c. Sed Christi exemplum sufficiat, qui cùm sciret, quid sibi euenturum esset, officio tamen suo deesse noluit, quò minus sacerdotum dolos argueret. Imitati sunt hunc Apostoli, quos ipse quoq; de periculis inde orituris admonuerat. Non est ergo, quòd mundi tyrannidem metuant, qui Dei ministri sunt. Potest enim ille suos tueri quum volet. Quòd si illos pro sui nominis gloria vitam profundere velit, tunc quoq; futuri præmij spe illos constantes & intrepidos esse decet. Deinde mansuetudinem & lenitatem in omni hominum genere laudem eximiam mereri scimus: eandem verò in illis locum habere negamus, quæ Deus extirpata vult, & quæ publicæ aliorum saluti officiunt. Nec enim probatur magistratus, qui ne crudelis dicatur, magno cum bonorum detrimento temerarijs & facinorosis nebulonibus ignoscit, quos Deus ciuili gladio coercere iubet. At idẽ Deus falsos prophetas & doctrinam falsam extirpare præcipit, & eam publicæ saluti cumprimis officere notius est, quàm vt multis demonstrari oporteat. Crudelis ergo potius quàm mansuetus dicetur, qui illam grassari patitur. Docet hoc Christi exemplum, qui cùm hominum mansuetissimus esset, & peccatores incomparabili leuitate ferret, idem tamen quando illi cum scribis & sacerdotibus res est, sui quodammodo oblitus, plenis (quod aiunt) velis in illos inuehitur, nec obiter tantùm illorum impostu ras detegit, sed lupos, fures, latrones vocat, & Væ illud horrendum pœnitere nescijs intonat. Nec illum hæc ex odio fecisse quisquam (opinor) dicet, sed quòd ita Dei gloria & salus publica postularet, quàm paucorum famæ & gloriæ anteponere conuenit. Quod ipsum ad tertij quoq; argumenti confutationem sufficere potest: addo tamen illic, distinguendum esse inter conuicia, quibus ex prauo affectu aliorum famam lædimus, & correptiones, quibus vel publicè vel priuatim aliorum vitia ex officio reprehendimus. At stultum est, propter illos periclitari, in quibus arguendis & corripiendis oleum & operam perdas. Sed non statim frustra laboratur, etsi apud falsos doctores nihil proficias, nec ideò ab officio cessandum est. Sciebat Christus, quàm parum apud scribas proficeret. Attamen ne ipse officio suo deesset, & ne interim illorum authoritas & hypocrisis populo rudi & discipulis fucum faceret, hæc illum dicere oportuit. Ita etsi incurabiles sint prorsus, qui hodie superstitiones & doctrinam falsam in ecclesia tuentur, ijdem tamen arguendi sunt, cùm ne ipsi ferociores sint, dum suam hypocrisim ignorari putant: tum vt ab ouibus caueri possint, quarum ea est stoliditas, vt luporum faucibus spontè sese ingerant, nisi fidis & assiduis pastorum clamoribus arceantur. Qui si aut taceant, aut sese turpiter subducant, non veri pastores, sed mercenarij sunt, & suæ negligentiæ, seu perfidiæ potius, aliquando graues pœnas dabunt.

Matth. 10. Lucæ 21. &c. Deut. 13. Matth. 7. & 21. & 23. Ioan. 10.

Christus scribas cauendos esse iubet.

Sed audiamus Christum loquentem: Cauete à scribis, qui amant stolati obambulare, & amant salutationes in foris, &c. Sunt ergo admonitionis istius partes duæ. Prima simpliciter à scribis cauendum esse monet. Altera diligentius docet, de quibus loquatur. Cauete à scribis, inquit. Breuis quidem, sed dura sententia, quam multis intolerabilem visam fuisse, non est dubium. De illis enim loquitur, qui iam seculis aliquot primum in ecclesia locum tenuerant, quibus Legem suam & scientiæ clauem (vt alibi dicitur) Deus commiserat, quiq; in Mosis cathedra sedentes veterũ sacerdotũ & prophetarum successione gloriabantur. Suadet tamen vt ab illis sibi caueant, id est, ne agnoscant illos pro pastoribus suis, sed potius secessionem ab illis faciant. Ita enim postea Petrus Apostolus hæc verba interpretari videtur, quando Hierosolymitanis consilium abs se petentibus dicit: Separemini à generatione ista praua. At quid hoc aliud erat, quàm schisma suadere ijs, qui hactenus vnanimi consensu inter se connexi fuisse videbantur? Sed vt non omnis consensus bonus, ita non omne schisma malum est: & sicuti peccant qui malo consentiunt, ita laudem merentur non vulgarem, qui consensum eiusmodi interrumpunt, vt veritati consentire discant qui antea in mendacijs conspirarant. Ita Elias olim à Rege & sacerdotibus populum ad se transire iubebat, & illius factum Deus insigni miraculo probauit. Quibus exemplis admonemur, à falsis antistitibus secessionem fieri debere, nec illos vllis titulis aut prærogatiuis defendi, quò minus ab illis discedere liceat. Deus enim ecclesiam suam non hominum arbitrio regi & administrari vult, sed illam verbo suo subiecit, è cuius semine illam generari Petrus testatur. Nec vllis alijs, sed sibi soli discipulos adducere Christus iubet, vt nimirum

Malach. 2. Luc. 11. Matth. 23. Act. 2. 1. Reg. 18. A falsis antistitibus discedendum esse. 1. Pet. 1. Matth. 28.

nimirum in ipso per fidei vnitatem coalescant, qui ecclesiæ nomine censeri volunt. Vt primùm ergo officium facere desinunt antistites, & abiecto Dei verbo hominum traditiones obtrudunt, nec ad vnum Christum omnia referunt: nulla illis obedientia debetur amplius, quin ab illis vt malæ fidei seruis secedendum est, ne in ipsum Dominum perfidi simus, dum seruis ipsius fideles esse volumus. Cur enim hominibus obtemperemus, quando ne angelum quidem audiendum esse Paulus monet, si aliud Euangelium prædicet? Falsò igitur & iniquè hæreseos accusamur, eò quòd à Romana sede defecerimus. Scimus quidem olim eius ecclesiæ fidem in toto orbe celebrem, & ipsius Pauli testimonio probatam fuisse. At illam iam pridem à veteri simplicitate defecisse, nemo negabit, qui vel obiter præcipua Euangelicæ doctrinæ capita cum ijs contulerit, quæ hodie in Romana ecclesia traduntur. Euangelium enim solius Christi vocem audire iubet, & humanis traditionibus omnem in Dei cultu authoritatem adimit. At Papa hominum traditiones cum Dei verbo non pari tantum, sed interdum superiori loco statuit, quando constat hoc frequentius illis, quàm illas huic cedere. Euangelio Christum ecclesiæ caput vnicum esse docemur, qui cùm ab ecclesia nunquam absit, vicario nullo opus habet. At Romana ecclesia caput aliud asciscit Papam, & eundem Christi tanquam absentis vicarium constituit. Euangelium Christum semel in ara crucis pro nobis immolatum omnia, quæ ad humani generis redemptionem pertinebant, consummauisse docet, nec posthac vel mori vel immolari posse amplius. At Papa eundem quotidie pro peccatis viuentium & mortuorum offerri clamat, Euangelium in vnius Christi merito nobis iustitiam & salutem omnem monstrat. Papa verò (vt olim Pharisæi) nostrorum operum iustitia et merito nos saluari dicit. Euangelio Christum Iesum vnicum mediatorem & aduocatum pro nobis apud patrē intercedere discimus. At Papa tot nobis mediatores & aduocatos finxit, quot Diui Diuæq; in cœlis esse credantur. Euangelium nos à legalium ceremoniarum obseruatione liberos pronuntiat, ciborum discrimina abolet, & coniugij vsum omnibus licitum facit, imò dæmoniorum doctrinam vocat eam, quæ vel cibos à Deo concessos vel coniugium prohibet. At Papa vnà cum Iudaicis gentilitias quoque ceremonias postliminiò reuocat, & capitis pœna in eos animaduertit, qui libertate Christiana frui cupiunt. Euangelio omnis in religione imaginum vsus prohibetur, quem simul in Lege & Prophetis damnari certum est. In Papatu verò nullus imagines faciendi modus est, & noui quotidie illarum cultus excogitantur. Euangelium nos vni Christo consecrat, & eandem omnium credentium fraternitatem esse docet, quos omnes nobilissimo illo Christianorum nomine insignit. At Papa Christi nomen fastidire docet, & ecclesiæ vnitatem in diuersas fraternitates discindens factiosa Benedictinorum, Bernhardinorum, Franciscanorum nomina, vnà cum sexcentis alijs excogitauit. Euangelio docemur, credentes à morte in vitam transire, nec vllum iudicium perpeti. Papa autem purgatorij ignem construxit, in quo animas à corporibus digressas excoqui & à scelerum noxis purgari oporteat, priusquàm in cœlos transferantur, &c. Posset hoc ipsum in multis quoque alijs ostendi, sed hæc modò sufficiant, ex quibus facilè patet, Papam & cum hoc Romanam ecclesiam minimè Christi & Apostolorum vestigijs insistere, & proinde meritò ab illa secessisse nos, cùm longè aliud Euangelium prædicet, quàm olim illi prædicarint: Imò iuxta præsens hoc Christi præceptum ab eadem discedere debere omnes, quicunque saluti suæ consultum volunt. Nec est quòd nobis bonam animi intentionem aliqui obijciant, & culpam erroris in solis doctoribus hæsuram putent, si ab illis seducantur. Est sane grauior seductorum culpa, attamen non fallet Christi sententia dicentis: Si cæcus cæco dux fuerit, ambo cadent in foueam. Nec frustra à scribis cauere iussit, qui idem alibi, vt è Babylone discedamus, monet, ouiumq; suarum hoc proprium esse dicit, quòd alienam vocem minimè sequantur. Quæ sola omnibus rationibus confutandis sufficiunt, quibus nonnulli hodie sibijpsis fucum facere consueuerunt, &c.

Galat.1. Rom.1.& 15. Ioannis 10. Matth.17. & 15. Ephes.1.5. Ioannis 19. Heb.9.10.etc. 1.Cor.1. Act.4. 1.Timoth.2. 1.Ioan.2. Rom.8. Galat.4. Matth.15. Hebr.13. 1.Timoth.4. 1.Ioan.5. Deut.4.&c. 1.Cor... & 12. Ephes.4. Ioan.5. Lucæ 24. Matth.15. Apoc.18. Ioan.10.

Sed ad Christi verba reuertamur, qui ne omnes scribas atque doctores simpliciter damnasse videatur, diligentius eos describit, à quibus sui cauere debeant. Tria verò in illis notat, ex quibus omnium seculorum falsi doctores agnosci possunt: hypocrisim nimirum, ambitionem seu gloriæ priuatæ studium & falsam doctrinam ad quæstum solum institutam. Ad primum pertinet, quòd illos in stolis obambulare dicit. Apud Matthæum verò phylacteriorum quoq; & fimbriarum meminit. At hîc non vestes damnantur, quas cuiusque vocationi respondere conuenit: sed simulatā siue fucatam

Seductorum notæ. 1. Hypocrisis.

Deute.6. sanctimoniæ speciem perstringit; cuius occasionem ex Lege desumpserant. Iusserat enim Deus præcipua illius capita descripta in vestibus gestare, adhæc fimbrias quoq; vestium suæ legis memoracula Num.25. esse voluit. Scribæ ergo, vt reliquis sanctiores haberentur, vestibus ad talos vsq; demissis induebantur, fimbrias illarũ maximè conspicuas habebãt, phylacterijs quoq; vel schedis vtebantur latissimis, in quibus legis capita descripta erant. In istis verò omnis illorum sanctitas consistebat, cùm interim à vera legis obseruatione alienissimi essent, sicuti Christus alibi disertè testatur. Vide Matth.23,

2. Ambitio. Secundò ambitionis accusat, quando illos salutationes in foris, primosq; consessus in publicis conuentibus & in cœnis primos accubitus amare dicit. Salutationes verò intelligit non vulgares, sed titulis magnificis turgentes. Nam non Rabbini modò, id est, magistri, sed etiam (quod Paulus Rom.2. annotauit) cæcorum duces, lumina in tenebris versantium, eruditores insipientium & imperitorum doctores dici volebant. Hosce titulos alia quoque ambitionis indicia comitabantur: quòd nimirum in deambulationibus honoratiori loco incedere, in curia vel templis primi sedere, in conuiuijs vel publicis vel priuatis superiores alijs accumbere vellent. Nec temerè ambitionem hanc inter falsorum Ioan.5. doctorum notas Christus numerat. Quia enim (vt idem in Euangelio monet) Deo credere non possunt, qui hominum gloriam expetunt, nec interim de Dei gloria soliciti sunt: eosdem fidem rectè docere, est impossibile.

3. Falsa doctrina. Tertiò falsam doctrinam ab illis tradi ait, cuius exemplum ex sacrorum nundinatione profert. quæ illis authoribus inuecta fuerunt. Deuorant (inquit) domus viduarum, idq; sub prætextu longæ precationis. Nam precationis nomine, quæ non postrema cultus diuini pars est, Synecdochicôs omnem externam religionem complectitur. Sensus ergo est, quòd sub religionis prætextu aliorum opibus inhient, idq; tanta cum auiditate, vt ne viduis quidem parcant, quarum non modò pecunias, verumetiam domus omnemq; substantiam ad se rapiant. Id verò absq; doctrina falsa fieri non poterat, cuius exemplum siue specimen supra Cap.7. vidimus, vbi illos filijs authores fuisse dixit, vt quæ in parentum senio confectorum alimoniã impendere debebant, in corbonam deferrent. Eò verò adducebant rudes & imperitos, quòd operum iustitiam statuerent, & salutem non in Dei gratia per promissum Messiam, sed in hominum meritis monstrarent. Quæ doctrina illis quæstuosissimi aucupij instar erat, eò quòd illa fascinati homines non sacrificia modò crebriora adducebant, verumetiam opulentissimis donationibus templũ ditabant, & ipsorum augebant stipendia: quo nomine alibi accu-Ioan.2. santur, quòd templum in emporium conuerterint. Licet verò hæc sua retia omnibus tenderent, cumprimis tamen viduarum meminit, eò quòd hæ partim consilij sanioris inopia, partim propter sexus infirmitatem, & quòd tentationibus grauioribus obnoxiæ sunt, impostorum artibus magis patent. 2.Tim.3. Vnde Paulus quoq; falsis doctoribus hoc tribuit, quòd in familias subeant, & peccatis oneratas mulierculas suis somnijs captiuas ducant. Et sanè, si historias inspiciamus, hoc ferè omnibus hæreticis & impostoribus proprium quodammodo fuisse patebit, quòd sub religionis prætextu muliercularum afflictis conscientijs ad suam libidinem simul & quæstum abusi sunt.

In Papisticis doctoribus easdem quæ in scribis fuerunt, notas haberi. Et hæ quidem seductorum siue impostorum notæ sunt, quas in Iudæorum scribis & sacerdotibus Christus proponit. Hæ verò ita à nobis consyderari debent, vt ex illis eos agnoscamus, qui hodie sibi in ecclesia primatum vendicant, & à quibus nos iure secessionem fecisse, supra diximus. Quid enim in his aliud reperias, quàm hypocrisim, ambitionem & doctrinam falsam? Constant enim omnia illorum inanibus ceremonijs, gesticulationibus ridiculis, vestium formis insuitatis, quibus omnibus illi carnis mortificationem, vitæ innouationem, fidei constantiam, charitatis ardorem, patientiam, innocentiam, scripturæ sacræ cognitionem, & alia eius generis denotari dicunt. At si hæc ipsa in illis quæras, non magis ea, quàm in scribarum stolis & phylacterijs reperies. De ambitione quid dicere attinet, quando non modò inanibus titulis sese venditant, nec primos modò consessus & accubitus in ecclesiasticis conuentibus & conuiuijs ambiunt, verumetiam in regum aulis & principum consilijs primum locum affectant. Ex historijs certè constat, illos non semel ad sanguinem vsq; pro loco honoratiori contendisse: cuius rei memorabile exemplum circa annum domini 1063. in conspectu Heirychi IIII. æditum fuit Goslariæ, quando inter Hildesheimensem Episcopum & Fuldensem Abbatem de consensu oborta contentio totum templum sanguine & cædibus repleuit. Quid verò de Romanorum Pont. ambitione dicere attinet, qui ad pedum suorum oscula reges & Imperatores vocare

non

non verentur? Quid de Regibus et Imperatoribus dico, quando diuinos honores sibi impudenter vendicant, dum se Christi vicarios esse dicunt, errare item se posse negant, adeoq; Patres sanctissimi, imò ipsa Sanctitas dici volunt? Iidem verò postquam sublato, aut saltem maxima ex parte occultato dei verbo, per suas traditiones purgatorium ignem, sacra pro defunctis & Indulgentias suas stabiliuerunt, mox religio omnis quæstus fieri cœpit, & huius prætextu non modò domos viduarum, verum etiam opulentissimorum patrimonia, agros, vineas, arces, ditiones item & amplissima regna deuorauerunt. Poterant hæc multis demonstrari, sed id fieri minimè opus est, cùm res ipsa loquatur. Cùm ergo easdem notas in nostris hisce inuenire liceat, quas in sui seculi scribis Christus ostendit, nō minus illi nobis, quàm veteribus Iudaici scribæ cauendi erunt.

Subijcit enim grauem comminationem Dominus, quòd nimirum grauius iudicium subituri sint. Punit quidem Deus in omnibus hominibus hypocrisim, ambitionem & imposturas: maiorem tamen pœnam merentur, qui religionis & diuini nominis prætextu abutuntur, vt suum regnum fraude doloq; partum stabiliant. Quale verò illud iudicium sit, quod Christus hoc loco minatur, multis in Apocal. cap. 18. 19. & 20. descriptum reperies. Meminerimus tamen non istos modò puniri, verumetiam eos, qui illis aures præbent & nefandis illorum sacris cōmunicant, vt supra quoq; diximus. Semper ergo animis nostris insideat hæc Christi Iesu admonitio, & omissis impostoribus ambitiosis & auaris, ipsum audiamus, qui vt solus verba vitæ æternæ habet, ita omnes quoq; esurientes & sitientes ad sese inuitat, venientes verò benignè suscipit, & cœlestis regni hæreditate donat. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen. *Seductorum pœna.*

HOMILIA CV.

Et cùm sedisset Iesus ex aduerso gazophylacij, spectabat quomodo turba mitteret æs in gazophylacium. Multi igitur diuites mittebant multa. Et cùm uenisset quædam uidua pauper, misit minuta duo, quod est quadrans. Et uocatis ad se discipulis suis, dicit eis: Amen dico uobis, uidua hæc pauper plus misit, quàm omnes qui miserunt in gazophylacium. Nam omnes ex eo quod ipsis superest miserunt: hæc uerò è penuria sua omnia quæ habebat misit, totum uidelicet uictum suum.

QVoniam scribæ et sacerdotes non vno loco, maximè tamen in postremis aduersus Christum disputationibus incurabilem malitiam & impietatem abunde prodiderūt: grauiter admodum ille discipulos & populum admonuit, vt sibi ab illis & traditionibus ipsorum caueant: & inter alias rationes eam potissimùm adduxit, quòd sub religionis prætextu domos viduarum deuorent. Ne qui verò inde colligerent, nihil posthac conferri debere ad doctrinæ & cultus diuini cōseruationem, noua historia subijcitur, in qua corrupto hominum iudicio in hac causa Christus medetur. Recipit enim sese in eam templi partem, vbi gazophylacium erat siue arca, in quam pro more pecuniæ ad templi & cultus externi conseruationem conferebantur: & è regione considens, quid agatur spectat: nec damnat morem hunc, sed postea inter diuitum & pauperculæ viduæ donaria discernens, docet, quid in donationibus eiusmodi obseruari debeat. Est ergo historia diligenti consyderatione digna, eò quòd bonorum ecclesiæ rationem complectitur, simulq; docet, vt eos affectos esse cōueniat, qui aliquid vel in Dei cultum vel in pauperum subuentionem couferre instituerunt. *Argumentum & usus loci præsentis.*

Cæterùm, vt res tota magis perspicua sit, quædam altius erunt repetenda, vt quæ nam apud Iudæos gazophylacij, imò apud ecclesiam totam, iam inde ab initio, opum publicarū ratio fuerit, intelligamus. Vetus enim hoc institutum est, & naturæ legibus conueniens, vt ecclesia opes habeat publicè à singulis collectas, quæ religioni et ijs quæ ad hanc necessariò requiruntur, inseruiant. Quia enim illa ad omnes homines ex æquo pertinet, & omnium saluti seruit, omnium quoque fuerit eam prouehere & pro virili tueri. Hinc ergo antiquitus decimarum exactio instituta fuit, quam multis seculis ante Mosem in vsu fuisse, Abrahami & Iacobi exempla testantur. Posteris verò temporibus præter decimas spontanea quoq; dona ad cultum diuinum conferri cœperunt, qualia principum & singu- *Ecclesia semper opes habuit publicè collectas.* *Gen. 14. & 28.*

Exod.35. Num. 7. Exod.30. lorum Israelitarum fuere, quae ad tabernaculi extructionem contulerunt: & praeter illa quoq; à singulis, qui sub censum veniebant, siclus ad cultum tabernaculi ex Dei instituto numerabatur. Vbi verò posteris temporibus Regum incuria & imprimis Athaliae improbitate religio labefactata & ecclesiastici census vel aboliti vel malis artibus intercepti fuerunt, Ioiada sacerdos vna cum regno veterem quoq; horum rationem restituit, quorum diligentissimam curam Nehemias etiam postea habuit, cùm è Babylone reuersi, vrbem & templum vnà cum cultu instaurarent. Durauit institutum hoc vsq; ad Christi tempora, qui etsi sacerdotum auaritiae & ambitio religionem & doctrinam corrupisset, illud tamen nunquam improbauit, nec populo author fuit aliquid tentandi quo illud tolli vel abrogari posset. Etsi verò post abrogatas Legis ceremonias primitiua Christi ecclesia non tantis sumptibus opus haberet quanti ad cultum Leuiticum requirebantur: viderũt tamen Apostoli, illam publicis opibus omnino carere non posse. Curarunt ergo, vt qui opulentiores erant, ex suis facultatibus conferrent pro suo arbitrio, vnde postea priuatim simul et publicè ecclesiae necessitatibus succurri posset. Postquam verò principes quoq; & Imperatores fidem Christi amplexi sunt, vetus decimarum ratio illorum authoritate reuocata, & ecclesiae insuper eorundem libertate alijs quoq; redditibus annuis donatae fuerunt. Et haec quidem propter illos monemus, qui quorundam improbitate & impio opum ecclesiasticarum abusu offensi, illas simpliciter damnant, quasi nefas sit in ecclesia opes habere, & nullae unquam illi opes fuerint, quàm quae postremis hisce temporibus sub Antichristi regno per hypocrisim & superstitionem acquisitae sunt. Conuincuntur illi historiarum veterum testimonijs, & publicis veterum regum & principum instrumentis, qui olim priusquam papistica tyrannis rerum potiretur, ecclesias & collegia ex suis facultatibus ditauerunt.

(2.Reg.12. 2.Para.24. Nehem.10. 12. & 13. Acto.2. 4. 5.)

Opum ecclesiasticarum usus quis esse debeat

Hîc verò quis opum istarum verus vsus sit, probè tenendum est, quia in hoc omnibus seculis vehementer peccatum fuisse, & hodie etiam peccari constat. De hoc autem vel solum nomen admonere potest. Quia enim ecclesiasticae dicuntur, soli ecclesiae seruire, nec in alios vsus transferri debent. In ecclesia autem duo praecipuè sunt, quae pecunijs & facultatibus huius seculi opus habent: Religio nimirum externa & Pauperum subuentio. Ad religionem doctrina & sacramenta pertinent, quae absq; ministris administrari nequeunt, quibus ex ministerio suo victum & necessaria reliqua deberi, ex Christi & Apostolorum authoritate abundè constat. Nec modò ministris opus est, qui in officio versentur, verumetiam scholis, è quibus ministri & doctores petantur, qui prioribus defunctis succedant. At hîc quoq; stipendia scholastica sint oportet, quando ex diuitibus pauci admodum reperiũtur, qui filios suos ecclesiae ministerio, vt molestissimo ita maximè omnium inuiso, consecrare velint. Opus praeterea locis sacris & supellectile sacra, quae & ipsa absq; sumptu nec comparari nec conseruari possunt. Deinde pauperes nobis nunquam defuturos esse, Christus ipse testatur, & quia idem hos nobis quàm maximè cõmendatos esse voluit, illos ecclesia nullo modò negligere potest. Et quia eorundem plerunq; maior est numerus, quàm vt ex ordinarijs ecclesiarum redditibus ali possint, & noui quotidie casus noua subsidia postulant, adhaec charitatis officia omnes praestare teneantur: eleemosynam in templis publicè colligi necesse est, quae postea per diaconos pro vniuscuisq; necessitate distribuatur. Quam rationem olim à Mose praescriptam, & deinde ab Apostolis quoq; traditam fuisse, nemo negare potest, qui in scripturis mediocriter versatus fuerit. Huc enim facit, quòd in lege iubentur diebus festis peregrini & pauperis meminisse, & illorum penuriam sua liberalitate subleuare. Et Paulus Apostolus, qua ratione pecuniae eiusmodi colligi & distribui debeant, in epistolis ad Corinthios admodum diligenter docet. Vbi cumprimis tenenda est Lex Domini, qui mendicos in suo populo esse prohibet, quam Apostolis [illegible] primitiuae ecclesia ita cordi fuisse traditur, vt persecutionibus maximis grassantibus, nullus in illa indigus fuerit: nec contenti erant Apostoli, si suos pauperes alerent ecclesiae opulentiores, sed easdem pauperioribus & quidem procul dissitis subuenire iubebant. Vt enim cum charitate Christiana ex diametro pugnat, si eos, qui in Christo fratres nostri sunt, famelicos oberrare, & publica quasi exempla fieri patiamur: Ita illud ipsum in Euangelij infamiam cedit, & nos hostibus fidei deridendos ac proscindendos propinat, adhaec Christianae disciplinae vt plurimùm officit, quando qui mendicare assueuerũt, simul etiã ocio assuescunt, liberos pessima educatione corrumpunt, disciplinae cùm politicae tum ecclesiasticae iugũ excutiunt, deniq; in homines ἀτάκτους, id est, inordinatos & exleges degenerãt: quos Paulus, ceu pestem aliquam, ar[illegible]os & vitandos esse monet.

(Matthaei 10. 1.Corinth.9. Galat.6. 1.Timoth.5. Matth.26. 1.Cor.16. 2.Cor.8.9. Deute.15. Acto.4. 2.Thess.3.)

minet. Vt ergo huius mali vitādi causa collectas publicas fieri Apostoli praeceperunt: Ita in aliarum quoque opum ecclesiae administratione, diligenter curandum est, vt post doctrinam & religionem bene constitutam pauperum ratio habeatur exactissima, ne dum illos negligimus, ipsum Christum neglexisse deprehendamur. Et hîc quidem legitimus bonorum ecclesiae vsus est: quem qui peruertunt, & opes istas vel sibi priuatim vendicant, vel in alios vsus transferunt, ij & sacrilegio immani sese polluunt, & Deo olim poenas dabunt horrendas, quarum exempla olim in Iuda proditore, Anania item & tyrannis ecclesiae persecutoribus opumq; ecclesiae direptoribus praecesserunt, inter quae cumprimis memorabilia sunt, quae de Decio & Iuliano apostata eiusq; auunculo, qui & ipse Iulianus dictus fuit, leguntur. His praemissis, ad historiam praesentem transeamus, cuius singulas partes videbimus. Ioan.12. Matth.27. Acto.5.

Primò Christus è regione gazophylacij considet, & eos spectat, qui in hoc pecunias conferebant. Non obiter ergo vel temere hoc fecit, sed quòd huius rei curam ad se pertinere putaret. Admonemur ergo illum etiam hodie inspectorem esse eorum, quae vel ad cultum ipsius, vel in pauperum subuentionem conferimus. Testatur hoc ipse, quando in suas rationes se adscripturum dicit, quicquid suis impenditur. Haec igitur cogitent semper, qui vel decimas vel alios redditus ecclesijs siue collegijs debent. Si quid enim hîc fraudulenter ac malignè agant, Deum inspectorem habent, qui hoc inultum non sinit, sicuti Haggaei & Malachiae sermones testantur. Nec est quòd illorum mores accuses, qui istis abutuntur. Reddent illi olim Deo rationem, te verò vnicuiq; suum reddere euangelij doctrina iubet. Christi enim vox est: Date Deo quae Dei sunt, & Caesari quae sunt Caesaris. Et Paulus dicebat: Reddite omnibus quod debetur. At decimas & alios eius generis redditus te ecclesijs debere, publica instrumenta testantur. Omnis ergo, quae in his committitur, fraus, cum sacrilegio coniuncta est. Idem cogitare debebant, qui in eleemosynis dandis admodum parci sunt & sordidi, cùm interim nullius sumptus illos pigeat in ijs, quae ad fastum & carnis libidinem faciunt. Videt vtrumq; Christus, & olim testabitur, quàm illi graue & molestum sit, quòd corruptos carnis affectus ipsi anteuleris. Nec minus in istorum consyderatione versari debent, qui vel ecclesiarum opes publicas, vel priuatorum hominum eleemosynas recipiunt. Nam & hos videt Christus, et si vel officium negligant, cuius nomine stipendia ecclesiastica sibi vendicant: vel sub paupertatis praetextu ociosi viuunt, & eleemosynis abutuntur, iudicium illius nunquam subterfugient. Interim officij quoq; admonentur magistratus et ecclesiarum praesides. Si enim Christum ista curare non piguit, vtiq; illorum quoq; fuerit prouidere, ne quid in bonorum ecclesiae dispensatione peccetur, vtq; eleemosynarum certa habeatur ratio, ne vel pauperes negligantur, vel ijdem ociosi & ignaui sua improbitate opulentiores à largiendo absterreant. Viderunt hanc curam ad se pertinere Apostoli, qui eandem Paulo & Barnabae summo studio commendarunt. Et Christianos Imperatores ab hac non alienos fuisse, Leges non nullae testantur, imprimis autem quae Valentinianus & Martianus Palladio in hanc sententiam scripserunt: Humanitatis nostrae est egenis prospicere, ac dare operam vt pauperibus alimenta non desint. Et haec quidem in primam historiae huius partem dicta sint.

Christus spectat eos, qui in gazophylaciū conferebant. Matth.25. Hag.1. Malach.1. Rom.13. Galat.2.

Secundò quid in gazophylacium contulerint plerique narratur: & diuites quidem multa eò coniecerunt, nimirum vt ab hominibus viderentur, quod alibi in illis Christus notat. Inter illos autem vidua quaedam paupercula venit, quae minuta duo confert, cùm praeter illa nihil haberet, sicuti ipse Christus mox testatur. Vt verò in diuitibus ostentatio quaedam fuit, ita haec verae pietatis exemplum exhibet, quae causa est, quòd se totam Deo consecrat. Quid enim hoc aliud erat, cùm victum suum omnem conferret, quàm quòd animam quoque se daturam testatur, si illam Deus exigat? Et sanè insignem fuisse oportet istius pietatem, quam nec priuata egestas, nec corruptissimi sacerdotum mores & eorundem opulentia impedire potuit, quò minus omnem suam substantiam in gazophylacium conijceret. Ita verò affecti sunt, quotquot Deum verè diligunt: & certissimum animi non satis pij indicium est, si vndique rationes colligas, quibus te excuses, ne quid largiaris. Cur enim aliorum vitia, quae tibi non imputabit Deus, illius authoritati praefers, qui vt hoc officium egenti praestes exigit? Vel cur illos libet imitari, quos hoc nomine accusas, quod ipsi officium negligant? Aut cur hominum iudicia admittis, qui Christum tui facti inspectorem & aestimatorem liberalissimum habebis?

Vidua uerae pietatis exemplū. Matth.6.

Christi de donarijs sacris iudicium.

Sequitur enim tertio loco huius iudicium, quo exiguum hoc paupérculæ donarium magnis diuitum donis præfert, dicens: Amen dico vobis, vidua hæc pauper plus misit, quàm omnes qui miserunt in gazophylacium. Rationem verò huius dicti ex animi studio & promptitudine petit, quæ illam mouerat, vt victum suum omnem eò conferret. Admonemur autem hoc Christi dicto, in sacris donarijs & eleemosynis animi promptitudinem potißimùm requiri. Vt enim absq; fide Deo nihil gratum est, quæ totos nos illi vendicat: ita eleemosyna non erit, à qua animus misericordia & charitate ardens abfuerit. A misericordia enim eleemosynam Græci dixerunt dona, quæ in pauperum subuentionem conferuntur. Vnde Paulus dicebat, se nihil vtilitatis percepturum, etsi omnes suas facultates in pauperum alimoniam insumeret, charitate autem destitueretur. Hæc enim regula beneficentiæ est certißima, eò quòd cum fide coniuncta, partim in Dei præceptum respicit, partim proximo egenti & laboranti condolet, & proinde non tam quid nostræ facultates ferant, quàm proximi necesitatem obseruat. Quò fit, vt pij frequenter nulla sui ipsorum ratione habita, in pauperes omnia sua profundant. Seruiunt hæc diuitum institutioni, ne suis eleemosynis superbiant, & eos præ se contemnant, qui in speciem minus largiuntur. Nam si iuxta Christi iudicium rem æstimes, nihil dant, cùm ex ijs modò quæ ipsis superflua sunt, aliquid conferant, eorundem verò maiorem partem in luxum & turpes voluptates insumant, aut domi reconditos nummos auari contemplentur in arca. Perfidi ergo dispensatores sunt, & alieni vsurpatores, cùm maiores opes à Deo in eum finem acceperint, vt ipsorum copia aliorum inopiæ succurrat. Deinde non minus ista pauperes officij admonent simul & consolantur. Sunt enim ex horum numero, qui se nihil cuiquam debere arbitrantur, cùm non abundent, interim ijdem omnes alios sibi debitores faciunt, nec vllis aliorum largitionibus saturari possunt. Alij verò desperant quasi, & ideo nihil omnino dare in animum inducunt, quia exiguum hoc, quod dare poßint, coram Deo nullius momenti aut pretij fore metuunt. At hîc obseruandum erat primò, quod nuper monuimus, charitatis præceptum ad omnes homines ex æquo pertinere, & proinde omnium esse, vt proximo laboranti pro sua virili subueniant, aut si nihil omnino possunt, saltem sese ita gerant, vt alijs quàm minimum molesti & onerosi sint. Deinde ex præsenti historia discimus, Deum magni æstimare, quicquid tenuioris fortunæ homines animo syncero & prompto largiuntur: & vt mercedem suam non perdet, qui Christi discipulo poculum aquæ frigidæ dederit, eò quòd Christi discipulus est: Ita retributionem non vulgarem recipiet, quisquis vel leuißimo, si potest, officio proximum egentem iuuerit. Hoc si singuli obseruent, vix aliquem ita miserum & destitutum reperient, qui non aliquid in commune conferre poßit. Nam si omnia desint, certè animus deesse non potest, qui sua sorte contentus, quàm minimum ab alijs exigat, ne fortè alijs præripias, quo illi opus habent. Non deerunt etiam preces, quibus pro publica & priuata illorum salute intercedas, quorum beneficentia subleuaris. Imprimis verò teneamus istius rei curam ad omnes pertinere. Aduigilent ergo singuli pro sua vocatione, vt ipsorum fides Christo Iesu probari poßit, qui hîc spectator esse voluit, & olim iusto iudicio singulis retribuet. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

1. Cor. 13.

Lucæ 16.
2. Corinth. 8.

Matth. 10.

CAPVT XIII.

HOMILIA CVI.

ET cùm egrederetur è templo, dicit ei quidam è discipulis eius: Magister, uide quales lapides, & qualia ædificia. Et Iesus respondens ait ei: Vides ista magna ædificia? Nõ relinquetur lapis super lapidem, qui non dissoluatur. Et cùm sederet in monte olearum cõtra templum, interrogarunt eum priuatim Petrus & Iacobus, & Ioães & Andreas: Dic nobis, quando hæc erunt? et quod signum, quando futurum sit, ut omnia consummentur?

VETERES prophetæ de miserabili vrbis Hierosolymæ excidio & Iudaicæ gentis repudio sæpe vaticinantur, vt ijs occurrant, qui externis ceremonijs confisi, officium suum securi negligebant. Facit hoc ipsum etiam Dei filius Iesus Christus frequenter, vt eos terreat, qui Dei gratiam in ipso sese exerentem respuebant, & sibijpsis sub externi cultus hypocritico exercitio perpetuam scelerum suorum impunitatem pollicebantur. Quia autem vrbis & gentis huius excidium multis res planè indigna, multis verò etiam incredibilis & impoßibilis videbatur, hoc Capite peculiarem & perfectam de hoc tractationem instituit, simulq; oblata sibi occasione per discipulos etiam de nouißimi seculi conditione & totius mundi consummatione disserit. Est ergo vtilißima, imò necessaria, huius Capitis consyderatio. Discemus enim hinc quid ingratos gratiæ dei contemptores maneat, & quid nobis hodie faciendum sit, ne vel Antichristianis errorum laqueis irretiamur, vel persecutionum terroribus superati fidem abnegemus. &c. Argumentum & usus huius Capitis.

Præmittitur autem tractationis totius occasio, quæ eiusmodi fuit. Christus cùm scribarum & sacerdotum hypocrisim & auaritiam, crudelem item in persequenda veritate pertinaciam admodum acriter reprehendisset, & ijsdem excidium denunciasset, sicuti Matthæus scribit: tandem non absq; manifesta indignationis significatione à templo digressus est, & illi quasi vale extremum renunciauit. Obseruarunt hoc discipuli, ex quorum numero quidam illi magnificum templi ædificium, & in hoc suspensa anathemata (vt apud Lucam habetur) commonstrat, dicens: Magister, vide quales lapides, & qualia hæc sint ædificia. Admirabundus autem hæc dicit, vt satis pateat, illos aliquid humani passos fuisse. Primò enim illis impoßibile videtur, vt templum hoc corruat, aut expugnetur, quod instar arcis munitißimæ fuisse, scriptores tradunt. Deinde indignum putant, ædificium tantum perire, cuius simile aliud vix in toto Oriente inueniri poterat. Illud enim non multis annis ante Christum natum Herodes Magnus extruxerat, quem totos annos octo continuos decem millia opificum in opere habuisse, Iosephus testatur: & ex lapidibus constabat artificiosè politis, quorum pleriq; longitudine ad viginti quinque cubitos extendebantur, alti autem erant cubitos octo, & lati duodecim. Habemus ergo in discipulis humanæ corruptionis argumẽtum, qua fit, vt externa rerum huius seculi specie fascinati, Dei verba minus obseruemus aut etiam de illis minus religiose iudicemus. Equidem de vero Dei cultu, qui omnibus templis multò præstantior est, collapsa & adulterata Legis doctrina quiritantem Christum discipuli sæpius audiuerant: quin ea ipsa hora Dominus doctrinæ & cultus prophanationem maximo zelo reprehenderat, nec nouum erat quòd templo excidium minabatur, cùm ijsdem de causis olim prophetæ Solomonico templo idem denunciassent, quorum sermones Deus ipso rei euentu comprobauerat. Adhuc tamen discipulis hoc factu impoßibile & indignum videtur. Similes illorum sunt, quorum oculos hodie Papatus splendor & potentia sic perstringit, vt illum euerti & aboleri posse dubitent, & proinde nos in illo oppugnando frustra laborare arbitrantur. Item quibus res indignißima videtur, si templa papistica, cœnobia & monasteria cum suo ornatu pij magistratus euertant: cùm interim non multùm moueantur, si doctrinam corrumpi, religionem prophanari, & viua Dei templa & Christi merito instauratas Dei imagines vel falsa doctrina corrumpi & fœdis superstitionibus pollui, vel inaudita crudelitate perdi & occidi videant. Est hoc carnis ingenium, quod nos semper suspectum habere conuenit, ne quid indignius iudicemus de ijs, quæ Deus fieri decreuit.

Occasio sequentis tractationis.

Matth. 23.

Lucæ 21.

Antiq. lib. 15. cap. 14. Belli Iud. 6. cap. 6.

Sed Christum audiamus, qui præposteram discipulorum admirationem grauiter cõfutat, & paucis verbis templum totũ & quicquid in hoc magnificũ fuit, quasi absorbet. Ait enim hoc monstranti discipulo: Vides ista magna ædificia? Quasi diceret. Specta diligenter, quæ nam & quanta sint, quotq; impensis simul & laboribus extructa: non autem ideo vel deo probari, vel perpetua fore putato. Hoc enim verè pronuncio, quòd non relinquetur lapis super lapidem, qui non dissoluatur. Paucis hîc dicit, quod vrbem ingressurus, cùm eminus illam videret, non sine lachrymis dixerat. Si cognouisses & tu, & quidem in isto die tuo, quæ ad pacem tuam pertinent, curares. Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te, & circundabunt te inimici tui vallo, & cingent te, & coangustabunt te vndique, & solo æquabunt te, & filios tuos qui in te sunt. Et non relinquent in te lapidẽ super lapidem, eò quòd non cognoueris tempus visitationis tuæ. Impleta verò sunt hæc omnia iuxta literã, intra annos triginta octo. Cùm enim Iudæi post Christi mortẽ seditiones quotidie nouas excitarent,

Christi de templo sententia.

Lucæ 19.

Excidij Hierosolymitani historia.

postremò autem contra Cestium Florum armati insurgerent, Nero Vespasianum, virum acrem & grauem, rebus Iudaicis præfecit: qui in Syriam cum exercitu profectus, mox Galilæam cepit, et cùm iam vrbi immineret, Imperator factus Romamq; vocatus est, bellum autem Tito filio commisit, qui cùm illam decima quarta Aprilis obsidere cœpisset, omnia ea fecit, quæ Christus futura prædixerat, & eandem septima Septembris cepit, captam autem illo inuito milites sequenti die flammis dederunt vnà cũ templo, & ita solo æquarunt, vt vix parua quædã vrbis vestigia superessent. Tam certa autem & firma fuit oraculi huius veritas, vt ab eo tempore Iudæi nec vrbem nec templum instaurare potuerint. Cùm enim sub Ælio Adriano Imperatore circa annum nati Christi 134. duce Barchochaba patrium solum occupare & instaurare conarentur, ad Betheram vicinũ veteri Hierosolymæ oppidũ, miserabiliter cæsi, & omnes simul è patrio solo migrare coacti sunt. Inde verò Betheram Adrianus muro cinxit, vrbemq; à seipso Æliam nominauit, & portæ qua Bethlehẽ itur, suem marmoream imposuit, in Iudaicæ gentis & religionis contemptum. Et hæc illa Hierosolyma est, quam hodie stulti & superstitiosi homines per longa terrarum & maris itinera inuisunt: cùm veterem illam ab aliquo instauratam esse, nusquam legatur. Deinde cùm Constantio regnante apud Diocæsaream iterum rebellarent, à Gallo Cæsare horribili clade deleti vnà cum vrbe sua perierunt. Facta sunt hæc anno salutis 358. Cumprimis tamen memorabile est, quòd mox vix nouem annis ab eo tempore euolutis accidit, quando Iuliano Imperatore ipsos excitante et sumptus conferente templum magno conatu reparare ausi, vltricem Dei manum ex horrendis prodigijs agnouerunt. Primò enim terræmotus veterum fundamentorum lapides, qui ab excidij tempore in terra adhuc reliqui erant, eiecit, & non sine vicinarum ædium incommodo dissipauit. Deinde ignis cœlo delapsus opificum instrumenta exussit, & multos Christi diuinitatem inuitos fateri coegit. Tertiò tellus quam interdiu aliquot milia effodiebant, noctu vel succreuit iterum, vel in pristinum locum reuersa est. Quartò gypsi & calcis modios ad futuri ædificij structuram ingenti multitudine congestos subitò exorti venti disiecerunt. Quintò illis nihilominus pergentibus ignis ex fundamentis erumpens fossores aliquos adussit, reliquos verò dissipauit. Sextò porticus operi vicina noctu ab ipso fastigio corruens multos sub ea dormientes oppressit: Et ne ignorare possent, quo authore & quibus de causis ista omnia fierẽt, eadem nocte & sequenti die crucis signum rutilo splendore coruscans in cælo apparuit, Iudæorum autem vestibus cruces luridæ vel nigræ aspersæ sunt: vt nimirum Christum sibi infestum esse viderent, qui nostræ salutis ergò in cruce mortem indignam pertulit. Possent & alia eius generis multa recenseri, quibus non immeritò adnumeraueris belli sacri historiam, quæ abundè testatur, quàm infeliciter olim cesserit, cùm Christiani principes præpostero & inconsyderato zelo terram illam recuperare, & illic religionis sedem constituere conati sunt.

(Euseb. lib. 4. cap. 6. — Socrates lib. 2. cap. 33. — Socrates lib. 3. cap. 20. Theodoritus lib. 3. cap. 20. — Anno Domini 1096.)

Causæ excidij Hierosolymitani.

Hîc verò tam atrocis iudicij causas imprimis obseruare oportet, vt quid nos hodie cauere deceat, videamus. Inter quas non postremam fortasse quis dicat, quòd templum cum vniuerso cultu Leuitico ita aboleri oportuerit, cui propter externum splendorem Iudæi nimium addicti fuerunt. At poterat hoc alia ratione mitiori fieri, neq; exemplum adeò horrendum edi necesse fuit. Causa ergo vera & propria fuit, quòd filij sui & oblatæ gratiæ contemptum Deus hoc modo vlcisci voluit. Constat enim ex Stephani verbis, non istos modò Iudæos, qui Christi tempore vixerunt, verumetiam patres ipsorum, semper spiritui sancto restitisse. Quanta verò cum ingratitudine & pertinacia Christum & salutis doctrinam reiecerint, Euangelica historia satis docet. Nec contenti in sua venientem reiecisse & salutis consilium spreuisse, ipsum insuper artibus proditorijs interceptũ Pilato tradiderunt, quem etiam sua improbitate coegerunt, vt illum inuitus crucis supplicio adiudicaret: neq; puduit illos latronem præferre ei, cuius tot extabant in totam Iudæorum gentem beneficia. Attamen nec ibi finem habuit illorum impietas: sed discipulos etiam Christi hostiliter persecuti sunt, & vbiq; gentium obstiterunt (vt Paulus ait) quò minus Euangelij doctrina vulgaretur. Cùm ergo patrum mensuram implerent, & in Christi Iesu contumeliam templum & superstitiones suas pertinacissimè tuerentur, ipsos vnà cum templo suo excindi ac dissipari oportuit. Istorum autẽ exemplo docemur, quàm graue iudicium omnibus seculis subituri sint, quicunq; oblatam sibi in Christo gratiam Dei aspernantur, & quid nobis hodie expectandum sit, quando Iudaica impietas apud omnes ferè homines dominatur. Inuisit totum mundum benignus Deus, & seculis aliquot sopitam Euangelij lucem passim accendit:

(Acto. 7. — Ioan. 11. — Acto. 2. — 1. Thes. 2.)

docet

docet item, monet, hortatur, increpat, & modis omnibus instat, si qua ratione in viam reduci possimus. At qui diem visitationis agnoscant, paucissimi reperiuntur. Pleriq; enim Antichristum & sacra Antichristiana Christo & publicæ saluti præferunt, & reformationem omnem ita reijciunt, vt manifestissimos errores armis tueri pergant, & in Christi membra omni crudelitatis genere grassantur. Alij verò, qui Euangelio locum dare videntur, disciplinam Euangelij ferre detrectant, mores corrigi nolunt, & lucem ipsos arguentem odiunt. Ea denique est seculi nostri infelicitas, vt cùm in publico scelera quæuis designare liceat impunè, eadem tamen Dei verbo arguere & pœnitentiæ doctrinam vrgere non liceat absq; manifesto capitis discrimine. Num ergo hæc inulta Deus sinat, qui olim in Iudæos ex sanctissimorum patrum stirpe oriundos, tam horrendum suæ iustitiæ exemplum edidit? Qui naturalibus ramis non pepercit (inquit Apostolus) nobis, qui ex oleastro (prophanis nimirum gentibus) originem ducimus, parcere non poterit, si illorum mores imitemur, qui iam olim propter ingratitudinem suam abscissi sunt. Nec est, quòd Deum vel regnorum potentia & authoritate, vel externo superstitionum splendore moueri putemus, vt propter ista ijs parcat, qui impietate & ingratitudine sua illius iram prouocare non desinunt. Fuit enim Iudæorum quoque gens regni vetustate & rerum gestarum laude celeberrima. Cultum verò habuit externum, quo nihil vnquam in orbe splendidius & augustius visum fuit, quiq; totus saluberrimis venturi Messiæ mysterijs constabat. Adeò verò nihil profuerunt hæc omnia, vt & gentis & vrbis templiq; excidium in festa ipsorum celeberrima inciderit. Nam (vt supra diximus) decima quarta Aprilis, quo tempore Pascha agebatur, vrbs obsideri cœpit, capta autem est septima Septembris, & mox crastino die exusta, quando tabernaculorum festum ex Lege instituto celebrari debuisset. Erat autem pascha liberationis Ægyptiacæ memoria celebre, & idem Christum & quæ in hoc nobis obtigit, redemptionem adumbrabat. At tabernaculorum festo Dei beneficia olim patribus in deserto exhibita in mentem reuocabantur, simulq; suæ admonebantur conditionis, vt se in terris peregrinos esse meminissent, & patriam in cælis nobis præparatam inquirerent. Cæterum dies istos olim publicæ & sanctæ lætitiæ sacros illis funestos & totius gentis excidio celebres fecit Deus, cùm istis simul & reliquo cultu aduersus veritatis doctrinam abuterentur. Turpissimè ergo seipsos fallunt, quotquot hodie inter publica scelera & veritatis odium implacabile sibijpsis ex seculi huius potentia & superstitionum suarum splendore perpetuam impunitatem pollicentur.

Rom. 11.

Deus non mouetur externo splendore.

Sed vt ad Euangelistæ verba redeamus, non parum mouit discipulos dura hæc de templo & vrbe Christi sententia. Nam in monte olearum sedentem quatuor ex illis, Petrus nimirum & Iacobus, Ioannes item & Andreas, accedunt, & priuatim siue secretò interrogant, quando hæc futura sint, & quo signo instantem mundi totius consummationem deprehendere possint. Secretò autem ista quærunt, quia de templi excidio aliquid dicere periculosum erat, sicuti in Stephani historia apparet, quem hoc nomine potissimùm accusarunt, quòd templum breui destruendum fore dixisset. At si quæ Marcus scribit cum ijs, quæ apud Matthæum habentur, conferas, tria discipulos quæsiuisse patebit. Primùm, quando templum cum vrbe vastari oporteat? Deinde quando ipse venturus sit, nimirum in regno suo & gloria, quam illi ex carnis sensu metiebantur, vt sæpe diximus? Tertiò, quădo mundi consummatio futura, & quæ signa hanc præcessura sint? Quam quæstionem ideò prioribus coniungunt, quia templi maiestas ita illorum oculos perstringebat, vt illud corruere non posse putarent, nisi simul totius mundi ruinam secum traheret. Habemus in his præposteræ curiositatis exemplum, qua plerunq; caro inutilia & nihil ad nos pertinentia quærit, neglectis ijs, quæ nobis cognitu & obseruatu necessaria sunt. Quid enim proderat scire, quando templum ruiturum esset? At necessarium erat scire, quid pios in periculis eiusmodi facere oporteret. Isti tamen hoc neglecto, de tempore & signis quærunt, ex quibus vastitatem venturam præuidere possit. Fit hoc ipsum frequenter hodie, & eò vsque progressa iam est ingenij humani audacia, vt futuros euentus multi per artes illicitas inquirant, interim uero securi negligant fidas Dei admonitiones, quibus abundè docemur, quæ nouissimi huius seculi conditio in finem vsq; futura sit, & quid nos facere deceat, si salutem consequi velimus. Nostrũ fuerit circa necessaria occupari, & Iudaicæ gentis exemplo nosmetipsos excitare, vt Dei gratiam totis animis amplexemur, quo lætus & felix nobis illucescat dies ille, quo olim venturus est Christus Dominus, cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Quæstioes discipulorum de urbis excidio, & fine huius mundi.

Act. 6.

HOMILIA CVII.

Iesus autem respondens eis, cœpit dicere: Videte, ne quis uos seducat. Multi enim uenient in nomine meo, dicentes: Ego sum Christus, multosq; seducent. Cùm autem audieritis bella & rumores bellorum, ne turbemini. Oportet enim ista fieri, at nondũ erit finis. Surget enim gens contra gentem, & regnum contra regnũ, eruntq; terræmotus singulis locis, & erunt fames ac turbæ: Principia dolorum ista.

Argumentum & usus præsentis loci.

DEi filius Iesus Christus nuper horribile vrbis & templi excidium prædixit, & eo exemplo docuit, quid expectent quicunq; Dei gratiam, cuius ipse nobis mediator est, aspernantur, vt suorum operum iustitiam & meritum stabiliant. Cæterum quia discipulis impossibile videbatur, templum euerti, quin simul mundus totus periret: carnis curiositate abrepti quæstionem proponunt, qua non modò de vrbis & templi excidio, verumetiam totius mundi consummatione & ipsius glorioso aduentu interrogant. Vbi patet, illos vt regnum in Christo carnale somniabāt: ita sibijpsis iam nunc triumphos promisisse, priusquàm certamen sibi propositum decertassent. Respondet ergo Christus, non quidem vt ipsorum curiositati satisfaciat, sed quemadmodum illis opus erat. Nam ab inani temporariæ felicitatis expectatione illos ad crucem & tolerantiam relegat, qua illos armari oporteat. Vtq; ex tota tractatione plus vtilitatis ad credentes rediret, duas responsionis istius partes constituit. In priori de vrbis & templi excidio, deq; signis hoc præcessuris agit. Altera de mundi huius consummatione & suo aduentu glorioso disserit. Quia verò Iudæorum gentem Deus toti hominum generi iam inde ab initio commune exemplum esse voluit, in quo suam uoluntatem, bonitatem & iustitiam declararet: in eiusdem etiam excidio mundi totius consummationẽ adumbrauit. Quare quæ in priori parte dicuntur, ad nos quoq; pertinere putabimus, & inde petemus quæ in hac extrema mundi senecta nostræ institutioni & consolationi seruiant.

Porrò, quoad præsentem locum, præmonet suos Christus, ne sese vel falsa doctrina seduci, vel scandalo crucis & afflictionum superari patiantur. Nam ex duobus hisce maximum periculum imminebat, eò quòd ex perperàm intellectis prophetarum oraculis sub Christi regno perfectam Veritatis cognitionem & pacem perpetuam Iudæi omnes sibi promittebant. Nota enim sunt quæ apud Isaiam leguntur: Non affligent neq; vastabunt per omnem montem meum sanctum: plena enim erit terra scientia Domini. Item vniuersi filij tui docti erunt à Domino, & pax multa filijs tuis. Et illud Ieremiæ: Inseram legem meam in interiora eorum, & in cor eorum scribam eam, eroq; Deus eorum, et ipsi erunt mihi populus. Et non docebit vltra vir proximum suum, aut uir fratrem suum, dicens: Cognoscite Dominum. Sed omnes me cognoscent à minimo eorum vsq; ad maximum eorum, &c. Hæc (inquam) & alia eius generis cùm iuxta literam intelligerent Iudæi, & in hoc seculo suum complementum habitura putarent, non potuissent non grauiter offendi turbis & dissensionibus quæ mox orituræ erant, nisi diligenter fuissent præmoniti. Probè igitur officium suum hîc facit Christus, & quid in vtroq; faciant discipuli, admonet.

Isaiæ 11. & 54.

Ierem. 13.

I. Monet, ne falsis doctrinis sese seduci patiantur.

Et primò quidem de falsa doctrina agens, agit: Videte ne quis vos seducat. Quibus verbis ipsorũ curiositatem perstringit. Quasi dicat, Vos de tempore & signis quæritis: at multa alia sunt, quæ magis oportebat inquiri. Nec enim de templo tantum & sumptuosa lapidum & lignorum strue hîc agitur, sed publicæ omnium saluti periculum imminet. Multi enim venient in nomine meo, qui Christi vel Messiæ, id est, promissi Saluatoris nomen sibi vendicabũt, & multos seducent, quibus interitus authores erunt. Ab illis ergo, vt vobis caueatis, moneo, &c. Impletum hoc esse Iosephus testatur, qui quotidie Magos & impostores exortos fuisse scribit, quorum alij populum in desertum, alij in montem oliuarum euocabant, seq; illius liberatores esse profitebantur: & inter alios Ægyptij illius meminit, cuius mentionem Lucas quoque in Actis facit. Fuit ea res maximorum malorum causa, & hinc exortæ seditiones belli post secuti seminarium fuerunt. Ita verò Iudæos ludificari oportebat, vt qui Dei filium contumeliose abiecerant, impostorum artibus circumuenirentur, & non modò Romanis exosi fierent, verumetiam multoties decepti spem salutis omnem abijcerent, & tandem vt digni erant,

Antiq. lib. 20. cap. 11. 12. 14.

Acto. 21.

erant, perirent. Prædixerat hoc fore Christus, cùm apud Ioanem ait: Ego veni nomine patris mei, & non recipitis me: si alius venerit nomine suo, illum recipietis. Voluit autem Iudæorum exemplo docere Deus, quid omnibus euenturum sit, qui Christum saluatorem aspernantur: nimirum quòd iusto suo iudicio excæcatos impostoribus in prædam daturus sit. Extant de hoc perspicua Apostolorum testimonia. Paulus certè de Antichristo verba faciens, illum in eos imperium habiturum dicit, qui dilectionem veritatis recipere nolunt, vt salui fiant. Et idem tempus fore dicit, quando sanam doctrinam homines non sustineant, & tunc orituros ait impostores, qui incautos & ingratos irretiant, & nefarijs dæmoniorum doctrinis circumducant. Ita verò factum esse historiæ testantur. Postquàm enim simplex Veritatis doctrina sordere cœpit, & philosophorum argutis & spinosis disputationibus in ecclesia locus datus est, mox omnis generis hæreses exortæ sunt, in quibus iam tunc Antichristi spiritus mysterium iniquitatis operari cœpit. Obseruauit hoc prudenter admodum vetustißimus scriptor Tertullianus, quando hæreses à philosophia subornari, & philosophorum ingenijs animari dixit. Secutus mox Mahomet, qui Orientis ecclesias abstulit: in Occidente autem Papa exortus Antichristi regnum stabiliuit, in quo regnum simul & sacerdotum, & quæcunq; Christus habet præterea, sibijpsis vendicant homines impurißimi, qui se in cœlis & in terris dominari, & in defunctorum animas sibi ius esse gloriantur: quiq; iam pridem noua pro peccatis sacrificia instituerunt, & mundi quoq; regna pro suo arbitrio transferunt, sicq; indies nouorum tumultuum materiam & causam exhibent. Obseruabis autem, quòd impostores in suo nomine venturos esse Christus dicit. Solet enim satan sese transformare in angelum lucis, & omnibus seculis seductores Dei nomine abusos fuisse constat. Exempla sunt in pseudoprophetis, cum quibus olim veri Dei serui perpetuas pugnas sustinuerunt. Et hodie Christi vicarij & Apostolorum successores dici volunt, qui à Christo & fide in Christum per Apostolos tradita quàm maximè abducunt. Non minus ergo nobis, quàm discipulis dici putemus: Videte, ne quis vos seducat. Nec enim extra culpam sunt, qui se ab alijs seduci patiuntur, cùm alibi quoq; non cuiuis spiritui credere, sed spiritus probare iubeamur, num ex Deo sint. Cogitemus item, non temerè hîc inter excidij venturi indicia impostores eiusmodi primo loco recenseri.

Ioan.5. | 2.Thess.2. | 1.Tim.3. & 4. | 1.Timoth.4. | De præscript. hæret. Et cont. Marcion. lib.1. | 2. Cor.11. | 1.Reg.22. | Iere.23. 28. etc. | 1.Ioan.4.

Secundò aduersus scandala crucis & afflictionum Christus suos armat & instruit. Quo loco primùm de periculis orituris diligenter admonet, ne ex improuiso incidentibus magis terreantur. Audituri estis (inquit) bella & rumores bellorum: Surget enim gens contra gentem, & regnum contra regnum. Erunt præterea terræmotus hinc inde, fames item & turbæ. Istis verò omnibus apud Lucam pestem quoq; & prodigia de cœlo terroris plena coniungit. Quæ omnia vrbis & templi excidium præcessisse, historici abundè testantur. In ipsa enim Iudæa seditiones continuæ fuerunt, quarum alias Magi & seductores excitarunt, alijs verò præsidum tyrannis & improbitas occasionem præbuit. Iam autem exorto bello post Neronis obitum Romani inter se commissi sunt, cùm ciuilibus armis de Imperio concertarent Galba, Otto, Vitellius & Vespasianus, cuius anno secundò Titus vrbem cepit, quæ mox (vt nuper diximus) vnà cum templo flammis exusta in cineres abijt. Constat præterea terræmotus fuisse horrendos, inter quos maximè memorabilis est, qui decimo Neronis anno tres Asiæ vrbes, Laodiceam, Hierapolim & Colossas absorbuit. Famis autem, quæ sub Claudio longè lateq; grassata est, Lucas in Actis meminit. Ita verò affligi & vexari merebantur, qui pacis authorem Christum fastidiebant, orbem terrarum mole scelerum grauabant, piorum bona deprædabantur, & paßim obstabant, quò minus Christi doctrina hominum animos recrearet. Quàm multis verò quàmq; horrendis signis Deus cœlitus quoq; iram suam & mox futurum gentis Iudaicæ excidium prædixerit, Iosephus copiose narrat. Toto enim anno Cometes gladij speciem præferens in æthere arsit, & ipsi templo quasi imminere visus est. Nocte etiam intempesta lumen circa aram & templũ subitò exortum omnia longè lateq; illustrauit, vt dies exortus videretur. Armatæ acies & vrbium obsidiones in nubibus visæ spectantium animos terruerunt. Accesserunt his multa alia in terris, quæ insignem mutationem rerum portendebãt. Bos enim cùm ad immolandum duceretur, agnum in medio fani peperit. Porta orientalis templi ænea, quæ à viginti viris vix claudi poterat, noctis hora sexta sponte patuit. Voces in adyto auditæ sunt, quæ dicerent: Migremus hinc. Adhæc Iesus quidam, homo plebeius & rusticus, cùm ad festum venisset, subitò exclamare cœpit: Vox ab Oriente, vox ab Occidente, vox à quatuor ventis: Vox in Hierosolymam & templũ, Vox in maritos nouos nouasq;

II. Aduersus crucis scandalum instruit. | Lucæ 21. | Acto.11. | De bello Iud. lib.7. cap.12.

nuptas, Vox in omnem hunc populum. Nec vllis minis aut verberibus coerceri potuit, quin per annos septem & menses quinque easdem voces subinde ingeminaret. Et hæc illa sunt, quæ euentura esse, Christus prædixerat, vt si qui cordatiores essent, inde resipiscendi occasionem arriperent.

Antichristi publicorum malorum authores sunt.

At hîc diligenti obseruatione dignum est, quòd impostoribus & pseudochristis bella, seditiones, terræmotus, famem, pestem & horrenda excidij futuri præsagia Christus subijcit. Et sanè (vt paulò ante monuimus) illos Iudæis præcipuos istorum malorum authores fuisse constat. Hinc verò generalis doctrina peti debet, vbique locorum orituras semper turbas, vbi Antichristo & eius emissarijs locus datur. Quia enim à Christo abducunt, & sub religionis prætextu suum commodum quærunt, fieri non potest, quin & dissidia pariant, & Dei iram prouocent, qui filij & gratiæ suæ conttmptum inultum non sinit. Potest hoc continuis exemplis nouissimi huius seculi probari. Postquàm enim Romani Pontifices mirificis artibus imperium in ecclesia obtinuerunt, illis authoribus orbis terrarum perpetuis bellis exagitatus est, quorum hîc illis finis fuit, vt ea occasione regnum suum stabilirent, & opibus quotidie nouis augerentur. Primò siquidem per Longobardos Græcis imperatoribus Italiam abstulerunt. Deinde verò aduersus Longobardos Francorũ opem implorarunt, & tandem debellarunt, vt ipsi Italia tutius & commodius fruerentur. Iidem bellum sacrum excitarunt, quo nullum vnquam maiori conatu et sumptu, adhæc maiori cum sanguinis effusione gestũ fuit, vt in Oriente occupatis Christianis principibus, ipsi interea in Occidente res suas agere, & Germanos Imperatores pro sua libidine exagitare possent. Iisdem infelix Italia bellum Neapolitanũ debet, quod iam annis circiter trecentis inter Gallos & Hispanos infinito sanguine & cum totius orbis Christiani iactura gestum, nec dum planè sopitum est. Taceo quæ olim in Germania excitarunt, & quæ nostro seculo experti sumus. Ita verò mundus infelix ingratitudinis pœnas luit, & meritò Antichristi furijs subiacet, cùm pacis nuntium adeò insolenter fastidiat.

Christiani turbis publicis ne turbentur.

Sed ad Christi verba redeamus, qui non modò de turbis futuris discipulos admonet, verumetiam consilio instruit. Ne turbemini, inquit. Oportet enim ista fieri, at nondum erit finis. Et iterum: Principia dolorũ ista. Paucis verbis rem maximi momenti cõplectitur. Consilij summa est, ne animis turbentur, quando bella, fames, pestes & cum his grauiorũ quoq; malorum præsagia videant. At dicas: Cur nos turbari prohibet Christus, cùm hoc præstitu impossibile sit, & vix humanum censeri possit, si quis publicas calamitates siccis oculis inspiciat, nec ijs commoueatur, quæ cum publico multorum incommodo coniuncta sunt? Certè Christum ipsum imminentis passionis consyderatione turbatum fuisse constat. Et vt aliorum afflictionibus condoleamus, lex charitatis monet. Cæterũ Christus non saxeos aut lapideos esse vult discipulos, sed ad officiũ respicit siue munus ecclesiasticum, cui ipsos destinarat: & præcepti huius summa est, ne propter vndiq; imminentia pericula officium suum negligant. Est hoc omnibus hominibus obseruatu cumprimis necessarium. Quia enim in capessendis Dei mandatis natura tardiores sumus, facilè quamuis occasionem tergiuersandi arripimus, & ad periculorũ rumores consternati defunctione nostra relinquenda cogitamus. Faciunt hoc frequenter ministri, & tale quid electos Dei prophetas, Eliam, Ionam, Ieremiam & plures alios passos fuisse constat. Similiter magistratus ad eundem lapidem fere impingunt, si quid cum periculo pro publica salute est audendum. Et in priuatis hominibus metum pessimum consultorem esse, non rarò experimur. Suadet enim, vt commodiora tempora expectemus, quod dum multi non malo zelo faciunt, interim oblatas sibi à Deo bene agendi occasiones elabi patiuntur. Itaq; hîc singuli cogitent, Deo nos obedire oportere, quæcunque tandem sit rerum facies: nec vlla esse tam grauia pericula, quæ non superari possint, si illius ope freti officium facere studeamus. Equidem si Apostolorum tempora examines, omnia illis affuisse patebit, quæ functionem aliquam laboriosam & periculosam facere consueuerunt. Obstabant illorum instituto magistratus, non Iudæi modò, verumetiam Romani, quorum iussa spernere non tutum erat, cùm penes illos esset orbis terrarum imperium. Feruebant omnia seditionibus, bellis & bellorum rumoribus vt ineptum videretur salutis doctrinam inter armorum strepitum proponere, quo olim Marius se impeditum fuisse dicebat, nec leges Romanas audire posset. Videbant præterea, Euangelij doctrinam ab ipso Christo vix pauculis quibusdam traditam fuisse, & proinde non magnum successum sibijpsis polliceri poterant. Quòd si verò terrere potuit Iudæorum pertinacia, maior timendi causa apud Gentes sese exerebat, quæ aduersus fidei prædicationem partim Romani

Ioan. 12.
Matth. 26.
Rom. 12.
1. Cor. 12.

1. Reg. 19.
Ioan. 1.
Iere. 1. 15. &c.

Imperij maiestate, partim eruditione & eloquentia armata. Attamen Christus illos turbari vetat, & ipsos Christi mandatum omnibus humanis legibus, periculis item omnibus antepoſuiſſe conſtat, cùm ſcirent Deo potius quàm hominibus obedire oportere. Nec pio zelo defuit ſucceſſus, & Dei gratia factum eſt, vt præter omnem expectationem Euangelium in toto terrarum orbe vulgaretur. Exempla huius generis noſtro etiam ſeculo extant. Quis enim ignorat, quãto labore & periculo ante annos quadraginta Euangelij prædicatio inſtaurata & Eccleſiarum reformatio ſuſcepta fuerit? Quid non tentauit ſatan, vt Domini opus impediret? At quia non defuerunt ſuo officio, quibus cauſam iſtam Deus commendarat, per medios enſes (ut ita dicam) victoria longè pulcherrima potiti ſunt. Horum ergo veſtigijs nos quoq; inſiſtere conuenit, nec animis commoueri, vt de ſtatione noſtra deſerenda cogitemus, ſi quod periculum ſeſe offerat. Act. 4. 5.

Et hîc probè obſeruanda eſt ratio, quam ſui conſilij duplicem Chriſtus adducit. Primo, oportet iſta fieri. Deinde, at nondum erit finis, quin principia dolorum iſta. Poterat ſanè malorum iſtorum cauſas plures allegare, cùm nihil illum lateat. Sed ad vnam Dei prouidentiam illos ablegat, & in huius placito acquieſcere docet, quem omnia ſapienter & iuſto iudicio adminiſtrare conſtat. Huius conſyderatio olim Iobum in duriſſimis caſibus inuictum reddidit, & eadem in Ioſepho vindictæ cupiditatem reſtinxit, quam aduerſus fratres concipere poterat. Hæc etiam ſola hodie nobis patientiæ & fidei conſtantis præcipua cauſa erit. Obſeruabis autem, quòd hæc dolorum principia modò fore dicit, quæ excidium gentis totius mox ſecuturum ſit. Dicti huius ratio eſt, quòd Iudæi pertinaci impietate Dei iram prouocare non deſinebant, & proinde indigni erant, quibus parceretur. Diſcipulos autem huius conſyderatione ad diuturnam & longam patientiam armare vult, ne ſe mox omni officio defunctos putent, ſi uno & altero anno in hiſce certaminibus durauerint. Interim admonemur, hodie etiam finem malorum, quæ vndique inſtant, ſperari non poſſe, quoad infelix mundus aduerſus Deum pugna perrexit: qui facilè inueniet aliquos, qui incurabiles & pœnitere neſcios extremo excidio mulctent. Nos verò, quos veritatis cognitione illuſtrare dignatus eſt, illam conſtanter tueamur, & inter pericula intrepidi ad cœleſtis regni hæreditatem eluctemur, quam in ſe credentibus præparauit Deus in Chriſto Ieſu Domino noſtro, cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

Turbarum cauſas in prouidentia Dei monſtrat.

Iob. 1. & 2. Gene. 45. & 50.

HOMILIA CVIII.

Sed cauete uos uobis. Tradent enim uos in conceſſus, & in ſynagogas, cædemini, ac coram præſidibus & regibus ſiſtemini mea cauſa, in teſtimoniũ ipſis. Et apud omnes gentes oportet prius prædicari Euangelium. Cùm autem traditos duxerint uos, ne ante ſitis ſoliciti quid dicturi ſitis, neq; meditemini: ſed quicquid datum fuerit uobis in illo momento, hoc loquamini. Non enim eſtis uos qui loquimini, ſed ſpiritus ille ſanctus. Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium: & inſurgent liberi aduerſus parentes, & morte mulctandos curabũt eos. Et eritis exoſi omnibus propter nomen meum: ſed qui perſeuerauerit uſque in finem, iſte ſeruabitur.

Diſſeruit nuper Ieſus Chriſtus de communibus & publicis periculis quæ priuſquàm Hieroſolyma cum templo deſtruatur, ex impoſtoribus, ſeditionibus, bellis, peſte & fame paſſim ſint oritura. At ne diſcipuli, quos aliàs regnum & triumphos ſomniare ſciebat, ſe immunes malorum & prorſus in tuto fore putarent: modò de illis agit, quæ ipſi in commiſſo ſibi prædicandi munere propter nomen ipſius paſſuri ſint. Debent ea ſic accipi, vt licet Apoſtolis hæc dixerit Chriſtus, eadem tamen ad nos quoq; pertinere putemus. Eandem enim omnibus ſeculis credentium conditionem fore, ſcriptura paſſim admonet. Quòd ſi quando pace frui datur, Dei beneficium hoc ſingulare eſſe agnoſcamus, & ne illo abutamur, noſmetipſos ad crucem ferendam ſemper præparemus, & illorum fidem noſtris precibus adiuuemus, qui alibi perſecutionum fluctibus exagitantur.

Argumentum & uſus præſentis loci.

De cruce discipulos admonet.

Orditur autem ab admonitione, vt prius etiam, vt ista ad se pertinere intelligant. Sed cauete vos vobis, inquit. Quasi dicat, Ne putetis vos eorum, quæ dixi otiosos spectatores fore. Imò à vobis hæc mala incipient, & primi omnium afflictionem sustinebitis. Nam priusquàm hæc fiant (vt in Luca habetur) inijcient vobis manus, & persequentur vos: tradent item vos in consessus & in synagogas, nimirum vt fidei & doctrinæ rationem à vobis exigant: inde ad præsidium & regum tribunalia sistemini, vt illic causam dicatis. Et hæc quidem omnia vobis mea causa euenient, ipsis in testimoniũ. Vt verò ista impleta sint, Lucas in Actis diligenter narrat. Docentibus enim in templo Apostolis superueniunt sacerdotes & magistratus templi cum Sadducæis, & comprehensos in carcerem abduci iubent. Die sequenti in concilium productos examinant, & quàmuis innocentes esse intelligant, interminantur tamen, ne posthac Euangelium prædicent. Pergunt autem illi suam functionem obire. Iterum ergo capti non minas modò, sed flagra quoq; sentiunt. Mox vlterius progreditur impiorum rabies, & lapidatur Stephanus, & Paulus immani crudelitate ecclesiam, quæ Hierosolymis erat, dissipat. Idem verò potenti Christi manu ad fidem pertractus, suscepto Apostolatu hæc omnia patitur quæ Christus hîc & alibi suis euentura prædixit: Nam vt omnia alia omittamus, multis in locis coram Romanis præsidibus, imò etiam coram Rege Agrippa causam dixit, & tandem Romam vsq; ad Neronis tribunal pertractus fuit. Et quod Apostolis accidit, hoc ipsum postea quoq; viris Apostolicis & omnibus ferè credentibus accidisse constat. Nec hodie melior est eorum conditio, qui Christum prædicant, aut illo vno contenti, superstitiones & inania hominũ additamenta fastidiunt. At hîc nobis quædam diligentius inspicienda erunt.

Act. 4. Act. 5. Act. 6. 7. 8. Act. 16. 17. 18. 19. 22. 24. 26.

Cur publicæ calamitates à piorum persecutione incipiãt? 1. Pet. 4.

Primò, cur ista fieri patiatur Deus, & cur gentium excidia ferè à piorum persecutionibus initium sumant? Potest huius rei causa duplex assignari. Prior in Deo est, cuius iustitia hoc exigit, vt mundi scelera puniturus, primò suam domum corrigat, ne in suis probare videatur, quod in alijs tam rigidè persequitur. Et huius nos Petrus admonet, quando iudicium à Dei domo incipere ait. Nam etsi pij in fidei & religionis causa integri sint, & eo nomine Deo probentur, multa tamen illis ex innata carnis infirmitate obrepunt, quæ corrigi merentur. In secundis enim securi peccatorũ blanditias admittunt, aut superbiæ stimulo titillantur, vt sibijpsis nimium in ijs placeant, in quibus Dei bonitatẽ debebant agnoscere: cuius rei exempla in Dauide & Ezechia extant. In aduersis verò carnis rationes audiunt, & sæpe ad externa præsidia conuertuntur. Fieri ergo non potest, quin iustus Deus iudiciorum suorum initium ab ipsis faciat, vt & carnis cupiditates frenare, & ab ipso solo constanter pendere discant. Altera causa in ipsis hominibus est. Dum enim suos affligit Dominus, euidenter docet, quid impijs sit euenturum. Nam si à nobis incipit Dei iudicium (inquit Petrus) quis erit finis eorum, qui non credunt Euangelio? Et si iustus vix seruatur, impius & peccator vbi comparebit? Et eòdem facit, quod apud Ieremiam dicit Dominus: Ecce ego incipio affligere in vrbe, quæ vocatur nomine meo, & vos (gentes scilicet impiæ) impunè abiretis? Præterea, vt iudiciorum Dei cursus liber sit, pios ab impijs separari, & illos è mundo hoc in cœlestes beatorũ sedes transferri oportet: ne vel suis intercessionibus iudicia dei remorentur, vel ipsi quoq; impiorum pœnis impliciti easdem cum illis scelerum pœnas videantur exoluere. Vidit hoc olim Isaias, cùm iustum colligi dicit antequã malum aut excidium publicum veniat. Idem verò sui seculi infelicitatem deplorat, quo de republica optimè meritorum mortes à plerisq; negligebantur. Est enim hic plusquàm belluinus stupor, quo plerique hominum correpti non sentiunt piorum præmaturos obitus aut exilia venturi excidij præludia esse. De Metello Macedonico traditur, quòd cùm Scipionem Africanum, quo cum illi priuatæ inimicitiæ intercesserant, domi peremptum audisset, in foro exclamarit: Concurrite ô ciues, mœnia nostræ vrbis conciderunt. Et Ioas rex olim Elisæum moriturum deflebat, quòd illum Israelis præsidium esse sciret. At hodie sine gemitu & lachrimis aliorum optimi quiq; pereunt. Magis tamen detestabilis est illorum nequitia, qui vel ipsi sese hoc tam necessario piorum præsidio spoliant, vel saltem illos è medio tolli gaudent, vt maiori licentia affectibus suis corruptissimis indulgere possint.

Nota –

2. Sam. 11. 24. Isaiæ 39. Ierem. 25. Isaiæ 57. 2. Reg. 13.

Pij propter Christi nomen affliguntur.

Sed alio etiã argumento mundi impietas arguitur, dum Christus discipulis hæc sua causa & propter suum nomen euentura dicit. Constat enim Christum, vt nos saluos faceret, in mundũ venisse, & mortem subijsse. Quis ergo non extremæ corruptionũ & impietatis plus quàm diabolicæ indicium agnoscat, quando ita Christum mundus abominatur & odit, vt propter hunc eos quoq; ferre nequeat,

quos illi communis naturæ societas & mutui auxilij necessitas coniunxit? Bifariam verò Christi causa vel nomine pij persecutionem sustinent. Primò apertè, quando ab ijs affliguntur, qui Christum & meritum ipsius disertè negant & impugnant: quales olim gentes fuerunt, hodie autem Turcæ & Iudæi habentur. Deinde subdolè, cùm Christi nomen quidem aliqui profitentur, gloriam verò illius in creaturas trãsferunt, nec solo ipsius meritò contenti, alia præter hunc pro peccatis sacrificia, aliam iustitiam, alios aduocatos & mediatores quærunt: & interim ferro & igne eos persequuntur, qui ab vno illo pendent, & cum Apostolis fatentur nullum aliud nomen hominibus datum esse, in quo saluari possint. Act. 4. Tales olim Israelitæ erant, qui promissionibus & fœdere Dei gloriabantur, interim 1.Reg.12. verò ex semetipsis noua sacra instituebant, & sanctos Dei prophetas persequebantur, qui vnius veri Dei cultum & fidem in Christum, promissum saluatorem, tradebant. Tales hodie Papistæ sunt, quibus nihil aut parum ad salutem facere videtur, si Christum Iesum profitearis, nisi illi Diuos Diuasq́, adhæc operum merita, indulgentias, Missas, purgatorium ignem, & sexcenta alia coniungas. Imò vix illis aliud scelus maius videtur, quàm si superstitiosas traditiones relinquas, vt Christo vni omnis nostræ redemptionis gloria integra permaneat. Et hæc hodie præcipua est persecutionum causa: quas qui sustinent, Christi causa se affligi cogitent, & inde consolationem petant: illos verò alteros non tuebitur Christiani nominis professio, quò minus Christi hostes censeantur, qui gloriam suam aliqua ex parte imminui nõ patitur, nec etiam suorum sanguinem inultum sinet. Et huc facit, Isaiæ 42. quòd persecutiones istas ipsis tyrannis persecutoribus in testimonium cessuras dicit. Intelligit enim iustæ damnationis testimonium, quam subterfugere non possint, cùm oblatam sibi salutis doctrinam non modò contemnant, verum etiam hostiliter persequantur. Si enim puluis ministrorum pedibus excussus illis conuincendis sufficit, vt alibi Christus admonet, grauius multò erit testimonium, quod tot Lucæ 9.& 10. piorum exilia, fugæ, lachrymæ, vincula, ignominiosæ mortes de illorum crudelitate reddent. Hæc cogitate ô boni, qui hodie propter Christi solius confessionem contra nos furitis. Cogitate (inquam) tot vos in vestra ipsorum capita testes adducere, quot pij à uobis affliguntur. Etsi enim ad tempus multa Deus dissimulet, clamat tamen sanguis innoxius de terra, clamant sub magno illo altari, Christo, animæ piorum: & tempus erit, quo illas vindicabit Dominus. Apoc. 7.

Persecutionibus non potest impediri Euangelij prædicatio.

Cæterùm poterant hîc multa occurrere discipulis, quæ ipsos terrerent, quo minus officio docẽdi fungerentur. Quapropter illis quoq́ respondet Dominus. Et primò, quia impossibile videbatur, euangelium propagari tot vndiq́ turbis & periculis imminentibus, disertè ait: Et oportet prius apud omnes gentes prædicari euangelium. Quibus verbis ad perpetuum & irreuocabile diuinæ prouidentiæ decretum illos ablegat: quo ita constitutum sit, vt Euangelij doctrina nequicquam obstantibus aduersarijs potentissimis, in toto terrarum orbe publicetur, priusquàm Hierosolyma cum templo euertatur. Quod impletum esse, res ipsa abunde declarat. Cùm enim persecutione Hierosolymæ exorta, discipuli inde expellerentur, mox per Iudæam totam prædicarunt, & inde in Samariam profecti, Acto. 8. illam quoq́ Euangelij luce illustrauerunt, & Æthyopem eunuchum Philippus conuertit, cuius ministerio Deus postea haud dubiè apud Æthyopes in propaganda Veritatis cognitione vsus est. Et hæsitantibus adhuc discipulis, an gentibus quoque Christus prædicari deberet, Petrus de ea re oraculo cœlesti edoctus ad Cornelium Centurionem descendit, alij verò in Phœniciam & Cyprum vsque Acto.10.& 11. progressi, regni Christi pomeria per terras & maria longè lateq́ extendere cœperunt. Maximè tamen in his omnibus Pauli virtus eluxit, quem peculiarem gentibus Apostolum Deus destinauerat, Acto. 9. qui ab Hierosolyma & finitimis regionibus ad Illyricum vsq́ Euangelium impleuit. Et idem è vin 1. Timoth.2. culis ad Coloss. scribens, Euangelium apud omnem creaturam iam tum prædicatum fuisse testatur. Rom.15. Ita verò fieri necesse erat, vt & Iudæorum pertinacia incurabilis diuini iudicij rigorem excusaret, Colos.1. quo excisi sunt: & gentes perspectis excidij causis fidem in Christum maiori studio amplecterentur: semperq́ ipsis illud Pauli in mentem veniret: Si Deus naturalibus ramis non pepercit, vide ne qua Rom.11. fiat, vt nec tibi parcat, &c. Est autem nobis hoc loco obseruanda Dei potentia, qui verbi sui doctrinam tempore omnium incommodissimo inter tot obstacula tam feliciter propagare potuit. Videmus hoc ipsum nostro seculo fieri, quando illa passim triumphat, vtcunq́ se illi opponant, qui inter homines supremum authoritatis & potentiæ gradum obtinent. Nec obscuris indicijs patet, in Oriente denuo orituram Euangelij lucem, vnde prius in reliquum orbem fuit diffusa. Neminem ergo ter-

reant impiorum conatus, qui vt suis commodis consulant, Euangelij doctrinam oppressam volunt. Etsi enim omnia tentent, viresq; & consilia sua omnia in vnum conferant, prædicabitur tamē Euangelium vsq; ad extremos orbis terrarum cardines: nec ecclesiam suam Christus unquam deseret, cui se vsq; in mundi consummationem affuturum promisit.

Consolatur, ne suæ ruditati & imperitiæ diffidant.

Cæterùm grauior adhuc scrupulus restabat, quo discipuli magis terreri poterant: propriæ nimirum ruditatis & imperitiæ conscientia, cùm nec in publico multum versati essent, nec adhuc ijs donis se instructos esse viderent, quæ ad docendi munus cumprimis sunt necessaria. Et sanè hodie etiam multos hoc vnum solicitos habet, quòd se ad respoudendum minus instructos fore metuunt, si fidei & doctrinæ suæ rationem rogentur. Sed hic quoq; Christus medetur, dicens: Cùm traditos duxerint vos, ne ante sitis soliciti, quid dicturi sitis, neq; meditemini: sed quicquid datum fuerit vobis in illo momento, hoc loquamini. Non enim estis vos qui loquimini, sed spiritus ille sanctus. Qui locus non ita accipi debet, quasi temerarios esse velit, aut diligentiorem mysteriorum fidei & scripturæ meditationem prohibeat. Initiò enim vt sibi caueant monuit, & alibi scripturas scrutari iubet, & Timotheum suum hoc nomine Paulus commēdat, quòd à pueris sacras literas didicerit, & tamen eundem hortatur, vt lectioni incumbat: idemq; verbi ministros eiusmodi requirit, qui & docendo valeant, & contradicentium ora obturare possint. In præsenti ergo Christus nimiam solicitudinem prohibet, quæ illos ab officio retrahere poterat, maximè si qui noui casus ex improuiso inciderent. Nam ego (inquit apud Lucam) dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt contradicere neq; resistere omnes qui aduersabuntur vobis. Et apud Matthæum: In illa hora dabitur vobis quid loquamini. Quibus hic addit, quòd spiritum sanctum habituri sint in ipsis loquentem. Ista verò paternam Dei curam commendant, qui cùm nos natura ineptos, & (vt Paulus inquit) ne ad cogitandum quidem idoneos esse sciat, donis sufficientibus & necessarijs eos instruit, quorum opera ad regni sui propagationem vti vult. Exemplo nobis sunt Moses, Aaron, Bezaleel tabernaculi structor, Septuaginta item illi quos Mosi in populi gubernatione collegas dedit, Iudices quoq; & prophetæ, quorum aliquos subitò mutatos & nouis donis instructos fuisse legimus, vt primùm à Domino vocati fuerunt. Et quod hic discipulis pollicetur, fide optima præstitit. Misit enim spiritum sanctum, qui illos subitò linguarum simul & mysteriorum scripturæ sacræ cognitione instruxit, & tales fecit, qui cum exercitatissimis antagonistis congredi possent: id quod innumeris exemplis declararunt. Admirantur sacerdotes & Seniores Petri & Ioannis libertatem in dicendo, cùm scirent homines esse idiotas & illiteratos. Nō possunt resistere Stephano, qui summam eruditionis laudem sibijpsis vendicabant. Paulus verò non modò in sacris cœtibus perspicuè docuit, verumetiam inter furentis populi horribiles motus & minas truculentissimas imperterritus stetit: & tandem præsentibus tribunis, principibus, Festo præside, Agrippa rege & Bernice regina, causam ex vinculis dixit, & tanta quidem cum dexteritate, vt omnibus admirationi esset, & Festo præsidi ex immodico literarum studio mentis vsum labefactauisse videretur. Quid obsecro ibi fecisset Romanæ eloquentiæ parens Cicero, qui olim pro Milone verba facturus apud Romanos Iudices, visis circa forum armis Pompeij, hominis amicissimi, ita metu perculsus fuit, vt intercluso spiritu vix singultire posset? Pertinēt eodem martyrum exempla, inter quos sæpe non modò illiterati homines verumetiam fœminæ & pueri versutissimis sophistis negotium fecerunt, & illis superiores facti sunt. Et promissionis Christi veritatem hodie etiam experiuntur multi, qui principibus & episcopis fidei suæ rationem ita sæpe ex tempore reddūt, vt vel ipsis hostibus admirationi sint, & frequenter aliquos illorum Christo lucrifaciant. Seruiant ista consolationi, vt constantes in Domino hostium astutia minimè terreamur. Singuli denique ista ad se transferant, quando ad res arduas se vocari sentiunt. Qui enim illos vocat, eosdem armis idoneis instruere, ex rudibus & imperitis peritissimos, ex meticulosis fortes, ex obscuris & contemptis illustres & multa authoritate graues efficere potest.

2.Timoth.3.
1.Timoth.3.4.
Titi 1.
Matth.10.
2.Cor.3.
Exod.4.35.
Nume.11.&c.
Acto.4.& 6.

Apostolorum doctrina diuina est.

Admonet præterea locus hic, Apostolorū doctrinam non humanam & terrenam, sed diuinam & cælestem esse. Quia enim non ipsi, sed in ipsis spiritus sanctus locutus est, vtiq; hic idem doctrinæ ipsorum author censeri debet. Faciunt huc alij quoq; loci, in quibus spiritum suum illis Christus promisit: imprimis verò, quòd pro omnibus illis orat & intercedit, qui ixta Apostolorum doctrinam in ipsum credunt. Magna igitur est mundi peruersitas, qui etsi propriæ conscientiæ testimonia sæpe conuincatur,

Ioan.14.16.
Acto.1.2.
Ioan.17.

catur, tamen illi contradicere non veretur, & hæreseos eos accusat, qui ab Apostolis traditam doctrinam recipiunt atq; tuentur. Sentient illi aliquando Christi iudicium, qui olim dixit: Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit: qui autem me spernit, spernit eum qui misit me. Nos itaque Thessalonicenses potius imitemur, de quibus Apostolus testatur, quòd Euangelij doctrinam, non vt hominum sermonem, sed vt Dei verbum receperint. Ita enim fiet, vt in nobis fructus ferat, nosq; ex illo renati inter Dei filios censeamur. Lucæ 10. 1. Thess. 2.

Porro redit ad periculorum commemorationem, & ne quid spei vel præsidij in vllo homine collocarent, sed ab vno Deo penderent, illos quoq; ipsis aduersos fore docet, quos natura ipsis arctissimè obstrinxerit. Tradet (inquit) frater fratrem in mortem, & pater filium, & insurgent liberi aduersus parentes, & morte mulctandos curabunt. Eritis deniq; exosi omnibus propter nomen meum. Quò & illud apud Matthæum pertinet: Inimici hominis domestici eius. Poterant hæc noua & incredibilia videri, nisi ab ipsa rerum origine huius generis exempla in omnibus historijs extarent. Cain certè Abelum fratrem non modò persecutus est, verumetiam crudeliter occidit, quòd illum Dei cultorem, et proinde Deo magis gratum vel acceptum esse videret. Et Isaaco fratrem Ismaelem infensum fuisse legimus, & Iosephum fratres germani in Ægyptum vendiderũt. Quis item inimicitias Israelitarum & Iudæorum mutuas ignorat, quarũ non postrema causa ex religionis controuersia vel dissimilitudine exorta fuit? Verè autem hæc impleta fuerunt, quando Iudæi Apostolos & illorum sectatores, nullo habita cognationis & diuinæ adoptionis respectu, gentibus excruciandos & enecãdos tradiderunt: & priuatim eius generis multa accidisse, non est dubium. Nec cessauit adhuc hodie rabies ista, quando frequenter liberos religionis ergò à parentibus abdicari, fratres à fratribus prodi, coniuges abs se inuicem diuelli videmus. Recens est item sanctissimi martyris Ioannis Diazij Hispani cædes, quem Alfonsus frater Roma vsq; insecutus in Germania obtruncauit, nec terram alienam fraterno sanguine polluere exhorruit. Nonne item in diuersis castris militarunt fratres & consanguinei, quos sola fidei & religionis causa contra se mutuò armauerat? Prædixit autem hæc Christus, imò iam olim in spiritu Christi eadem Micheas prædixit, ne offendamur. Discamus potius quantùm possit Veritatis odium, quo ipsæ etiam naturæ leges mutantur. Quid enim tam naturale est, quàm vt parentes ex se genitos liberos, & fratres se inuicem diligant? Quomodo autem humanæ societatis & naturæ leges seruarent, qui naturæ Dominum & creatorem non reuerentur? Fugiamus ergo pestem hanc, qua nulla atrocior excogitari potest, simulq; suspecta habeamus omnium eorum consilia & conatus, qui Veritatis odium semel conceperunt. Etsi enim illud ad tempus dissimulent, mox tamen occasione oblata aduersus illius cultores hostiliter insurgunt, &c. Piorum hostes sunt domestici & consanguinei. Matthæi 10. Gene. 4. Gen. 21. & 37. Mich. 7.

Cæterùm concludit locum hunc Dominus promissione consolationis plenissima: Qui perseuerauerit vsq; in finem, iste seruabitur. Cui consentit, quod apud Lucam habetur: In patientia vestra possidebitis animas vestras. Perseuerantia autem vt in omni re vtilis, ita in fidei negocio necessaria est, eò quòd defectio aut abnegatio cum præsenti salutis periculo coniuncta est. Ad hanc autem amplissimo præmio excitat, salute nimirum animarum, quæ omnibus rebus alijs pretiosior est, nec vllo alio pretio redimi potest, quàm eò, quod Christus Iesus pro nobis exoluit, cuius ij soli consortes erũt, qui illum fide vera amplexi, in eodem ad finem vsq; perseuerant. Quotquot enim vbi manum aratro admouerunt, à tergo respiciunt, non sunt digni regno Dei. At qui cum Christo patiuntur, cum eodem regnabunt: & qui cum illo moriũtur, cum eodem viuent. Horum memores simus hodie, & simul cogitemus, afflictiones huius seculi haudquaquam pares esse gloriæ, quæ olim reuelabitur. Superemus igitur eas fide constanti, vt nobis olim in cœlis viuere liceat, cum Christo Iesu, cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen. Hortatur ad perseuerantiã. Matth. 16. Lucæ 9. 2. Timoth. 2. Rom. 8.

HOMILIA CIX.

Porrò cùm uideritis abominationẽ desolationis, quæ dicta est à Daniele propheta, stantem ubi non oportet, qui legit, intelligat. Tunc qui in Iudæa fuerint, fugiant ad montes: qui uerò supra domum fuerit, ne descendat in domum, nec ingrediatur ut quicquam tollat è domo sua. Mat. 24.

Et qui fuerit in agro, ne reuertatur retro ad tollendum pallium suum. Væ autem uterum gestantibus et lactantibus in illis diebus. Orate uerò ne fiat fuga uestra hyeme. Erunt enim dies illi talis afflictio, qualis non fuit à principio rerum conditarũ, quas condidit Deus, usq; ad hoc tempus, neq; fiet. Et nisi Dominus decurtasset dies illos, nulla caro seruaretur, sed propter electos, quos elegit, decurtauit dies illos.

Argumentum & usus præsentis loci.

POstquam Dominus Iesus Christus publicas calamitates exposuit, quæ vrbis & templi excidium aliquot annis sint præcessuræ, adhæc discipulos aduersus persecutiones monitis & consolationibus saluberrimis instruxit: tandem ad quæstionem illorum propius accedens, de ipso vrbis & templi excidio agit. Et primò quidem docet quo signo illud procul dubio imminere intelligant: deinde quid omnibus ijs necessariò faciendum sit, qui non ipsi quoq; tantis malis inuolui volunt: quibus postremò loco consolationem piorum & electorum subijcit. Vbi semper tenendum est, Hierosolymæ excidio totius mundi consummationem adumbratam fuisse, & proinde ista ad nos quoq; pertinere, vt discamus, quid hodie inter tot vndiq; apparentia irati Dei signa fieri conueniat, ne cum mundo pœnitere nescio condemnemur.

Obsidio Hierosolymitana excidij signum infallibile.

Orditur autem à signo, quo excidium certò imminere intelligant, & quia indignum videbatur plerisq;, tantam vrbem vnà cum templo & cultu externo perire, ad Danielis oraculum relegat, qui hoc fore olim prædixerit. Cùm videritis (inquit) abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele propheta, stantem vbi non oportet, qui legit intelligat. Abominationem desolationis vocat Hebraica phrasi abominabilem vastitatem, quam illaturæ sint gentes prophanæ & abominabiles, & sensus verborum est: Cùm belli tempestatem, vastatis longè lateq; agris & oppidis circumiacentibus ipsi vrbi imminere, & Romanas legiones ibi castrametari videritis, vbi non oportet, id est, in loco sancto (vt Matthæus habet) nimirum ad vrbem Hierosolymam, quam olim Deus sibi consecrauit, & à qua prophanas gentes procul arceri voluit: tunc certò cognoscatis, instare iam tempus illud fatale, quo vrbem cum templo excindi oporteat, sicuti olim à Daniele prædictum fuit. Sic Christi verba Lucas exponit, qui illa ad hunc modum recitat: Cum videritis circumdari ab exercitibus Hierosolymam, tunc scitote quòd immineat desolatio eius. Et paulò post: Cadent in acie gladij, & captiui ducentur in omnes gentes, & Hierusalem calcabitur à gentibus donec impleantur tempora gentium, id est, vsq; ad finem seculi, vt nulla sit instaurationis spes reliqua. Docet ergo nõ vulgarem fore obsidionem, quales sunt, in quibus vrbes vel non capiuntur, vel captæ non excinduntur, vel excisæ post aliquot annos instaurantur: quæ omnia Hierosolymæ olim acciderũt: Sesak enim Ægypti rex vrbem cepit quidem & diripuit, non autem vastauit. Sanherib Aßyrius clade per angelum illata obsidionem soluit. Nabuchodonozor captam exussit, sed post annos septuaginta instaurata priores habitatores recepit. Et Pompeius cum anno ante Christum natum sexagesimo illam cepisset, ab eius vastatione adeò sibi temperauit, vt ne pecunias quidem templi voluerit contingere. At longè aliam fore rerum conditionem docet Christus, si illam iterum obsideri contingat: funditus enim extirpandam & vastandam esse, sicuti initiò prædixerat. At hîc primùm obseruabis, quòd discipulos in tantis malis ad veteres prophetias ablegat: nimirum vt inde & causas malorum, & Dei prouidentiam omnia benè & rectè administrantem agnoscant, & proinde minus offendantur. Faciamus idem nos quoq; in publicis & priuatis calamitatibus & mox consolationem sentiemus efficacissimam & quæ vera sit salutis via intelligemus. Deinde obseruari debet, quòd excidio destinatam vrbem adhuc sanctum locum appellare dignatur. Facit huc veteris dignitatis respectu, hanc verò illis adeò non profuturam docet, vt prophanæ & execrationi dignæ Romanorumq; legiones in illis locis castrametaturæ, & vrbem cum templo vastaturæ sint, eò quòd illud superstitionibus & pertinaci impietate prophanarint. Seruit exemplum hoc ijs confutandis, qui hodie superstitiones locorum sanctitate excusant, dum illic edita olim Christi vel sanctorum eius miracula magnificè recensent. Nam vt demus, quæcunq; ab illis dicũtur, verißimè dici, num ideo locis eiusmodi salutem & Dei gratiam alligabimus? Vel num vetus dignitas impiorum successorum superstitionibus & sceleribus patrocinabitur? Minimè. Quis enim unquam in orbe terrarum locus fuit, qui miraculorum fama & operum

Dan. 9. & 10.

1.Reg.14.
2.Reg.19.
Isaiæ 37.
2.Para.36.

rum Dei memoria cum Hierosolyma conferri queat? Illic olim sacerdotio functus est Melchizedech, quem Christi typum fuisse Apostolus testatur. Hanc sui cultus sedem perpetuam deus constituit, & promissionibus amplissimis instruxit. In illa vrbe & templo Christus docuit, in illa miraculis innumeris suam diuinitatem testatus est, in illa redemptionis nostræ negotium absoluit, in illa primùm prædicarunt Apostoli, & inde dei verbum in totum orbem exire debuit, sicuti prophetæ prædixerant. Attamen illam prophanari & funditus excindi passus est deus, eò quòd sacra à patribus accepta in filij sui ignominiam mordicus retinerent, nec illum salutis suæ vnicum authorem vellent agnoscere. Et nos ab hominibus excogitatas superstitiones inani veterum miraculorum commemoratione excusari posse putabimus?

Gene. 14. Hebr. 7. Psalm. 123. 2. Sam. 24. Isaiæ 2. Mich. 4.

Pergit autem Christus, & quid faciant consulit, ne ipsi quoq; tantis malis inuoluantur. Qui in Iudæa fuerint (inquit) fugiant in montes, id est, in loca tuta sese recipiant, vel etiam extra Iudææ fines aliò migrent. Huius enim terminos fuisse scimus Arabiæ montana & Libanum. Qui verò supra domum fuerit, ne descendat in domum, nec ingrediatur, vt aliquid tollat è domo sua. Et qui fuerit in agro, &c. Sunt hæ prouerbiales locutiones, quibus fugam maturam & celerem suadet, adeò vt ne charissimis quidem et maximè necessarijs rebus sese retineri patiantur. Et hæc quidem imminenti bello fieri debuisse, ex oraculo constat, quo ecclesiam admonitam fuisse, Eusebius scribit, vt transmisso Iordane Pellam migraret, & sic illa seruata fuit. Iudæi verò, cùm huius admonitionis immemores, in vrbem cateruatim confluerent, partim munitionibus partim templo confisi, hostibus præda facti sunt. Hinc verò generalis doctrina peti debet, ab impiorum consortio secedendum esse ijs, qui cum illis perire nolunt. Vult enim separationem fieri Christus, nec eos mundo commisceri vult, quos è mundo selegit, ne cum hoc perirent. Ideo Petrus salutis cõsilium petentibus dicebat: Seruemini à generatione ista praua. Et in Apocalypsi è Babylone exire iubemur, ne plagarum ipsius consortes reddamur. Nec semel egressos esse sufficiat, sed ne eò, vnde egressi sumus, reuertamur cauendum est, ne ad vomitum reuersis (vt Petrus monuit) postrema fiant peiora primis. Admonet præterea locus hic, piorum emigrationibus ferè vrbium & gentium excidia portendi. Quia enim illi instar militum sunt, qui in muri ruptura consistentes vim hostilem prohibent (quo simili deus apud Ezechielem vtitur) fieri nequit, quin illis sublatis, dei iudicium suam executionem habeat. Ita Lotho digresso sulphur & ignem super Sodomam pluit Dominus. Et Iosiæ mortem bella Babylonica cum horribili vrbis excidio secuta sunt. Possent alia huius generis exempla recẽseri: quorum hic nobis vsus esse debet, ne pios domini cultores nobis oneri aut damno esse putemus, sed in summo precio habeamus, vt illorũ nõ ne nobis deus benefaciat, &c.

Quid pijs faciendum imminente urbis excidio.

Lib. 3. cap. 4.

Lucæ 12. Ioan. 15. Acto. 2. Apoc. 18.

2. Pet. 2.

Piorum emigrationes excidiũ portendunt.

Ezech. 13. 22.

Cæterùm quia graue admodum videtur, natale solum & cum hoc fortunas omnes relinquere, periculorum descriptionem horribilem subijcit, qua illos vrgeat. Væ (inquit) vterum gestantibus & lactantibus in illis diebus. Dicit hoc, non quòd peccatum sit, vterum gestare aut lactare infantes, sed belli & excidij crudelem & horribilem faciem exprimit, & eam fore dicit rerum Iudaicarum conditionem, vt cùm numerosa sobolis procreatio inter Dei benedictiones non postrema censeatur, tunc temporis sterilitas aut orbitas non parua felicitatis pars putari debeat, eò quòd immanis hostium rabies in pregnantes quoq; & lactantes grassatura sit, absq; omni sexus & ætatis discrimine. Simili ratione Hoseas Israeliticæ gentis excidiũ in spiritu præuidens, Dominum rogat, vt ipsis det vuluam abortientem et vbera arentia, vt vel hoc pacto belli atrocitas mitigetur, si nec pregnantes sint vllæ, nec lactentes paruuli, in quos hostium rabies sæuire possit. Docent autem eiusmodi loci, quanta sit scelerum atrocitas apud deum. Horrendum equidem est, matres in liberorum conspectu ignominiæ genus omne perpeti, & rursum illis videntibus infantes allidi & crudeliter iugulari. At cur non horrenda quoq; censentur scelera, quibus dei ira prouocatur, vt ista fieri velit? Sed ô deplorandam nostri seculi stupiditatem, quo passim in omnibus propè nationibus huius crudelitatis exempla sunt edita, & tamen pauci sunt, qui pœnitentiam necessariam esse putent, qua dei ira placetur. Addit in præsenti Christus, Orate ne fuga vestra fiat hyeme. Apud Matthæum sabbati quoq; fit mentio, & sensus est. Tanta fore tamq; atrocia pericula, vt cùm declinari non queant, saltem hoc rogandus sit deus, ne fuga vel tempestate vel religione impediatur. Hyems sanè iter facturis obstacula multa obijcit, sabbato autem Iudæis longius exire non licebat, quàm ad stadia aliquot, sicuti ex Luca patet,

Periculorum descriptione urget cunctabundos.

Genesis 15. 17. Psalm. 112.

Hoseæ 9.

Acto. 1.

vbi montem olìueti ab Hierosolymis itinere sabbati distare scribit. Etsi verò post Christi mortem ceremoniæ legales cessare debuerunt, pro illius tamen temporis ratione Christus loquitur, & (vt modò diximus) curare iubet, ne quam fugæ remoram sibi iniici patiantur. Et causam huius præcepti repetit, dicens: Erunt enim dies illi afflictio, qualis non fuit à principio rerum conditarum, &c. Verissimè autem hoc dictum fuisse, mox patebit, si postremum hoc vrbis excidiū & Iudaicæ gentis ignominiosam in omnes terras dispersionem cum omnibus ijs conferas, quæ vel in Ægypto, vel postea in Babylone passi sunt. Ita verò fieri oportuit, cùm in ipsum Dei filium scelus designassent, ad cuius conspectum ipsa tellus exhorruit, & quod Sol videre noluit. Interim discant hoc loco tyranni, quid de ipsis sit futurum, qui hodie adhuc Christū in membris suis persequuntur, & crudeli rabie in ecclesiam illius furiunt, quam ipse oculi sui pupilla chariorem habet. Vide Zach. 2. &c.

Matth. 27.

At ne pij quoq; ex his desperandi occasionem arriperent, consolationē interserit Christus, dicens: Nisi Dominus decurtasset dies illos, nulla caro seruaretur: sed propter electos, quos elegit, decurtauit dies illos. De Iudaica gente loquitur, quæ tota esset peritura, nisi Deus hostium rabiem frænaret, & afflictionibus finem vel modum imponeret. Et sanè miraculi instar est, quòd cùm Iudæi omnibus populis exosi fuerint, maximè Romanis, penes quos tunc erat totius orbis imperium, non vno die omnes extincti sint. Sed causam ostendit Christus, quando Deum propter electos suos dies illos afflictionis decurtauisse ait. Respicit autem ad Dei decretum, qui iam olim per Isaiam & alios prophetas prædixerat, ex Iudæorum reliquijs ecclesiam suam instaurari oportere. Factum hoc per Apostolos & alios Iudæorum, qui Euangelio crediderunt. Electos verò nominat, cùm credentes dicere potuisset, vt salutis tàm publicæ quàm priuatæ fontes in mera & libera Dei gratia commonstret, qui absq; vllo operum nostrorum respectu suos ante mundi constitutionem elegit, vt eos in filio suo Iesu Christo saluos faceret. Nobis verò obseruanda venit Dei bonitas simul & prouidentia, qui etsi totas gentes interdum vniuersali excidio delere videatur, semper tamen electorum suorum rationem habet, & illos inter medias tribulationes conseruat. Nouit enim suos, & vt Petrus scribit, nouit etiam pios ex tentatione eripere, iniustos autem in diem iudicij puniendos seruare. Et Christus, Oues meas (inquit) nemo potest è manu mea rapere. Nec exempla desunt, quæ docent, vt Deus inter suos & impios discernere possit. Olim enim toto mundo pereunte, Noa cum suis per arcam saluatus est. Et Lothum è Sodomis iam iam perituris angelorum ministerio eduxit. Nec semel inter Israelitas & Ægyptios distinxit, cùm hi quidem suæ impietatis pœnas darent, illi verò ipsius manu potenti protegerentur. Similiter decem Israelitarum tribus in captiuitatem abductas fuisse legimus, saluo adhuc regno Iuda, in quo purior Dei cultus florebat. Consolentur nos ista, nec eorum rationibus terreamur, qui vt omnibus persuadeant impietatis studium, nullum inter pios & impios discrimen fore clamant. Nam, vt diximus, suorum curam habet Deus, & licet eos affligat interdum, fidelis tamen est, nec illos supra vires tentari patitur, sed facit vt consolationes abundent, vbi afflictiones plures & grauiores incidūt. E contra non est, quòd sibi ipsis ob externam fidei professionem & ecclesiæ datas promissiones blandiantur hypocritæ, quasi perpetuò Deum sibi propitium habituri sint, ne ipsis pereuntibus pij quoq; periclitentur. Facilè enim Deus inter suos & illos discernet, & procul dubiò iudicem iustum experientur, qui nunc inani prætextu aduersus minas ipsius nituntur. Faxit idem ille, vt inter tot & tanta iræ ipsius indicia horum memores, ab impuri mundi studijs discedamus, & vni Christo consecrati, fidei puritatem teneamus constanter, vt & huius seculi calamitates subterfugere, & regni cœlestis hæreditate olim frui possimus, in Christo Iesu Domino nostro: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Consolationem piorum interserit.

Isa. 1. & 10. Ioel. 2. &c.

Electio gratuita.

Electi in medijs tribulationibus seruantur. 2. Pet. 2. Ioan. 10.

Exod. 8. 9. 10. 12. &c.

1. Corinth. 10. 2. Cor. 1.

HOMILIA CX.

Et tunc si quis uobis dixerit: Ecce hic Christus, ecce illic: ne credatis. Surgent enim pseudochristi & pseudoprophetæ, & edent signa ac prodigia ad seducendum, si fieri posit, etiam electos. Vos autem cauete: ecce, prædixi uobis omnia.

Dominus

Dominus & saluator noster Iesus Christus de vrbis & templi excidio ita disserit, vt simul discipulos diligenter admoneat, quid illis eo tempore facto sit opus, ne etiam ipsi cum impio Iudæorum populo salutis iacturam faciant. Et multa quidem huc vsque de publicis totius gentis calamitatibus dixit, de persecutionibus item, quibus ipsos Apostolos & reliquos credentes exerceri oporteat. At quoniam in turbis eiusmodi periculum maximum grauissimumq́ ex impostoribus imminet, & satan istam occasionem attentè obseruat, et terroribus vndiq́ circumuentos vanis pollicitationibus à Deo abducat: redit modò ad primum huius tractationis caput, & diligentius de vitandis seductoribus admonet. Nobis verò in his omnibus ita versandum est, vt (quod sæpe diximus) subinde cogitemus, hæc omnia propter typum ad nos quoque pertinere, qui in nouissima tempora incidimus, quorum turbulenti motus & pericula per Iudaicæ gentis excidia adumbrata fuerunt. Videamus ergo, qui nam illi impostores sint, & num hodie illorum similes inueniri possint, qui à pijs caueri debeant. — *Argumentum & usus præsentis loci.*

Admonitionem paucis verbis cõprehensam præmittit. Tunc si quis vobis dixerit: Ecce hîc Christus, ecce illic: ne credatis. Sensus est, non habendam esse fidẽ ijs, qui Saluatores nouos & nouas salutis rationes hinc inde sint monstraturi. Et mox causam subijcit: Surgent enim pseudochristi & pseudoprophetæ, & edent signa ac prodigia ad seducendum, si fieri possit, etiam electos. Clarius tamen hæc apud Matthæum exprimuntur, vbi illos Christum in deserto & penetralibus seu locis probè conclusis monstraturos ait. Vbi primò consyderandum venit, qui nam falsi illi Christi & falsi prophetæ sint. Quod illicò patebit, si quis verus Christus & verus propheta sit, intelligamus. Scimus autem olim Christos vel Vnctos dictos fuisse Reges & Sacerdotes: eò quòd ex Dei instituto vnctione publica & solenni initiarentur, qua spiritus sancti dona adumbrabat, quibus illos cumprimis instructos esse oportet. Ex eo more promissus ille humani generis Saluator nomen accepit, vt Hebræis Messias, Græcis verò Christus dictus sit: eò quòd illum Deus ab æterno ecclesiæ suæ Regem & Sacerdotem constituit, & eundem quoad humanam naturam vnxit oleo lætitiæ præ consortibus suis, quando spiritus sanctus visibili specie super illum descendit, & mansit, sicuti Ioannes testatur. Christus ergo verus est vnicus ille Dei filius, qui cùm patri ab æterno coæqualis esset, præfinito tempore ex Maria virgine homo factus, omnia ea præstitit, quæ Regis & Sacerdotis sunt officia. Primò enim vt Sacerdotem verum ageret, Dei patris voluntatẽ perfectè docuit, adhæc semetipsum in ara crucis pro totius mundi peccatis hostiam sufficientem immolauit, & in cœlum subuectus pro nobis intercedit, vt per ipsum nobis ad thronum gratiæ accessus pateat. Deinde ne Regis officio deesset, populũ suũ, quem illi pater dederat, ex diaboli potestate asseruit, illum foras eiecit, suos verò legibus vitæ æternæ instruxit, et eosdem omni benedictione spirituali ditatos aduersus omnem hostilem potentiam perpetuò protegit atq́ tuetur. Et quia hæc omnia in vno Christo habentur, Apostoli in hoc vno omnẽ salutem contineri docent, nec vllum aliud nomen sub cœlo hominibus datum esse testantur, in quo salutẽ consequi liceat. Vt verò vnus hic Christus siue Saluator est verus, ita veri etiã prophetæ sunt, qui unum hunc docent, ad vnum hunc suos auditores remittunt, & in vno hoc monstrant quæcunq́ hominibus ad salutem sunt necessaria. E contra falsi Christi sunt, qui Dei filio debitum honorem sacrilego ausu sibijpsis vendicant, dum sese populi Dei redemptores, sacerdotes & reges, adeoq́ ecclesiæ caput constituunt. Falsi autẽ prophetæ sunt, qui tales cõmendant, & salutem apud illos quærere docent. Quoad verò Iudæos, ante vrbis excidium falsos Christos exortos fuisse, nuper ex Iosepho ostendimus. Erant enim qui omnium animis Messiæ promissi (quem illi regem terrenum somniabant) expectatione suspensis, vulgi simplicitate turpiter abutebantur, seq́ à Deo missos populi liberatores esse venditabant. Cùm verò ijdem plerunq́ metu Romanorũ præsidũ in desertis laterent, vel in locis munitioribus sese clanculum continerent, suos interim habebant emissarios, qui magnificis promissis populum ad illos educebant, quasi Messiam inuenturi essent, cuius opera & auxilio ex Romanorum tyrannide liberarentur. Et cùm plerosq́ illorũ Magos fuisse tradat Iosephus, nõ dubiũ est, quin miraculis et prodigijs sibi fidem fecerint apud rude vulgus, quod plerunq́ vero & sano de rebus iudicio destituitur. Illorum certè dolis multos perijsse constat, vt non temerè Christus illos cauendos esse monuerit. — *De falsis Christis & pseudoprophetis admonet.* — *Christus uerus.* — *Psalm. 45.* — *Ioan. 1.* — *Ioan. 15.* — *Rom. 8.* — *Hebr. 4.* — *Matth. 12.* — *Ioan. 12.* — *Ephes. 1.* — *Isaiæ 49.* — *Acto. 4.* — *Falsi Christi.* — *Homil. 107.*

Cæterum vt Iudaicæ gentis dissipationẽ & miserabile vrbis excidiũ pseudochristi & pseudoprophetæ præcesserunt: Ita ijdem illi, quid nouissimis temporibus futurum esset, adumbrauerunt, & ex — *Pseudochristi & Pseudopro-*

phetæ nouißimi seculi. 2.Thess.2.

Apostolorum interpretatione patet, hunc locũ de illis etiã exponi debere, qui iam seculis aliquot Christianum orbem suis imposturis turbauerunt. Paulus certè, priusquàm magnus ille dies Domini ueniat, non modò vulgares impostores, sed Antichristum ipsum in ecclesia oriturũ dicit, qui diuinos honores sibi vendicet, & cuius aduentus sit secundùm operationem satanæ, cum omni potentia, & signis & prodigijs mendacibus, & cum omni deceptione iniustitiæ. Quin illum iam tunc, quando illa scribebat Apostolus, mysteriũ iniquitatatis operari querebatur: nimirũ quòd satan viuentibus adhuc Apostolis sectas & hæreses excitare cœpit, quales Nazaræorum, Cerinthiorum, Ebionitarum & Nicolaitarum fuerunt, per quos Antichristo illi magno viam sterneret. Secuta est Episcoporum ambitio, qui de primatu contenderunt, quem tandem Bonifacius III. à Phoca Imperatore obtinuit. Inter contentiones verò istas simulachra in ecclesiam inuecta sunt, & auctus quotidie ceremoniarũ numerus, sub quibus veræ pietatis studium indies magis elanguit: maximè postquàm Carolus Magnus zelo quidem bono, sed parum consyderato, ecclesias maximis diuitijs auxit, & Romarorum Pontificum potentiam sua authoritate stabiliuit, à quibus ipse Occidentis Imperium acceperat. Tunc enim quod prouerbio dicitur, Religio peperit diuitias, & filia deuorauit matrem. Nec parum momenti ad superstitiones attulit, quòd ex illius iussu Paulus Vuarnenfridus lectiones Euangelicas, quas Postillas vocant, excerpsit, quæ Dominicis diebus in ecclesijs recitarentur, intermisso & abolito sanctißimorum patrum more, qui integros scripturæ libros prælegere & populo Christiano exponere solebant. Ea enim occasione factum est, vt scripturæ sacræ magna ex parte mutilatæ viluerint, ecclesiarũ ministri in illis minori diligentia sint versati, & multi è vulgo non alias scripturas extare putarent, quàm Dominicales illas, quas solas prælegi audiebant. Cœpit mos ille, vt historici testantur circa annũ Domini 806. Nec obscuris prodigijs Deus testatus est, ecclesijs tenebras imminere, quando illo tempore Luna vno & eodem anno ter, Sol autem semel defecit. Nam tunc quoque Diuorum cultum cœpisse constat, & non multò post crescente indies ceremoniarum numero & Episcoporum ambitione, sub annũ 844. de reali & corporali Iesu Christi in Sacramento altaris præsentia & transubstantiatione disputari cœptum est, sicuti ex Bertrami libris, ex Caroli Calui mandato ea de re scriptis, colligere licet. Sedebat tunc in Romana sede Sergius II. qui cùm antea Os porci diceretur, primus inter Pontifices nomẽ mutauit: quo omine nimirũ Deus testabatur, iam in foribus esse tẽpus illud fatale, quo aper è saltu (ut Psaltes ait) Calidonio illo multùm ferocior vineã ipsius vastaturus esset, & defectionis author futurus ijs, qui in baptismo vni Christo nomẽ dedissent. Vt primùm enim ista opinio obtinuit, ipse Christus, verus Dei & Mariæ virginis filius, diuersis in locis monstrari, quæri & adorari cœpit. Nam non modò inter media sacra Christus corporaliter adesse creditus est, sed Honorius III. sub annum Christi nati 1225. panem mysticum in loca certa recondi, & illic religiose asseruari, adeoq́; coli & adorari præcepit: cuius decretũ lib.3. Decretaliũ de celebratione Missarum tale habetur: Ne propter incuriam sacerdotũ diuina indignatio grauius exardescat, districtè præcipiendo mandamus, quatenus à sacerdotibus Eucharistia in loco singulari, mundo & signato, semper honorificè collocata deuotè & fideliter conseruetur. Sacerdos verò frequenter doceat plebem suam, vt cùm in celebratione Missarum eleuatur hostia salutarũ, se reuerenter inclinent, idem faciens cùm eam defert presbyter ad infirmum. Quid verò ista mandari opus erat, si iam olim Apostolica authoritate & veteris ecclesiæ vsu fuissent confirmata? Hîc ergo nouus Christus excogitatus est, qui non ex Dauidis semine per spiritus sancti operationem homo factus, sed verborum virtute ex panis & vini substantia enatus, pro peccatis hominum in altari immolaretur. Eidem postea festũ proprium, quod Corporis Christi vocant, Vrbanus IIII. instituit, anno Domini 1264. Ab eo tempore omnia ea in orbe Christiano facta sunt, et hodie adhuc fiunt, quæ futura Christus prædixit. Ipse enim qui verus Deus & homo est, realiter & corporaliter monstratur in altaris sacramento, & paßim audiuntur voces illæ: Ecce hîc Christus: Ecce in hoc ciborio vel ædicula, ecce in isto tabernaculo, ecce in ista theca Christus Deus & homo continetur. Ecce in vel sub hoc pane verum Christi corpus substantialiter offertur, atq; percipitur. Nec illud modò, verumetiam quæcunq; Dei filius sua mortis merito nobis acquisiuit, & apud illum solum quæri debent, diuersis locis astringi, & hinc inde monstrari solent: qualia sunt, Remißio peccatorum, gratia Dei, salus & vita æterna. Notæ enim sunt templorum & altarium inscriptiones, quæ illic plenariam peccatorum remißionem inueniri testantur.

Apocal.2.

Postillæ.

Psalm.80.

Ciboria sacra pro Eucharistiæ conseruatione.

Festũ corporis Christi.

tur. Notæ sunt imaginum fictitiæ laudes, quæ eo nomine commendantur, quòd ad se venientibus Dei gratiam & peccatorum remißionem conferant. Taceo Romanorum Pontificum Bullas & indulgentias, quæ hoc ipsum magna impudentia pollicentur, quod nemo præter Christum præstare potest. Monstratur ergo Christus in deserto, monstratur in penetralibus, monstratur sub panis & vini speciebus. Monstratur illius meritũ apud aras, sacella, imagines: monstratur item in monachorũ cœnobijs, monstratur in vili membrana & plumbo, monstratur in cucullis, in aquæ benedictæ aspersionibus, deniq; in nolarum vel campanarum sono, quem non minimam cultus diuini partem homines superstitiosi constituunt, & eodem animas à corporibus digressas non parum adiuuari docent.

Quibus verò argumentis ista probant atq; tuentur? Solent quidem Apostolorum authoritatem & exempla iactare, & interdum scripturis malè detortis abuti: sed præcipua illis spes in miraculis & prodigijs sita est, quæ vel olim edita fuisse apud rude vulgus prædicant, vel noua & recentia confingunt. Facit huc vniuersum illud transubstantiationis negotium, quod modo ineffabili & miraculoso confieri, & iam olim miraculis infinitis comprobatum esse fabulantur, cùm alibi hostiæ consecratæ sanguinem sudarint, alibi in illis infantis imago repente visa sit, alibi ex incendio intactæ euaserint. Versantur item in omnium ore miracula imaginum siue simulachrorum, quorum alia locuta esse, alia ambulauisse, alia fleuisse, alia ad se confugientibus aut etiam vota nuncupantibus opem tulisse dicuntur. Et vt vetera omittamus, recens est adhuc furoris illius memoria, quò homines repentè correpti ad Mariam Ratisponensem, quam Speciosam dixêre, concurrerunt. Poterent istis adnumerari Monachorum fraudes, qui mirificis præstigijs & incantationibus simplices & incautos deluserunt. Nec negari potest, eam fuisse multis in locis miraculorum authoritatem & verisimilitudinẽ, vt cordati quoq; & religiosi homines non leuem dubitandi occasionẽ inde acceperint: & hodie etiam multorum fides tentatur, dum ista vel ipsi coràm vident, vel ab alijs prædicari audiũt. Sed hoc illud est quod in præsenti Christus dicit, Orituros pseudochristos & pseudoprophetas, qui signa & prodigia edant, quibus electi quoq; si fieri poßit, seducantur.

Miracula pseudochristorum.

At quærat aliquis, Cur ista fieri patiatur Deus? Vbi facilis est responsio: Iusto nimirum Dei iudicio fieri, siue reprobos spectes, siue pios & electos. Quoad enim illos, æquum est, vt eiusmodi præstigijs ludificentur, qui oblatã verbi Dei doctrinam ingrati reijciunt. Et in Iudæis hoc manifestius est, quàm vt multis demonstrari oporteat. Nam venerat ad illos Dei filius, salutis rationem purè tradiderat, doctrinam miraculis ueris & salutaribus confirmarat, quæ simul ipsum Meßiã & verum humani generis redemptorem esse testabantur. At non mouerunt hæc omnia infelices homines, quorum corda auaritia & ambitio indurauerat: qui non contenti veritatis doctrinã spreuisse, insuper illum in crucem suffixerunt, & mox Apostolos quoq; crudeliter persecuti sunt. Quis ergo dignos fuisse negauerit, qui impostoribus præda fierent, et magicis præstigijs deciperentur? Eandem esse hominum nouißimi seculi conditionem, Paulus testatur. Cùm enim de Antichristo (vt supra diximus) verba fecisset, mox illum in eos modò grassaturum ait, qui veritatis dilectionẽ non recipiunt, vt salui fiant. Ideò (inquit) mittet illis Deus efficaciam erroris, id est, errorẽ siue illusionem efficacißimam, vt credant mendacio, vt omnes iudicentur, qui non crediderunt veritati, sed approbauerunt iniustitiã. Et eòdem facit, quod idem Apostolus de hominibus nouißimi seculi alibi vaticinatur, qui veritatis doctrinã non admissuri sint, sed ipsi sibi doctores coaceruaturi, qui prauis cupiditatibus ipsorũ consentanea loquantur. Atqui tales hodie paßim regnant, qui & veritatis lucem hostiliter insectantur, & manifestos errores publicè propugnant, proq; stabilienda Pontificum tyrannide in fratres suos ferro & igne grassantur. Nullam ergo illis iniuriam facit Deus, quando eas ita decipi & excæcari patitur, vt veritatis lucem nec videre nec palpare poßint. Quoad pios autem, illos quoq; signis eiusmodi exerceri prodest, vt fides illorum probata fiat: Qua de re Deus per Mosen Israelitas olim admonuit, dicens: Si surrexerit in medio tui propheta, aut qui somnium somniet, dederitq; tibi aut signum aut portentum, eueneritq; signum aut portentum, quod prædixit tibi, dixerit autem, Eamus post deos alios, quos non nouisti, & seruiemus eis: non audies verba prophetæ illius aut somniatoris, quia tentat vos Dominus Deus vester, num ametis Dominum Deum vestrum ex toto corde vestro, &c. Et hæc quidem ipsa illis quoq; opponimus, qui miracula hodie allegant in ijs defendendis, quæ Dei verbo palàm aduersantur. Vera enim miracula ea modò censeri debent, quæ veritatem sacris literis compre-

Cur ista fieri patiatur Deus.

2. Theß. 2.

2. Timoth. 4.

Deut. 13.

hensam suo testimonio stabiliunt. Quòd si quæ hanc oppugnant, ea fidem nullam merentur, sed ijs adnumerari debent, de quibus in præsenti agitur. Cur enim miraculis nullo Dei verbo nitentibus credatur, quando ne angelo quidē credendū esse Apostolus monet, si Euangelium aliud prædicet? (Galat.1.) Quin potius fidem nostram ideò tentari cogitemus, vt alijs exemplo sit, & nos illius constantia seruemur.

Electorum salus certa. At hic multæ consolationis plenum est, quòd etsi miraculorum eiusmodi magnam efficaciam fore Christus testetur, à periculo tamen electos eximit, qui illis superari & seduci nequeant. Etsi enim interdum dubitent atq; vacillent, manet tamen in illis semen filiorum Dei, & spiritus arrhabo, cuius suggestione & potenti Dei manu in viam reducuntur. (1.Ioan.3. 2.Cor.1.5.&c. 2.Timoth.2. Ioan.10.) Nouit etiam Deus qui sui sunt, nec oues suas Christus sibi eripi patitur. Plurimum verò facit ad salutis nostræ certam & infallibilem fiduciam, quòd illam non in nostro arbitrio ad omne malum procliui, nec in nostris viribus, sed in mera Dei gratia consistere audimus, qui nos ab æterno elegit, & cuius electio & vocatio perpetuò rata est, eò quòd illum eius pœnitere nequit. (Ephes.1.) Vide Rom.11.& 8.

Ne credatis. Sed tempus est videre, quid fieri velit Christus, quando impostores eiusmodi oriuntur. Primùm, ne illis credamus, monet. Quasi dicat: Dicant illi quodcunq; volent, & signis quoq; stupendis sua dicta confirment, vos tamen illis non debetis credere, nec vos illis præbere circumducendos. At quod in præsenti causa monet, ad omnia alia transferri debet, quæ in salutis & fidei negotio Dei verbo aduersa & contraria traduntur. Docet illud vnum Deum inuocare, vni illi confidere, in Christo quærere iustitiam & salutem, qui nobis mediator & aduocatus à patre datus sit. Ista ergo firmiter teneamus, nec vlla eorum authoritate moueamur, qui contrarium docent. Christo enim clamante, Ne credatis: corruit vniuersa patrum, Pontificum & Conciliorum aliud iubentium authoritas. Deinde apud Matthæum addit: Ne exeatis, nimirum post illos, qui Christum & salutem in deserto monstrant. (Ne exeatis.) Et quidem quoad Iudæos, non debuerunt illi eos audire, qui ipsis nouos Saluatores pollicebantur. Nobis verò idem præcipitur, ne ab ecclesia, quæ vnum Christum agnoscit, exeamus post eos, qui nouos mediatores & nouas salutis rationes excogitant. Cur enim à Christo & ecclesia eius discedamus, quando in hac vna per illum salus obtingit? At breui hoc præcepto euertitur vniuersa superstitio eorum, qui pro corporum & animarū salute peregrinationes religiosas instituunt, quasi Dei gratia locis certis alligata, & non vbiq; præsens sit illū ex fide inuocantibus. Vult enim Christus, ut ipso vno contenti simus, qui iam non in terris hisce corporaliter, sed spiritu suo & meriti gratia nobis præsens est, nec suos vspiam sua ope & protectione destituit. (1.Timoth.2. Ioan.4. Matth.28.) Et istis conclusionem subijcit grauem admodum, dicens: Vos ergo cauete, ecce prædixi vobis. Ita verò securos excitat, ne quis electionis fiducia abutatur: simulq; excusationem omnem illis adimit, qui seducuntur. Quid enim prætexent, qui eos secuti sunt, à quibus cauere Christus tam grauiter præcepit? In horum consyderatione diligenter hodie versemur, nec illorū rationibus moueamur, quibus leuiculū videtur à fidei & religionis regula, per Christū nobis tradita, deflectere post eos, qui Christi nomē vel honorē in sese transferunt. Agitur enim hic de animarum salute, cuius iactura nullis opibus reparari potest. (Matth.16.) Continetur autē hæc in vno Christo Iesu, qui nobis à Deo patre iustitia & satisfactio & sanctificatio factus est. (1.Corinth.1.) Quem qui aspernantur, ij & æterna vita excidunt, & in præsenti hac Antichristi artibus in omne genus periculorum abducuntur: cuius rei exempla in historijs passim sunt obuia. Reuelauit autem filium suum nobis benignus Deus. Agnoscamus ergo beneficium ipsius & omissis omnibus quæ vel mundus vel huius princeps obijcit, vni illi adhæreamus, & inter pericula fidem in illum teneamus inconcussam, eandemq; assiduo innocentiæ & charitatis studio testemur. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CXI.

Cæterùm in diebus illis post afflictionem istam Sol obscurabitur, & luna nō dabit splendorē suū: & stellæ cœli excident, & potestates quæ in cœlis sunt, concutientur. Et tunc uidebunt filiū hominis uenientem in nubibus cū potestate multa & gloria. Et tunc mittet angelos suos, & coget electos suos à quatuor uentis, ab extremo terræ usque ad extremum

mum cœli. A ficu uerò discite parabolam: Quum ramus eius tener fit, & germinat folia, nostis quòd propè sit æstas. Ita & uos, cùm hæc fieri uideritis, agnoscite quòd prope sit in foribus. Amen dico uobis, nequaquam præteribit ætas hæc, usque dum omnia hæc facta fuerint. Cœlum & terra præteribunt, sermones autem mei nequaquam præteribunt.

Postquàm Dominus noster Iesus Christus de vrbis excidio disseruit, & discipulos de omnibus pijs admonuit, quæ ipsos inter turbas & pericula illius temporis facere conueniat: transit modò ad alteram huius tractationis partem, & de huius mundi consummatione, deq; suo ad iudicium aduentu loquitur. Ordo tractationis hic est. Primò signa commemorat, quæ nouissimam diem proximè sint præcessura. Deinde aduentum suum describit, & quæ tunc hominum conditio futura sit, docet. Tertiò argumentis aliquot hoc suum vaticinium confirmat. Seruit autem locus hic institutioni simul & consolationi, & proinde multa consyderatione dignus est. Excitat enim securos, ne mundi transituri studijs inutilibus & noxijs immergamur. Adhæc scandalo medetur, quod ex piorum afflictionibus & lætis impiorum successibus oritur: cùm ostendit, fore olim tempus, quo illi quidem digna laborum suorum præmia recepturi, hi verò sceleribus ipsorum dignas pœnas daturi sint. *Argumentum & usus præsentis loci.*

Quoad primum, sic ait: In diebus illis post afflictionem istam Sol obscurabitur, & Luna non dabit splendorem suum, & stellæ cœli excident, ac potestates, quæ in cœlis sunt, commouebuntur. Tempus ante omnia denotat, illud nimirum, quando afflictionibus quas hactenus exposuit, pij iam defuncti sint: & tunc euentura dicit, quæ & horribile Dei iudicium mundo imminere testentur, & in gloria venturi sint indicia. Admonet ergo temporis circumstantia, ne vel afflictionibus offendantur, vel triumphos ante victoriam somnient. Verbis verò vtitur, quæ apud prophetas in iudiciorum Dei descriptionibus ferè vsurpantur. Nec tamen eclipses Solis & lunæ intelligit, quales ex ordine cœli & syderum motu frequenter oriri solent: sed extraordinarias, quæ totius huius mundi machinæ interitum instare doceant, & hominibus impiè securis Dei iram cœlitus denuntient. Et hoc innuit, cùm potestates, quæ in cœlis sunt, concutiendas fore dicit, vt aliquid præter solitum naturæ cursum patiantur. Apud Lucam verò his duo alia etiam addit, Maris nimirum inundantis siue æstuantis fremitum, & horribilem plenamq; desperationis hominum anxietatem, quæ ex insolitis hisce terroribus scelerum conscientia conuictis sit exoritura: vt ita diris modis excrucientur, qui prius immani licentia carnis suæ desyderijs indulserunt, & pios siue credentes crudeliter persecuti sunt. Quæ autem illo tempore totius mundi facies sit futura, non opus est curiosius inquirere. Præparemur potius ad ista, & discamus quanta sit peccatorum & scelerum atrocitas. Cùm enim nouissimus Christi aduentus (vt in sequentibus patebit) pijs lætus & salutaris futurus sit, horrenda hæc & terroris plena ad solos impios pertinere constat, quos ita terreri oportet, vt Dei iram agnoscant ex ijs, quæ in omnes sensus incurrunt, quam ex verbo ipsius agnoscere noluerunt. Nec tamen nouissimo tantùm die Deo in hoc seruiet tota mundi machina, sed ab ipsa origine rerum multa acciderunt, & hodie etiam multa fiunt, quæ impijs & pœnitere nescijs omnia elementa infesta esse docent. Vt enim mundus hic totus in hominis vsum conditus est, & in singulis eius partibus diuinæ bonitatis & beneficentiæ signa pijs Dei cultoribus apparent: Ita vbi Deo sese hostiliter homines opponunt, et mandata ipsius incurabili impietate contemnunt: mox cœlum & terra, & cum his creaturæ reliquæ omnes, quasi conspiratione facta in arma ruunt, & irati Dei iudicia vel omni prodigiorum genere horribiliter portendunt, vel etiam reipsa exequuntur. Exempla in historijs passim sunt obuia, & imprimis memorabilia sunt, quæ Ægyptijs & Chananeis narrantur, contra quos elementa omnia militarunt, dum cœlum tempestatibus insolitis agros vastauit, grandine verò & pecora & homines occisi sunt, aer locustarum omnia longè lateq; populantia agmina, fluuij & paludes ranarum fœdas cohortes produxerunt, Sol vel lucem negauit, vel solito diutius subministrauit, vt dignæ de ipsis pœnæ sumi possent. De his nos cogitare oportebat hodie, quando iræ diuinæ certissima signa passim apparent. Nam vt instabiles & incertas planè temporum anni vices, tempestates incommodas, maris & fluuiorum inundationes, terræmotus, monstrificos partus, & infinita alia omittamus, quod obsecro seculum fuit, quo tam multi tamq; diri Cometes in cœlo arserint, quot intra annos triginta vidimus. Nec tamen Cometæ tan-

Signa, quæ diē nouißimū proximè præcessura sunt.

Isaiæ 13. Ezech. 32. Ioel. 2.

Lucæ 21.

Peccatorum quanta sit atrocitas.

Rom. 1. Psalm. 104. 147. &c.

Exod. 8. 9. 10. 14. &c.

Iosu. 10.

tummodò visi sunt, sed multis in locis cruces, gladij, cuspides cruentæ, armatæ cohortes, leones & multa alia terroris plena prodigia apparuerunt. Nec inanibus terriculamentis Deum nos ludere, testantur seditiones, bella & horribiles vndiq; regnorum motus, adhæc fames, pestes & inaudita prius morborum genera: prodigiosæ item multorum de rebus fidei sententiæ, falsa dogmata, sectæ & hæreses infandæ: quæ omnia hominum mentes non modò terroribus concutiunt, verumetiam salutis incertas reddunt, & in desperationem multos conijciunt. Sunt ista admodum horrenda: sed simul cogitandum erat, hæc præludia modò esse eorum, quæ nouissimo vniuersalis iudicij die euentura sunt. Salutis verò viam vnicam esse cogitemus, quam in vera ad Deum conuersione nobis scriptura monstrat, cuius author nobis verus est ipse Christus, qui olim iudex veniet, &c.

Christi ad iudicium aduentus describitur. Matth. 24.

His præmissis ad aduentus sui descriptionem Christus transit, vbi quædam ex Matthæo sarciri oportet. Illic enim ait: Tunc apparebit signum filij hominis in cælo, & tunc plangent omnes tribus terræ. Quibus verbis ad rem militarem alludit. Solent enim Imperatores & reges contra hostes bellum gesturi signa & vexilla proferre, ad quæ milites colligantur. Ad eundē modum Christus quoq; signum repente in cælo se exerturum dicit, quando iam iam ad iudicium venturus sit. Nec mihi dubium est, illum de signo aliquo peculiari & visibili loqui, quo & pios excitet, & impios perterrefaciat. Quale autem illud futurum sit, non dicit. Veterum plerique Crucem in nubibus apparituram putant, quorum sententia non absurda mihi videtur. Per hanc enim Christus aduersariam potestatem omnem deuicit, & ad crucem omnes eos vocat, qui ipsius discipuli censeri volunt. Nec temerè fit, quòd piorum afflictiones omnes crucis nomine comprehenduntur. Et quantùm humano iudicio colligi potest, nullum illo die signum esse poterit conuenientius. Crux enim & impios arguet, qui Christum persecuti sunt, iuxta illud prophetæ: Videbunt in quem pupugerunt: & piorum fidei testimonium feret, qui in Christo crucifixo spem salutis omnem collocarunt. Neminem ergo etiam hodie crux offendat, quando hæc olim victoriæ & gloriæ Christi signum futura est. Et fortaßis non ineptè huc referri potest, quòd Constantino Imperatori, qui primus ecclesiæ pacem contulit, aduersus Maxentium arma sumpturo crucis imago in cælis apparuit, cum hac inscriptione: In hoc signo vinces. Sed ad Christi verba redeamus, qui mox addit: Et tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus cum potestate multa & gloria. Habent hìc singula verba emphasim. Videbunt, inquit, omnes nimirum homines. Ergo omnibus conspicuus erit aduentus ille Christi (quod & angeli testantur) nec aliquid erit illusionis, quæ rei veritatem in dubium vocet. Quem verò videbunt? Filium hominis. Poterat nomen aliquod illustrius & gloriæ ipsius cælesti conuenientius sibi tribuere: sed filium hominis se tunc quoq; fore testatur, ne quis ipsum hominem assumptum in cælesti gloria depositurum putaret (quod hodie nonnulli sentiunt) & ut impios hostes perstringat, qui ipsum propter humanæ naturæ speciem ignobilem contemnebant. Docet enim fore, vt regem gloriæ & verum Dei filium esse videant, quem nunc ut hominem nudum & calamitosum aspernentur. Et huc facit, quòd modum sui aduentus exponit, dicens: Venientem videbunt in nubibus cum potestate multa & gloria. Nubium meminit, vt potentiam & gloriam humana vel terrena longè superiorem denotet, adeoq; talē, quam nemo subterfugere, aut viribus humanis superare queat.

Signū Christi.

Matth. 16.

Zach. 12.

Euseb. de uita Const. lib. 1.

Acto. 1.

Impiorum conditio.

Cumprimis autem obseruandum est, quæ sub nouissimum Christi aduentum futura sit hominum conditio, tum piorum scilicet tum impiorum. De vtrisq; enim ipse nō obscurè admonet. Et ad impios quidē pertinet, quod ex Matthæo adduximus: Tunc plangent omnes tribus terræ. Plangendi verbo luctum acerbum & intolerabilem exprimit, qui homines vt seipsos percutiant, & sibijpsis manus inferant, cogit. Nec aliter fieri potest, quando iudicem & seuerum scelerum vindicem visuri sunt, quem saluatorem & salutis doctorē agnoscere noluerunt. Euenit hoc impijs interdum in hoc seculo, cuius rei exemplum in Iuliano apostata habemus: & simile quid in Iudæis accidit, qui plerunq; ad nomen Iesu exhorrescunt, & morituri sæpe Christianos sibi familiares rogant, ne quam huius faciant mentionem, ac illum sibi infestum esse conqueruntur. Idem euenit ijs, qui vbi multis annis securi peccauerunt, tandem desperationis tela ignita sentiunt. At quod in hoc seculo paucis modò contingit, vt reliquis exemplo sint, hoc in nouissimo die impij omnes simul experientur, quando coram Christo iudice trement, sicuti in Sapientiæ libro multis describitur. Vide Cap. 4. & 5.

Quoad

Quoad verò pios atq; credentes, sic ait: Mittet angelos suos, et coget, siue congregabit, electos suos à quatuor vẽtis, ab extremo terræ vsq; ad extremum cœli. Videtur hoc opponere offendiculo, quod ex piorum dißipatione oritur. Quia enim in hoc mũdo ecclesia exulat, multis & varijs casibus obnoxia plerunq; dispergitur, vt vix aliqua communionis aut vnitatis species reliqua maneat. Et qui prius simul cohabitarunt, sæpe in diuersas gentes & nationes dißipari solent. Sed & in sectas diuersißimas scinditur ecclesia, quibus interdum pij quoq; inuoluuntur, vt ad tempus externæ ecclesiæ societatem deserant. Accedunt his dira supplicia, quibus tyranni fidem credentium oppugnãt: quorum alij flammis crudelibus in cineres rediguntur, alij in aquis pereunt, alij à belluis immanibus laniantur, alij suspensi in aere contabescunt, reliqui autem omnes vermibus esca fiunt, & in terram vnde desumpti fuerunt, reuertuntur. Quorum consyderatio tentationes parit graues: eò quòd carni impoßibile videtur, vt ij aliquando in vnum conueniant, qui tot modis dißipati sunt. Hic ergo ad Dei potentiam nos Christus relegat, quando se angelos suos emissurum dicit, qui electos suos omnes ex omnibus mũdi partibus colligant. Nec terram modò nominat, sed cœlum quoq;, vt ostendat, nec loci distantiam, ne mortis genus, nec quicquam aliud obstiturum, quò minus ad se congregentur, quotquot in ipsum crediderunt. Idem in Apocalypsi docet, cùm ait: Et dedit mare mortuos qui in eo erant, & mors & infernus dederunt eos qui in ipsis erant. Et consentit his ex parte, quòd Apostolus nec vita nec morte nos à dei dilectione separari dicit. Imprimis autem verbum cogendi vel congregandi obseruabis. Innuit hoc, quòd electos simul omnes in vnum conuenire oporteat, quotquot nimirum ab ipsa rerum origine vixerunt, & in posterum quoq; vsq; ad mundi consummationem victuri sunt. Colligemur ergo cũ Adamo, Abelo, Setho, Noa, Abrahamo, Isaaco, Iacobo, Mose, Samuele, Dauide, prophetis, apostolis, Maria virgine, & reliquis sanctis omnibus quorum nomina & memoriam exosculari solemus. Congregabimur autem ad Christum, in quem omnes illi respexerunt, vt cum illo ea beatitudine fruamur, quam ille nobis mortis suæ merito acquisiuit. Eius enim promißio est: Vbi ego sum, ibi erit etiam minister meus. Iterum veniam, & assumam vos ad meipsum, vt vbi ego sum et vos sitis. Item, Pater, quos dedisti mihi, volo vt vbi sum ego, & illi sint mecum, vt videant gloriam meam quam dedisti mihi, &c. Et rursum: Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum, vt edatis super mensam meã in regno meo. Quò etiam illud Pauli facit, qui de nouißimo Christi aduentu disputans, inter alia scribit: Ipse Dominus cum hortatu & voce archãgeli, ac tuba Dei descendet de cœlo, & mortui in Christo resurgent primũ, deinde nos qui viuemus, qui superstites erimus, simul cum illis rapiemur in nubibus in occursum Domini in aera, & sic semper cum Domino erimus. Erit ergo longè diuersa piorum conditio quàm impiorum. Vt enim his horribilis & plenus terroris erit Domini aduentus: ita illis felix lætusq; dies ille illucescet, vt qui ipsis omnium huius seculi malorũ finem faciet, & omni corruptione exutos animabus simul & corporibus beatos reddet. Vnde apud Lucam Dominus, cùm signa paulò ante commemorata posuisset, addit: His fieri incipientibus suspicite, & attollite capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra. Et sanè hoc pijs & credentibus propriũ scriptura tribuit, quòd Christi aduentum expectent, & illum venire expetant: eò quòd tunc se perfectè beatos fore norint. Cur enim non illum exoptent venire, cùm tota hæc mundi machina illius desyderio ingemiscat (vt Paulus monet) vt tandem corruptione, cui propter peccata hominum subiacet, liberetur? Hinc verò apparet, quantùm pius ab impio differat, & quàm fallantur, qui inter iustum & iniustum discrimen nullum esse clamant: quales olim prophetarum quoq; temporibus fuisse legimus. Etsi enim in huius vitæ curriculo ita se res habere videatur, imò impij pijs feliciores censeri queant, manifesta tamen erit vicißitudo, quando sub Christi aduentum misere trepidantibus impijs, pij læta & infallibili æternæ felicitatis spe gaudebunt. Patet etiam hinc quàm ingens sit pietatis bonũ, cùm vna hæc eum diem nobis lætum & optatum reddat, quem pleriq; hominum formidant, & quem nec opibus redimere, nec vlla vel potentia vel industria subterfugere aut auertere possunt. Felices, qui ista consyderant, & relictis caduci mundi studijs, ad Christi aduentum sese præparant. Infelices verò & omnibus modis miseri, qui vt temporarijs huius mundi commodis fruantur, diem hunc rident & scurriliter eludunt. Vide de his 2. Pet. 3. cap.

[Marginal notes: Piorũ conditio. — Hebr. 13. — Apoc. 20. — Rom. 8. — Matth. 8. — Ioan. 12. 14. 17. — Luc. 22. — 1. Thes. 4. — 1. Cor. 1. — Apoc. 22. — Rom. 8. — Malach. 3. — Psalm. 73.]

Cæterùm illis confutandis seruiunt etiam, quæ vltima huius loci parte dicuntur. Quia enim non ignorabat Christus, hæc apud plerosq; hominum vix fidem inuenire, diligenti & graui asseueratione

[Marginal note: Confirmatio uenturi iudicij.]

1. A Simili. illa confirmat, quam tribus argumentis siue membris comprehendit. Primum simile habet, quo docet aliter fieri non posse. A ficu (inquit) discite parabolam: Cùm ramus eius tener sit, & germinat folia, nostis quòd prope sit æstas: Ita & vos, cùm hæc fieri videritis, agnoscite quòd prope sit in foribus. Sensus est: Cùm post hyemem asperam arbores parturiunt, in foribus est æstas, & quò minus illa veniat, nemo potest prohibere: Ita si quæ hactenus recensui eueniant, sciatis velim, mei aduentus tempus instare, quo tota mundi facies innouabitur, & fructu pietatis diu optato fruemini. Est autem obseruatu dignissima hæc parabola: eò quòd pulchre docet, quæ nam sit, quoad pios, tum præsentis tum futuri seculi conditio. Habent enim illi in hac vita hyemem, & omnis generis calamitatibus exercentur. Vt autem hyemem æstas sequitur, cuius quasi præcursor est Vernum tempus, quo terræ facies innouatur & omnia parturiunt: Ita huius seculi tempestates nouissimus dies excipiet, qui æstatis & messis instar est, & æternæ vitæ præmia credentibus afferet: prænuncij verò & præcursores illius sunt piorum afflictiones, de quibus hucusq; Christus disseruit. Ita enim impij mensuram implent, & propter electos (vt nuper diximus) dies illi abbreuiantur, ne afflictionibus superati à fide & salute excidant. Habemus ergo in his eximiam consolationem, quæ futuræ beatitudinis spem in nobis confirmet. Vt enim omnem humanæ rationis captum superat, quòd verno tempore virescunt quæ plus quàm mortua videri poterant: Ita etsi impossibile videatur, vel mortuos resurgere, vel credentes longè lateq; dispersos aliquando ad regni cœlestis consortium colligi: nemo tamen obstabit quò minus illud fiat, quod Deus ab æterno fieri decreuit.

2. A pronunciatis. Secundò fidem suam non absq; iurisiurandi formula Christus interponit, dicens: Amen dico vobis, nequaquam præteribit ætas hæc, vsq; dum omnia hæc facta fuerint. De quibus verbis variæ sunt interpretum sententiæ, dum alij vniuersum genus humanum non interiturum dicunt, donec Christus adueniat, qui aliquos superstites reperturus sit, vt nuper ex Paulo annotauimus: alij verò de ecclesia interpretantur, quæ & ipsa durabit vsq; ad seculi huius consummationem: Vtrunq; piè & verè dicitur: sed minus Christi verba torquebimus, si membrum hoc ad ea restringas, quæ de vrbis excidio dixit. Illud enim post annos triginta octo factum fuisse constat, viuentibus adhuc multis, qui Christum viderant, & inter illos superstite adhuc Ioanne Apostolo, cum quo ille in præsenti disseruit. Sensus ergo est, quòd intra paucos annos in vrbis excidio experimentum & specimen eorum visuri sint, quæ in totius mundi consummatione fieri oporteat. Et Christi instituto hic sensus probè conuenit, quem propter typum ab vrbis excidio ad disputationem de nouissimo die delapsum fuisse, non semel diximus. Ita verò admonemur, particularia Dei iudicia sic à nobis consyderari debere, vt quid olim toti mundo euenturum sit cogitemus, & proinde terrenis studijs minus simus intenti.

3. A cōparatis. Tertiò comparatione vtitur: Cœlum & terra præteribunt, sermones autem mei nequaquam præteribunt. Nominat duas mundi partes, quæ reliquis firmiores & stabiliores videntur, eò quòd mutationibus minus sint obnoxiæ: At sui verbi veritatem his stabiliorem & firmiorem esse testatur. Constat enim ex scripturis, cessaturam olim esse totius mundi faciem, adeoq; collapsuram omnem hanc

Psalm.102. cœli terræq; machinam. In Psalmis equidem scribitur: Tu Deus primùm terræ fundamenta iecisti, & cœli sunt opus manuum tuarum: hæc autem interibunt, & vniuersa vt vestis veterascent, teq; im

2.Pet.3. mutante illa immutantur. Et notum est illud Petri: Veniet dies Domini sicuti fur in nocte, qua cœli procellæ in morem transibunt, elementa verò æstuantia soluētur, terraq; & quæ in ea sunt opera exurentur. At licet hæc omnia intereant, Domini tamen verba adeò non intercident, vt potius tunc suam executionem habitura sint, quæ in illo de regno suo cælesti, deq; piorum præmijs & impiorum pœnis continentur. Voluit autem de verbi sui veritate infallibili & æterna nos hoc loco admonere Christus, vt non terreamur etsi inter nouissimi seculi turbas cœlum terræ misceri videatur, nec aliqua vspiam salutis spes appareat. Tunc enim in mentem reuocari debent, quæ idem olim per Isaiam

Isaiæ 51. prædixit: Attollite oculos vestros in cœlum, & terram subtus inspicite: quoniam cœli vt fumus deficient, & terra vt vestis veterascet, & habitatores eius ad eundem modum peribunt: Salus autem

Isa.54. mea in æternum durabit, & iustitia mea non interibit. Et rursum: Equidem montes mouebuntur, & colles nutabūt: at bonitas mea à te non amouebitur, & fœdus pacis meæ non nutabit, &c. Vt ergo Christus comparatione hac sui vaticinij veritatem asserit, ita nobis eadem consolationem afferre de-

1.Corinth.7. bet, ne de promissa salute dubitemus. Simul verò officij quoq; admonet, vt relictis mundi huius transituri

securi studijs, ad æterna vitæ brauium aspiremus, quod in se credentibus præparauit Deus pater per filium suum vnigenitum Iesum Christum, Dominum nostrum: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CXII.

Cæterùm de die illo ac hora nemo scit, ne angeli quidem qui in cœlo sunt, nec ipse Filius, nisi solus pater. Cauete, uigilate & orate: nescitis enim quando tempus sit.

PErquam memorabilis & plena consolationis est Christi Iesu sententia, quam de æterno patris decreto & suæ incarnationis mysterio apud Nicodemum pronunciauit: Non misit Deus filiũ suum in mundum, ut iudicet mundum, sed vt seruetur mundus per eum. Et hoc quidem ex multis argumentis patet, cumprimis autem ex præsenti tractatione, qua omnia ea fideliter tradit, quæ de nouissimi seculi conditione deq; suo ad iudicium aduentu nobis cognitu necessaria sunt. Et quia idem innatam nobis humani ingenij corruptionem perspectam habet, qua fit, vt vel nimia curiositate abrepti circa quæstiones inutiles occupemur, vel socordes & securi salutem nostram negligamus: in præsenti istis quoq; vitijs mederi incipit, & postremò tractationem hanc exhortatione grauissima concludit, qua docet quid à nobis in hac causa vel omitti & caueri, vel fieri debeat. Argumentum & usus præsentis loci. Ioan. 3.

Et primò quidem curiositati medetur: nec id immerito. Est enim hoc hominibus innatum, vt de futuris libenter inquirant, ea verò negligant, quæ in præsenti ipsis facto opus sunt. Quæ causa est, vt ad artes illicitas conuersi diabolo sese illudendos & circumducendos propinent. Ita Saul cùm Deum sibi iratum esse videret, & à Philisteis vndiq; premeretur, non de Deo placãdo cogitabat, sed quis rei euentus foret scire cupiens Pythonissam consulebat, quæ illi maioris desperationis & horribilis interitus causa fuit. Et hodie simili dementia excæcati complures ex astris quid vnoquoq; anno futurum sit exquirunt, & impudenti temeritate de bellis aut pace, de morbis hominum & pecorum, de telluris prouentu, imò etiam de religionis progressu, adeoq; de singulorum regnorum mutationibus vaticinantur: immemores interim eorum quæ de omnibus istis Deus in lege & prophetis promisit & minatus est, si vel præcepta ipsius obseruemus, vel eadem impiè contemnamus. Attamen in hoc potissimùm articulo, qui de mundi consummatione agit, hominum audacia & curiositas sese prodit: quam Apostolorum temporibus cœpisse ex ijs apparet, quæ Paulus ad Thessalonicenses scripsit, quos monet, ne ijs credant, qui gloriosum Christi aduentum iam tum in foribus esse docebant. Et vidimus nostro seculo homines non vulgares nec indoctos, qui scriptis etiam & concionibus publicis hoc negotium nimis insolenter tractarunt. Nec dubium est hoc studij genere diabolum non vulgariter delectari, & pro sua astutia audaculis ista argumenta suggerere, vt superuacaneis & illicitis studijs intentos facilius circumueniat, & ipsorum simul opera alios quoq; in errorem abducat. Rectè ergò Christus iam humani ingenij temeritatem coercet, & ne nostræ curiositati frena laxemus, spem omnem nobis negat, dicens: Cæterùm de die illa ac hora nemo scit, ne angeli quidem, qui in cœlo sunt, nec ipse Filius, nisi solus pater. Curiositatem nouissimi diei inquisitionem prohibet. 1. Sam. 28. Leuit. 26. Deute. 28. 2. Thess. 2.

At dum se quoq; communi huic ignorantiæ subijcit, nihil suæ diuinitati & omniscientiæ derogat, sed pro hominis assumpti conditione loquitur. Scimus enim in Christo duas naturas agnosci debere: Diuinam nimirum, qua patri coæternus & consubstantialis est: & Humanam, quam præfinito tempore ex Maria virgine assumpsit. Quoad diuinam verò nihil illum latere potest, & iuxta hanc hominum cogitationes quoq; non semel arguit, vt Euangelica historia testatur. Quoad humanam verò, qua nostris peccatis expiandis seruire debuit, ijs quoq; infirmitatibus subiacet, quæ ex peccato in nobis obortæ sunt. Iuxta hanc ergo sitit & esurit, pauper & egens non habet quò caput reclinet, fatigatur, dolet et contristatur ad mortem, lachrymas fundit, & multa ignorat: qui iuxta diuinitatem creaturas omnes pascit, omnibus imperat, & extra omnem infirmitatem atq; corruptionem positus nihil etiam ignorat. Huc facit, quòd Lucas puerum Iesum vt ætate ita etiam sapientia profecisse scribit, qui tamen quoad diuinitatem ipsa est Sapientia. Et probè obseruanda est ista naturarum distinctio, quæ per Idiomatum communicationem multos scripturæ lo- Quomodo filius diem nouissimã ignorare dicatur. Ioan. 2. Matth. 9. &c. Ioan. 19. Matth. 8. 26. Ioan. 11. Luc. 19. Lucæ 2.

cos rectè intelligere docet, quos si iuxta literam accipias & pertinaciter vrgeas, veteres hæreses reuocabis, & vel diuinitatem Christi vel humanitatem ipsius in dubium adduces. Et hodie in re Sacramentaria & ascensionis Christi articulo hoc multis imponit, quòd inter Christi naturas non rectè distinguunt, nosq́ Dei omnipotentiam negare clamat, dum vtriusq́ naturæ veritatem asserimus, iuxta illud Augustini, dicentis: Cauendum est, ne ita diuinitatem astruamus hominis, vt veritatem corporis auferamus. Sed de his plura alibi commodius dicentur. Quoad verò huius loci tractationem, Christus aduentus sui diem & horam, non ab angelis modò, verumetiam à seipso (quatenus homo est) ignorari dicit, ne ipsi eam ignorantiam molestius feramus, quæ nobis cum angelis & Christo capite nostro communis est. Nec enim indigna modò sed detestabilis quoq́ foret audacia, si quis plus quàm angeli, imò plus quàm Christus ipse sapere velit, qui nobis à patre sapientia factus est. Cur verò tempus hoc ita celatum voluerit Deus, postea dicetur. Nunc nobis ex hoc loco generalis doctrina petenda est, nullis alijs medijs ea inquiri debere, imò ne ab angelis quidem discenda esse, quæ Dei verbo non sunt expressa. Nec enim angelos nobis doctores dedit Deus, sed verbi sui ministerium instituit, verbumq́ scripturis complexus est, quas diuinitus inspiratas esse Apostolus ait, & vtiles ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem quæ est in iustitia, vt integer sit dei homo, ad omne opus bonum apparatus. Quod autem de angelis dicimus, hoc ipsum de defunctorum spiritibus intelligi debere ex epulonis & Lazari historia patet. Illi enim roganti, vt aliquis ex defunctis ad fratres ipsius monitor mitteretur, respondet Abraham: Habent Mosem & prophetas, audiant illos. Et sanè quid opus est extra scripturas ea quærere quæ ad salutem nostram faciunt, quando Paulus ne angelo quidem credendum esse docet, qui aliud Euangelium prædicauerit? Discamus potius hanc hominis sapientiam esse summam, vt Dei verbo se suosq́ affectus subijciat, & ingenij sui audaciam intra huius cancellos concludat.

1. Cor. 1.
Non inquirenda alibi, quæ Dei uerbo non docentur.
2. Tim. 3.
Galat. 1.
Luc. 16.

Cæterùm ad Christi verba redeamus, qui alteri adhuc vitio occurrit, quo in contrariam partem peccatur: Socordiæ nimirum & securitati, quæ homines suæ ipsius salutis negligentes & admonitionum contemptores reddit. Exhortatione verò vtitur, breui quidem, sed admodum graui & vehementi, quæ tribus verbis comprehendit, quæcunq́ homini in hac causa factu sunt necessaria. Primum est: Cauete: Quod ad omnia potest referri, quæ euentura prædixit, vt sensus sit: Audistis quàm plena periculi futura sit nouissimorum temporum conditio: Cauete ergo ne socordes & securi nimis salutis vestræ iacturam faciatis. Magis tamen disertè apud Lucam agit, vbi docet à quibus pij sibi potissimùm cauere debeant. Cauete (inquit) vobis, ne quando grauentur corda vestra ebrietate & crapula, et curis huius vitæ, subitusq́ uobis ingruat dies ille. Ab illis ergo cauere iubet, quæ maximè regnatura sciebat. Alibi enim nouissimi seculi mores Noæ & Lothi temporibus confert, & Apostoli similiter homines illius ætatis non securos modò, verumetiam ad voluptates omnis generis & insatiabile ditescendi studium procliues fore scribunt. Cùm verò ab illis cauere iubeat Dominus, satis docet, peccata communi exemplo & peccantium authoritate non excusari: imò eò maiori cura & studio illis resisti debere, quò latius sese extendunt, ne & culpæ & pœnæ socij reddamur.

Securitatem & socordiam prohibet.
1. Cauete.
Lucæ 21.
Lucæ 17.
Matth. 24.
1. Thess. 5.
2. Timoth. 3. 4.
2. Pet. 3.

Est autem obseruatione dignissima Christi locutio, Ne quãdo grauentur corda vestra ebrietate, &c. Hac enim consultò vti videtur, vt ijs respondeat, qui ex gulæ & auaritiæ studio nullum periculum animæ oboriri arbitrantur, cùm hæc circa fortunas modò occupetur, illa verò ad solum corpus pertineat. At Christus his corda grauari dicit, vt ad cœlestia & ea quæ æternæ salutis sunt, aspirare non possint. Nec id sine ratione dici, mox patebit, si quid ista pariant consyderemus. Nam quoad ebrietatem & gulæ studium, constat vino immodicè hausto rationem hebetari & vsum illius extingui, quæ potissima est animæ facultas. Quia enim affectibus fræna laxat, fit vt ebrij nec Dei opera obseruent (vt Isaias ait) nec admonitiones vllas admittant, sed in mores plus quàm belluinos effundantur. Ludicra siquidem res est vinum (vt Solomon inquit) & tumultuosa ebrietas: quicunq́ in hoc errat, nunquàm sapiet. Et rursus: Apud quem est væ? apud quem est dolor? apud quẽ contentiones? apud quem murmur? apud quem vulnera sine causa? apud quem rubedo oculorum? Apud eos nimirum, qui vinum sectantur: apud eos qui inquirunt vbi misceatur. Vnde mox infert ille Solomon: Noli contemplari vinum cùm rubet, & cùm phiala colorem suum reddit sese agitantem. Postremum enim eius velut serpens mordet, & velut aspis pungit. Tunc oculi tui spectabunt meretrices,

Ebrietas & auaritia cor grauant.
Isaie 5.
Prouer. 20. 23.

trices, & pectus tuum peruersa cogitabit: Erisq́, ac si dormias in medio mari, aut in summitate mali iaceas. Percusserunt me (dices) & non dolui: verberarūt me, sed non sensi, &c. Hæc (inquam) sapientissimus mortalium Solomon pronunciat, & verè ista pronunciari, ex Noæ & Lothi exemplis constat, qui cùm fide et religione insignes essent, ebrietate superati sibijpsis ignominiam perpetuam conflauerunt. At quid exemplis veteribus opus est, quando quotidie videmus ebriosos furentum instar & mente captorum omnia cæco libidinis affectu agere, nec quicquam pensi habere? Et si enim opes suas minui, rem domesticam periclitari, corporis vires deficere, morbos quotidie nouos sibi obrepere, famam ob multa indecorè dicta & facta laborare, se deniq́ sibijpsis & suis, imò communi patriæ, maximorum malorum authores esse videant & sentiant: pergunt tamen, nec vllis vel exemplis vel admonitionibus se ad frugem meliorem adduci patiuntur. Cùm ergo & animum auferat homini ebrietas (quod olim propheta dixit) & non vulgarium scelerum causa sit, multis deniq́ mortē repentinam afferat, qua absq́ peccatorum deprecatione, & diuini nominis inuocatione subitò tolluntur: quis obsecro illam in corpore modò hærere dixerit, nec vllum ex ea animabus salutis periculum imminere? Eadem verò est etiam auaritiæ ratio, & curarum huius seculi, quæ similiter corda aggrauant & saluti animarum officiunt. Primò enim à fide abstrahunt, quæ in vnum Deum collocari debebat: quo nomine Paulus idololatriam vocauit. Deinde Dei cultum impediunt, quando impossibile est, vt duobus Dominis simul seruiamus, Christo dicente: Non potestis Deo seruire & Mammonæ. Et sanè quàm securos & segnes reddat in ijs quæ ad Dei gloriam faciunt, mox experiuntur, qui illis vel minimum indulgere incipiunt. Taceo nunc tentationum laqueos, quibus eos irretiri Apostolus scribit, qui ditescere cupiunt. Nec exempla desunt, quibus docemur, publicè simul & priuatim omnia turbari, vt primùm auaritia & opum amor insanus imperium obtinent. Hæc etenim pestis leges bonas euertit, iura habet venalia, proditionibus viam sternit, sacra omnia corrumpit, fraudes & imposturas inuenit, virginum & matronarum pudicitiam expugnat, & hominū mentes ita fascinat, vt nec honesti amor, nec scelerū pudor, nec periculi metus, nec salutis propriæ innata cupiditas illos in officio continere possit. Meritò igitur Christus nos admonet, vt ab istis duobus vitijs, siue monstris potius et chimeris crudelissimis, caueamus: et nostrū fuerit admonitionē istā semper memori mēte versare, nec quid carnis libido insatiabilis suadeat consyderare, sed quid salutis nostræ ratio exigat. Quoad victū enim paucis contenta est natura nostra, & melius valent qui tēperanter viuunt, quā qui vino & delitijs addicti in edendo & bibendo modum excedunt. Opibus item ingentibus minimè opus est: quia vt nihil in mundum intulimus, ita nihil etiam efferemus, nec alius opum vsus est, quàm vt victui & amictui seruiant, quæ duo non ita magni sunt pretij, si continentiæ limites non excedas. Ad æternam verò salutem adeò nihil conferunt diuitiæ, vt ne præsentem hunc vitam in illarum abundantia consistere Christus doceat, & res ipsa testetur. Quis enim vel fratris sui charissimi vel suijpsius iam morituri vitam redimere & prolongare potest? Vel quid dabit homo pro redemptione animæ suæ, si semel illius iacturam fecerit? Caueamus ergo nobis ô fratres, & ad thesauros illos æternos aspiremus, quos in cœlis nobis Christus suæ mortis merito acquisiuit, quos nec erugo perdere, nec tinea arrodere, nec fures nobis eripere possunt, &c. Vide Matth. 6.

Gene. 9. & 19. — Hos. 4. — Ephes. 5. — Colos. 3. — Matth. 6. — 1. Timoth. 6. — 1. Tim. 6. — Iob 1. — Lucæ 12. — Psalm. 49. — Matth. 16.

Secundò nos vigilare iubet Dominus. Nec enim satis est semel cauisse diaboli insidias, sed quia & ille nunquam non instar leonis rugientis obambulat, & semel atq́ iterum sopitæ carnis illecebræ leuissima quaque occasione denuo nobis obrepunt, nunquam non in statione esse & perpetuò in excubijs stare oportet. Non autem de corporis vigilia Christus loquitur. Nam omni tempore nos vigilare iubet (vt Lucas annotauit) quod si ad corpus referas, factu impossibile est, nec plus rationis habebit, quàm si quis cibo etiam & potu in vniuersum abstinere iubeatur. Deinde corporalem exercitationem in salutis causa nihil prodesse, Paulus docet. Nihil ergo hîc de superstitiosorum hominum vigilijs aut Monachorum matutinis præcipit, sed quia vita nostra instar militiæ est, ad militares excubias alludit, & animas hoc præcepto instruit, quæ etiam ipsæ suam habent vigiliam & somnum. Vt enim somnus ex vaporibus in caput subuectis & inde in membra reliqua diffusis enatus corporis sensus omnes ligat & illorum vsum nobis aufert, quo nomine mortis imago à nonnullis, ab Homero autem non inscitè mortis frater dicitur: Ita si cogitationes malæ & quæ per has inflammantur carnis cupiditates in nobis primatum vel imperium obtineant, mox securitate deuicti, dormientium in-

2. Vigilate. — 1. Pet. 5. — 1. Timoth. 4.

ſtar, nec ea videmus quæ obſeruatu ſunt neceſſaria, nec etiam Deum monentem audimus, nec vlla in re officio fungimur, cui nos Dominus deſtinauit, adeoq; (quod Paulus de vidua in delitijs viuente dixit) viuentes mortui ſumus. Hunc ergo ſoporem & veternum nos ſpiritus alacritate excutere decet, vt noſtræ vocationis memores noſmetipſos perpetuò ad opus excitemus, ne vnquam nos imparatos Dominus inueniat. At quid hic facto opus ſit, ipſe Chriſtus in ſequentibus exponet: quare in præſenti paucula hæc ſufficiant.

1.Timoth.5.

3. Orate. At quia vires & facultates in nobis ſunt nullæ, et fruſtra etiã vigilabimus, niſi Dominus nos cuſtodiat, tertio loco de precibus nos admonet, in quibus ſimiliter nos frequentes & aſſiduos eſſe oportet. Quid verò potiſſimùm peti debeat orando, ſimiliter apud Lucam exprimit: Nimirũ vt liceat nobis effugere iſta omnia quæ futura ſunt, & ſtare ante filiũ hominis. Duo igitur præſcribit: Primum, vt pericula ſubterfugere liceat. At quia id non alia ratione fieri poteſt, quàm per pœnitentiam & ſeriã ad Deum conuerſionem, vt hanc ille in nobis excitet, aſſiduè rogandus erit. Sic ſponſa in Canticis clamat: Trahe me poſt te. Et Dauid cor nouum & ſpiritum principalem à Domino petebat, cuius auxilio poſſet carnis & peccatorũ illecebris reſiſtere. Alterum eſt, vt ſtare poſſimus ante filiũ hominis. Bifariam hoc dicitur in ſcripturis. Stare enim dicuntur coram heris & regibus ſuis ſerui, dũ illis miniſtrant & ſeruiunt. Sic Ioſeph corã Pharaone, et Leuitæ coram Domino ſtare dicũtur. Deinde ſtãt coram iudice, qui ad tribunalia ſiſtuntur, vt dignã factis ipſorum ſententiã audiant. Ita nos omnes coram tribunali Ieſu Chriſti ſiſtendos eſſe, dicit Apoſtolus. Vterq; ſenſus huic loco conuenit, & vterq; precibus aſſiduis flagitari debet, vt & in hac vita fideliter Chriſto ſeruire, & olim in die iudicij læta conſcientia coram illo cõparere poſſimus. Ne fruſtra de his nos admoneri patebit, ſi cogitemus, quàm multa vndiq; inſtent, quæ nos ab officio abſtrahunt, & propriæ ſalutis negligentes reddunt.

Can.1.
Pſalm.51.
Gene. 41.
Deut. 10.
Rom. 14.

Dies nouiſſimus neſcitur. Vt verò magis vrgeat Chriſtus, cauſam ad omnia quæ monuit ex æquo pertinentem ſubijcit: Neſcitis enim quando tempus ſit. Et apud Lucam: Ne ſubitus vobis ingruat dies ille: tanquam laqueus enim ſuperueniet omnibus qui ſedent ſuper faciem totius terræ. Petrus autem Apoſtolus hoc ipſum alio ſimili exprimens ait: Veniet Dies Domini ſicut fur in nocte, &c. Iſtis verò ſimul cauſam perſtringit, cur huius diei aduentum latêre Deus voluerit: Nimirum, ne vlla nobis eſſet ſocordiæ occaſio, ſed ipſa neceſſitas nos in ſtatione perpetua retineret, vt in ſequenti Sermone pluribus dicetur. In præſenti verò cogitemus, eandem eſſe mortis rationẽ, quæ nouiſſimi aduentus Chriſti eſt. Dicitur illa in ſcripturis via vniuerſæ terræ, & cõmunis moriendi lex omnibus impoſita eſt, quam nemo unquam ſubterfugere potuit. At hora mortis nihil incertius eſſe, quotidiana exempla probant. Et magno noſtro bono rem ita Deus inſtituit, ne vel inutili pauore excruciaremur, ſi mortis tempus nobis cognitum eſſet, vel ſecuri aut ſocordes pœnitentiam in futurum tempus reijciamus, qua nobis perpetuò opus eſt. Veriſſimè enim ab Eccleſiaſtico dictum eſt: Recordare finis tui, & non peccabis. Cui & illud Auguſtini conſentit: Nihil ſic reuocat homines à peccatis, quemadmodum imminentis mortis cogitatio. Qui in hac frequenter verſantur, & in Chriſti meritum ſimul reſpiciunt, ij aliquando dicere poſſunt, quod Ambroſium iam moriturum amicis flentibus dixiſſe, Poſſidonius in vita Auguſtini ſcribit: Non ſic vixi, vt me pudeat inter vos viuere: ſed nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus. Sunt hæc hodie crebro cogitanda, quando præter communia hæc, multa vndiq; pericula inſtant, quæ nos excitare debent. Horum ergo memores caueamus nobis à crapula & huius vitæ curis. Vigilemus autem aſſiduè, & ſuſpecta habeamus quæcũq; nobis mundus aut caro dictat conſilia. Oremus item aſſiduè, vt & fidem illibatam Deo ſeruare poſſimus, & olim in magno illo die in Chriſti Ieſu conſpectu conſiſtere: cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

2.Pet.3.
Ioſ.23.
1.Reg.2.

HOMILIA CXIII.

Sicut homo qui peregre agit relicta domo ſua, deditq; ſeruis ſuis poteſtatem, & cuiq; opus ſuum, & ianitori mandauit ut uigilaret. Vigilate igitur (neſcitis enim quando dominus domus ueniet, ſerò, an medio noctis, an in gallicinio, an manè) ne cùm uenerit repẽtè, inueniat uos dormientes. Quæ autem uobis dico, omnibus dico. Vigilate.

Dominus

DOminus & saluator noster Iesus Christus suũ de fine huius seculi, deq; nouissimo suo aduentu, vaticinium admonitione breui quidem, sed graui admodum conclusit: Cauete, vigilate, orate, nescitis enim quando tempus sit. Cõprehendit tribus verbis omnia, quæ in hac causa nobis obseruatu & factu necessaria suut, sicuti nuper diximus. At quia propter innatam nobis corruptionem admonitionum eiusmodi facilè obliuiscimur, quod paucis dixerat, nunc parabola illustratum proponit, vt semper nobis occurrat de his cogitandi occasio. In parabolæ autem explicatione quædam ex Matthæo et Luca sarciri oportebit, quæ Marcus pro suo more breuius perstrinxit. Partes parabolæ sunt tres. Prima, suum ex hoc mundo discessum adumbrat. Secunda, vt interea ecclesiam suam in terris administret atq; conseruet, exponit. Tertia singulos sui officij admonet. Argumentum & usus præsentis loci.

Quoad primam partem, confert se homini, qui relicta domo sua ad tempus peregrè agit. Apud Lucam nobilis homo dicitur, qui in longinquam regionem profectus sit, vt ibi regnum acciperet. Et sanè reuera generosus homo est Christus, siue eius diuinitatem, siue humanam naturam consyderes. De diuinitate enim prophetæ clamant: Exitus eius à diebus æternis est, & generationem eius quis enarrabit? Quoad verò humanam naturam, illam ex regia Dauidis stirpe assumpsit, qua nulla vnquam in orbe terrarum nobilior fuit, siue natos ex illa reges & principes, siue res præclarè gestas, siue à Deo datas promissiones inspicias. Quid? annõ vel hac sola ratione Christus homo generosus dici meretur, quod solus inter homines repertus sit, qui Deo patri placere posset, & quòd idem in se credentes regenerat, & potestatem illis facit, vt & ipsi filij Dei efficiantur? Christi è mundo discessus. Luc. 19. Mich. 5. Isaiæ 53.

Porrò quoad præsentem locum, duo consyderanda veniunt. Primum, Christi discessum ad humanam naturam referri debere, quam se è mundo hoc subducturum esse, non vno loco testatur. Quia enim diuinitas vbique præsens est, omnia penetrat & implet, discessu aut migratione ex loco in locum minimè opus habet: & eadem suam ecclesiam Christus nunquam deserit, iuxta illud: Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi, Hominem verò assumptum in cælos subuehi oportuit, vt & hunc cælestis gloriæ consortem faceret, & nostræ etiam carni in cælis locum pararet, sicuti apud Ioannem testatur, & mox iterum dicetur. Confutantur ergo istis locis, qui hodie corporalem Christi in terris præsentiam statuunt, & vt illam obtinere possint, ascensionis historiam euacuant, & Christi corpus in immensum extendunt. Quos ego rogauero, num locos quibus se è mundo discessurũ, nec amplius in mundo fore testatur, de Christi humanitate, aut diuinitate, aut de vtraque simul intelligant? Si de vtraque simul exponunt, iam totum Christum nobis auferunt. Si de diuinitate, ô miseros nos, qui eius præsentia & protectione destituimur. Restat ergo vt de humanitate illos interpretentur, nisi cum ratione insanire libeat.

Alterum est, vt quò nam & quare abierit videamus. In longinquam regionẽ (inquit) vt ibi regnum acciperet. Est quidem illi data potestas in cælo & in terra: at hîc de eo regno loquitur, cuius ciues & consortes nos quoq; facere decreuit. Et quod hîc paucis dicit, apud Ioannem pluribus illustrat, vbi ait: Creditis in Deum, & in me credite. In domo patris mei mansiones multæ sunt. Quòd si secus esset, dixissem vobis. Vado paraturus vobis locum. Et si abiero ad parandum vobis locum, iterum veniam, & assumam vos ad me, vt vbi sum ego, & vos sitis. Ergo in cælos & ab æterno præparatum beatitudinis locum Christus abijt, quò & nos colligi oportet. Longinquæ autem regionis potius quàm cælorum meminisse voluit, ne quid in præsenti somniemus Iudæorum instar, qui regnum Messiæ ad Iudææ terminos astringunt, & vt longè aliam cælestis sui regni rationem esse ostendat, quàm quæ regnorum in terris hisce esse solet. Habent hæc potentiam & splendorem visibilem, armis & victorijs acquiruntur, opibus & viribus humanis administrantur, & proinde caduca sunt, et cùm minimè credas intereunt. At Christi regnum inuisibile est, nec vllis mundi opibus & armis sustentatur, & quia in cælis est, per mortem in illud transeamus oportet, eò quòd caro & sanguis, dum corruptioni & affectibus subiacent, cælestis illius hæreditatis capaces non sunt. Et quia tale est Christi regnum, æternum quoque est, cuius non erit finis vllus, vt Mariæ virgini Gabriel angelus dicebat. Hæc vt regni Christi dignitatem commendant, ita nos officij & conditionis nostræ admonent. Si enim Christus regnum suum peregrè habet, nos vtique qui ad hoc pertinemus, in hoc mundo peregrini sumus, quo nomine scriptura vitam quam hîc agimus, peregrinationem dicere consueuit. Etsi Christus, vt regnum suum acciperet, è mundo discessit, nobis etiam hinc migrandum erit, si Regnum Christi quale. 1. Cor. 15. Luc. 1. Hebr. 13. Gen. 47.

cum illo regnare volumus. Quid ergo mundi studijs inhæremus? Aut cur mortem expauescimus, quæ sola nobis ex mundo hoc infelici in regnum illud cœleste & immortale transitum præbet?

Vt Christus ecclesiam suam in terris administret.

At ne quis hinc colligeret, Christum ita terras reliquisse, vt nulla illi suorum in terris agentium cura sit. secunda parabolæ huius parte docet, quam rationem in ecclesia sua administranda & ipse posthac seruaturus sit, & à nobis etiam seruari velit. Seruorum siquidem meminit, & sicuti herus aliquis à domo sua aliò profecturus, illius curam seruis commendat, & eius administrandæ prouinciam inter illos partitur, prout vnumquenque illorum idoneum & instructum esse nouit: Ita se quoque suam domum, quæ ecclesia est Dei viuentis, suorum seruorum fidei & curæ committere dicit, qui vt istum honorem ex gratia obtinent, ita olim ipsi reuerso suæ functionis rationem reddituri sint, sicuti apud Matthæum & Lucam clarius exprimitur. Et serui quidem Christi sunt omnes credentes, eò quòd illos sui sanguinis pretio redemptos sibi acquisiuit, quo nomine in scripturis Dei peculium, vel populus acquisitus dicimur. Obseruabis autem hoc loco, quòd vnicuique seruorum suum opus commisit. Diuersæ ergo in ecclesia hominum functiones sunt, & non vna est omnium conditio. Habet enim in illa verbi ministros, quos alibi œconomos & dispensatores vocat, & inter hos quoque gradus constituit, & alij quidem Apostoli sunt, alij prophetæ, alij Euangelistæ, alij pastores & doctores, prout illos Deus fecit idoneos. Sunt item in ecclesia magistratus, qui & ipsi inter se gradibus & conditione differunt, cùm non vna sit vbique terrarum reipublicæ forma. Sunt præterea patresfamiliâs, sunt famuli & serui, sunt liberi, coniuges, ciues, rustici, opifices, & qui infinita alia vitæ genera sectantur. Ad omnes autem pertinet, quod hîc de ianitore dicitur, vt vigilent nimirum & hero pulsanti aperiant, sicuti paulo post audiemus. Illud hîc annotasse sufficiat, vehementer errare eos, qui hodie æqualitatem inuehere & omne ordinis & dignitatis discrimen tollere conantur: quasi tunc demum verè Euangelici sint, si nec magistratibus nec ecclesiarum præsidibus debitum honorem exoluant, immemores planè præcepti illius, quo Deus parentes honorare & coram cano capite assurgere iubet. Scimus equidem non esse personarum respectum apud Deum, & in Christo Iesu non esse seruum aut liberum, marem aut fœminam, Græcum vel Barbarum: At illud ad æternæ modò salutis hæreditatem restringi debet, ad quam omnis loci & ordinis homines admittuntur, quicunq; salutis authorem, Iesum Christum, vera fide recipiunt. Interim non tollitur ordo functionum, sine quo nec ecclesias nec respublicas consistere posse, non modò experientia docet, verumetiam Apostoli abundè testantur, quando singulis officia sua tam diligenter præscribunt.

Exod. 19. 1. Pet. 3.

Seruorum Christi diuersa genera.

Matth. 24. 1. Cor. 4. Ephes. 4.

Leuit. 19. Rom. 2. Colos. 3. Galat. 3. 5.

Christus seruos potestate instruit. 1. Cor. 12.

Deinde obseruabis etiam, quòd potestatem quoq; seruis dedisse dicitur. Per hanc agendi authoritas intelligitur, adhæc dona spiritus quæ idem Dominus pro vocationū diuersitate distribuit. Nam vt Paulus inquit, diuisiones donorum sunt, sed idem spiritus: & diuisiones ministeriorum sunt, sed idem dominus: & diuisiones operationum sunt, idem verò est Deus, efficiens omnia in omnibus. Vnicuiq; verò datur manifestatio spiritus ad id quod expedit. Nam huic quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alij verò sermo scientiæ secundùm eundem spiritum, alij verò fides per eundem spiritum, &c. Manifestiora hæc fient, si singulas in republica & ecclesia functiones examinemus. Ministros enim verbi sui clauibus regni cœlorum, vel potestate soluendi & ligandi instruxit, & verbi gladio armauit, quo omnem potestatem aduersariam expugnent, scelera verò corripiant, & infirmas conscientias solentur: & vt istis exequendis sufficiant, in eosdem ferè dona linguarum & sapientiæ, & interdum miraculorum quoque virtutem distribuit. Magistratibus verò ius gladij dedit, & authoritatem in subditos: quam Dei opus esse, vel ex eo patet, quòd inter barbaras quoque gentes aliqua est magistratuum reuerentia, quibus sibi necessariò opus esse omnes intelligunt. Ita parentibus in liberos potestatem dedit, quam vnanimi consensu agnoscunt, qui non ad omnes naturæ leges obsurduerunt. Et marito in vxorem, hero item in seruos ius esse, & omnes illos plerunque ingenij & animi dotibus alios excellere notius est, quàm vt multis exponi oporteat. Atqui hoc illud est quòd Christus se vnicuique seruorum suum opus assignauisse, & potestatem dedisse ait.

Ioan. 10. Apoc. 11. 2. Cor. 10.

Rom. 13.

Potestas ad ædificationem datur, non destructionem.

At hîc primò cogitent qui potestatem acceperunt, se nihil habere proprij quo efferantur, potestatem verò accepisse non ad destructionem, sed ad ædificationem, sicuti de ecclesiæ ministris Paulus non vno loco testatur. Debent quidem destruere & extirpare ea, quæ aduersus Dei voluntatem inuecta

communi

communi hominum saluti & gloriæ Dei officiunt. At hic illis omnium studiorum scopus esse debet, (1. Cor. 14.) vt hominum ædificationi ad salutem omnia inseruiant. Ideò Abdias verbi ministros Saluatores, (2. Cor. 10. 13.) principes verò & reges Isaias ecclesiæ nutritios vocat. Et eandem parentum, maritorum & hero- (Ierem. 1.) rum rationem esse, communibus naturæ legibus docemur. Detestabilis ergo est Pontificum & ty- (Isaiæ 49.) rannorum libido, qui sibijpsis quiduis permissum esse arbitrantur, & in ecclesia non modò cultus mutare, verumetiam eius ministris dicendi leges præscribere audent. Sunt hi malæ fidei serui, qui hero absente comessantur, ludunt, & conseruos verberant: sed olim partẽ suam habebunt cum hypocritis. (Matth. 24.)

Rursum reliqui etiam Dei ordinationem agnoscere debent, ne se proteruiter ijs opponant, quos (Parendum est seruis Christi.) à Deo potestatem accepisse audiunt. De ministris certè Dominus ait: Qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit. Et tu quæso quis es, qui legatum Domini exercituum tacere, aut pro tuo ar- (Lucæ 10.) bitrio loqui iubeas? Leo si rugiat (inquit Amos) quis non timebit? Dominus Deus locutus est, (Amos 3.) quis non prophetaret? Vidit hoc olim potentissimus regum Dauid, qui post innumeras victorias, & post deuictas gentes plurimas, se à Nathano corripi passus est. Et Theodosius ea potissimùm re (2. Sam. 12.) laudem maximam meruit, quod Ambrosij disciplinæ sese subijcere dignatus sit. Traianus verò Imperator, etsi à Christi cognitione alienus esset, regibus tamen disciplina & correptione adeò opus esse vidit, vt Præfecto prætorio gladium tradens diceret: Hoc gladio pro me vtaris donec iusta facio: si iniusta fecero, contra me vtaris. At hodie principes ex eo sibi summam gloriam pollicentur, si verbi quoq; ministris ipsos admonentibus tyrannicum illud objiciant: Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas. Porrò, quod de auditorum erga ministros officio dicimus, hoc ipsum subditi, quoad magistratus suos, obseruent. Nam qui magistratui resistit, Dei ordinationi resistit, teste Apostolo. Et eius liberos quoq; in parentibus suis, seruos item in heris meminisse conuenit. Poterant hæc multis fusissimè exponi, sed possunt illa sufficere ijs, qui aliquo pietatis studio tenentur.

Sequitur tertia parabolæ pars, qua quid singulos in sua vocatione facere conueniat, generali præ- (Vt uigilare debeamus ad Christi aduentum.) cepto docet. Vigilate igitur (inquit) ne cùm venerit repente, inueniat uos dormientes. Præcepti verò sui eandem causam allegat, quam nuper vidimus: Quia nescitis, quando dominus domus veniet: serò ne, an medio noctis, an in gallicinio, an manè. Eadem verò apud Lucam diligentius exponit his (Lucæ 12.) verbis: Sint lumbi vestri accincti, & lucernæ accensæ, & vos similes hominibus expectantibus dominum, quando reuertatur à nuptijs: vt cùm venerit ac pulsauerit, confestim aperiant ei, &c. Confert ergo nos seruis herum à nuptijs redeuntem expectantibus. Iam enim in cœlis agit corpore suo Christus, ubi nuptiæ & gaudium perpetuum agitur. Inde verò redibit ad iudicandum impios, & vt suos (Apoc. 19. 21.) ad se recipiat, sicuti ex Ioanne supra diximus. Quia autem reditus ipsius hora incerta est, quid in- (Acto. 17.) terea faciamus docet. Primò expectare iubet, & ita patientiam cum fidei obedientia coniunctã re- (Ioan. 14.) quirit, ne vel afflictionibus superati murmuremus, vel Deo præscribamus: id quod sanctis interdum (1. Expectemus.) vsu venire, ipsorum querela testantur. Quòusque (inquiunt) Domine clamo, & non exaudis? Quò (Habacuc 1.) usque mei obliuisceris? Quî fit, vt via impiorum prosperetur? &c. Quòusq; Domine, qui es sanctus (Psalm. 13.) (Ierem. 12.) & verax, non iudicas, ac vindicas sanguinem nostrum de his, qui habitant in terra? At hîc vicis- (Apoc. 6.) sim cogitemus, illum & iustum & sapientem esse, qui quid nobis opus sit, melius quàm ipsimet, perspectum habeat. Et cùm idem nostri amantissimus sit, nec vltra vires tentari nos patiatur, cum si- (1. Cor. 10.) lentio nos illum expectare conuenit, ne de ipsius vel sapientia vel bonitate dubitare videamur. Et (Psalm. 61.) rursus illud prophetæ nobis ipsis occinamus. Si distulerit, expecta eum: certissimè enim veniet, neque (Habacuc 2.) cunctabitur. Secundò modum quoque præscribit, quem expectando teneamus. Sint (inquit) lumbi (2. Accincti lucernas habeamus.) vestri accincti, & lucernæ accensæ. Accinctos esse iubet, pro Orientaliũ more loquens, qui vestitu longiori vtuntur: Accingi verò solent, quando iter facturi sunt, aut cùm sese ad opus præparant. Vtrunque præsenti tractationi pulchre seruit. Quia enim hîc peregrini sumus, patriam verò in cœlis habemus, in quam nos olim Christus transferet, semper nos ad iter paratos esse decet, & nunquam non officium facere, ne vnquam nobis vel oleum fidei desit, vel ardentis charitatis splendor, ex quo ille discipulos suos agnoscit. Ne tamen vel nostro zelo, vel hominum figmentis decipiamur, verbi diuini facem semper accensam habeamus, quæ nobis præluceat, & ad quam gressius nostros dirigamus. (Psalm. 119.) Tertiò, pulsanti confestim aperire iubet. Pulsat Dominus externè per verbum suum, quo suijpsius (3. Pulsanti aperiamus.) & salutis communionem nobis offert. Pulsat intus etiam in animis nostris per spiritus sui suggestio-

nem, quæ & peccatis abstinere, & salutem oblatam amplecti suadet. Hic ergo prompti exilire, & pulsanti aperire, & illum intra cordis nostri penetralia admittere debemus. Facit huc, quod Laodicensium ecclesiæ scribit: Ecce, sto ad ostium & pulso. Si quis audierit vocem meam, & aperuerit ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum. Item: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Si qui verò pulsantem vel audire nolunt, vel etiam improbè excludunt, hi & ipsi olim pulsabunt, sed nequicquam, eò quòd pro suis illos Christus non agnoscet, vt in virginum fatuarum parabola alibi docet. Quòd si tribus hisce addas, quod nuper de precibus diximus, absolutum habebis omnium eorum compendium, quæ nobis hoc nouissimo tempore obseruatu sunt necessaria.

Apoc. 3. Ioan. 14. Matth. 25.

Christi admonitiones ad omnes pertinent.

Cæterùm quia plerique hominum, quæ Apostolis dicuntur, ad solos verbi præcones pertinere arbitrantur, & ab his quidem exactam omnium istorum obseruationem exigunt, ipsi verò securi suis cupiditatibus indulgent: Christus tractationem hanc omnem epiphonemate graui concludit: Quæ autem vobis dico, omnibus dico, Vigilate. Ad omnes pertinere ait, quæ discipulis suis dixit. Quod enim istis dicit, tanquam salutis præconibus dicit, vt & ipsi officium suum intelligant, & nos de eodem rectè iudicemus. Quoad verò salutem nostram, eadem huius consequendæ ratio tam Apostolis & horum in ecclesiastica functione successoribus quàm omnibus alijs in scriptura traditur. Est hæc in vno Christo Iesu reposita, & per fidem apprehensa studio assiduo ac vigilanti cum ardentibus precibus coniuncto retinetur. Quare vigilandi præceptum denuo inculcat, ne vnquam animis nostris soporem aliquem obrepere patiamur. Sunt hæc nobis hodie diligenter consyderanda. Versantur enim ob oculos passim signa, quæ Christus euentura prædixit. Periclitatur multis in locis ecclesia, & priuatim multorum salus quasi dubia vacillat. Venit interea Dominus, pulsat, & dormientes alta voce excitat. Surgamus ergo, vigilemus, & in pietatis officijs pergamus, oremus denique, vt ipse suo spiritu mentes nostras illuminare & attrahere velit, vt semper in ipsius occursum parati, olim in cœlestis regni consortium transferamur. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

CAPVT XIIII.

HOMILIA CXIIII.

ERat autē Pascha & Azyma duobus post diebus: & quærebāt principes sacerdotum & scribæ, quomodo eum dolo prehensum occiderent. Dicebant autem: Non in festo, ne tumultus fit populi.

Argumentum & usus duorū capitum sequentium. Ioan. 20.

DEscripsit hucusq; Marcus Domini nostri Iesu doctrinam atq; miracula, quorū omnium hic scopus est, vt ipsum agnoscamus esse promissum humani generis redemptorem, & (vt Ioannes inquit) credentes in ipsum vitam æternam habeamus. Vt autem certò nobis constaret nostræ redemptionis ratio, deinceps duobus Capitibus passionis & mortis ipsius historiam comprehendit. In cuius consyderatione nobis eò diligentius versandum est, quòd in hanc iam inde ab ipsa rerum origine omnes patres respexisse, & in eadem tum prophetas tum Apostolos omnem salutis rationem monstrauisse constat. Nam vt primis parentibus redemptionis promissio in semine mulieris data fuit, quod suo calcaneo caput serpentis conterere debeat: sic Abrahamum, patrem credentium, in se exultauisse Christus ipse testatur. Et Petrus omnes prophetas à Samuele vsq; Christi spiritu instructos fuisse scribit, & hoc duce inquisiuisse, quid illum pati oporteat, & quæ eius post passionem & mortem gloria futura sit. De Apostolis verò quid attinet dicere, quando Paulus, vas electionis, postquàm in tertium cœlum raptus fuerat, se nihil præter Iesum Christū, & hunc quidem crucifixum, nouisse, seq; non in vlla alia re, quàm in cruce Christi gloriari dicit? Ne tamen otiosa & infrugifera sit ista consyderatio, priusquàm rerum hîc gestarū narrationem aggrediamur, præcipua capita tenere oportet, ad quæ historia tota referri debet, & quæ verum illius vsum nobis ostendunt. Sunt hæc tria potissimum, de quibus ex ordine dicemus.

Genesis 3. Ioan. 8. Acto. 3. 1. Pet. 1. 2. Cor. 12. 1. Corinth. 2. Galat. 6.

Passionis Christi fructus & usus.

Primò vniuersam nostræ redemptionis, & salutis rationem cōtinet, quæ aliter peragi non potuit. I. Redemptionis nostræ rationem continet.
Quia enim peccatores sumus, peccato autem Deus pœnam capitalem, imò mortem æternam, constituit (iuxta illud: Quacunq; die ex arbore ista comederis, morte morieris. Et, Maledictus, qui nō fecerit quæcunq; scripta sunt in lege, &c.) absq; sanguine & morte peccatorum expiatio siue remissio (ut Paulus ait) fieri non poterat. Sed vt idem testatur, non proderat hic pecudum sanguis, quæ vt ipsæ non peccarunt, ita nullam nobiscum cōmunionem habent, vt pro nobis satisfacere vel possint vel debeant. Nec etiam nobis consuli poterat, si vnus aut plures multorum aliorum supplicia luerent, quod apud gentes superstitionum spiritu dementatas in vsu fuisse legimus, vt in peste aut fame aut alia calamitate publica alicuius abiecti hominis morte vrbes expiari & Deorum iram auerti posse putarent. Cùm enim idem omnium hominum reatus sit, omnes simul ad mortem poscebamur. Alio igitur opus erat, qui ipse quidem nullius sceleris reus esset, attamen propter naturæ communionem nostrum causam suscipere iure posset, nosq; Deo reconciliatos à mortis æternæ supplicio redimere. Est hic vnus Iesus Christus, qui cùm Deus filius sit verus, patri coæternus & consubstantialis, iam inde ab æterno præfinitus fuit & prædestinatus, vt humani generis redemptor & uindex fieret. Is ergo præfinito tempore homo verus factus est, & humanam naturam ideò assumpsit, vt fraternæ cognationis iure nostram causam susciperet, quo nomine illum Iobus suum Goel, id est, vindicem & assertorem consanguineum vocauit. Ita enim in Lege vocantur, qui ex cognationis iure venditas fratrum possessiones sibi vendicabant. Homo autem verus factus est Dei filius ex Maria virgine, per spiritus sancti virtutem, ne si communi aliorum hominum lege ex viro conciperetur, innatæ nobis corruptionis & peccati particeps fieret. Homo igitur quidem verus est, absque peccato tamen, in cuius ore non est dolus: & talis ideò factus, vt nostrorum peccatorum culpam in se recipere, & pro illa Deo patri satisfacere posset. Et de hoc quidē Isaias olim vaticinatus fuerat, dicens: Nos omnes tanquam ouis errauimus, quisque ad viam suam: Dominus autem effecit, vt in ipsum incurreret omnium nostrum iniquitas. Et rursum: Ipse vulneratus est propter transgressiones nostras, & attritus propter iniquitates nostras. Mulcta pacis nostræ super ipsum, & liuore eius sanati sumus, &c. Hæc verò omnia in ara crucis ille præstitit, vbi pro mundi peccatis immolatus æternam nobis redemptionem acquisiuit, sicuti vltima ferè iam morituri vox testabatur, qua consummatum iam esse dixit, quicquid olim Deus de humani generis redemptione constituerat. Habemus igitur in hac historia vniuersum humanæ salutis negotium: & proinde in illius consyderatione, non vt in prophanis historijs aut poetarum fabulis versandum est, quas vel oblectationis vel curiositatis ergò legimus: sed cogitemus ad nos ista pertinere, & nostrum hîc agi negotium. Cùm ergo Dei filium proditum, captum & vinctum, damnatum, illusum & consputum, deniq; in crucem suffixum ignominiosam mortem subijsse audimus: simul hæc omnia propter nos facta fuisse cogitemus, quorum peccata sic expiari oportuerit, & proinde nos mortis Christi reos esse, nec habere quòd vel Iudæ proditori, vel auaris & ambitiosis sacerdotibus vel iniusto præsidi, vel sanguinarijs militibus irascamur, quando in singulis nostrûm ea reperiri possunt, quæ Christo hæc ferendi causam præbuerūt. Cōuertamur ergo in cordibus nostris, & Christi meritum vera fide amplexi, nos illi gratos præbeamus, & ipsi quoque peccatis mortui cum illo resurgamus ad vitam nouam, quæ ipsius gloriæ inseruiat.

Gen. 2. Deute. 27. Hebr. 9. & 10. 1. Pet. 3. Iob. 19. Leuit. 25. Ruth. 4. Isa. 53. Hebr. 9. Ioan. 19.

Secundò Dei cognitionem tradit ista historia, quæ nusquam euidentius & perfectius elucet. Etsi enim Deus sese in singulis suis operibus conspiciendum exhibeat, in filij tamē sui morte omnes ipsius virtutes siue attributa sic concurrunt, vt qui hanc rectè inspexerit, ei ad veram & salutarem supremi numinis notitiam nihil amplius desit. Habes enim hîc iustitiam ipsius omnibus numeris absolutam, quæ peccata adeò non impune abire patitur, vt ea vel filij dilecti & vnigeniti morte expiari uoluerit. Desinant ergo posthac Zaleucum suum nobis obijcere prophani scriptores, qui ne adulterij lex pessum iret, oculum vnum filio, alterum sibijpsi effodi voluit: quando iustitiæ exemplum multò illustrius nobis hic Deus ipse exhibet. At cum iustitia eius, bonitas quoq; & misericordia exemplo carens concurrit, qua miseros nos & iræ filios ita complexus est, vt filium suum dilectum pro nobis tradere dignatus sit. Veritatis autem infallibilis argumentum est, quòd ijs quoq; promissionibus noluit deesse, quæ non alia ratione, quàm filij sui morte impleri poterant. Sapientiam verò infinitam ex eo intelligimus, quòd inter iustitiam & misericordiam, hanc viam mediam inuenire potuit, qua

II. Dei cognitionem tradit.

& peccata nostra digno supplicio expiarentur, & tamen saluti hominum consuleretur. Omnipotentiæ item testimonium est euidentissimum, quòd Dei filius carne (qua nihil imbecillius est & infirmius) indutus, collapsis hominum rebus succurrere, & omnem aduersariam potestatem debellare potuit. Vides itaq; hîc omnia ea contineri, quæcunq; nos in vera Dei cognitione instituere possunt: non quidem theatrica illa & inani, quā philosophi profitentur, sed perfecta & salutari, cuius fundamentum Christus est, quem etiam nobis à Deo patre sapientiam factum esse, Paulus testatur. Vsus enim huius cognitionis est, vt iustitiæ Dei memores peccatorum blanditias excutiamus: misericordiæ verò & bonitatis consideratione animati in peccatis non desperemus. Qui enim proprio filio non pepercit (inquit Apostolus) sed pro nobis tradidit illum, quî fieri potest, vt non & cum eodem omnia nobis donet? Præterea tanto diuinæ Veritatis argumento suffulti de reliquis ipsius promissionibus nō dubitemus. Qui enim cùm de filij morte ageretur, fallere noluit, num in reliquis falleret? Nec ideò concidamus, quòd non ipsi statim modum & rationē videmus, qua nobis consuli queat. Est enim omniscius Deus & omnipotens, qui vt carnem nostram mortalem nostræ redemptionis instrumentum facere potuit: ita singulas creaturas pro suo arbitrio armare potest, vt vel suis liberandis, vel hostibus perdendis sufficere possint: cuius rei exempla in historijs passim occurrunt. Sic per animalcula vilissima Ægyptios & Philistæos debellare, è contra inter medias flammas Danielis socios, & ipsum Danielem in medio leonum seruare potuit. Quamobrem nos ad quemuis euentum intrepidos stare conuenit, nec de Dei erga nos bonitate, veritate aut potentia dubitare, cuius tot testimonia tum alibi, tum in Dominicæ passionis historia habemus.

1.Corinth. 1. Rom. 8. 1.Sam. 5. 6. Daniel. 3. 6.

III. Exemplū habet ecclesiæ et nostri officij. Matth. 10.

Tertiò exemplū hîc proponitur, cuius nobis in religione simul & totius vitæ conuersatione vsus est multiplex. Primò enim in Christo, qui caput nostrum est, cōmunis ecclesiæ & singulorum fidelium conditio adumbratur. Nam vt ipse inquit, non est discipulus supra præceptorem, neque seruus supra dominum suum. Quòd si ergo præceptor & dominus noster Iesus Christus discipuli perfidia proditus est, & idem summos religionis & doctrinæ antistites sibi aduersarios habuit, & tandem illorum insidijs circumuentus mortem subijt ignominiosam: quid de nobis futurum est, quorum corruptio eiusmodi afflictiones meretur? Vel num mirum & insolens nobis videri debet, si etiam ipsi Episcoporum insidijs expositi, domesticos nostros perfidos, magistratus verò manifestos hostes & crudeles experiamur? Quin ad ista omnia nos præparemus, ne meliorem sortem nobis ipsis pollicendo, non modò temerarij, verumetiā Domino nostro non satis fidi haberi possimus. Interim Christi exemplum nobis imitandum proponamus, qua de re Petrus admonuit, dicens: Christus afflictus est pro nobis, relinquens nobis exemplum, vt insequamini vestigia ipsius. Et ipse, Exemplum (inquit) præbui vobis, vt sicuti ego feci, etiam vos faciatis. Atqui Christum obedientiæ & humilitati ita studuisse audiemus, vt quamuis Dei filius sit, serui tamen formam sumpserit, nec ad mortem modò, verumetiā ad mortem crucis Deo patri obediens fuerit, hoc idem in suis precibus repetens: Non mea pater, sed tua voluntas fiat. Adhæc patientiæ exemplum perfectissimum exhibuit, quando instar ouis (ut Isaias ait) non aperuit os suum, cùm conuitijs peteretur, & omne genus iniuriæ sustineret. Charitas verò tanta in illo flagrauit, vt non tantùm pro electis suis & amicis mori voluerit, verumetiā pro hostibus suis, à quibus crucifigebatur apud patrem intercesserit. Innocentiæ testimonium ab hostibus habuit, quando ne falsi quidem testes ipsum alicuius sceleris arguere potuerunt. Fidei verò constatiam ne acerbissimi quidem mortis dolores expugnare potuerunt. Hæc igitur nobis imitanda proponamus & ipsi quoq; mortificati carne in Christo ad vitam nouam resurgamus, & eundē cum illo nostræ etiam crucis euentum habebimus, & tandem superatis omnibus aduersis cum ipso triumphemus. His præmissis ipsam historiam videamus, cuius initio duo tradit Euangelista.

1.Pet. 2. Ioannis 13. Phil. 2. Lucæ 22. Isaiæ 53. Luc. 23. Rom. 6.

Tempus passionis Christi. Matth. 26.

Principiò à tempore orditur, quod apud Matthæum ipse discipulis indicat cum omnibus quæ ipsi erant euentura. Scitis (inquit) post biduum pascha agi, & filius hominis traditur, vt crucifigatur. Voluit autem sæpe de hoc admonere discipulos, partim vt scandalo medeatur, quod ex sua morte sciebat oriturum esse: partim vt se voluntarium mori doceat, & proinde gratum fore mortis suæ sacrificium patri, qui non alia re magis quàm obedientia delectatur. Faciunt autem Euangelistæ à temporis circumstantia narrādi exordium, non tam pro communi historicorum more, vt fide dignior sit narratio, quam propter veteris typi mysterium, quo & infelix humani generis conditio, & tota

nostræ redemptionis ratio euidentissimè adumbratur. Fuit enim paschatis festum læta & grata redemptionis ex Ægyptiaca seruitute commemoratio, quæ simul (vt & reliqua veteris testamenti omnia ferè) rerum futurarum in Christo typum continebat. Et sanè, si hominum sortem inspicias, mox eandem omnium esse reperies, quæ Israelitarum olim in Ægypto fuit. Libertatem illis abstulerat Pharao: & nobis satan libertatem & dignitatem, ad quam primò conditi fuimus, per peccatum abstulit. Laborabant illi in luto & laterum officinis: & nos in fœdo nimiumq; tenaci peccatorum luto omnes tum animi tum corporis vires fatigamus. Illi laboris sui præmium nullum percipiebant, & insuper de primogenitorum salute periclitabantur: & nobis nō sine graui causa Apostolus dicit: Quem fructum habebatis tunc in his, de quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors. Et verè quidem hæc dici, mox deprehendent, quicunq; vitam suam anteactam ad legis diuinæ, aut saltem naturalis calculum reuocauerint. Nec enim hominum numero dignus censeri, sed inter belluas connumerari meretur, quem nullus pudor tangit eorum, quæ præter officium ab ipso dicta & facta sunt. Stipendium verò peccati esse mortē, supra diximus, & notius est, quàm vt multis demonstrari debeat. Eadem ergo, vt vides, est omnium nostrûm conditio, quæ olim Israelitarum in Ægypto fuit. Sed vnde nobis salus obtingat, eorundem exemplo docemur. Illos enim nullo ipsorum virtutis respectu, sed mera gratia Deus in libertatem asseruit. Quales enim & quam indigni hoc beneficio fuerint, non murmura modò crebra, & beneficiorum Dei contemptus, verumetiam horribile illud idololatriæ scelus, quod vix dum iter ingressi admiserunt, abunde testantur. Ad eundem modum nobis quoq; ex gratia salus obtingit, quando in nobis summa est naturæ corruptio, & ex nobis ipsis ne ad cogitandum quidem idonei sumus. Asseruit autem Israelitarum primogenita ex angeli vastatoris manibus Deus per agni sanguinem, quem illi ex ipsius mandato postibus aspergebant: Ita agnus noster paschalis Christus est, qui (vt paulò ante diximus) in ara crucis immolatus pro nobis satis fecit, & eiusdem sanguis per Euangelij prædicationem nobis aspersus, & fideli mente receptus, nos aduersus mortis æternæ periculum omnesq; diaboli insidias tuetur, ne illi quicquam in nos iuris sit amplius. Et hîc tota iustificationis doctrina fundatur, quæ nos ex mera Dei gratia propter Christi Iesu meritum per fidem iustos & saluos fieri tradit. Quid verò eos facere conueniat, qui per Christum hoc modò redempti sunt, rursum paschalis epuli ritu edocemur. Debebant illud peregrinantium habitu peragere, & herbas admiscere amaras, imprimis autem à fermento abstinere, quod attigisse capitale fuit. Et hæc quidem sunt redemptorum Christi officia. Meminerint se in terris hisce peregrinos esse, & proinde per viam Euangelij ad patriam cœlestem festini contendant. Crucis amaritudinem, quæ omnia pietatis officia vnà cum ipso Christo agno nostro carni acerba & iniucunda reddit, patienter vincant & concoquant. Expurgent autem vetus fermentum innatæ corruptionis, fermentum item Herodis & pharisæorum, vitæ nimirum sceleratæ reliquias & falsam doctrinam cum superstitionibus quæ ex illa demanant. Hæc enim sunt, quæ hominem vel feroci & intolerabili peccandi licentia, vel hypocritica propriæ iustitiæ fiducia inflant, vitæ conuersationem totam inficiunt, & omnia nostra Deo acida vel insipida & ingrata reddunt. Hæc igitur cùm festo paschali subsint mysteria, non absq; singulari diuinæ prouidentiæ consilio factum est, vt secus quàm ipsi sacerdotes voluerint (vt postea sequetur) hoc tempore redemptionis nostræ negotium Christus susciperet. Ita enim & gratuitæ liberationis quæ in ipso nobis obtigit, & nostri erga illum officij admonemur.

Exod. 12. Paschatis mysterium. — Rom. 6. — Exod. 23. — 2. Corinth. 3. — 1. Cor. 5. — Rom. 3. — Hebr. 13. — Matth. 16. Marci 8.

Hinc verò ad causas mortis Christi euangelistæ transeunt. Inter quas probè obseruabis, præcipuā & veram esse æternam Dei patris voluntatem, qui priusquam mundus hic crearetur, filium suum nobis redemptorem destinauit. Nisi enim ita ipse voluisset, nemo illum vel cœlo detrahere, vel morte indigna tollere potuisset. Quod & primitiuæ ecclesiæ fideles viderūt, cùm inter precandum dicerent: Conuenerunt aduersus sanctum filium tuum Iesum, quem vnxeras, Herodes simul & Pilatus cum gentibus & populis Israel, ad faciendum quæcunq; manus tua & consilium tuum prius decreuerat vt fierent. Et huius causæ ipse Christus meminit, Nicodemo dicens: Sic Deus dilexit mundum, vt filiū suū vnigenitū traderet, vt omnis qui credit in illū, nō pereat, sed habeat vitā æternā. Prodest aūt in huius cōsyderatione frequēter versari, quia & salutis nostræ fontes in mera Dei bonitate mōstrat, quæ sola inter tentationū fluctus ceu sacra ancora animos nostros stabilire & cōfirmare potest: & simul officij nos admonet, vt ipsi quoq; pro Dei gloria nos & nostra omnia non grauatim impēdamus.

Causæ mortis Christi uera & summa. — Act. 4. — Ioan. 3.

Causæ mortis Christi ex hominibus.

Cæterùm causæ huic principali aliæ quædam ex hominibus accedunt, qui non æternum illud Dei consilium respexerunt, sed corruptis cárnis affectibus abrepti, quoad homines mortis Christi fuere authores. Et has quoq; Euangelistæ diligenter describũt, vt ex illis discamus, hominum peccata per dei prouidentiam non excusari. Etsi enim faciant quod deus fieri decreuit, culpa tamen non carent, quia cupiditatibus suis prauis ducuntur, quæ si nihil aliud accedat, pœnam merentur. Interim dei bonitatem & sapientiam nos exosculari & reuereri decet, qui hominum peccatis ad suorum iudiciorum executionem abutitur. Exemplum huius rei in Iosepho habemus, qui Christi typus fuit. Hunc enim fratres inuidia & odio excæcati in Ægyptum vendiderunt, quẽ tamen diuinitus illuc missum fuisse scriptura sacra testatur, vt per ipsum populus multus seruaretur, & vt ipse apud Ægyptios ecclesiæ illuc transferendæ hospitium præpararet. Quod ipsum in præsenti historia probè obseruandum est, ne vel hostium Christi audaciam, vel nostra ipsorum peccata sub plausibili diuinæ prouidentiæ prætextu excusemus.

Gene.37.45. & 50. Psalm. 105.

Sacerdotes Christum occidere quærunt. Ioan. 11.

Primi autem omnium principes sacerdotum & scribæ producuntur, quos quæsiuisse dicitur, quo modo Christum dolo comprehensum occiderent. Nec illud perfunctoriè fecerunt, sed (vt Ioannes scribit) in solenni conuentu de hac re consultarunt. At non immeritò hoc alicui mirum videri poterat, cùm illorum originem sanctißimam fuisse, & in hoc institutos fuisse constet, vt populum Christo adducerent, cuius ipsi typum gerebant. Sacerdotij enim illius author fuit deus, qui hoc potißimùm spectauit, vt populum doctrina & externo cultu in promißi Meßiæ expectatione retineret, quem promißiones veteres prædicabant, & totus ille cultus Leuiticus varijs modis depingebat. Sed horum improbitatem minus mirabimur, si quales fuerint intelligamus. Constat enim sacerdotum ordinem, quem Deus instituerat, sub Herode corruptum, imò euersum & sublatum fuisse. Nam cùm is à Romanis rex Iudææ esset creatus (quod annis ante Christum natum triginta tribus factum fuit) mox vt tyrannidem suam stabiliret totam veterum sacerdotum prosapiam sustulit, & ea in illam crudelitate vsus est, vt Aristobulum quoq;, vxoris suæ fratrem, per lusum occidi curaret. Idem verò iuxta Ieroboami primi exemplum sacerdotes instituit viles atq; ignobiles, qui nec ipsius improbitati resistere nec sacerdotij ius & authoritatem tueri possent: sicq; non sceptrum modò, verumetiam legis lator, id est, regnum simul & sacerdotium à Iuda sublatum fuit, quod sub Christi saluatoris aduentum euenturum esse, Iacob patriarcha prædixerat. Secuti sunt Herodem Romani præsides, quorum auaritia sacerdotium venale factum est, & contra Dei legem annuæ vices institutæ sunt, quibus plures sibi inuicem in pontificatu succederent. At qui sacerdotij ius magnis impensis redemerant, de quæstu potius quàm Dei gloria soliciti, templum emporium fecêre, & infinitis traditionibus legem Dei omnemq; cultum corruperunt. Arguebat illorum improbitatem Christus Dominus, nec doctrina modò illorum quæstui & ambitioni aduersabatur, verumetiam pro summi sacerdotis & regis officio semel & iterum euerterat quæcunque ab illis contra Dei leges fuerant instituta, & ipsos canum instar flagello extra templum profligarat. Id verò patribus sanctißimis facinus indignißimum & prorsus intolerabile visum est, & quia Christi doctrinam maiores quotidie progressus facere, suo autem quæstui & honori indies magis magisq; decedere videbant, de illo occidendo consultarunt. Fuerunt hæc altius repetenda, vt hinc discamus, qui nam omnibus seculis purioris doctrinæ & religionis hostes acerrimi futuri sint. Falsi nimirum antistites, qui doctrina & cultu externo ad quæstum & ambitionem abutuntur. Nequeunt enim illi veritatis lucem ferre, qua & imposturæ ipsorum arguuntur, & quæstus cum omni ipsorum authoritate intercidit. Est hoc multis exemplis iam inde ab origine populi Dei siue ecclesiæ comprobatum. Mosi etenim & Aaroni cumprimis restiterunt Magi Ægyptiorum, qui & sacerdotes erant, ducesq; habuerunt Iannem & Iambrem, quorum Paulus ad Timotheum meminit. In deserto autem agentibus Israelitis omnium grauißimi tumultus & schismatis perniciosißimi authores fuerunt Coritæ, qui sacerdotij ius & dignitatem sibijpsis vendicabant. Prophetis verò postea cum Baalitis & pseudoprophetis grauißimas concertationes fuisse, vel solæ Eliæ & Ieremiæ historiæ docent, quibus Amos etiam coniungi debet, quem Amasias pontifex in Bethel seditionis apud Ieroboamum accusauit, eò quòd Deo cultum suum vindicaret. Et quos in præsenti Christus hostes habet, ijdem postea cum Apostolis quoq; inimicitias implacabiles gesserunt. Dicuntur hæc in eum finem, ne quem offendat nostri seculi antistitum exemplum,

Egesipp. lib. 2. cap. 12. & 13. Iof. antiq. 15. cap. 3. 1. Reg. 12. Gene. 49.

Ioan. 2. Matth. 21. Marc. 11.

Veritatis hostes, falsi antistites.

Exod. 7. 8. 2. Timoth. 3. Num. 16. 1. Reg. 18. 22. Iere. 28. etc. Amos 8. Act. 3. 4. 5. 6. 7. &c.

plum, quando pleriq; Pontifices cum Cardinalibus & episcopis & tota illa rasorum & unctorum cohorte aduersus Euangelij ministros bellum ἀσπονδον (quod aiunt) gerere, nec vllas pacis conditiones admittere solent. Quid enim aliud faciant, quorum doctrina & religio ita quæstum turpem resipit, vt à mortuis quoq; tributum exigere non pudeat? Quin historias consulamus, & ab eo tempore, quo Pontifices & episcopi principes & terrarum domini facti sunt, illos non modò verbi ministris, verumetiam regibus & Imperatoribus intolerabiles fuisse patebit: vt minimè nouum sit aut insolens quod hodie faciunt.

Videamus autem quibus artibus causam hanc egerint, quæ apud Ioannem diligenter describuntur. Conueniunt simul omnes in atrium summi pontificis Caiaphæ, quasi de religione aut causa aliqua ad publicam salutem pertinente deliberaturi. Propositio Concilij est hæc: Quid faciemus? quia hic homo multa signa edit. Num autem de illo occidendo consultandum erat, eò quòd signa multa ederet, quæ plurimis proderant? Sed audi quid illos moueat. Si permiserimus eum sic, omnes credent ei, inquiunt. At quod inde periculum, si omnes Christo credant? Maximum & patribus hisce cumprimis extimescendum. Humanas enim traditiones oppugnabat Christus, & ipsos fures atq; latrones esse docebat: quæ causa erat, quòd ipsorum quæstus & authoritas quotidie imminueretur, vt ante diximus. Hæc ergo illa est Helena, quæ viros sanctissimos & zelo domus dei ardentes (si Dijs placet) in arma vocat. Sed audi, quàm egregio prætextu causam hanc suam pallient? Venient (aiunt) Romani, & tollent tum locum nostrum, tum gentem. En publicæ salutis studium prætexunt, qui ne priuatam quidem vllius hominis salutem unquam curauerant. Hæsitantes verò & cunctabundos Caiaphas authoritate planè pontificali increpans, infert: Vos nescitis quicquam, nec perpenditis quòd expedit nobis, vt vnus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat. Et in huius quidem sententiam itum est: ea tamen conditione, ne quid durante festo tentaretur, quod populo tumultuandi occasionem dare posset. Docemur hoc exemplo, quibus artibus ferè aduersus veritatem pugnetur. Qui priuatam causam agunt, publicam prætexunt, & pacem rerumpub. in periculum adduci clamant, eò quòd doctores noui omnia turbent, leges antiquas abrogent, adhæc Regum & imperatorum iram aduersus patriam communem prouocent: adeoq; hic locus communis est, in quo exercitatissimi sunt omnes Euangelicæ veritatis hostes. Nam exempla quoq; cùm vetera tum recentia allegant, & quicquid vspiam in orbe malorum est, illud omne miro dicendi artificio Euangelicæ doctrinæ acceptum ferunt. Sed est hæc vetus cantilena, cuius author quasi primus in scripturis reperitur Pharao, qui Mosi & Aaroni populum Deo vendicantibus hoc ipsum exprobrauit, quòd illum à debito obedientiæ officio abstraherent. Similiter Achabum Eliæ dixisse scimus: Annon tu ille es, qui conturbas Israelem? Et de Amasia modò diximus, quem non puduit regi dicere: Amos contra te conspirationem facit in medio Israelis, nec poterit tellus omnes sermones eius ferre, &c. De Ieremia quid dicemus, quem proditionis quoq; accusant aduersarij, & quòd Babyloniorum partes potius foueat, quàm populi Dei? Ita Stephanum, vt seditiosum cultus diuini & pacis turbatorem lapidarunt: & aduersus Paulum atq; collegas ipsius Philippenses clamabant: Hi homines cõturbant ciuitatem nostram, cùm sint Iudæi, & annuntiant statuta, quæ non licet nobis suscipere, neq; seruare, cùm simus Romani. Et Thessalonicæ auditæ sunt contra eosdem hæ quoq; voces: Hi qui terrarum orbem conturbarunt, venerunt etiam huc, &c. Sed tempus me deficeret, si quæcunq; huius generis exempla in historijs ecclesiasticis extant, commemorare velim. Istis certè calumnijs patres olim libris aliquot respondere coacti sunt, quales imprimis Tertullianus, Cyprianus, Iustinus, Athenagoras, Arnobius & alij plures fuerunt. Nobis verò hic omnium vsus esse debet, ne clamoribus eiusmodi terreamur hodie, nec etiam fidem temere habeamus talia aduersus Christi ministros dicentibus. Si enim calumnias hasce ne Dei quidem filius subterfugere potuit, quid nos sperabimus?

Quibus artibus contra Christũ utantur.

Matth.15.23.
Ioan.10.&c.

Quo prætextu ueritas etiam hodie oppugnetur.

Exod.5.
1.Reg.18.
Amos 8.
Ierem.38.
Act.6.7.
Act.16.17.

Sed vide vt suo sese indicio prodant isti sorices, cùm aiunt: Non in festo, ne tumultus sit populi. Seipsos ergo tumultum concitaturos fatentur, si quid durius in Christum statuant, cuius tot extabant in totum populum beneficia. Est autem metus hic propria & iusta pœna impiorum, qui tyrannide & iniustitia sua hoc ferè efficiunt, vt dum ab omnibus metui volunt, ipsi quoq; omnes metuant. Consolationis verò plenum est, quòd Deum videmus facile posse metu aut quocunq; alio obice impiorum audaciam coercere, adeò vt qui neminem verentur, propriam conscientiam sibi inimicam & in-

Veritatis hostes suo sese metu produnt.

festam sentiant. Et exempla sunt passim, quæ docent, quàm efficaciter Christus in hostium quoque suorum animis operetur. Huius igitur auxilio freti aduersa omnia animo forti & intrepido sustineamus, quando fieri non potest, vt suæ & suorum causæ desit, qui nos mortis suæ merito asseruit. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CXV.

Et cùm esset Bethaniæ in domo Simonis leprosi, accumbente eo uenit mulier habens alabastrum unguenti nardi spicatæ, multi pretij: & comminuto alabastro, effudit ei in caput. Erant autem quidam qui indignarentur apud sese, ac dicerent: Ad quid perditio hæc unguenti facta est? Nam poterat hoc uendi amplius quàm trecentis denarijs, & dari pauperibus. Et fremebant in eam. Iesus autem ait. Omittite eam: quid ei laborem affertis? bonum opus operata est erga me. Semper enim paupe peres habetis uobiscum & quandocunque uolueritis, potestis illis benefacere: me uerò non semper habebitis. Quod potuit hæc fecit: præuenit enim ungere meum corpus ad sepulturam. Amen dico uobis, ubicunque prædicatum fuerit Euangelium hoc in toto mundo, etiam hoc quod fecit hæc, dicetur in memoriam ipsius. Tunc Iudas Iscariotes, unus è duodecim, uenit ad principes sacerdotũ, ut proderet eum ipsis. Illi uerò cùm audissent, gauisi sunt, & polliciti sunt ei pecuniam se daturos. Quærebat igitur, quomodo opportunè eum proderet.

Argumentum & usus præsentis loci.

ETsi Deus pater filium suum Iesum Christum nobis ab æterno redemptorem destinarit, & eundem præfinito tempore hominẽ factum ex mera gratia pro nobis in mortem tradiderit: aliquos tamen ex hominibus proponit scriptura, qui illi mortis authores vel ministri fuerunt: non quidem eo animi instituto, vt quod deus fieri decreuerat exequerentur, sed vt affectibus suis corruptissimis indulgerent. Primi ex his sunt sacerdotes & scribæ, quos auaritia sua & ambitio ac disciplinæ vel correctionis impatientia excitauit, vt de illo occidendo consultarent. His nunc Iudas accedit, ijsdem propè causis commotus, qui illos non iuuit modò, verumetiam author fuit, vt hoc suum facinus maturent, & secus quàm instituerant, in ipso festo paschatis, vel illo iam instante, Christum comprehendant & interfici curent. Habet autem ista historiæ pars multa consyderatu dignissima, quæ & hostium Christi mores, artes & studia agnoscere docent, & pios ad fidem in Christum atque fidei officia magis extimulant. Quæ vt rectius intelligantur, primò de ipso Iuda dicendum erit. Deinde quibus causis & qua occasione motus tantum facinus designarit, videbimus. Postremò, vt negotium hoc totum gesserit.

Iudas quis fuerit. Marc. 3. Matthæi 10. Ioan. 12.

Quoad Iudam, vnus ex duodecim fuisse dicitur. Apostolus ergo fuit, ex eorum numero, quos Christus antea emiserat, vt in suo nomine prædicarent & miracula facerent. Quin illi loculos commissos fuisse scribit Ioannes, vt ea reciperet, quæ Christo à fidelibus & pijs conferebantur. Vides ergo non aliquem hominum ordinem vel sodalitium reperiri, quod ex omni parte perfectum labe omnino careat. Quia enim natura corrupti sumus, & procliues ad malum ferimur, facilè inuenit satan quos seducat. Sic inter primos Adami filios Cainum habuit, quem contra fratrem suum armaret. Et Iacobi filios ita decepit, vt sanctissimi patris institutio quotidiana vix quicquam apud illos proficeret. Qualis autem sub Mose fuerit Israel, insigne illud Dei peculium & gens sancta, illorum mores corruptissimi & horrendi lapsus abundè testantur. Ad hæc in primitiua ecclesia non murmura tantum, verumetiam Ananiam sacrilegum, Simonem præstigiatorem impijssimum, & alias eius generis pestes reperimus. Et ex ipso Episcoporum ordine graues illos lupos exituros esse Paulus prædixit, qui non parcant gregi dominico, & omnia fœdissimè deuastent. Sunt hæc in eum finem obseruanda, ne temere propter paucos aliquos, aut etiam plures malos, totam ecclesiam damnemus: quòd hodie nimis insolenter Anabaptistæ faciunt, qui ecclesias omnino deserunt, nec ecclesiarum loco habendas

Gene. 4. Exod. 19. Acto. 5. 6. 8. &c. Acto. 20.

bendas censent, quòd in illis malos bonis permixtos esse videant. Nec multò rectius aut sapientius iudicant, qui Euangelij doctrinam hoc nomine potißimùm proscindunt, quòd illius professores minus Euangelicè viuunt, & inter ministros verbi interdum reperiuntur, qui nulla habita suæ dignitatis & ministerij ratione, affectibus corruptißimis indulgent. At in ecclesia potißima fidei & doctrinæ ratio haberi debet: quæ si sana sit, aliorum improbitas pijs nequaquam fraudi erit: sed ferent illi aliquando suum iudicium, sicuti Christus in Zizaniorum parabola eleganter & perspicuè docet. Matth. 13.

Porro videamus, quæ causæ Iudam mouerint, vt tantum facinus designaret. Lucas satanam in cor ipsius intrauisse scribit. Sed apertius rem omnem Ioannes explicat, qui furem fuisse dicit, & frequenter ex ijs surripuisse, quæ in loculos ipsi commissos (vt paulò ante diximus) conferebantur. Quod vt faceret, haud dubiè auaritia impulit, quæ cum victus et rerum huius seculi solicitudine coniuncta mouit illum, vt sibi quacunq; occasione prospiceret, ne quando Christi rebus minus prosperè succedentibus ipse egeret: quæ ratio Ananiam quoq; mouit, vt spiritui sancto mentiretur. Etsi verò malum hoc diu latuit, ne quid atrocius in Christum designaret, erupit tamen cùm in Cœna Bethaniensi (quã hoc loco Marcus describit) spes prædæ ingens oblata subitò euanuit. Ibi enim ceu fera aliqua truculenta irritatus, omnem occasionem captauit, qua iacturam, quam se fecisse putabat, sarciret. At quia hîc multa concurrunt, priusquam longius progrediamur, Cœna hæc Bethaniensis & quæ in ea acciderunt, aliquantò diligentius inspicienda erunt. Quæ causæ Iudam ad Christum prodendũ excitarint. Cœna Bethaniensis.

Primò cùm Bethaniam venisset Christus, mox illum conuiuio excipit Simon leprosus, sic dictus quòd aliquando ipsum à lepra Dominus purgauisset. Illo autem discumbente venit Maria, Lazari nimirum & Marthæ soror, & pro gentis more affert alabastrum vnguenti pretiosi ex nardo spicata confecti: quàm in vnguentis potißimùm probari, Plinius quoque tradit, quando inter ea, ex quibus vnguentum pretiosißimum (quod quia Parthorum regibus in vsu erat, Regale vocarunt) componitur, nardi spicam quoq; connumerat. Et idem author vnguenta in alabastro optimè seruari scribit: Confracto autem alabastro, vnguentum in Christi caput effudit, ita vt per totum corpus defluens imos quoq; pedes rigaret, & domus tota odore compleretur, sicuti Ioannes annotauit. Habemus hîc non vulgaris fidei exempla. Scimus enim illo tempore periculosum admodum fuisse, Christo conuersari fidemq; in illum profiteri: eò quòd edicto publico à synagogis excluderentur, quicunq; hoc faciebant. Nihilominus tamen illum admittunt Bethanienses nostri, & Simon accepti beneficij memor eundem conuiuio honorario excipit, & Maria vt amplius ipsum honoret, impensas facit, quæ ipsis quoque discipulis (vt mox audiemus) nimiæ videntur. Imitemur hos nos quoque, qui à peccatorum lepra curati & morte æterna liberati, multò maius beneficium à Christo accepimus. Non pudeat ergo nos illius & Euangelij ipsius, vtut aduersus illum mundus hic fremat atque insaniat. Excipiamus illum in verbo suo se nobis offerentem, & eidem excitemus bonam fragrantiam, qua tota dei domus repleatur. Fit hoc partim per Euangelij prædicationem quam nos longè lateq; pro virili nostra propagare decet, vt nomen illius salutiferum pluribus innotescat: partim si nos illi sistamus hostiam viuentem, & ita instituamus dicta factaq; nostra omnia, vt propter hæc nomen ipsius glorificetur apud eos quoq;, qui illud nondum verè agnouerunt. Hunc enim illi cultum grauißimum esse, paßim scripturæ docent. Bethaniensis veræ fidei exemplum. Lib. 3. cap. 2. Ioan. 9. & 12. Rom. 12. Matth. 5.

Secundò, vt hoc factum Mariæ discipuli acceperint, narratur. Indignantur, & animi indignationem verbis produnt: Ad quid perditio hæc vnguenti facta est? Nam poterat hoc vendi amplius quàm trecentis denarijs, & dari pauperibus. Fuit ergo vnguentum verè pretiosißimum. Nam si denarios Romanos intelligamus, quibus Iudæos illo tempore vsos fuisse supra in quæstione de censu Cæsari persoluendo vidimus, pretium hoc quadraginta florenorũ Germanicorum fuit. Porro quòd Marcus quosdam, Matthæus verò discipulos hæc dixisse tradit, hoc Ioannes vni Iudæ tribuit: nimirum quòd ille primus huius murmuris author fuerit, & plausibili pauperum prætextu reliquos, quibus ipsius improbitas nondum perspecta erat, in sententiam suam pertraxerit, qui postea audita Christi sententia conticuerunt. Hîc autem cum primis obseruari debet, quòd Ioannes hæc illum non ideò dixisse testatur, quòd ipsi pauperes curæ essent, sed quòd fur esset, & ex pecunijs suæ fidei creditis multa suffurari soleret. Voluisset ergo vnguentum hoc sibi commissum fuisse, quæ illi vberrima Discipuli Mariæ Bethaniensi irascuntur.

fuisse furandi occasio. Nam & pretium venditionis multò minus indicare, & postea etiam inter rationes accepti & dati suis artibus aliquid sibi ex illo decerpere poterat. Interim & œconomū fidum & diligentem pauperum patronum simulare potest, nec tam Mariam prodigalitatis, quàm Christum ipsum luxuriæ accusat, qui tantos sumptus patienter admittat, quorum vsus vtilior et sanctior in multis pauperibus alendis esse poterat. Admonemur exemplo hoc, nunquam defore, qui Christo bonam Euangelij fragrantiam inuideant, & illius cultum oppressum velint. Inter hos autem facilè primi sunt, qui cùm ex fidelium Christi numero censeri velint, in hoc tamen sua tantummodò quærunt. Simulant tales magnum zelum, & sanè lucri spe immodicum ardent. Vt primùm verò hæc fallit, aut Euangelij doctrinam cupiditatibus suis obstare vident, mox fremunt, & omnem huius opprimendæ occasionem circumspiciunt, vt suis rebus consulant, tandemq; hostes aperti fiunt, si dolis nihil proficere poßint. Tales hodie sunt non pauci ex præsulibus ecclesiasticis, qui sub Christi & ecclesiæ prætextu in ecclesiæ bonis voluptuantur & reges fastu atq; tyrannide superant. Tales quoq; pseudoeuangelici quidam, quibus nimium videtur, quicquid in scholas & verbi ministerium impenditur. Solent isti quoq; verbis magnificis pauperes, rempub. Dei gloriam & infinita alia prætexere, in quæ sumptus tanti melius collocari poßint. At interim Iudas agunt & prædones sacrilegos: nec contenti Christo ea surripuisse, quæ iam olim pij principes contulerunt, insuper illum produnt quoq; & hostiliter insectantur. Discant ergo pij istorum hominum clamores diligentr obseruare, nec sibi temere imponi patiantur. Si enim dilectos Christi discipulos Iudas fallere potuit, vt ipsi quoq; factum hoc Mariæ improbarent, quid obsecro nobis euenturum putabis, nisi diligenter vigilemus?

Nunquam deerunt, qui Christo suum honorem inuideant.

Sed Christum audiamus, qui Mariæ patrocinatur, & discipulos reprehendit. Est autē hoc perpetuum, quòd bona operantibus ille adest, eos verò corripit & punit, qui illis molestiam exhibent. Quid ergo de illis fiet, qui eosdem hostiliter persequuntur, & ea facere cogunt, quæ gloriæ ipsius aduersa sunt? Defensionis aut apologiæ propositio est: Omittite eam, nec illi laborem afferte. Posterius verò membrum interrogationis figura vestit, vt magis ostendat, sibi hoc ipsorum iudicium peruersum vehementer displicere. Causam siue rationem subijcit: Quia bonum opus operata est erga me. Bonum verò opus vocat, partim quòd hoc non sine occulta spiritus suggestione ex fide fecisset, partim propter typum & mysterium, de quo postea dicetur. At quia Iudas pauperes allegauerat, ad illud diligenter admodum respondet. Pauperes (inquit) semper habetis vobiscum, & quandocunq; volueritis, potestis illis benefacere: me verò non semper habebitis, &c. Docet nihil ex eo, quod hîc factum sit, pauperibus decessurum esse, siquidem illis benefacere cupiant: nec enim se tale quid requirere in posterum, sed extraordinarium hoc esse, quo suam mortem & sepulturam sic figurari oportuerit, cuius prædicatio totum orbem terrarum odore salutifero (quod etiam Paulus postea annotauit) sit repletura. Distinguit ergo Christus hoc loco inter præsens hoc Mariæ factum, & cultum ipsius ordinarium, quem in ecclesia perpetuum esse voluit. Vbi hoc tenendum est firmiter, nihil illum à nobis exigere, quod pauperibus fraudi & charitati aduersum sit, quam ille veram suorum discipulorum notam fore testatur. Tam ergo abest, vt Mariæ exemplum nostri seculi hominibus patrocinetur, qui vt Christum colant, opes suas in ligna & lapides, in monachos item & sacrificulos conferunt, vt potius illorum superstitiones validißimè impugnet. Ideò enim priusquam moreretur, officium hoc in illum conferri oportuit, quia post mortem nihil tale à nobis exigit amplius, eò quòd corpus suum è terris in cœlos transtulit, vt illic æternæ vitæ gaudijs fruatur. Substituit autem sibi pauperes, & alibi pollicetur, quòd in suas rationes velit ascribere quicquid beneficij à nobis in illos fuerit collatum. Illos ergo vestire, illos cibare, illos vngere & curare satagant, & in illos aurum & argentum suum erogent, quicunq; opibus suis Christo seruire cupiunt. Nec temerè ait, nos semper habituros pauperes, quibus benefaciamus. Idem enim per Mosem in lege monuit: vt discamus, non temerè hoc fieri quòd paßim locorum pauperes & egeni occursant. Constat quidem plerosque suo vitio pauperes fieri, attamen Deus illorum culpa in nostrum bonum abutitur, ne vnquam desint, in quos charitatis officia exerceamus. Vt ergo non indignantur fortes & animosi, si occasionem sibi offerri videant, qua quid fortiter & cum laude agant: Ita nec nos pauperum occursum indignius ferre decet, cùm illi nobis virtutis omnium pulcherrimæ occasionem præbeant, ex qua olim nos Christus pro suis agnoscet.

Christus Mariæ patrocinatur.

2. Cor. 2.

Christus pauperes sibi substituit.

Matth. 25.

Deute. 15.

Postremò

Postremò præmium quoque ingens mulieri huic pollicetur, dicens: Amen dico vobis, vbicunque prædicatum fuerit Euangelium hoc in toto mundo, etiam hoc quod fecit hæc, dicetur in memoriam ipsius. Nec inanem fuisse promissionem, rei euentus testatur. Extat enim in ecclesia vbiq; terrarum celebris & gloriosa Mariæ & fidei ipsius memoria, & eadem non vnquam abolebitur. Vides ergo pios, vtut iniquis mundi iudicijs proscindantur, non carere tamen laborum suorum fructu. Asserit enim in hoc quoq; seculo illorum innocentiam Dominus, & apud posteros eorum virtutem celebrat, qui cùm viuerẽt, infames & plerisq; exosi erũt. Nec fallit quod Solomon olim dicebat: Memoria iusti ad benedictionẽ, id est, celebris & laudabilis. Et illud: In memoria æterna erit iustus. Exempla sunt in prophetis & Apostolis, qui cùm suo seculo hominum contemptissimi & maximè infames essent, hodie apud illos etiam magnificè prædicantur, qui ipsorũ fidem & doctrinã adhuc odisse consueuerũt. Solentur nos ista aduersus impiorum calumnias, & discamus simul, quis verus Diuorum cultus sit. Prædicetur Euangelium, quod illi sanguine suo obsignarunt. Seruentur in memoria recenti exempla illorum, & eadem imitemur, quatenus illi Christum imitati sunt: qua de re non vno loco Paulus nos admonet. Si qui istis omissis, illos inuocant, ijsdem sacra faciunt, ij & Deo & illis iniuriam faciunt grauem, quando sanctorum nominibus contra verum Dei cultum abutuntur. Obstiterunt illi huic errori olim vehementer, si quando aliquos præpostera ipsorum admiratione detineri viderũt: sicuti Petri & Ioannis, Pauli item & Barnabæ exempla docent. Quare non putandum est, illos nunc in cœlis agentes aliter affectos esse. Vide quæ habentur Acto. 3. & 14.

Pietatis præmia à Deo constituta.

Prouerb. 10. Psalm. 112.

1. Cor. 4. et 11. Phil. 3. Hebr. 6. &c.

Nunc ad Iudam redeamus, qui Christi admonitione peior & contumacior factus, mox sacerdotes adit, quos sui similes & Christi hostes acerrimos esse nouerat, & suam illis operam in ipso prodendo offert. Gaudent illi, & auaro pecuniam triginta denariorum promittunt, qua ille inescatus omnem ipsum prodendi occasionem sedulò captat. Est hoc horribile exemplum, quo docemur, quanta sit cupiditatum cæcitas, & quàm violenter illis abripiantur, qui habenas semel laxarunt. Maxima autem auaritiæ vis est, quam Apostolus non temerè malorum omnium radicem vocauit. Hac enim excæcatus Iudas, nõn modò veterum Christi beneficiorum & dulcissimæ conuersationis, quæ illi cum ipso & reliquis discipulis intercesserat, verumetiam suæ dignitatis, imò salutis propriæ obliuiscitur, quando illi mortem struit, in cuius nomine prædicauerat, & quem Dei filium & promissum humani generis saluatorem vnà cum alijs Apostolis confessus fuerat. Et quid obsecro magis impudens fieri poterat, quàm quòd à nemine requisitus seipsum offert ad facinus omnium turpissimum, cuius vel sola mentio ipsi horrori esse debebat: nec aliquid causæ vel in speciem iustæ prætexit, sed de sola pecunia solicitus (vt Matthæus annotauit.) Quid (inquit) vultis mihi dare, & ego illum vobis tradam? Deniq; vilissimo pretio ipsum Dei filium vendere non veretur. At vtinam solus Iudas in hoc luto hæreret, & cum illo simul immanis habendi cupiditas perijsset, quæ etiam nostro seculo multos exagitat. Quid enim aliud faciunt hodie, qui publica iura, patriam, libertatem, honorem, pudicitiam, vitam deniq; ipsam pro vili pecunia prostituunt? Nihil nunc de illis dico, qui sacra omnia prophanant, qui ab Antichristianis sese conduci patiuntur, vt agnitam Christi doctrinam vel lingua & calamo, vel armis oppugnent.

Vt Iudas Christũ prodiderit.

Auaritiæ uis. 1. Timoth. 6.

Matth. 16. Ioan. 6.

Nec minus obseruari debet Iudæ industria, qui vt pecunia sibi promissa potiatur, omnem occasionem sedulò obseruat. Adeò sedulos & indefessos reddit cæca cupiditas, cum ad bonum omne pigerrimi simus. Quid enim non faciunt principes, vt regnorum suorum terminos propagent, & titulis inanibus potiantur? Quid non conantur hodie Monachi & Sacrificuli, vt Euangelij doctrinam extinguant? Quos non labores, sumptus, pericula, sustinent scortatores, adulteri, mercatores usurarij, mercenarij milites, ebriosi & infiniti alij horum similes, vt suis cupiditatibus indulgeant? Arguunt hæc nostram ignauiam, qui pro veritate & propria salute tuenda nihil ferre nec facere volumus: simulq; monent, ne ex nostro ingenio impios æstimemus. Nunquam enim dormiunt, quos Iudæ spiritus in veritatis odium excitat. Vigilemus ergo, & quam Dominus nobis commisit, stationem firmiter teneamus, vt olim æterna regni cœlorum beatitudine fruamur in Christo Iesu Domino nostro: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Impiorum industria.

HOMILIA CXVI.

Ac primo die Azymorum, quando pascha sacrificabant, dicunt ei discipuli sui: Vbi uis ut profecti paremus ut edas pascha? Et mittit duos è discipulis suis, & dicit eis: Abite in ciuitatem, & occurret uobis quidã amphoram aquæ baiulans, sequimini eum. Et quòcunq; introierit, dicite patrifamiliâs: Magister dicit, Vbi est diuersorium, ubi pascha cum discipulis meis edam? Et ipse uobis indicabit cœnaculũ magnum, stratum, paratum: illic parate nobis. Et abierunt discipuli eius, ueneruntq; in ciuitatem, & inuenerunt sicut dixerat eis, & parauerunt pascha. Et cùm uespera esset, uenit cum duodecim.

Argumentum & usus præsentis loci.

QVoniam Dei filius hanc vnam ob causam in cruce mortuus est, vt miseros nos suæ mortis merito ex peccati & mortis æternæ tyrannide assereret, passionis ipsius historiam ita describunt Euangelistæ, vt in singulis eius partibus siue circumstantijs vniuersa nostræ redemptionis & salutis ratio eluceat. Vidimus hoc in ijs, quæ hucusque de tempore & de ijs dicta sunt, qui inter homines præcipui mortis ipsius authores fuerunt. Imprimis verò huc pertinet vltima Cœna, quam cum discipulis suis habuit. Orditur enim hanc ab epulo paschali, quo ipsum Christum & salutis nostræ mysteria adumbrata fuisse nuper diximus. Deinde suam Cœnam instituit, quæ non ista modò continet, verumetiam officij admonet, quod tam ipsi Christo quàm hominibus debemus: sicuti suo loco dicetur. Accedunt his multa alia, quæ ad nostram institutionem & consolationem faciunt. In præsenti verò narratur, vt missis duobus discipulis Cœnam hanc præparari curauerit: quo loco luculentum exhibuit suæ diuinitatis specimen, & in discipulis fidei & industriæ exemplum proponit, cuius vestigia nos etiam sequi decet.

Discipuli quærunt de loco paschatis.

Principio discipuli producuntur, qui primo die Azymorum, quo agnus paschalis mactari solebat ex legis præscripto, Christum rogarunt vbi nam epulum hoc parari vellet. Quærunt autem non curiositate adducti, sed quia id facto opus erat, & quòd Christo rem gratam facere cupiunt. Viderant enim illum hactenus diligenter obseruasse quæcunq; in lege præcipiuntur, imprimis verò paschatis festum, quod præ alijs singulari diligentia & religione Deus agere iusserat. Quærũt ergo priusquàm iubeantur, & ita Christo suam operam offerunt sponte. Imitentur hos quicunq; Christo seruire volunt. Quia enim ipse propter nos serui formã suscepit, turpe foret, si qui illius merito redempti sunt, suum illi officium denegent. Ne tamen carnis nostræ affectibus decepti aberremus, ex ipsius ore discendum est, quid fieri velit, & quam nos in singulis rationem sequi oporteat.

Exod.12. Leuit.23. Philip.2.

Christus sacramentis ipse usus est.

Cumprimis verò obseruatu dignum est ipsius Christi exemplum, qui sacramentis à Deo patre institutis tam diligenter vsus est. Scimus enim ipsum circumcisum quoq; fuisse, & post impletos purgationis dies in templum deportatum fuisse, vt Domino sisteretur. Imò puer adhuc parentes Hierosolymam euntes cõmitatus est, & postea diebus festis frequenter interfuit. Adhæc ab Ioanne baptizari voluit, & illo hoc facere renuente, dixit: Sic decet, vt impleamus omnẽ iustitiam. Atqui sacramentis minime opus habebat, cùm is ipse sit, quem illa nobis adumbrant. Quia tamen homo factus erat, legi etiã subijci voluit, tum vt ab huius maledictione nos liberaret, tum vt nos suo exemplo doceret, quanta obseruantia & religione in ijs nos versari conueniat, quæ Deus nobis præscripsit. Arguit ergo eos, qui sacramenta pro superuacaneis cõtemnunt, & ab illis vel omnino abstinent, vel saltem absq; omni religione in ijsdem versantur. Clamant illi: Nemo nouit filium nisi pater, neq; patrẽ quisquam nouit nisi filius, & cuicunq; voluerit filius reuelare. Item: Nemo venit ad me, nisi pater meus traxerit eũ. Et rursum: Nihil est qui plantat, neque qui rigat, sed Deus, qui dat incrementum. Verè quidem ista dicuntur ab ipso Christo & Apostolo, sed eadẽ illi perperàm detorquent. Etsi enim vniuersa salutis ratio ex mera Dei gratia dependeat, & fidei Dei donũ sit: non tamen ideò tolli debet Dei ordo & institutũ, quo ille nobis fidem atq; salutẽ largiri consueuit. Atqui verbo externo & sacramentis Deum iam inde ab ipsa rerũ origine vsum fuisse in hominibus erudiendis, notius est quàm vt multis demonstrari oporteat. Misit verbũ suum (inquit Psaltes) & sanauit eos. Et vt olim Israelitis externa sacra &

Luce 2. Matth.3. Matth.11. Ioan.6. 1.Corinth.3. Ephes.2. Psalm.107.

crà & verbi ministerium dedit, ita Christum in nouo testamento vtrumq; instituisse scimus, quando discipulis dixit: Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomen patris & filij & spiritus sancti. Matth.28.
Nec illo tantùm tempore Apostolos emisit, qui Euangelij prædicatione & sacramentis ecclesiam colligerent. verumetiam hodie dat doctores, Euangelistas, prophetas & pastores, per quos illa instauretur conserueturq;: & perpetuò verum erit, quod Paulus dicit: Quomodo credent absq; prædicante? Ephes.4. Rom.10.
Item, Fides ex auditu est, auditus verò per verbum Dei. Quod satis docet, fidem & verbum Dei ex relatiuorum numero esse, adeò vt fides esse non possit, nisi quæ Dei verbo nititur & gubernatur. Vt autem fides ex verbo discitur, ita per sacramenta in vnam & eandem corporis ecclesiastici societatē colliguntur qui crediderunt. Et, vt Augustinus ait, in nullum nomen religionis, seu verum seu falsum coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum vel sacramentorum visibilium consortio. Contra Faust. Man.lib.19. cap.11.
Et idem sacrilegos fieri dicit, qui illa contemnunt, quia impiè contemnatur, sine quo pietas perfici non possit. Nam cùm ad fidei confessionem sacramentorum vsus cumprimis pertineat, quæ non postrema pietatis pars est, illa negligi non possunt, nisi simul fidem dissimulare, aut saltem eleuare libeat. Nec ista dicendo vel Dei omnipotentiam negamus, qui sine verbo & sacramentis homines illuminare & trahere poterat, vel gratiæ ipsius quicquam derogamus: sed eius bonitatem exosculamur, qui hominibus ministris & externis signis vti dignatur, & instar fidi magistri sese nostri captus infirmitati accommodat. Quam qui agnoscere nolunt, & vel verbum vel sacramenta pro superuacaneis ducunt, ipsum Deum contemnunt, & dum medijs ab ipso traditis vti dedignantur, inani & confidenti speculatione decepti pro fide opiniones futiles apprehendunt, quæ illis aliquando interitus causa sunt.

Sed ad Christum redeamus, qui duobus id negotij mandat de quo reliqui omnes ipsum compellarant. Fuerunt hi Petus & Ioannes, vt Lucas tradit. Atqui Iudam mittendum fuisse dixerit aliquis, cùm loculos ipsi Christus credidisset. Sed noluit amplius illius opera vti, quem cum apertis hostibus conspirauisse sciebat. Et simul exemplo suo docet, delectum habendum esse inter eos, quorum opera vti volumus, maximè in ijs, quæ ad Dei gloriam & publicam multorum salutem spectant. Nam & Solomon inquit, qui per stultum aliquid demandat, perinde facit ac si pedibus truncatum & temulentum iniquitate mitteret. E contra instar frigidæ niuis vel auræ crispantis tempore messis est fidus legatus. Qui verò perfidi sunt, non causæ modò quæ ipsis commissa est officiunt, verumetiam ijs dedecori sunt à quibus mittuntur. Et quantum mali ex eiusmodi legatis ad rempublicam redire soleat, speculatorum exemplo docemur, qui è terra Chanaan reuersi calumnijs suis toti populo murmuris & inobedientiæ, imò horribilis exitij authores fuerunt. Rursum in Romana historia Pompilius celebratur, qui ad Antiochum missus grauitate sua & constanti fide & illum Senatusconsulto obire coegit, & Ægyptum aduersus ipsius ferociam defendit. Meminerint horum non modò magistratus, verumetiam ecclesiarum ministri & antistites, ne quos temerè admittant, quorum leuitate vel improbitate respublica & ecclesiæ in discrimen adducantur.

Christus mittit Petrum & Ioannem.
Prou.25. et 26.
Num.13. et 14.

Quia autem de loco paschatis parandi discipuli interrogarant, hunc illis Christus diligenter, & non sine miraculo monstrat. Nam etsi certum aliquem hominem illis nominarit, vt ex Matthæo patet, quia tamen domum discipuli ignorabant, & fortaßis non tutum illis erat quemuis obuium compellare, docet quo signo illam agnoscere debeant. Occurret vobis (inquit) quidam amphoram aquæ baiulans, sequimini eum, &c. Quo loco primùm consideranda venit Christi paupertas, quam (vt Paulus testatur) spontè subire voluit, vt suo merito nobis cœlestis regni thesauros acquireret. Est enim ipse creator omnium, & ipsi omnis potestas data est in cœlo & in terra. At idem ille in mundo hoc peregre nasci voluit, & quidem in stabulo, vbi vix stramen erat, quo recens natus tegeretur. Deinde adeò nullas diuitias possedit, vt non habuerit quò caput suum reclinaret. Nunc domo caret & hospitio precario opus habet. Arguit hoc stupendam mundi huius ingratitudinem, qui suum creatorem & redemptorem ita neglexit, vt nullus illo pauperior fuerit. Regnat hæc adhuc hodie, & non obscura eius argumenta paßim cernuntur. Constat enim totam hanc mundi machinam propter pios conditam esse, quos Christus vt templum Dei viuentis inhabitat. Omnia vestra sunt (inquit Paulus) siue mundus, siue vita, siue mors, siue præsentia, siue futura, omnia inquam vestra sunt, vos au- 2.Cor.6. 1.Cor.3.

Christus locum paschatis indicat miraculo.
Christi paupertas.
2. Cor.8.
Matth.28.
Luc.2.
Matth.8.

tem Christi, Christus verò Dei, &c. Et propter pios mundo toti benefacit Deus, propter hos Solem oriri facit, propter hos pluuias cælo demittit, propter hos terram fæcundat, propter hos etiam regnis victorias & pacem largitur, vt in illis suæ ecclesiæ hospitia constituat. Interim hi ipsi ferè omnibus exosi sunt, incertis sedibus vagantur, & victu necessario plerunque destituuntur. At non inultam sinit tetram hanc mundi ingratitudinem Deus, cuius iusto iudicio fit, vt qui ipsum in membris suis è terra eijcere conantur, mutuis bellis se inuicem lacerent, ne huius seculi bonis fruantur, in quibus omnem salutis spem collocatam habent. Interim consoletur nos Christi exemplum, nec pigeat nos paupertatis ipsius socios fieri, qui nos sibi cælestis regni cohæredes adoptauit: & qui inter huius vitæ afflictiones nobis adest, & præter omnem hominum expectationem suos mirificè sustentat. Nam qui in præsenti sibijpsi & discipulis hospitium tam facilè inuenire potuit, idem etiam hodie hominum corda manu sua flectit & gubernat, vt cultoribus suis bene velint, aut etiam inuiti illis benefaciant.

Christi diuinitas.

Cæterùm in extrema hac paupertate Christus suæ etiam diuinitatis specimen luculentum exhibet. Nam absens corpore videt quid in vrbe rerum agatur, & simul in hominum animis agit efficaciter. Illius enim virtute fit, quòd eo ipso temporis momento ad portam venit qui aquatum ierat, quo discipuli vrbem ingressi sunt. Idem ipse etiam patrisfamiliâs animum flectit, ne ipsi & discipulis hospitium neget. Sunt huius generis multa, quæ Euangelicam historiam legentibus passim occurrunt. Huius autem miraculi in præsenti vsus fuit, quòd offendiculo crucis mederi voluit: ne scilicet de diuina ipsius potentia dubitarent, quando illum in cruce mortuum visuri erant. Non minus autem nos consolari debet historiæ huius consyderatio. Qui enim cum mortali adhuc corpore indutus esset, omnia vidit & vbique operari potuit: idem multò magis nunc in cælesti gloria agens omnia nouit, & omnibus pro suo arbitrio imperat. Et licet corpus suum in cælos subuexerit, spiritu suo & virtute vbique præsens est, sicuti discipulis olim promisit. Videt ergo nos periclitantes, videt exulantes, videt in carceribus gementes, videt in tormentis eiulantes, videt cum morte & inferorum terroribus luctantes: nec externa modò hæc videt quæ patimur, sed ipsos animos intuetur, & in illis ea agit, quæ nostram salutem adiuuant. Quid ergo afflictionibus offendimur? aut cur nobis graue videtur, in illius conspectu pugnare, qui non modò fauore suo pugnantes prosequitur, sed iisdem nouas subinde vires suggerit, quibus hostilem potentiã omnem vincant, & promisso æternæ beatitudinis brauio potiantur? Præterea ad vitæ & morum institutionem multùm facit diligens & frequens horum meditatio. Vt enim aquæ amphora onustũ vidit, etsi corpore suo ab vrbe longius abesset, ita hodie etiam omnium nostrarũ actionum, imò dictorum quoq; & cogitationum spectator est. Videt ergo etiam nimio vino madentes, videt scortantes & mœchantes, videt sanguinẽ fundentes innoxiũ, videt blasphemos, videt iura publica vendentes, sacra cauponantes, impostores, periuros, & quicquid vspiam scelerum designatur, vno intuitu videt, nec quicquam illius oculos potest subterfugere. Videt autem non instar otiosi spectatoris, verum idem iusta bilance nostra omnia ponderat, & olim iudex venturus est, quando illius tribunali omnes sisti oportet, ac libri aperientur, vt quisq; in corpore suo digna factis suis præmia recipiat. Hæc quicũq; cogitant, nisi toti stipites sint, næ multis abstinebunt, ad quæ prauis cupiditatibus & cogitationibus inflãmantur. Sed ô deploratã nostri seculi corruptionem, quando pleriq; hominũ aut nunquam de istis cogitant, aut si cogitant, tamen effreni licentia in omne scelus ruunt, & ipsi sibi nouas opiniones fingunt, quibus omnem diuini iudicij metum eludant.

Ioan. 14.
Matth. 18, 28.

2. Cor. 5.
Daniel. 7.

Discipuli Christo obtemperant.

Sed postremam huius loci partem videamus, qua discipuli abijsse dicuntur, & omnia reperisse, sicuti Christus prædixerat. Vbi in discipulis obedientiæ Christianæ exemplum habemus. Poterant multa causari, quò minus facerent quod iussi erant. Hierosolymam Christo inimicam esse sciebant. Hospes verò etsi nomine notus erat fortasse, adeò tamen exigua aut nulla cum illo familiaritas ipsis intercesserat, vt ne domum quidem eius scirent. Adhæc non vllum aliud tempus incõmodius censeri poterat, quo illum de hospitio appellarent, cùm propter ingentem peregrinorum concursum vix angulus aliquis in vrbe vacuus maneret. At omnia hæc vincit fidei obedientia, quæ ita à nobis omnibus requiritur, vt hanc Paulus Euangelicæ prædicationis finem esse, non vno loco testetur. Similiter in patrefamiliâs, quem illi conuenire debuerunt, non uulgare fidei & charitatis exemplum proponitur. Quàm enim periculosum fuerit Christo conuersari, nuper diximus. Accedebat insuper incõmoditas

Rom. 1. & 16.
2. Corinth. 10.

quadam & iactura, si illi locum daret, egeno & pauperi, cùm in tanto concursu non deessent, qui cœnaculum aliquo pretio conducerent. At quia Christum iam ante cognouerat, & illius spiritu mouebatur, omnia alia facilè contemnit, quæ diuersum suadere poterant. Imitemur nos exemplum hoc hodie, quando multa obstare videntur, quo minus Christo & cultoribus ipsius locum demus. Etsi enim horribilis sit multorum ferocia, qui illum vndiq; profligatum vellent, potest tamen ille & suis animū addere, & hostium conatus frangere, ne quod volunt poßint. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CXVII.

Et cùm accumberent ederentq́;, ait Iesus: Amē dico uobis, unus ex uobis prodet me, qui edit mecū. Ipsi uerò cœperūt esse tristes, & dicere ei sigillatim, Num quid ego? Et alius, Num quid ego? Ipse autē respondens dixit eis. Vnus ex duodecim qui intingit mecum in catinum. Filius quidē hominis abit, sicut scriptum est de eo: sed uæ homini illi, per quē Filius hominis proditur. Bonū erat ei, si natus nō fuisset homo ille.

INter præcipua, quæ mortem Iesu Christi præcesserunt, cumprimis memorabile est Cœna paschalis, quam cum discipulis suis postremam habuit. Vt enim pater vel discessurus vel moriturus, cum suis de rebus grauibus & maxime necessarijs agit: Ita Christus fecisse patet tum ex diuersis actionibus quas cum discipulis habuit, tum ex concione illa diligenti, quæ apud Ioannem describitur. In præsenti autem prima narratur actio, quæ illi cum Iuda intercessit, quem ipsius prodendi consilium cum sacerdotibus iam iniuisse, nuper audiuimus. Etsi enim hoc illum fecisse sciret Christus, tamen eundem ad mensam suam admittit, imò amicè & fideliter de ijs admonet, quæ ipsum scire intererat. Continentur ergo hîc multa, quæ ad nostram institutionem & consolationem faciunt, inter quæ præcipuum est, quàm diligenter admoneri debeant qui ad Cœnæ mysticæ cōmunionem accidere volunt, vt iuxta Pauli præceptum seipsos probent, ne dum suis sceleribus illam prophanant, sibijpsis iudiciū edant & bibant. Sed vt singula rectius intelligantur, actionis huius personas ex ordine inspiciemus, & quæ hîc breuius perstringuntur, aliunde sarciemus.

Argumentum & usus præsentis loci. *Ioan. 14. 15. 16.* *1. Cor. 11.*

Primus hîc prodit ipse Dominus noster Iesus Christus, qui (vt Ioannes scribit) mortis suæ recordatione conturbatus, Iudam admonet, qui in hanc cum sacerdotibus conspirauerat. Suo autem exemplo præceptū de diligendis inimicis interpretatur, quo hodie multi abuti solent. Sunt enim qui, ne quem odisse videantur, omnia dißimulant, nec aliquem admonent, licet illum grauißimè peccare, & peccando ad interitum ruere videant. Sunt item qui si arguantur, vel officij admoneantur liberius, mox in monitoribus suis charitatem desyderant, & illud omne ex odij affectu proficisci clamant. At optimus sui interpres Christus est, qui cùm ipsa sit charitas, Iudæ tamen scelus dißimulare noluit, sed illum libere & seriò admonet. Vnde discemus, nequaquam peccare eos, qui pro suæ vocationis ratione idem vel publicè vel priuatim faciunt. Imò non aliud officiū amoris honestius & salutarius est, quàm si fida admonitione reuocentur in viam, qui sibijpsis exitium accersunt. Nec amicorū loco habendi sunt, qui proximi sui peccata dißimulare possunt. Si enim filium odit pater, qui virgæ parcit, quomodo amicū vel inimicū diligere dicetur, qui peccantē nec admonet, nec corripit? Ne quid tamen hîc sub charitatis prætextu peccetur (quod facilè fit propter innatum nobis philautiæ affectum) prodest Christi exemplum diligenter considerare, vt eadem ratione & ordine vtamur, quo ille erga Iudam vsus est.

Christus Iudam admonet. *Ioan. 13.* *Matth. 5.* *Prouerb. 3.*

Primùm, quia impunitatis spe plerunq; homines peccant, dum se latêre & scelera sua celari posse arbitrantur, Christus Iudæ scelus ita arguit, vt nomini quidem ipsius parcat, satis tamen apertè testetur, se nihil eorum ignorare, quæ ille cum sacerdotibus egerat. Nam cum graui asseueratione ait: Amen dico vobis, vnus ex vobis prodet me, qui edit mecū. Habent hîc singula verba suum pondus, quoad sceleris amplificationem, attamen personæ (vt modò diximus) parcit adhuc, eò quòd illud nondum esset publicum, nec quenquam adhuc offenderat. In correptionibus ergo vel admonitionibus inter peccata publica vel manifesta & occulta distinguendum est: & hæc quidem prudenter tegi de-

1. Scelus arguit, ne hoc latere putet.

bent, ne ipsi illa patefaciendo maioris scandali authores simus, quàm ille fuerit qui ea cōmisit: illa verò, quia palàm multos offendunt, publicè etiam arguenda sunt, vt ea ratione scandalum è medio tollatur. Ad primum ergo peccatorum genus illud Solomonis pertinet, quod Petrus etiam allegauit: Charitas operit multitudinem peccatorum: & quod ipse Christus de proximo priuatim admonendo præcepit. Ad alterum verò referri debet, quod Isaiæ dicitur: Clama ex gutture, ne parcas, exalta instar tubæ vocem tuam, & annuntia populo meo præuaricationem suam, & domui Iacob peccata sua. Et illud Apostoli: Eos qui peccant coram omnibus argue, vt & cæteri timorē habeant. Et hanc quidem distinctionem & prophetas & Apostolos diligenter obseruasse patet, si illorum sermones attentè legamus.

Prouerb. 10. 1. Pet. 4. Matth. 18. Isaiæ 58. 1. Timoth. 5.

2. Sceleris authorem denotat signo.

Cæterum quia sciebat Christus, Iudam generali hac sceleris redargutione non moueri, apertius agit, vt animum obstinatum acutius feriat: Vnus ex duodecim (inquit) qui intingit mecum in catinum. Grauis sententia, quæ & sceleris atrocitatem arguit, & tantumnon oculis omnium subijcit illius authorem. Nam credibile est, eo ipso momento, quo hoc dicebat Christus, Iudā cum illo manum in catinum intinxisse. Imprimis tamen atrocis perfidiæ exprobratio obseruari debet, qua cæptam redargutionem intendit, & scelus amplificat. Nam per se graue & horrendum est, hominem innocentem prodere. At si hoc faciat, quo cum nobis aliqua notitia intercessit, non aliqua venia dignum facinus putatur. Si amicus aut socius, portento simile scelus est. At si insuper domesticus sit qui hoc audet, imò mensæ socius, sceleris atrocitas omnem humani ingenij captum superat. Quòd si idem faciat inter media sacra, quæ nos mutuæ coniunctionis in Deo mutuiq; officij admonent, quis non dignum iudicet, quem Deus fulmine cælitus demisso ad tartara præcipitet, illic sempiternis tum animi tum corporis supplicijs excruciandum? Atqui omnia hæc Christus paucis verbis comprehendit, & suo exemplo docet, vt gradibus suis correptiones assurgere debeant, si leniori admonitione & redargutione nihil proficiatur. Interim exemplum habemus eius, quòd alibi Christus de inimicis domesticis prædixit, & similia iam inde ab orbe condito multa accidisse constat. A fratre germano primus ex Adamo primogenitus Dei cultor Abel occiditur. Isaacum quoque frater Ismael, & Iacobum Esauus persequitur. Similiter Iosephum à fratribus in Ægyptum venditum fuisse legimus. Quid de Mose dicemus, qui cùm primùm populi sui curam suscepisset, ab Israelita publicè accusatus & in exilium abire compulsus fuit? Et idem postea acerrimos hostes habuit eos, quorum causa aulæ honores & opes reliquerat, & quibus se totum impendebat. Similiter David in Psalmis frequenter de perfidia eorum conqueritur, quibus cum aliquando amicè conuixerit, quos sacrorum socios habuerit, & qui eadem secum mensa vtantur. Et Paulus falsorum fratrum meminit, qui ipsi maximorum periculorum fuerint authores. Prodest autem ista obseruare, quò minus offendamur, si quid simile nobis hodie accidit, sed potius fidei constantia ad omnem euentum præparemur.

Matth. 10. Luc. 12. Exod. 2. Psalm. 38. 41. 55. 69. &c. 2. Corinth. 11.

3. Excusationē adimit, & pœnam denuntiat.

Sed ad Christum redeamus, qui cùm se apud Iudam ne sic quidem aliquid proficere videret, omnem sceleris excusationem adimit, & de pœna illius incipit concionari. Filius quidem hominis abit, sicut scriptum est de eo: sed væ homini illi, per quem filius hominis proditur, &c. Quibus verbis eum prætextum eripit, quem impij in prouidentiæ Dei decreto & prædestinatione quærere solent, vt se extra omnem culpam constituant. Mihi quidem (inquit) ita moriendū est, sicuti pater ab æterno constituit, & sicut prophetæ olim ex meo spiritu prædixerunt. At non ideò impunè feret proditor scelus suum, sed illum quoq; væ illud horrendum manet, quod ijdem prophetæ denuntiarunt. Fiet enim habitatio eius deserta, & episcopatum ipsius accipiet alter. Reuocabitur in memoriam apud Dominum iniquitas patrum ipsius, & peccatum matris eius non abolebitur. Amauit maledictionem, & obueniet ei: & noluit benedictionem, quæ longè recessit ab eo, &c. Deniq; ea erit illius conditio, vt bonum esset illi homini, si non fuisset natus. Qui locus euidenter docet, hominum peccata per Dei prouidentiam minimè excusari, quia impij non ad eius decreta respiciunt, sed affectibus suis ducuntur, vt iam alibi fusius dictum est. Nos uerò Christi exemplum imitari debemus, vt si quid nobis aduersi accidit, non in hominibus hæreamus, quorum improbitate illud infertur, sed ad Dei prouidentiam recurramus, sine cuius permissione iusta nemo hominum nobis nocere potest. Docet hoc alibi disertis verbis, quando capillos nostros numeratos esse dicit, & hinc consolationis argumenta petierunt

1. Pet. 1. Act. 1. Psalm. 69. 109.

Matth. 10. Gene. 45. 50. 2. Sam. 15. 16.

runt olim sanctissimi Dei cultores, Ioseph, Iobus, Dauid, & plures alij, quorum fides in scripturis commendatur. Simul verò discis, quàm graues pœnas mereantur, qui opum & mundi hui us studio decepti Christum reijciunt, & quantum in ipsis est produnt. Dum enim Iudæ consultius fuisse dicit, si nunquam natus esset, horribiles omnino & nunquam cessaturas pœnas illi comminatur. Quàm ergo infelices sunt, qui vt vitæ huic mortali consulant, Christum abnegare non verentur, sine quo vitæ huius vsus in sempiternos cruciatus desinit?

Postremò, cùm omnibus hisce Iudas adeò non emolliretur, vt potius Christum impudenter interrogaret, num de se ista diceret, scelus simul & ipsum palàm arguit, dicens: Tu dixisti. Nec enim diutius vel Iudas vel facinus ipsius celari poterat. Et ita quidem agendum est cum ijs, qui incurabiles esse pergunt, & quorum improbitas alijs scandalo esse potest. Vehementer ergo errant, qui hodie neminem traduci volunt, & à Christiana charitate & modestia alienissimum facinus esse vociferantur, si qui publicè peccant, liberius arguantur, maximè, si in aliqua dignitate sint constituti. Quasi verò hominis impij dignitas, quam ipse iam ante prophanauit, pluris fieri debeat, quàm multorum salus, qui ipsius exemplo corrumpi poterant. Quin ipsa charitas nos publicam salutem multorum priuatæ quorundam libidini præferre docet. Viderunt hoc olim prophetæ, qui ipsis regibus in faciem resistere ausi fuerunt, & ne nominibus quidem abstinuerunt aliquando, sicuti in Sobna & Iehoiakim est videre, quos nominatim perstrinxerunt Isaias & Ieremias. Cur enim non publicè reprehendantur, quos publicè peccare non pudet? Et hæc quidem de Christo dicta sufficiant.

4. Incurabilem manifestat.

Isaiæ 22. Iere. 22. & 36.

Secundo loco discipulos videamus, quid illi his auditis fecerint. Cœperunt tristes esse, & (vt Ioannes scribit) se inuicem mœsti aspiciunt: deinde singuli interrogãt, num de se istud loquatur. Meretur hîc non vulgarem laudem, quòd rei indignissimæ mentione contristantur, & illorum torporem suo exemplo arguunt, quibus non admodum cordi est, etsi multa aduersus Christum iniquissimè fieri intelligant. Simul tamen carnis ingenium eo produnt, quòd singuli alios inspiciunt, nemo autem illorum in seipsum descendit, vbi singuli inuenire poterant, quod illos ad preces excitasset, ne immane hoc scelus in ipsos caderet. Sed ita solet caro, maximè quando vitia in genere accusantur: quæ causa est, quòd correptionibus & admonitionibus minus proficitur. Discant ergo singuli seipsos inspicere, & quæ in genere dicuntur sibijpsis applicare, & mox magnam sese emendandi occasionem habebunt.

Discipuli mœsti se inuicem inspiciunt.

Postremò de Iuda quædam restant dicenda. In quo primùm hypocrisis astus doliq; plena elucet. Nam furem fuisse insignem nuper ex Ioanne didicimus. Furta tamen sua sic hactenus dissimulauit, vt nemini discipulorum suspectus fuerit. Si enim talem esse cognouissent, quis dubitat illos in hunc vnum oculos suos coniecturos fuisse? Sed perpetuò verum est, quòd Christus filios huius seculi prudentiores esse dicit in generatione sua, quàm filios lucis: nec temere idem ille admonet, vt nobis ab hominibus caueamus: ijs nimirum, qui nihil aliud quàm homines sunt, & corruptis carnis affectibus ducuntur. Nam in hoc ferè à pijs peccatur, quòd dum ex suo ingenio omnes alios æstimant, seipsos impiorum insidijs exponunt. Deinde audaciæ incomparabilis exemplum est Iudas. Nam & mensæ Christi sese adiungit, qui cum sacerdotibus in illius mortem conspirauerat, & cùm hunc nihil eorum latere audiat, quæ ipse moliebatur: adhuc tamen quasi optimè sibi conscius interrogat, num de se ista pronuntiet. Similia exempla in alijs quoq; impijs habentur. Ad eundem modum Cain à Deo interrogatus, Vbi sit frater ipsius Abel? respondet: Num custos fratris mei ego sum? Longè aliter pij agunt, qui vt primùm Dei verbo conscientias suas feriri sentiunt, culpam suam fatentur, & supplices veniam petunt, sicuti in Dauide patet: qui sceleris conuictus mox dicebat: Peccaui Domino, miserere mei Deus secundùm multitudinem miserationum tuarum. Nos verò vt pios imitari debemus, ita impiorum mores suspectos habeamus, ne quando nobis imponant. Oremus autem Deum, vt is corda nostra emollire dignetur, vt verbi sui admonitionibus meliores facti regnum cœleste olim possideamus in filio suo Iesu Christo, cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum.

Amen.

Iudas hypocrisis & audaciæ exemplum.

Lucæ 16. Matth. 10.

Gene. 4.

2. Sam. 12. Psal. 52. &c.

HOMILIA CXVIII.

Et edentibus ipsis, cùm accepisset Iesus panem, & benedixisset, fregit, deditque eis, & ait: Accipite, edite, hoc est corpus meũ. Et accepto poculo, cùm gratias egisset, dedit eis: & biberunt ex eo omnes. Et ait eis: Hic est sanguis meus, qui est noui testamẽti, qui pro multis effunditur. Amen dico uobis, non bibam amplius de fructu uitis, usque ad diem illum, quo ipsum bibam nouum in regno Dei. Et cùm hymnum cecinissent, exierunt in montem oliuarum.

Argumentum & usus præsentis loci.

IN salutis ratione tradenda Deus iam inde ab ipsa mundi origine duo potissimùm adhibuit, Verbum nimirum & Ceremonias siue Ritus externos quos hodie Sacramenta vocant: & verbo quidem salutis nostræ mysteria, & quod nostrum sit in his officium, dilucidè exposuit. Sacramentis verò salutis promissiones obsignauit, & eiusdem mysteria sensibus externis adumbrauit, quò maior esset nobis fidem exercendi ac nosipsos in hac confirmandi occasio. Vtroque igitur Christus Iesus quoque vti voluit, qui nobis à Deo salutis author simul & doctor datus est. Nam verbum Dei ipse olim prædicauit sedulò, & idem Apostolos instituit, quorum ministerio illud in orbe terrarum vulgaretur. Deinde veteris quidem Testamenti sacramenta, quæ sanguine ferè constabant, sui sanguinis effusione abrogauit, in illorum verò locum alia instituit, virtute (vt Augustinus ait) maiora, vtilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora: quorum idem vsus est, & quæ noui Testamenti gratiæ, Deique nobis reconciliati mysterio melius conueniunt: Baptismum videlicet, et Cœnam mysticam: ex quibus ille quidem nostræ ablutionis & regenerationis, adoptionis item in ecclesiam symbolum est: hæc verò solennem mortis Christi commemorationem continet, quæ & promissiones salutis nostræ obsignat, & nostri nos officij admonet. Cuius vt maior esset authoritas, illam in Cœna, quàm cum suis discipulis postremam habuit, instituere voluit, vt vnanimi consensu Euangelistæ & Paulus testantur. Nobis autem prima eius institutio eò maiori diligentia consyderanda est, quòd Deum omnibus seculis horrenda iudiciorum suorum exempla edidisse constat in eos, qui suis hisce mysterijs vel per contemptum vel superstitiosè abusi sunt: & quòd nostro seculo rem hanc omnem contentiosis disputationibus homines partim superstitiosi, partim turbulenti & ambitiosi obscurauerunt. Nos tamen, quia ab alijs prolixè explicata sunt, quæcunque in contentionem venerunt, ea duntaxat perstingemus, quæ ad simplicium institutionem & ædificationem faciunt, & sine quorum cognitione Cœna ritè & dignè percipi non potest. Quod vt commodius fiat, totam institutionis ipsius historiam, quam pro suo more Marcus succinctius descripsit, ex reliquis Euangelistis & Paulo sarciemus: quæ sic habet.

Cont. Faust. lib. 19. cap. 13

Institutionis Cœnæ historia ex omnibus collecta. Matth. 26. Lucæ 22. 1. Corinth. 11.

Vespere facto, ea nocte qua tradebatur Iesus, discubuit cum duodecim. Et vescentibus eis accepit Iesus panem, & cùm benedixisset, fregit, deditque discipulis suis, & ait: Accipite, edite, hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur, vel frangitur. Hoc facite in mei commemorationem. Similiter cùm cœnatum esset, accepit poculum, & cùm gratias egisset, dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes. Et biberunt ex eo omnes. Et dixit eis: Hic est enim sanguis meus, qui est noui Testamenti (uel iuxta Lucam & Paulum: Hoc poculum est nouum Testamentum in meo sanguine) qui pro uobis & pro multis effunditur in remissionem peccatorum. Quotiescunque hoc feceritis, facite in mei commemorationem. Amen dico vobis, non bibam amplius de fructu vitis, vsque ad diem illum, quo ipsum bibam nouum in regno Dei. Quotiescunque ergo de hoc pane ederitis, & de poculo hoc biberitis, mortem Domini annuntiate, donec venerit. Hæc totius historiæ summa est, in qua primò quid sit à Christo institutum videbimus. Deinde quo ritu ille vsus sit, & quo nos hodie vti conueniat. Postremò quod nostrum sit in huius administratione & vsurpatione officium.

Quid sit Cœna & quid in illa nobis traditum.

Quoad primum, Cœnæ nomen vulgò obtinuit, nimirum quòd illam Christus vespertino tempore instituit, quando epulum paschale habebatur, in cuius locum successit. At nõ vulgarem esse Cœnam, ex Christi verbis colligitur, qui bis eandem sententiam repetit: Hoc facite in mei cõmemorationem. Item quòd dicit: Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur. Hic est sanguis meus, qui est noui Testamenti, &c. Ex quibus Cœnæ definitio vera & perfecta peti potest, si dixeris: Cœna est actio

sacra,

sacra, quæ ex Christi mandato & instituto peragitur in commemorationem mortis ipsius, qua ille nouum Testamentum perfecit, vt regni cælestis hæredes efficeremur. Actionem dico, quia Christus nos aliquid facere iubet, & vt Cœna non erit, in qua nec editur nec bibitur: ita nec Domini Cœnam symbola nuda & verborum recitatio constituent, nisi simul id fiat, quod fieri iussit Christus. Et ea est omnium Sacramẽtorum tam veteris quàm noui Testamenti ratio, vt si actionem à deo præscriptam tollas, illa per se nihil nobis prosint. Sacræ verò sunt eiusmodi actiones, quo nomine à prophanis distinguuntur. Causa efficiens Cœnæ Christus est, qui eam nobis instituit. Causa finalis, commemoratio mortis Christi: eius (inquam) mortis, quæ nouo Testamento suum effectum dedit, vt Dei hæredes efficeremur. Vbi nobis noui Testamenti ratio consyderãda erit, quæ vniuersam nostræ redemptionis causam comprehendit, & proinde non exiguam huic causæ lucem afferet. Testamenti vocabulum pro fœdere sumi ex Paulo constat, qui in eadem causa testamentum vocat, quod Hebræi Berith, id est, fœdus dixerunt. Et magnam inter testamenta & fœdera affinitatem esse constat, siue promissiones, quæ in vtroq; fiunt, siue tabulas & sigilla spectes, quibus promissiones illæ confirmantur. Testamentum verò siue fœdus olim cum patribus Deus fecerat, quod quia posteri violarunt, illius innouationem per prophetas pollicetur. Et huc facit Ieremiæ locus, apud quem sic loquitur Dominus: Ecce dies venient, vt feriam cum domo Israel & cum domo Iuda fœdus nouum: non iuxta fœdus, quod pepigi cum patribus ipsorum, quando prehensa manu eorum eduxi eos de terra Ægypti: quod fœdus meum ipsi irritum fecerunt, & ego ostendi me esse Dominum eorum, dicit Dominus. Hoc verò fœdus est, quod feriam cum domo Israelis post dies istos, dicit Dominus: Inseram legem meam in interiora eorum, & cordi eorum inscribam eam, eroq; deus eorum & ipsi erunt mihi populus. Et non docebit quis vltra proximum suum, aut vir fratrem suum, Cognoscite Dominum, sed omnes me cognoscent à minimo eorum vsq; ad maximum eorum, dicit Dominus, quia propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum eorum nõ recordabor amplius, &c. Hæc de nouo Testamẽto pollicetur Deus, quæ si cum fœdere priori cõferas, quo patres sibi obstrinxit olim, eadem omnino inuenies. Nouum tamen & diuersum vocat multas ob causas. Primò quòd Iudæis in Babylonem abductis, & inter gentes dispersis propter peccata ipsorum, Deus fœderis sui omnino oblitus videbatur, & cùm illi ab eo excidissent instauratione vel innouatione opus erat. Deinde quia nouum populum ex gentibus adoptari oportuit, & ecclesiæ fines nouos per totum orbem extendi, quæ prius Iudaicæ terræ limitibus concludebatur. Tertiò facies quoq; ecclesiæ noua exorta est, quando sublatis vmbris veritas ipsa innotuit, & abolitis cruentis mysterijs alia mitiora in illorum locum successerunt, vt paulò ante diximus. Denique veritatis cognitio illustrior & vulgarior fieri debuit, quæ prius sub legalium sacrorum inuolucris latebat, & à prophetis obscuris proponebatur, vt aliquando vix ipsi Sacerdotes quid ageretur vel diceretur, intelligerent. Vides ergo non temere nouum dici Testamentum illud salutis. At quia hanc testamento complecti voluit Deus, mors intercederet necesse erat: quia testamentum in mortuis demum ratum est (vt Paulus ait) nec suum effectum sortitur, quoad testator vixerit. Deum verò mori impossibile est. Qui ideo filium suum hominem fieri voluit, vt morte sua testamentum hoc ratum faceret. Et hoc ipse innuit, quando poculum mysticum propinans, hunc sanguinem noui testamenti dicit: Vel, Hoc poculum est nouum testamentum in sanguine meo. Quare Cœnæ finis præcipuus est (vt supra diximus) commemoratio mortis Domini: non quidem frigida & perfunctoria, quæ circa solam eius historiam occupetur, sed quæ cum fide coniuncta mortis Christi meritum & effectum maximè spectet, ipsumq; Christum redemptorem firmo & indubitato animi assensu apprehendat. Et hunc illius finem præcipuum esse dico, quia solus hic Christi verbis exprimitur, & à Paulo vnicè commendatur, quando ait: Quotiescunq; de hoc pane ederitis, & de poculo hoc biberitis, mortem Domini annuntiate, donec venerit. Quò veteres quoq; cumprimis respexisse constat, quando Cœnam hanc εὐχαριστίαν, id est, gratiarum actionem dixerunt. Ex hoc fine verò dependent alij nonnulli: nimirum quòd & fidei professioni seruit & in ecclesiæ vnitatem nos omnes colligit, (quo nomine olim à nonnullis σύναξις dicta fuit) & officij admonet, ne qui Christi morte redempti sumus, professionem nostram vel alienis superstitionibus, vel vitæ immunditia & sceleribus polluamus, de quibus omnibus nos Paulus in priori ad Corinth. admonet. Confutantur ergo hoc loco, quicunq; alios Cœnæ dominicæ fines constituunt: vt qui Christum in ea sacrificari, aut corpora ad re-

Hebr. 7. 8. &c.

Testamentum nouum.

Iere. 31.

Hebr. 9.

Finis Cœnæ Cõmemoratio mortis Christi.

1. Corinth. 10.

ſurrectionem paſci, aut Chriſtum corporaliter ſub panis & vini ſymbolis inueniri & realiter ore corporis percipi contendunt. Omitto diabolicas exorciſtarum, veneficorum & necromanticorum ſuperſtitiones, qui euchariſtico pane ad ſuas artes illicitas abutuntur: eò quòd illas æterno ſilentio ſepeliri, quàm verbis reprehendi vtilius eſt. Quid enim horum dixit Dominus? Num, Hoc facite in ſacrificium pro peccatis mortuorum atq; viuentium? Vel, Hoc facite, vt meo corpore paſti, in nouiſſimo die reſurgatis? Vel, Hoc facite, vt quotieſcunq; mea præſentia vobis opus eſt, me in iſtis ſymbolis inuenire poſſitis? Certè nihil tale verba Chriſti ſonant, qui ſimpliciter de Cœnæ vſu & fine loquens dixit: Hoc facite in mei commemorationem. Quid ergo iuuat fines Cœnæ alios conſtituere, qui præter inanem opinionem nihil in ſeſe habent, & præterea rixis atq; contentionibus materiam ſuppeditant?

De uerbis Cœnæ, Hoc eſt corpus, &c.

At idem Chriſtus (inquis) dixit: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis frangitur, vel traditur: Hic eſt ſanguis meus. Verba hæc clara ſunt & perſpicua, vt nec declaratione aliqua opus habeant. Nam δεικτικῶς de pane dicitur: Hoc eſt corpus meum, &c. Et verbum ſubſtantiuum Eſt, tropum omnem excludit, & veram atq; realem corporis & ſanguinis præſentiam in Cœna conſtituit. Ad iſta facilis eſt reſponſio, ſi quis mentem verborum Chriſti, & rem ipſam potius, de qua agitur, inſpicere, quàm literam pertinaciter & abſq; ratione vrgere velit. Nam & nos Chriſti verba agnoſcimus, ſed eadem penitius inſpicienda eſſe dicimus, ne dum pro illis contendimus, rem ipſam amittamus. Conuenit autem aduerſarijs nobiſcum in eo, quòd in præſenti de Sacramento agatur. Inde nos inferimus locutiones haſce ſacramentales eſſe, & pro communi ſacramentorum ratione exponi debere: quæ eſt, vt cùm ſacramenta ſigno conſtent & re ſignata, propter vnionem ſiue analogiam ſigna plerunq; rei ſignatæ nomen accipiant. Docent hoc infiniti loci, in quibus de ſacramentis agitur. Circumciſio fœdus ipſum dicitur, & tamen de ijs, qui circuncisi erant, Deus conqueritur (vt modò diximus ex Ieremia) quòd fœdus ſuum irritum fecerint. Verè tamen ſic dicitur, quia fœderis & promiſſionum ipſius ſignaculum erat. Sic paſchale epulũ tranſitus dicebatur, cùm tranſitus olim in Ægypto facti eſſet commemoratio. Et ſacrificia in lege peccata & peccatorum expiationem dicta fuiſſe, notius eſt, quàm vt multis demonſtrari oporteat: cùm ſcriptura dicat, ſanguine taurorum et hircorum peccata expiari non poſſe. Propter typum autem iſtud nomen accipiunt, quòd in illis Chriſtus figuraretur, qui noſtra peccata in ſe tranſtulit, & (vt Paulus ait) pro nobis peccatum factus eſt, vt nos efficeremur iuſtitia Dei per illum. Facit eòdem, quòd Paulus patres iiſdem ſacramentis nobiſcum participaſſe, & in illis ſimiliter vt nos baptizatos eſſe, & eundem cibum ſpiritualem comediſſe & potum eundem hauſiſſe ſcribit, Chriſtum videlicet, qui in ipſorum ſacramentis adumbrabatur. Quis verò hos ipſam Chriſti carnem realiter et ſubſtantialiter vel corporaliter comediſſe dixerit, quæ illo ſeculo nondum nata erat? Quòd ſi ad noui Teſtamenti ſacramenta tranſeamus, idem in illis quoq; reperire licebit. Baptiſmum enim regenerationis et innouationis lauacrum dici ſcimus, quòd per tropum dici propter regenerationis & innouationis myſterium, vel ex eo patet, quòd in multis baptizatis nulla proh dolor, regenerationis & innouationis Chriſtianæ veſtigia cernuntur. Nec tamen ſcripturam ideo mendacij accuſamus, quæ regenerationem & ablutionem peccatorum baptiſmo tribuit, in quo illius myſterium adumbratur & obſignatur. Hæc cùm ita ſint, quæ obſecro ratio obſtat, quò minus Cœnæ verba ſimiliter interpretemur? Aut cùm aliorum ſacramentorum eadem ſit ratio, quibus argumentis Cœnam ab hac exemptam eſſe probabimus? Oh, verba (inquis) perſpicua, rotunda & certa ſunt, vt de illis dubitare homini Chriſtiano nefas ſit. Num verò magis perſpicua & certa ſunt illis: Hoc eſt fœdus meum, circumcidatur omnis mas: Eſt enim tranſitus Domini: Victima eſt peccatum: Petra erat Chriſtus, &c. Quòd ſi illa ſobriè & religioſe interpretari licet, ne quid in fidei analogiam peccemus, quæ religio eſt, in ſolis Cœnæ verbis omnem interpretationem reſpuere?

Gene. 17. Exod. 12. Leui. 4. 5. &c. Hebr. 10. 2. Corinth. 5. 1. Cor. 10. Titi 3. Epheſ. 5. 1. Pet. 3.

Sed dicet quiſpiam, à literali ſcripturæ ſenſu non diſcedendum eſſe, niſi neceſſitas cogat, ne quid fidei principijs cõtrarium ſtatuamus. Admitto regulam, & neceſſitate nos cogi dico, vt verba Cœnæ per tropum Metonymiæ interpretemur, ne dum illis pertinaciter inhæremus, fidei principia labefactentur, & ipſi ſub religionis prætextu flagitium admittamus. Nec enim aſpernamur Diui Auguſtini regulam, quã ille locutiones ſcripturæ agnoſcere docet, figuratæ ne ſint, aut propriæ, quæ talis habetur: Si præceptiua oratio eſt aut flagitium aut facinus vetans, aut vtilitatem aut beneficentiam iubens, non eſt figurata. Si aut flagitium aut facinus videtur iubere, aut vtilitatem aut beneficentiam

Metonymia

De doct. Chr. lib. 3. cap. 16.

riam vetare, figurata est. Et mox exempli loco Christi verba ex Ioannis sexto adducit: Nisi manducaueritis (inquit) carnem filij hominis, & sanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis: & addit, Oratio hæc facinus vel flagitium videtur iubere: Figura est ergo, præcipiens passioni Domini esse communicandum, & suauiter atque vtiliter recondendum in memoria, quòd pro nobis caro eius crucifixa & vulnerata sit. Hæc omnia Augustini sunt, quæ vt regulam dijudicandi scripturas tradunt, quàm nemo sanæ mentis, opinor, damnauerit, ita eandem in sacramentalibus locutionibus adhibendam esse, & iuxta hanc Cœnæ verba quoque exponi debere docet. Neq; hîc eos moramur, qui Ioannis sextum Cap. nihil ad Cœnam pertinere clamant. Etsi enim illic nec Cœnam instituerit Christus, nec etiam de illa ex professo disseruit, ibi tamen de corporis sui manducatione loquitur, pro qua hodie contenditur, & cuius ergo aduersarij nostri Cœnæ verba absque omni tropo accipi debere clamant. Aut ergo ad Cœnam pertinere fatebuntur quæ apud Ioannem de corporis sui manducatione Christus docet, aut in Cœna manducationem institutam esse dicent diuersam ab ea, quæ Ioānis sexto traditur. Si eadem est vtrinq; manducatio, penes nos est huius certaminis victoria. Nam Christus discipulis suis verba ipsius iuxta literam & τὸ ῥητὸν intelligentibus hoc omne spiritu confici dicit, & ipsos aliquid carnale aut corporeum imaginari prohibet. Quòd si diuersam ab hac manducationem in Cœna institutam esse dicent, hanc non aliam, quàm sacramentalem, ostendere poterunt, quam & ipsi agnoscimus. Quid ergo nobiscum litigant? Num quòd vnà cum pane & vino corpus & sanguinem Christi realiter vel corporaliter percipi negamus? Atqui hoc Christi verba non docent. Nec enim dicit: In vel cum vel sub hoc pane est corpus meum, &c. Sed, hoc est corpus meum. Quæ verba si frigidè & absque omni tropo accipi debent, certè nec illorum sententia consistet, quæ tropum manifestum habet, quo continens pro contento sumitur, & contra. Quòcunq; ergo sese vertant, figuratas locutiones agnoscere cogentur.

Et licet ista cordatis sufficere poßint, tamen propter rudiores & infirmos, quos veteris superstitionis persuasio adhuc dubios tenet, rationes aliquas proferemus, quæ vt verba Cœnæ per tropum exponamus nos mouent, nisi ipsa fideì Christianæ fundamenta conuellere libeat. Primò monet hoc finis incarnationis Christi, qui non alius est, quàm quòd illum carnem assumere oportuit, vt haberet quod pro nobis offerret, & cuius merito nos redimeremur. Vnde ita argumentamur: Caro Christi nullum extra nostræ redemptionis negotium vsum habet in terris. At redemptio nostra in cruce facta est plenè & perfectè. Ergo nullus illius posthac in terris vsus est: nimirum quoad corporalē præsentiam spectat. Minorē Christi verbis probamus, qui iam moriturus dixit, Cōsummatum est. Quæ Paulus exponens scribit: Christus per proprium sanguinem ingressus est semel in sancta, æterna redemptione reperta. Et rursum: Hic vna oblata victima, perpetuò sedet ad dextram Dei, id quod superest expectans, donec reddantur inimici eius scabellum pedum ipsius. Et ad Romanos totam nostræ redemptionis causam Christi morte, resurrectione, ascensione in cœlos & ipsius pro nobis intercessione comprehendit. Christus est (inquit) qui mortuus est, quin qui & suscitatus est, qui etiam est ad dextram Dei, qui & intercedit pro nobis. Quid, quòd ipse Christus se post mortem in mundo futurū esse negat, imò expedire nobis ait, vt in cœlos subuectus illic nobis locum paret, & inde spiritum mittat paracletum, cuius auspicijs atq; suggestione regamur. Ineptißimæ ergo & friuolæ sunt disputationes de carnis ipsius præsentia, cuius nulla potest esse posthac in terris hisce vtilitas.

[Cœnæ uerba per Tropum exponi debere.]
[1. Finis incarnationis.]
[Hebr. 9.]
[Hebr. 10.]
[Rom. 8.]
[Ioan. 16, 14.]

Secundò vt carnalem Christi in Cœna præsentiam negemus, ipsa corporis Christi conditio monet. Illud enim verum corpus est, & corporis veri proprietates habet, inter quas præcipua est, certo loco contineri, iuxta illud Augustini: Spacia locorum tolle corporibus, nusquam erunt: & quia nusquam erunt, nec erunt. Tolle ipsa corpora qualitatibus corporum, non erit vbi sint, & ideò necesse est, vt non sint. At corpus illud Christi in cœlos ascendit. Ergo nulla illius in terris statui debet præsentia. Christum autem corpus verum ex Maria assumpsisse, et illud post resurrectionē quoq; veri corporis propria retinuisse, locoq; certo contineri omnis scriptura & imprimis resurrectionis ipsius historia testatur, in qua locum illi aßignant angeli, & ille sese videndum & palpandum discipulis exhibet, vt se vero corpore suo resurrexisse ostendat. Minorem verò articulo symboli Apostolici probamus, cui ipsa ascensionis Christi historia & totius scripturæ authoritas consentit. Neq; hic illorum commentis locum damus, qui cœlos & dextram Dei pro cœlesti conditione Christi & diuinæ maiestatis

[2. Corporis Christi cōditio.]
[Ad Dardanum.]
[Marc. 16.]
[Lucæ 24.]
[Acto. 1.]

consortio interpretantur, & illum mutata tantùm conditione sua nunc etiam in terris corporaliter quidem, sed tamen inuisibiliter, versari dicunt. Nam vt voces istas interdum ita accipi demus, in præsenti tamen historica narratio contexitur rei visibiliter gestæ, & Christus ipse se eò abiturū prædixit, quo in nouißimo die suos omnes colligi oporteat. Vado (inquit) paraturus vobis locum. Et Paulus ait: Conuersatio nostra in cœlis est, vnde saluatorem nostrum expectamus, Iesum Christum, &c. Nunc ergo in cœlis per fidem Christus quæri debet, non in terris, quas illum reliquisse scimus. At miraculosè (aiunt) Christus in cœlis simul & in terris est, & corpore suo perinde vt diuinitate omnia implet. Audio. Sed quis obsecro nobis potestatem fecit miracula fingendi, quorum scriptura nusquam meminit? Vel quis ineptiarum modus erit, si ab omnipotentia Dei argumentari licet, vbi nullum extat voluntatis diuinæ testimonium? Eadem ratione plures mundos esse probabimus, & præter id quod nostris sensibus apparet, elephantes volare, testudines cum ceruis cursu contendere, aquam ardere, terram circumferri, & infinita alia eius generis. Deus certè omnia quæ voluit, fecit (vt in Psalmis legitur) non quæcunq; potuit. Et ipse Christus ne miraculis & signis credamus monuit, & ne illis fidem habeamus, qui nouißimis seculis illum in terris hisce hinc inde monstraturi sint, vt Cap. 13. vidimus.

Ioan. 14. Philip. 3. Psalm. 115.

3. Cœnæ ratio.

Tertiò, ipsa Cœnæ ratio monet, ne corporalem in ea Christi præsentiā statuamus. Primò etenim in hac nō corporis, sed animæ negotium agitur, quæ cùm spiritus sit, cibo etiam spirituali opus habet, nec carne aut sanguine sustentari potest: sustentatur autem & seruatur virtute Christi & mortis eius merito, quam in carne pro nobis sustinuit. Deinde commemorationis vel memoriæ ergò instituta est, qua Christum olim pro nobis mortuū & nouißimo die in nubibus cæli rediturum recolamus. Vnde Paulus dicebat: Annuntiate mortem Domini, donec venit. At quomodo hoc dicere potuisset Apostolus, si illum iam corporaliter adesse credidisset? Nemo certè memoriam rei præsentis & ob oculos versantis instituit.

4. Verba poculi diuersimodè ponuntur.

Quartò quæ de poculo dicuntur, tropum manifestè produnt. Marcus enim & Matthæus ea verba sic enuntiant: Hic est meus sanguis noui Testamenti, qui pro multis effunditur. Lucas verò & Paulus effectum potius & fructum sanguinis respicientes, aiunt: Hoc poculum est nouū Testamentum in meo sanguine. Vbi primò poculi vox, quæ pro vino sumitur, Metonymiam habet. Deinde nouum Testamentū dicitur hîc proponi, & tamen illud ipsum non in poculo, sed in Christi sanguine monstratur, cuius symbolum in vino habemus. Quòd si Cœnæ verba adeò rigidè iuxta literam accipi debent, cur illa aliter Lucas & Paulus, quàm alteri duo, annotarunt? Vel num illos memoria lapsos esse dicemus, aut temeritate propria diuersas locutiones excogitauisse? Absit. Imò singulare Dei consilium agnoscamus, quo ille nos monere voluit, non literæ inhærendum esse, sed altius scrutanda huius sacramenti mysteria. Et sanè, qui hæc omnia diligenti iudicio excusserint, mox videbunt, nos non absq; ratione eum verborum Christi sensum amplecti, quem orthodoxi patres in erudita illa vetustate secuti sunt, quorum aliqui panem & vinum symbola corporis & sanguinis Christi, alij ἀντίτυπα, alij figuras dixerunt. Possem ex illorum libris testimonia infinita adducere, sed quia libros nostrorum legentibus illa paßim occurrunt, ea in præsenti breuitatis studio omittimus.

Symbola non sunt inania, licet corporalis præsentia negetur.

Sed obijciunt hîc nobis aduersarij: Ergo inania sunt symbola, si præter nudam significationem nihil continent, & ita Christus à Cœna excluditur. At nos vtrumq; à nobis fieri negamus. Symbola enim non ideò inania dici poterunt, etsi rem ipsam, cuius symbola sunt, non realiter includant. Præstant enim nihilominus id, cuius gratia instituta sunt. Et primò quidem sensibus obijciunt totum nostræ redemptionis negotium, vt infra patebit, vbi de ritu Cœnæ dicetur. Deinde iustificationem fidei obsignant, sicuti de Abrahami Circumcisione dixit Apostolus: & proinde fidem nostram suo modo confirmant, & in tentationibus consolationis argumenta suggerunt, ne de promißionibus Dei & redemptionis nostræ certitudine dubitemus, cuius sigilla nobis ob oculos versantur. Christū verò ipsum à Cœna adeò non excludimus, vt nisi ille præsens sit, eam nec Christi Cœnam, nec ad aliquid vtilem esse doceamus. Adest autem iuxta promißionem suam, cuius ipse optimus interpres est, quando spiritum suum nobis pollicetur, qui credentes animat atq; viuificat, nosq; per fidem Christi & donorum ipsius omnium participes facit. Signis verò adeò non alligatus est Christus, vt nisi illum ipse tecum in corde afferas, nihil hîc reperturus sis, quàm iudiciū, quod indignè mādūcantes manet, sicuti Paulus testatur

Rom. 4. Ioan. 14. & 16

testatur. Hinc veteres in celebratione Cœnæ dicebant: Sursum corda. Ecclesia respondente, Habemus ad Dominum. Quò & illud Augustini facit: Quid paras dentes & ventrem? crede, & manducasti. Et hæc quidem de prima nostræ tractationis parte dicta sint.

Transeamus nunc ad alteram, qua Cœnæ ritus & ordo explicatur, quem Euangelistæ diligenter describunt. Conuenit Dominus cum suis in certum locum, ubi epulum paschale cum ipsis peageret. Fuit ergo hic cœtus sacer, qualem Deus in Lege instituerat. In hoc de morte sua & illius merito, deq; suorum officijs prolixè concionatus est, sicuti Ioannes docet, qui sermonem ipsius accuratè descripsit. Inter ista, peracto iam epulo paschali, accepit panem, gratias egit (quod benedicendi verbo Marcus expressit, nimirum Hebraicæ linguæ vestigia secutus) & fractum discipulos accipere & edere iussit in sui commemorationem. Similiter poculo sumpto iterum gratias egit, & illud discipulos inter se distribuere, vtq; omnes ex illo bibant præcepit. Diligentius autem istud admonuit in poculi distributione, vt sacrilegæ illorum audaciæ occurreret, quos nouissimo seculo calicis vsum laicis erepturos esse sciebat. Tandem omnibus ritè peractis hymnum canunt, & ita in montem olearum exit Christus, vbi se captum iri sciebat. Docent ista, quis optimus Cœnæ ritus sit: is nimirum, quo & Christus primùm vti voluit, & quem Apostoli ex ipsius institutione ecclesijs tradiderunt. Fiat ergo cœtus sacer, habeatur in hoc concio, quæ Christi & salutis mysteria explicet, & deinde cum solenni gratiarum actione panem inter se mutuò frangant, & poculum Domini distribuant, qui in cœtum illum conuenerunt. Postremò gratias agant Deo, & ad quæuis ferenda sese illi spontè offerant, &c. Est ritus hic simplicissimus, & Christi authoritate nititur, quæ sola nobis in omnibus sufficere debet. Peccant in hunc primò, qui ex Cœna publica priuatam faciunt, dum vel soli in templo epulantur spectante reliqua ecclesia, vel illam in ædes priuatas deferunt, & morituris viatici loco propinant. Nihil horum vel Christus instituit, vel ab Apostolis factitatum esse legimus. Deinde peccant, qui Cœnam absq; verbi prædicatione peragunt, adeoq; illam huic præferũt, quasi vel ad Dei cultum vel ad salutem plus conferat, quàm Verbum: cùm tamen huius maiorem quàm sacramentorum rationem habuerunt Christus & Apostoli. Nam illum quidem frequenter prædicauisse legimus, eundem verò non baptizauisse Ioannes tradit, sed baptismi administrationem discipulis cõmisisse. Paulus item se paucos admodum baptizauisse scribit, & facti sui rationem affert, quòd illũ Dominus non ad baptizandum, sed ad prædicandũ miserit. Peccant præterea in Cœnæ administratione, qui nouos in illam ritus & nouas ceremonias inferunt: vt qui domi crustulas rotundas parant, eas postea ad Domini mensam accedentibus non sine murmure aut susurro in os inserunt, quasi illas manibus cõtingere nefas sit. Qui item, ne quid ex illis redundet vel supersit anxiè cauent, & reliquias eiusmodi etiam extra Cœnæ vsum superstitiose venerantur. Idem ferè aurea & argentea vasa adhibent, quibus ecclesia primitiua adeò caruit, vt Exuperiũ Episcopum hoc nomine Hieronymus cõmendet, quòd in Cœna Domini canistro vimineo & vitreo calice vsus sit. Videbant enim veteres auri & argenti vsum meliorem esse, quando illis pauperes aluntur, captiui redimuntur, & publicis ecclesiæ necessitatibus subuenitur. Vidit hoc Satyricus poeta, qui non veritus est exclamare:

Dicite Pontifices, in sacris quid facit aurum?
Nempe hoc quod Veneri donatæ à virgine puppæ.

Et notum est Ambrosij dictum verè aureum: Aurum habet ecclesia, non vt seruet, sed vt eroget. Item, Aurum sacramenta non quærunt, neque auro placent, quæ auro non emuntur. Ornatus sacramentorum redemptio captiuorum est. Et verè illa sunt vasa pretiosa, quæ redimunt animas à morte. Ille verus thesaurus est Domini, qui operatur quod sanguis eius operatus est, &c. At dicunt illi, se ideò aurum adhibere, vt maiorem sacramentis authoritatem concilient, & ad deuotionem ardentiorem animos spectantium excitent: quo argumento alia quoq; figmenta excusant, nobis verò rusticitatem exprobrant, imò ne à conuitijs quidem & scurrilibus dicterijs abstinent, quibus sacra nostra proscindunt. Laudent autem illi institutũ suum vt velint, nunquam tamen temeritatẽ suam excusare poterunt, qua Christi institutionem maxima ex parte euertunt atq; obscurant. Nostrã verò simplicitatem vnius Christi institutio abundè excusabit, & si rem ipsam expendamus, mox patebit, ritus hosce à Christo traditos plus authoritatis conferre sacris symbolis, quàm omnes hominum inuentiones, quibus illi vtuntur.

Cœnæ ritus & ordo.

Ioã. 14. 15. &c.

Ioan. 4.
1. Corinth. 1.

Off. lib. 2. cap. 28.

Ritus Cœnæ plenus mysteriorum. Ioan. 6.4.et 7. Isaiæ 55.

Est enim ritus hic plenus mysteriorum, quæ & redemptionis nostræ partes omnes adumbrant, & nos nostri officij efficacissimè admonent. Panis & vinum Christi pro nobis traditi symbola sunt, qui panis ille vitæ est cœlo demissus, & potus saluberrimus, quo solo animæ nostræ pasci, recreari & conseruari possunt ad vitam æternam. Iubet Christus panem accipere, & ita seipsum nobis quasi in manus tradit, & dum panem hunc ex illius mandato manibus suis fideles excipiunt, illum vnà cum omnibus donis suis ad se pertinere intelligunt. Fractio panis Christi passionem & mortem repræsentat, & dum singuli panem ipsi frangunt, se ex eorum numero esse fatentur qui Christo mortis authores fuerunt: id quod peccatorum confessioni mirificè seruit, & animum ad pœnitentiam extimulat. Panem deinde manducamus, & ex poculo Domini bibimus: quo admonemur, nudā & inanem professionem non sufficere, nisi Christū fide vera amplectamur, vt ille in nobis, nosq; in illo viuamus. Panem & poculum pij inter sese distribuunt: quod illis charitatis officium cōmendat, & de coniunctione mutua eos admonet: vt se vnū in Christo corpus esse intelligant, & sibi inuicem officijs mutuis inseruiant, quemadmodū in corporibus nostris membra facere videmus. Hæc (inquam) & alia huius generis simplex hic Cœnæ ritus continet, quem ex Christi institutione acceptum Apostoli ecclesijs tradiderunt. Sordet ille nonnullis, & proinde nouis ceremonijs eum obscurant. Sed vehementer metuo, ne dum Cœnæ Dominicæ assertores præcipui censeri volunt, vix tenuia illius vestigia quædam retineant. De Corinthijs certè Paulus magna cum grauitate pronuntiabat, illos non Domini, sed suam propriā Cœnā manducare: nec alia huius dicti tam grauis causa fuit, quàm quòd à Christi institutione recessissent, & nouos inuexissent ritus. Quid ergo de illis hodie dicemus, qui præcipuas institutionis Dominicæ partes, Fractionem panis nimirum & distributionem tollunt, simulq; mysteriū hoc saluberrimum superstitiosis & contentiosis opinionibus inuoluunt? Habent illi fortassis Cœnam Papæ aut alterius cuiusdam, quem sibi imitandum proponunt. At Christi Iesu Cœnam non habebunt, nisi relictis hominum adinuentionibus primam eius institutionem sequantur, de qua hucusq; diximus.

Christus de morte sibi iam imminente admonet.

Cæterum quia in Cœnæ institutione mortem suam non modò prædicebat Christus, verumetiam imagine quadam depictam vel adumbratam oculis subijciebat, quò studiosius illam consyderarent, iam nunc eius horam instare docet, cùm ait: Amen dico vobis, non bibam amplius de fructu vitis, donec bibam ipsum nouum in regno Dei. Quibus verbis hanc sibi in terris Cœnam postremam fore testatur, & simul consolatione magna discipulorum mentes confirmat: dum nouæ vitæ in regno Dei meminit, cuius consortium ipsis quoq; pollicetur, sicuti Matthæus & Lucas annotarunt. Faciunt hæc ad Cœnæ commendationem, & simul admonent, vt quoties illa à nobis celebratur, simul cogitemus Christum suæ mortis merito regnum cœlorum nobis acquisiuisse, in quo olim vera ambrosia & beatæ immortalitatis nectare æternùm fruamur.

Quod nostrum in Cœna officium. Psalm. 69. Hos. 14. Hebr. 13. Psalm. 50.

Restat vt quod nostrum sit in Cœna officium videamus. Est hoc annuntiare mortem Domini. Quotiescunq; enim (inquit Paulus) de hoc pane ederitis, & de hoc poculo biberitis, annuntiate mortem Domini, donec venit. Ita verò exponitur, quòd Christus de sui cōmemoratione dixit. Vnde patet gratiarumactionem potissimùm à nobis requiri, de qua superius quoq; dictum est. Hanc verò sacrificium esse Deo longè gratissimum & quod vnum in nouo testamento nobis exoluendum restat, scriptura non vno loco docet, & veteres quoq; Hebræi testantur, quando sub aduentum Messiæ omnia sacrificia cessatura dicunt, præter Thodah, id est, laudem vel gratiarumactionem. At quia non à quouis hominum Dominus prædicari vult, & hîc simul fidei totius negotium agitur, magna cautione opus est, ne quid à nobis indignè & præter decorum fiat. Nam qui indignè ad Domini mensam accedit, sibijpsi iudicium manducat: & horribile est Iudæ exemplum, qui etsi discipulorum oculos falleret, Christum tamen nec fallere potuit, nec illius iudicium subterfugere, quo ipsius perfidiam vltus est. Præparatione ergo nobis est opus, quæ in hoc potissimùm consistit, vt homo seipsum probet atque exploret, priusquàm Cœnæ huic sese admisceat. Probationis autem regula est ipsa Cœnæ institutio, imprimis quòd de ipsius causa finali & vsu legitimo diximus. Examinemus ergo fidem nostrā, professionem eius puram & illibatam teneamus, renuntiemus superstitionibus, innocentiam sectemur, & charitati mutuæ studeamus, qua eos omnino coniungi oportet, qui sub Christo capite vnius et eiusdem corporis membra facti sunt. Si qui ab hisce studijs alieni sunt, ij tutius à Cœna abstinent, quàm vt sceleribus suis huius quoq; prophanationem coniungant.

Sunt

Sunt tamen hîc duo obseruanda. Primùm, ne quis seipsum temerè alterius iudicem constituat. Probet seipsum homo, inquit Paulus. Nec enim facilè fieri potest, vt de alterius fide & conscientia iudicemus, eò quòd nemo nouit quæ sint in homine, quàm spiritus hominis, qui in ipso est. Et omnibus seculis turbas non leues obortas esse constat ex temerarijs illis fidei dominatoribus, qui excommunicationibus incautis & præcipitantius institutis multorum fidem labefactarunt, & ecclesiarum pacem euerterunt. Et hodie Anabaptistas hoc maximè seducit, quòd aliorum potius vitam & mores, quàm suam fidem & proprias conscientias, inspiciunt. Alterum est, ne quem sua infirmitas & imperfectio absterreat. Ea enim est Christi mansuetudo, vt neminem ad se venientem reijciat, nec linum fumigans extinguat, aut calamum quassatum conterat. Consoletur hîc nos primæ Cœnæ exemplum, in qua discipulos accubuisse scimus, quos omnes non contemnendis vitijs laborauisse constat, quando & contentiosas de primatu disputationes instituerunt, & Christo de futuris periculis ipsos admonenti sese confidenter opponere ausi sunt: vt nunc de Petro abnegatore nihil dicamus. Adsit modò ardens Christi amor, qui fidei scintillas intermori non patiatur, & qui torpentes ad pœnitentiam indesinenter excitet. Coniungamus huic preces assiduas, nec deerit nobis Christus Iesus, qui & suæ mortis merito nos pascet, & spiritu suo reget, vt huius vitæ curriculum feliciter emensi, olim in cœlis ad ipsius mensam accumbamus, & regni ipsius nunquam intermorituris delitijs saturemur Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

1. Corinth. 2.
Ioan. 6.
Isaiæ 42.

HOMILIA CXIX.

Et dicit eis Iesus: Omnes offendemini in me nocte ista. Nam scriptũ est: Percutiam pastorem, & oues dispergentur. Sed postquam surrxero præcedam uos in Gallilæã. Petrus autẽ dixit ei: Etiãsi omnes offendantur, at non ego. Et dicit ei Iesus: Amẽ dico tibi, hodie in nocte ista, priusquam bis cecinerit gallus, ter abnegabis me. At ille multò amplius dicebat: Si me oportuerit tibi cõmori, haudquaquã abnegabo: Itidem uerò etiam omnes dicebant.

Multa hucusq; Dominus & saluator noster, Iesus Christus, in vltima Cœna cũ discipulis egit, quibus & suã potentiam diuinam declarauit, et felicitatis æternæ, cuius ipse nobis author est, spem cũfirmauit. At quia idẽ non ignorabat, quàm ingens periculũ immineret, & quàm graue scandalũ passuri essent, modò nouã tractationẽ orditur, qua illos instar fidi imperatoris de his omnibus diligenter admonet, simulq; cõsolationibus egregijs confirmat: vt istorũ consyderatione excitati præparentur ad certamen, & quàmuis se lapsos videant, nõ tamen de Dei gratia desperent. Estq; locus hic multa consyderatione dignissimus. Nã quæ nostra semper futura sit in terris conditio docet, & quàm meritò nobis suspecta esse debeat nostræ carnis infirmitas, deniq; quibus armis nosmetipsos ad crucis palæstram præparare debeamus, ne tentationibus superata fides nostra succũbat. Quæ omnia vt euidentius perspiciantur, primò Christi admonitionem videbimus, deinde vt illam discipuli exceperint.

Argumentum & vsus præsentis loci.

Admonitio Christi duobus partibus constat. Prima periculũ prædicit, altera consolationem adhibet. De periculo sic loquitur: Omnes in me offendemini nocte ista. Loquitur autem de crucis scandalo, quòd nimirum ipsius captiuitate & vinculis offensi ipsum turpiter deserturi, & quodammodo defectionem facturi essent. Et apud Lucã tanti mali authorẽ disertè nominat, Satanã nimirum, vt huius mentione ipsos ad vigilantiam & preces excitet, quando audiunt sibi luctandum esse, non cum carne & sanguine (vt Paulus ait) sed cum spiritualibus copijs principis tenebrarum, qui vt nostri interitus sitientissimus est, & nunquam non instar rugientis leonis obambulat quærens quem deuoret: Ita singulari astutia insidias suas occultare, & sese in angelũ lucis quoq; transformare potest. Quare ad Petrum cõuersus, quem præ alijs hîc peccaturum esse sciebat, sub illius nomine reliquos omnes alloquitur, dicens: Simon Simon, ecce Satan expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum. Cribrandi verbo grauissimas tentationes intelligit, quibus fidem ipsorum exagitaturus sit, si qua ratione illos ad defectionem impellere queat. Et quò minus dubitent, scripturæ veteris authoritate admonitionem suam

Christus scandalũ prædicit.
Ephes. 6.
1. Pet. 5.
2. Corinth. 11.

Zach.13. confirmat. Nam scriptum est, ait: Percutiam pastorem, & oues dispergentur. Simili vtitur propheta vt ostendat, non mirum aut insolens fore, si Christo comprehenso & capto ab hostibus discipuli fuga dispergantur. Quia enim ouium instar sunt, quid aliud facere possunt, si ipsum pastorem percuti videant, à quo vno omnis ipsorum salus & incolumitas dependet?

Conditio pioru in terris. Nobis autem hoc loco cōmunis fidelium omnium sors consyderanda venit, quam in hoc mundo sustinent. Cùm ista diceret Christus, epulum paschale egerant discipuli, & promissiones regni cœlestis acceperant, vt Lucas narrat. Interim hæc tam tristia imminebat, quæ non cum dedecore modò, verumetiam cum salutis periculo coniuncta erant. Eadem planè est ecclesiæ & singulorum credentium in terris conditio. Videntur interdum in portu esse res ecclesiæ, quando promissiones suauissimæ audiuntur, nec adhuc detecta sunt hostium insidiæ & conatus, quibus pios opprimere instituunt. Sed tunc maximè vigilandum est. Non dormitat enim hostis noster diabolus, vt modò diximus. Nec quiescit mundus, qui quòd Veritatis lucem odio habet, huius etiam studiosos odio implacabili persequitur. Maximum tamen periculum nobis ex propria carne imminet, quæ vel secura nimis omnem salutis cogitationem negligit, vel confidens pericula omnia contemnit, & se plus satis aduersus illa instructam esse sibijpsi persuadet. Eadem verò, vbi se præter expectationē vndiq; peti & obrui videt, miserè labefactata crucis & persecutionum ponderi succumbit. Sunt hæc ab ipsa mundi origine omnium seculorum exemplis probata, quæ abundè docent, pios tunc maximè periclitari, quan-

Iob.7. do omnia sibi tuta pollicentur. Non temerè ergo militiæ vita hominis confertur, Christiani imprimis, quem præter communes labores peculiaria quoq; fidei pericula vndiq; circumstant. Prodest autem in horum consyderatione diligenter versari, ne quando officij nostri immemores salutis iacturam faciamus. Vigilemus ergo, ne hostis incautos opprimat. Induamus item arma salutis, quibus

Isaiæ 59. Ephes. 6. 1. Ioan. 5. prophetæ & Apostoli militem Christianum instruunt: imprimis verò fidei constantiā retinere cura sit, quæ sola mundum & principem huius potest deuincere. Interim discamus, non statim damnandos esse eos, qui aliquando cruce & tentationibus superati labascunt. Quia enim hoc ipsum sanctissimis Dei cultoribus accidit, videndum potius, vt infirmorum fidem confirmemus, & lapsos erigamus, vt ex casu animosiores facti, alios quoq; suo exemplo confirment, &c.

pastoris & ouium parabola. Deinde non oscitanter consyderari debet pastoris & ouium parabola, quam Christus in præsenti ex propheta adducit. Docet enim quantum momenti ad publicam salutem afferat fidorum pastorum siue antistitum incolumitas. Eadem quippe est hominum, quæ ouium, conditio. Vt enim illæ propter innatam stoliditatem pastore opus habent, qui gregis societatem cōseruet & lupos arceat, & hoc sublato mox grex quoq; dispergitur, & singulæ absq; ratione palantes lupis præda fiunt. Ita cùm peccati lapsus diuinam illam rationis lucem in nobis extinxerit, & homo animalis non percipiat ea quæ sunt

1. Cor. 2. spiritus Dei, nisi pastoris cura & fide colligamur & conseruemur, in mille sectas dispersi nosmetipsos lupis rapacibus dilaniandos obijcimus. Exemplo sunt gentes, quæ cùm vero pastore destituerentur, philosophorū placitis & absurdissimis superstitionibus dissipatæ fuerunt. Idem deinceps Iudæis acci-

Matth. 9. dit, quando in diuersas sectas diuisi sunt: tunc enim Christum illorū miseria indoluisse scribit Matthæus, eò quòd ouium instar essent, quæ pastore destituuntur. Et quid hodie multi patiantur, notius

1. Pet. 5. Ioan. 10. est quàm vt multis cōmemorari oporteat. Probè autem humanæ saluti consuluit Deus, quando pastorem verum & supremū dedit filium suum Iesum Christū, qui vt animam suam dedit pro ouibus suis, ita easdem ducit, & seruat & protegit, ne quis illas de manu sua rapiat. Et quàmuis ille gregis sui Dominus sit vnicus, idem tamen vt nostræ infirmitati consuleret, illius curā verbi sui ministris cōmisit, quos scriptura pastores vocat, quia ecclesiæ animarū pabulum apponunt, dum Dei verbum prædicant, & tam huius prædicatione quàm sacramentorum administratione illam sub Christo capite suo conseruant, ne qui hoc relicto à salute excidant. Hi si officio suo fungantur, & cū grege suo maneant,

Ezech. 34. saluus & incolumis manet ecclesiæ status. Sin verò perfidi sint, aut impiorū insidijs intercepti è medio tollantur, mox totius gregis dispersio sequitur. Hinc illæ apud Ezechielem de pastorum perfidia & negligentia querelæ, & quòd nemo sit, qui gregem dispersum colligat. Quin hæc etiam causa præcipua est, ob quam hostis noster diabolus ecclesiarum ministris præcipuè insidias struit, & vel nullius frugis homines ecclesijs obtrudit, vel fidos & industrios pastores exagitat omni persecutionum genere, vt illis sublatis aut expulsis ecclesias dissipet. Est hoc pijs diligenter consyderandum, vt primò

nis quidem in ministrorum electione cauti sint, ne ignauos fucos sibijpsis asciscant: deinde verò vt fidos ministros fideliter tueantur, & si quid illis à persecutoribus periculi imminet, non minus suam quoque salutem periclitari putent. Notus est apud prophanos scriptores apologus Demosthenis de lupis, qui ouibus pacem offerebant ea conditione, vt canes ipsis dederent, quos illi inimicitiarum praecipuos authores esse aiebant. At hodie simili astutia de fidis ecclesiarum pastoribus tyranni conqueruntur, & quasi illis cum reliquis pijs pax firma sit & solida, illos solos sibi dari aut eijci petunt, illis verò sublatis ipsi in ecclesias totas immani rabie grassantur. Discât ergo pij ad se cumprimis pertinere quod hîc dicitur, & proinde pastores suos ament, tueantur & in pretio habeant.

Sed ad alteram admonitionis Christi partem transeamus, qua discipulos efficacissimè consolatur. Supplenda tamen est ex Luca, vbi Petro dicit: Ego rogaui pro te, ne deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Quibus hîc additur: Postquàm surrexero, praecedā vos in Galilaeam. Habent ista multiplicem consolationem. Primò enim suae intercessionis meminit, ne se ab ipso negligi putent. Deinde fore pollicetur, vt conuersi restituantur. Tertiò se quoque è mortuis ad illos reuersurum dicit, & sensus est: Multa quidem aduersus vos Satan conatur, & te Simon imprimis petet, iamq; vicisse videbitur. Attamen nihil proficiet. Ego enim meis ad patrem precibus obsto, & idem tibi lapso vires nouas suggeram, quibus & tu resurgas, & reliquos fratres tum verbis tum exemplo tuo confirmes. Et licet ipse in cruce medius inter latrones moriar, resurgam tamen tertio die, & non obstabit haec vestri gregis dispersio, quò minus vos denuò colligam. Vtq; minus dubitent, locum designat, Galilaeam nimirum, quò ipsis instar ducis praire velit. — Christus discipulos consolatur.

Admonemur hoc loco, ecclesiarum dispersionibus neminem debere offendi, vt omnem restitutionis ipsarum spem abijciat. Nouit enim qui sui sint Dominus, vbicunque locorum agant, idemq; ecclesiae membra hinc inde dispersa colligere, & vbi minimè speres illi sedem reperire potest, vbi sub ipsius protectione agat, quàm diu ipsi visum fuerit. Factum hoc esse constat omnibus seculis. Postquàm enim Abrahamum ex Chaldaea euocauit, vt ipsum patrem credentium constitueret, aliquot annis ecclesia, quae in ipsius & posterorum familijs locum habebat, inter Chananaeos incertis quidem sedibus oberrauit, sed tamen Dei protectione mirabiliter conseruata fuit. Deinde in Ægyptū translata, Pharaonem tyrannide quidem dissipata est, attamen collegit illam Deus per Mosen, & Ægypto eductam in deserto totis annis quadraginta defendit, ac tandem in sedes patribus promissas introduxit. Postea cùm in Babylonem abductis, per omnia Orientis regna dispergerentur ecclesiae reliquiae, euolutis annis septuaginta Cyrum excitauit, qui ipsis in patriam redeundi potestatem fecit, & insuper duces dedit fidos, quorum consilio & fortitudine adiuti restituerentur. Secuta est autem post reditum alia ecclesiae dissipatio horribilis sub Antiocho, & tandem externis hostibus qui vi aperta grassabantur, falsi doctores accesserunt, quorum traditionibus inter ipsos Iudaeos ecclesia in sectas scissa fuit, quae Christi & Apostolorum tempore quàm maximè regnarunt. Quòd si verò arcanum Dei consilium paulò penitius inspicere, & quantum homini fas est scrutari libeat, ea fuit illo tempore filiorum Dei conditio, vt per Iudaismum & gentilismum corrupto toto humano genere, vix in pauculis aliquot verae cognitionis vestigia apparerent, quales erant Zacharias, Simeon, Elizabeth, Anna, Maria virgo, & post hos Apostoli cum horum similibus. Venit tamen Christus, qui Dei filios (vt Ioannes ait) in vnum collegit, & vnam ex Iudaeis simul ac gentibus ecclesiam constituit. Mox tamen horrendis persecutionum fluctibus & impijs haereticorum machinationibus ecclesiae vnitatas iterum foedè conuulsa, & in hunc vsque diem inter omnis generis aduersa grauissimè iactata fuit. Simul verò omnibus seculis Deus saluatores excitauit (sicuti per Abdiam promiserat) qui rebus afflictis opem ferrent. Sunt haec hodie diligenter considerada, quando pericula vndique instant, & multa ecclesijs ruinam minitari videntur. — Ecclesiarum dispersionibus non debere quenquam offendi. 2. Timoth. 2. Ioan. 10. Ioan. 11.

Ne verò nosmetipsos inani spe lactemus, consolationis argumenta non ex humanis praesidijs, sed ex ijs peti debent, quae in praesenti Apostolis Christus proponit. Ipsius nimirum resurrectione & intercessione. Quia enim mortem vicit Christus, peccatum quoque (qui mortis aculeus erat) sustulit, & proinde diabolum mundi huius principem exarmauit, qui per peccatum & mortem in nos dominabatur. Quid ergo contra nos ille poterit amplius, vtut infelix mundus sub illius signis tumultuetur? Venit princeps huius mundi (inquit Christus) & in me non habet quicquam. Quòd si in Chri- — Vnde consolatio petenda in periculis. 1. Cor. 15. Ioannis 14.

Matth. 16. stum nihil iuris habet, certè nec in eos habebit, qui illius membra sunt. Quin idem ne inferorum quidem portas aduersus ecclesiam suam quicquam posse testatur. Neque nos propter peccata desperare debemus. Nam qui nobis à Deo iustitia & satisfactio est factus, idem etiam fidelis est Pontifex in omnibus quæ apud Deum sunt agenda, & pro nobis suæ mortis merito assiduè intercedit: & quia dilectus ille filius est, minimè irrita erit ipsius apud patrem intercessio. Ideò Paulus quoq; cùm salutis nostræ certitudinem infallibilem & aduersus omnes insultus inexpugnabilem esse doceret, inter alia inquit: Christus est qui mortuus est, imò qui & suscitatus est, qui etiam est ad dextrã Dei, qui & intercedit pro nobis. Quis nos separabit à dilectione Dei, &c. Horum ergo fiducia freti, omnes mundi conatus & machinationes constanti animo excipiamus, nec vnquam nos à Christo capite patiamur auelli, in quo quicunq; coalescunt, ipsum saluatorem & protectorem fidum experientur.

1. Corinth. 1. Hebr. 2. & 4. Matth. 3. 17. Rom. 8.

Vt discipuli admonitionẽ Christi exceperint.

Restat vt videamus, quomodo Christi admonitionem Apostoli acceperint. Vbi de Petro potissimùm agitur, quem etiam Christus præ alijs compellarat. Respondet ille Christo: Etiamsi omnes offendantur, at non ego. Item: Si oportuerit me tibi commori, haudquaquam negabo te. At ista dicendo multipliciter peccat. Primò suijpsius fiducia elatus nimiũ magnificè de seipso sentit, & ita simul suam prodit ignorantiam, quòd nec proprias vires, vel potius infirmitatem, perspexerit. Deinde fratres suos insolenter contemnit, nec absque illorum ignominia dicit: Etiamsi omnes offendantur, at non ego. Præterea Christum quodammodo mendacij arguit, & cui hactenus de regni cœlestis negotio loquenti crediderat, de se loquenti credere detrectat. Deniq; mori vult cum Christo priusquàm ad hoc vocaretur, & antequàm quid mori sit, expertus esset. Sunt hæc grauia admodum, & quæ vix veniam aliquam mereantur. Non immeritò igitur factum, vt grauius & turpius laberetur, qui alijs confidentior erat. At licet Christum Petro minitantem audirent reliqui, quòd hac ipsa nocte ipsum ter esset abnegaturus, tamen idem cum illo loquuntur, quasi inter sese aduersus Christum confidentiæ certamen susceperint.

Carnis confidentia qualis.

Elucet in horũ exemplo, quale sit carnis ingeniũ, & quorsum nos abripiat cæcus confidentiæ affectus, si semel illi indulserimus. Vbi enim se fide præditam esse caro sentit, mox vanis persuasionibus ebria nihil nõ sibijpsi tribuit. Et quia ambitio ex primis parentibus in nos deriuata à pueris cũ ætate maiores quotidie vires colligit, vix alind tam difficile est, quàm inter spiritus sancti dona modestiã seruare, ne illis efferamur. Vbi verò in periculis declarandũ est fidei robur atq; constantia, eò magis cõsternamur, quò minus illa nostræ spei & persuasioni antea cõceptæ respondent. Quæ causa est, quòd suos Deus varijs modis humiliat, ne sibijpsis meritus authores sint, quod de semetipso Paulus fatetur, &c. Discamus igitur hoc loco, vitã nostrã instar militiæ esse, nec vnquã defore pericula, inter quæ vt in palæstra exerceamur. Hîc autem non abijciendus est animus, sed Dei gratia & promissionibus confisi intrepidè pugnemus. Attamẽ nostræ simul infirmitatis memores, victoriã ab vno Deo pendere cogitemus, qui suam opem ex fide vera ipsum inuocontibus nunquam negabit, sed spiritu suo confirmabit, vt omnibus malis superiores fiant in Christo Iesu: Cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

2. Cor. 12.

HOMILIA CXX.

Et ueniunt in locũ, cuius nomen est Gethsemane, & dicit discipulis suis: Sedete hic usq; dum orauero. Et assumit Petrũ & Iacobũ & Ioannem secum, cœpitq; expauescere & angi. Et dicit eis: Tristis ualde est anima mea usq; ad mortem, manete hic & uigilate. Progressusq; parũ, procidit in terram, & orauit, ut si possibile esset, abiret à se hora illa. Et dixit: Abba pater, omnia possibilia sunt tibi, transfer à me istud poculum: uerùm nõ quod ego uolo, sed quod tu. Tunc uenit, & inuenit eos dormientes, dicitq; Petro: Simon dormis? non potuisti unam horam uigilare? Vigilate, & orate, ne introeatis in tentationem: spiritus quidem promptus est, caro autẽ infirma. Et cùm rursum abijsset, orauit, & eundem dixit sermonẽ. Et reuersus inuenit eos rursum dormientes: erant enim oculi eorum grauati, neq; sciebant quid ei responderent.

Post descriptam vltimam Christi Iesu Cœnam, sequitur vt vrbem egressus discipulos secum eduxerit ad montem oliuarum, vbi se ab hostibus capiendum esse sciebat. Quo loco multa facta sunt, quæ nostræ institutioni multiuariam seruiunt: inter quæ cumprimis memorabile est, quod de Christi lucta dicitur, quam in carne sua inter mortis horribiles terrores sustinuit. Docet hæc non modò quanta sit carnis nostræ infirmitas, verumetiam vt nos ipsos ad mortem præparare, & quibus consolationibus illius terrores vincere debeamus. Et quia hoc propter cōmunem moriendi necessitatem omnibus cognitu necessarium est, locus hic singularem diligentiam meretur, qua singulas illius partes ex ordine consyderemus. Argumentum & usus præsentis loci.

Primò ad montem olearum egreditur Christus, in eum locum, qui Gethsemanas dicebatur, vbi hortum fuisse scribit Ioannes, in quem frequenter ire solebat, adeò vt nec Iudæ proditori locus esset incognitus. Non temere autem accidit, quòd in horto capitur Dei filius, & inde ad mortem abducitur, qua mundi peccata expiauit. Habet enim hoc aliquam relationem, siue potius antithesim cum eo, quod in Adami lapsu contigit. Is enim in paradiso peccauit, & inde eiectus vniuersum genus humanum secum exitio inuoluit. Secundus ergo Adam Christus in horto capi & vinciri voluit, vt suo merito nobis à peccatorum vinculis solutis amissæ felicitatis hæreditatem restitueret. Ita factum est, vt quæ primo Adamo peccati & mortis occasionem præbuerunt, secundus nostræ redemptionis instrumenta fecerit. Id uerò nos simul officij admonet, ut similiter ea, quibus uetus homo ad peccandi licentiam & suijpsius interitum abutitur, nos qui in Christo regenerati sumus, in salutis organa & bene agendi materiam conuertamus. Latissime ergo patet huius exempli usus. Qui enim carnales adhuc sunt & carnis desiderijs ducuntur, hi non opibus modò & honoribus & uoluptatibus licitis, uerumetiam ingenij donis amplissimis ad scelera in propriam perniciem abutuntur. At qui ex semine uerbi immortalis renati, & in Christo noua creatura facti sunt, ijs omnia in bonum cooperantur, eò quòd omnia sua in eum finem dirigunt, ut Dei gloriam prouehant, quàm plurimis prosint, & uita innocentiam tueantur. Christus egreditur in montem olearum. Ioan. 18. Gene. 3. 1. Pet. 1. Rom. 8.

Cæterùm obseruatu dignissimum est, quòd sciens uolensq́ eò exit Christus ubi se captum iri sciebat. Nec enim illum quicquam eorum ignorauisse, quæ ipsi euentura erant, abunde patet ex ijs, quæ cum Iuda proditore, deinde cum reliquis discipulis de scandalo egit, quod ea ipsa nocte passuri essent. Exit tamen in hortum illum, quia ita uolebat Deus pater, & iam hora instabat, quam hic ipsi constituerat. Vnde colligimus ipsum non hostium ui superatum, sed uoluntarium passum fuisse, ut suæ obedientiæ officio nostræ inobedientiæ culpam sarciret, & nos patri suo reconciliaret. Et huc facit, quòd apud Ioannem ait: Nemo tollit animam meam à me, sed ego pono eam à meipso. Potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo rursus sumendi eam, &c. Ioan. 10. Christus sciens uolensq́ ad crucē progreditur.

Quòd uerò à Cœna sua mystica morti rectà obuiam procedit, cum patrem ita uelle sciret, docet quid nos deceat, post quàm in Cœna sacra nos ipsius discipulos esse professi sumus. Cogitemus diligenter, quæ de nobis Dei uoluntas sit, & nos ad crucem ferendam accommodemus, quam suscipere iubet Christus omnes eos, qui ipsius discipuli censeri uolunt. Quia enim cum seria mortis Christi commemoratione nostræ etiam carnis mortificatio coniuncta est, turpissima planè & inexcusabilis illorum culpa est, qui ab ipsa Domini mensa ad impuræ carnis studia reuertuntur, & Christiani nominis professionem nouis sceleribus polluunt. Gentium sacra olim choreas, ludos & omne lasciuiæ genus coniunctum habebunt, quando tunc demum diabolo gratum est uerè seruitiū nostrum, quando superstitioni morum quoq; licentiam coniungimus. Sed alia est Christianorum ratio, qui mundo mori debent, & sacramentorum usu ad obedientiæ fidei officium astringuntur. Qui Cœnæ cōmunicarūt sese ad mortem præparent. Marci 8.

Præterea etiam hoc obseruemus, quòd eum locū Dominus frequenter adijt, in quo ipsum capi oportebat. Videmus enim illum in mortis suæ meditatione frequenter uersatū esse, ut ita se ad illam præpararet, quam carni terribilem esse nouerat. Imitemur nos Christi exemplum, quos insuper aliæ etiam causæ ad meditationem mortis excitant. Nam vt illa prodest, ne quid mortis metu (cum illa instat) nostra vocatione indignum faciamus: ita vix alius est efficacior ad pietatem stimulus, quàm si nos mortales esse, nec quicquam in terris perpetuum habere cogitemus. Memento finis tui (inquit Sirachides) & non peccabis. Et Solomon dicebat: Melius est adire domum funebrem, quàm domum conuiuij: quia illic cernitur finis omnium hominū, & viuens id reponit in corde suo. Stultissimi Mortis meditatio utilis. Eccli 7. Eccles. 7.

ergo & his miseri sunt, qui cùm se mortales esse non possint negare, tamen ne mentionem quidem mortis ferre volunt: quasi illa tacente mortis quoq; cursus inhiberi queat.

Christus inter discipulos delectum habet. Marc. 9.

Porro vbi in locum constitutum Christus venit, ex tota discipulorum turba tres deligit, quos ad luctam & certamen, cuius ipsos spectatores & testes esse voluit, præ alijs instructos esse nouerat: Petrum scilicet, Iacobum & Ioannem. Quia enim ijdem glorificationis ipsius specimen in monte Thabor viderant, nunc eiusdem infirmitate minus potuerunt offendi. Coram illis ergo animi sui angustiam & anxietatem grauissimam fatetur, dicens: Tristis valde est anima mea vsque ad mortem, manete hîc & vigilate. Non modò quid patiatur exponit, verumetiam discipulos doloris & angustiæ suæ conscios esse cupit, vt inde aliquam consolationem percipiat. At miretur aliquis, cur voces adeò flebiles in mortis articulo Christus ediderit, quam tot ex gentibus intrepido animo subierunt, & quam multi etiam hodie absq; omni ferè, aut saltem cum exigua doloris significatione sustinent? At hîc meminisse decet, cumprimis grauem & incomparabilem oportuisse fieri eam passionem, cuius merito & peccata hominum expiari, & mortem deuinci oportebat. Vnde verò tãta illius atrocitas, & horror tam formidabilis? Ex eo nimirum, quòd vnà cum mortis doloribus (qui carni sæui & terribiles sunt) simul etiam Dei iudicium sibi obuersari videbat, quo ille peccata punire consueuit. In ipsum enim pater omnium nostrûm peccata conuenire fecerat (vt Isaias inquit) & quia homo verus erat, non potuit, non illi terribile videri Dei tribunal, cuius aspectus impiorum quoque mentes sæpe ad extremam desperationem cogit. Neq; hîc illorum sententiam recipimus, qui ne quid Christo indignum dicant, has animi angustias vel ascititias tantummodo & imaginarias, vel alijs ex causis, quàm mortis horrore, enatas fuisse sentiunt. Poterant enim eadem ratione negare quæcunq; de illius fame, & siti, & lassitudine, & lachrymis scribuntur, quæ omnia olim Stoicis indigna visa fuerunt, quæ in virum fortem caderent. Aut quid obsecro Christus mereri potuit, si non verè passus est? Imò si imaginaria fuerunt quæ de Christi passionibus scribuntur, inanis quoq; & imaginaria tantummodo erit nostra fides, quæ illarum merito nititur. Vel, num simulatorem & Mimum fingemus Christum, qui (vt histriones in Tragœdijs solent) inanibus querelis & gestibus dolorem representarit, quem nullum sentiebat? Vel quid de sudore illius sanguineo dicemus, quem hæc ipsa mentis angustia illi expressit, vt Lucas testatur? Quomodo autem id poterat, si imaginaria erat & fictitia? Aut num Deum patrem adeò stolidum dicemus, vt fictitijs querimonijs sibi imponi passus fuerit? Sunt hæc omnia multò indigniora, quàm si Christum mortis & iudicij diuini consyderatione territum in istas voces erupisse dicamus. Quia enim mors peccati pœna est, per se non peccant qui illam metuunt, modò ex illius metu nihil à sua vocatione alienum faciant: quod Christum probè cauisse, postea ex illius precatione patebit. Quòd verò alij illum ob Iudæ interitum & Iudaici populi repudium adeò indoluisse fingunt, nimis friuolum est. Scimus equidem illi Iudæos cumprimis cordi fuisse, & eundem ad Hierosolymæ conspectum lachrymas fudisse: at hoc loco de ijs agitur, quæ nostræ redemptionis ergò passus est, quæ solida esse non poterat, nisi mortis horrorem vinceret, cum quò illi necessariò congrediendum fuit, vt illo superior factus nos ab eo securos faceret. Est ergo hæc Christi Iesu tristitia euidens humanitatis ipsius argumentum, & simul nostræ redemptionis certitudinem asserit. Quia enim non corpore modo, verumetiam anima doluit, verus homo sit oportet, quem anima & corpore constare scimus. Et simul patet hîc, ipsum tum corporum tum animarum nostrarum redemptorem esse, & fidelem Pontificem, qui nostris infirmitatibus condolere possit, quas in semetipso expertus est. Interim nunquam non meminisse debemus, propter peccata nostra Dei filium tantos animi cruciatus sustinuisse, qui illi acerbam hanc tristitiæ confessionem, adhæc sudorem cruentum extorserunt. Docet hoc quanta sit peccatorum atrocitas apud Deum, & simul nostram socordiam & duritiem arguit, quibus scelera quæ multa & grauia indies comittimus, vix gemitum aut lachrymulam vnicam exprimunt.

Christus mortis horroribus tentatur.

Isaie 53.

Luce 19.

Hebr. 2. & 4.

Christus discipulos præceptis instruit.

Cæterum videamus, quid Christus in tanto mœrore à discipulis suis exigat. Manete hîc (inquit) & vigilate. Et apud Lucam orare etiam iubet, ne intrent in tentationem, id est ne tentationibus victi succumbant: quod in sequentibus illum iterum admonuisse, Marcus scribit. Manere autem iubet discipulos, vt ipse ab illis progressus nonnihil commodius oret. Vigilare autem vult, ne inopinato hostium aduentu obruti magis terreantur. Precum etiam meminit, ne confidentiores sint, & vt om-

vt omnem salutis suæ rationem ab vnius Dei gratia & auxilio pendere intelligant. Ita verò nos omnes officij admonet, quorum est hæc ipsa sedulò præstare, si quando crux & aduersa imminent. Maneant singuli in statione, quam ipsis Deus commisit, cuiuscunq; sint loci & ordinis: nec ignauos milites imitentur, qui hostis aduentu territi ordines deserunt & in fugam turpem effunduntur. Imprimis autem hoc ad se pertinere putent magistratus & ecclesiarum ministri, quibus aliorum quoq; salus commissa est: ne dum pericula instant, sibi licere arbitrentur, vt priuatæ saluti cum populi & ecclesiæ totius incommodo consulat. Deinde vigilemus oportet, ne carnis torpore & innata securitate superati salutem nostram prodamus. Scimus enim nunquam quiescere hostem nostrum, diabolum: nec dormitat mundus, qui omnem extinguendæ lucis Euangelicæ occasionem sedulò venatur. Quin nec caro nostra nos securos esse patitur, cùm in malum procliuis & prona, ex ijs ferè voluptatem quærat, quæ Deo inuisa & saluti nostræ aduersa sunt. At quia vigilando non multū proficiunt, qui nullis ad resistendum viribus sunt instructi, preces assiduas studio nostro coniungamus oportet, quibus Dei auxilium imploremus, quod ille suum nomen inuocantibus minimè negabit. Fidelis enim est, nec nos supra uires tentari patitur, & idem nos monet, ut in die tribulationis ipsum inuocemus, seq; nos exauditurum pollicetur. Vide Psal. 50. Isa. 65. &c. 1.Pet.5. 1.Corinh.10.

Hæc autem non uerbis modo, sed etiam proprio exemplo Christus discipulis commendat. Nam his dictis ab illis auellitur (ut Lucas scribit) nimirū quòd illi graue esset ab ijs discedere, quos unicè diligebat, & quos sua ope nunc cum primis sustentari oportere, non ignorabat. Inde uerò paululum progressus in terram procidit, & preces fundit ardentissimas, de quibus mox dicetur. Nunc enim Christi exemplum obseruari debet, quem à discipulis auulsum fuisse diximus, ut commodius oraret. Quia enim inter precandum angustia & dolore abrepti multa facimus & dicimus, quæ alijs indecora uideri poterant, non temere secessum quærunt, qui ardentius orare instituerunt, ut & liberius cum Deo agant, & tam hominum importunitate quàm ambitionis stimulo (qui ferè obrepere solet) minus interturbentur. Discimus autem, ut quoties nos Deus uocat ad res arduas & magni momenti ipsi quoq; nos inuitos & reluctante carne auellamus ab ijs, quæ nos remorari possunt. In hoc enim nostri ipsius abnegatio consistit, de qua alibi diximus. Ita olim Abraham à solo natali auulsus est, imò seipsum quodammodo ab innatis affectibus auulsit, quando filium dilectum immolare uolebat. Et hoc ipsum iubet Christus, quando nos præ ipso parentes & liberos & coniuges & fratres relinquere & odisse iubet. Imprimis autem hoc morituri obseruent. Ægre enim ab huius carnis ergastulo anima diuellitur, ægre etiam ex mundo hoc demigrat caro, in quo tot sibi chara relinquit. Durum præterea est à dulcissimis liberis, à dilecta coniuge, ab amicis suauissimis nunquam rediturum discedere. Sed cogitemus corpus hoc teterrimi carceris instar esse, in quo anima cum turpissimis affectibus conflictans tunc demum liberabitur, quando hisce vinculis soluta cum Christo viuet. Cogitemus item nihil nos in mundo habere firmum & stabile, & fortassis breui interitura, aut à nobis discessura esse, quæ modò tam ægre relinquimus. Cogitemus nos priores nunc à nostris eò abire, quò illi paulò post nos sint secuturi, nec illos propter nostrum discessum infelices fieri, cùm Deum habeant, qui se viduarum & orphanorum patrem & tutorem esse profitetur. Hæc qui cogitant, ijs non adeò difficile erit, seipsos cum Christo auellere ab omnibus illis, quæ vocationi diuinæ aduersantur. Christus à discipulis auellitur. Matth.6. Marc.8.hom. 6.9. Gen.12.22. Matthæi 10. Lucæ 14. Exod.22. Psalm.68.

Nunc Christi precationem videamus. Status illius est, vt Deus auferat hoc poculū. Ita verò crucem vocat vsitato scripturarum more, eò quòd Deus certa mensura & iusto iudicio aduersa & afflictiones nobis distribuit. Quo sensu etiam horæ mentio fit, quando priusquam Deus velit, nihil mali nobis accidit, iuxta illud: Nonne duodecim horæ sunt diei? Porro magna huic orationi vehementia inest, si partes ipsius singulas excutiamus. Primò enim patrem vocat, vt se meritò ad ipsum confugere testetur. Deinde, Omnia possibilia sunt tibi, inquit, & proinde transfer à me istud poculum. Dei verò omnipotentiam allegat, quia in humanis nihil spei reliquum erat. Quia autem Deus non semper facit quæcunque potest, sed potentiam voluntate sua, ceu terminus legitimus, circumscribit, huic se totum committens, addit: Verùm non quod ego volo, sed quod tu. Et eandem orationem tertiò repetit, vt vel inde pateat, quàm illi hæc res cordi fuerit. Est autem oratio hæc nouum argumentum veræ in Christo humanitatis. Videmus enim in illo voluntatis in diuersas partes luctantis certamen, quale frequenter in semetipsis sentiunt electi, quando aduersis & afflictionibus Christi ad patrem precatio. Ioan.11.

Monothelitæ confutantur.

grauißimis premuntur. Minimè enim hîc locum habet Monothelitarum delirium, qui de vna & simplici voluntate Christi acerrimè contendendo dirum illud & fatale schisma non parum adiuuarunt, quo Orientales ecclesiæ ab Occidentalibus diuulsæ, & hæ quidem Romano Antichristo, illæ autem Mahumeto præda factæ sunt. Scimus enim Christum, quoad diuinam naturam, vnam & eandem cum Deo patre voluntatem constanter tenuisse. At quia idem homo factus est, varios illos & fluctuantes voluntatis æstus in se suscepit: non quod aliud contra Deum volendo peccarit vnquam, sed vt in ea lucta fidei suæ obedientiam nobis spectabiliorem faceret. Nec enim per se peccatum est lucta illa voluntatis nostræ, si modum & limites non excesserit, sed potius euidens fidei victricis argumentum: vt minimè timendum sit, ne Christo peccatum ascribamus, si in illo voluntates constituamus diuersas. Quoties enim electi crucem deprecantur, quam illis Deus imponere decreuit, non directè preces suas Dei voluntati opponunt, nec cum illa ex professo pugnant, sed afflictionum sensu excitati ad Dei opem (sicuti ille iußit) recurrunt. Caret igitur vitio hæc ipsorum voluntas, quam precibus suis exprimunt: primò, quia nobis licet Dei auxilium & liberationem ex malis poscere, & eius rei præcepta paßim extant: deinde quia finem precum ad arcanum dei decretum tandem restringunt, seq; totos illius voluntatis subijciunt, eo spectabilior est (vt paulò ante de Christo diximus) ipsorum fides & obedientia, quò magis antea luctati sunt. Diligentius ista admonemus, quia non modò Christum omni culpa rebellionis liberant, verumetiam consolationi infirmorum mirificè seruiunt, ne in lucta illa graui tentationum succumbant, quando Christum eandem sustinuisse, & superiorem fuisse audiunt.

Vera precandi ratio.
Iacob. 1.
Ephes. 2.
Rom. 8.
Galat. 4.

Admonemur etiam Christi exemplo, vt preces nostras instituere debeamus. Et primò quidem, cùm absq; fide nulla oratio Deo grata sit, patrem nos illum agnoscere oportet, vt eius nominis consyderatio precandi fiduciam in nobis excitet. Pater autem noster est, non modò quia nos creauit (hoc enim cum reliquis creaturis commune habemus) sed quòd lapsos restituit, & ex verbi sui semine renatos in filios adoptauit. Quo Paulus respiciens, nos ipsius ποίημα siue opus vocat, & in spiritu adoptionis nos clamare dicit, Abba pater. Deinde quia multa incidunt, quæ fidei obstant, inter hæc verò præcipuum est, si ad humanæ rationis calculum ea reuocemus, quibus nobis opus est, in Dei omnipotentiam nos mentis oculos reijcere conuenit, qui non modò necessaria largiri, & ex aduersis eripere potest, verumetiam in ipsa morte seruare, ne ab ipsius dilectione separemur. De vtroq; nos dominicæ orationis præfatiuncula & primus Symboli Apostolici articulus admonet. In hoc enim fidem in Deum patrem omnipotentem, cœli & terræ creatorem, profitemur: in illa verò ex Christi præcepto Deum patrem nostrum dicimus, & eundem in cœlis esse testamur, vtpote cœli Dominum, & omnium quæ sub cœlo sunt. Et quia patris vox nos de ipsius voluntate certos facit, omnipotentia verò nihil illi impoßibile esse docet, non potest non certa ac indubitata fiducia enasci, si duo hæc animis nostris rectè concipiantur. Quia verò non semper cum arcano Dei decreto nostræ petitiones conueniunt, & sæpe ea poscimus, quæ nec Dei gloriam decet, nec nobis salutaria & vtilia sunt: nunquam nos conditionis eius obliuisci decet, quam Christus in præsenti adijcit: Verùm non quod ego volo, sed quod tu. Huius enim idem nos admonet, cùm inter orandū iubet dicere: Fiat voluntas tua in terra, quemadmodum in cœlo. Nec id nobis graue vel iniquum videri debet: Si enim hoc Christus fecit,

1. Cor. 2.

multò magis idem nos facere decet, qui ex nobis ipsis cœlestia non sapimus, nec etiam scimus quid nobis reuera vtile & salutare sit. Deinde si patrem agnoscimus Deum, ipsa naturæ lex monet, vt ipsius voluntati nos totos accomodemus, qui cùm pater sit, non aliud volet, quàm quod saluti nostræ inseruiat. Summa ergo omnium sit, vt inter precandum cum fide obedientiam coniugamus, & sic nobis certa constabit orandi ratio. Accedat deinde perseuerantia, nec pigeat nos rem eandem sæpius petere. Solet enim differre Deus interdū, quæ dare vult, quando fidem nostram diutius exerceri prodest. Placet autem ei importunitas nostra (sicuti viduæ parabola Christus docet) eò quòd fidei veræ & constantis argumentum est, quæ sola preces Deo acceptas facit. Hæc qui obseruant, preces suas ingens pondus habere sentient. Etsi enim non impetrent quod petunt, maiora tamen & vtiliora Deus confert, dū illos spiritu fortitudinis & patientiæ instruit, & ad omnia aduersa inuictos reddit. Ita in præsenti à Christo non quidē transfertur poculū crucis, mittitur autem angelus, qui illū confortat, vt posito metu omni intrepidus & alacer hostibus obuiam progrediatur, sicuti suo loco dicemus.

Luc. 18.

Porro

Porrò discipulos videamus, quid illi Christo orante & cum mortis terroribus luctante, fecerint. Venit ad illos (inquit Marcus) & inuenit illos dormientes. Paucis verbis illorum oscitantiam perstringit, qui paulò ante inter cœnandum tam magnificè & liberaliter operam suam Christo polliciti fuerant. Nec enim leuis ille somnus fuit, sed semel & iterum, imò tertiò excitati, dormire tamen pergunt, & oculos ita grauatos habent, vt illi ne respondere quidē possint. Facit tamen ad crimen mitigādum, quòd Lucas illos præ mœrore obdormiuisse dicit. Et solet mœror somnum inducere: quod singulare Dei beneficium est, qui ita cauet, ne tristitia & animi anxietate toti absorbeamur. Interim obseruemus hoc loco, quod sit carnis ingenium. Dormit ferè & stertit, dum Christus quàm maximè affligitur. Differunt tamen hic pij ab impijs. Illi enim initiò alacres sunt, & zelo dei feruntur, postea autem periculorum pondere obruti obstupescunt, dum se humanis viribus & consilijs nihil proficere vident. Impij verò nulla vel Christi vel membrorum ipsius cura tanguntur dummodo, ipsis bene sit: eorum similes, quos propheta in lectis eburneis securos distēdi & comessari dicit, dum Ioseph affligitur. Sunt hæc diligenter obseruanda, ne spem & fiduciam, in hominibus collocemus, qui aut non possunt aut nolunt iuuare: sed in vno deo, qui non dormitat, nec vnquam eos negligit, qui ipsius curæ se cōmiserunt. Si enim in præsenti Christus, cū maximè angeretur, ad discipulos toties reuersus est, & illorum salutem sibi tantopere cordi esse ostendit: num illum hodie curam suæ ecclesiæ deposuisse putabimus, quando illa eius protectione cumprimis opus habet? Simul verò obseruabis, Christum nō dissimulare hunc discipulorum soporem, sed illū non sine exprobratione arguere. Nam ad Simonem Petrum conuersus illius confidentiam, qua se prius extulerat, perstringens ait: Simon dormis? non potuisti vnā horam vigilare? Vel vt Matthæus annotauit: Adeò non potuistis vna hora vigilare mecum? Vides ergo ipsam quoq; carnis infirmitatem reprehensione dignam esse, nedum effrenem peccandi licentiam. Accusantur discipuli, quòd mœrore oppressi officium negligerent. Quid ergo de illis fiet, qui hodie inter acerbissimas membrorum Christi afflictiones securi helluantur, scortantur, ludunt, aut etiā thesauros ingentes per fas & nefas congerunt? Audiamus ergo Christi admonitinem, & nobis dici putemus, quod discipulis dicitur: Vigilate, & orate ne introeatis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Etsi enim zelo magno pij ferantur, subitò tamen remoram grauem sentiunt ex carne, si quando pericula ipsos propius vrgent. Vigilemus ergo ô fratres & oremus assiduè, vt tentationibus omnibus superiores facti, olim cum Christo Iesu viuamus & regnemus: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Discipuli Christo orante dormiunt.

Amos 6.

HOMILIA CXXI.

Et uenit tertiò, ac dicit eis: Dormite quod superest & requiescite: Sufficit, uenit hora, ecce traditur filius hominis in manus peccatorum. Surgite eamus: ecce qui prodit me, appropinquauit. Et statim adhuc eo loquente, adest Iudas, qui erat unus è duodecim, & cum eo turba multa cum gladijs & fustibus à principibus Sacerdotum & Scribis, & Senioribus. Dederat autem is, qui prodebat eum, cōmune signum eis, dicens: Quemcunq; osculatus fuero, is est: comprehendite eum, & abducite tutò. Quum igitur uenisset, statim accedit ad eum, dicitq; ei: Rabbi, rabbi, ac deosculatus est eum. Illi uerò iniecerūt in eum manus suas, & prehenderunt eum.

QVemadmodum Dei filius Iesus Christus dum pro peccatis nostris afflictus est, exemplum simul præbuit, cuius vestigijs nos insistere conuenit: Ita in discipulis ipsius exemplū proponitur, qualis soleat esse caro nostra, si quando pericula grauiora imminent. De illis dictum, quòd inter cœnandum alacres & confidentes se vitæ etiam periculum pro Christo adituros esse promiserint. At ijdem vbi Christum ad montem oliueti maximis angustijs premi, & præ anxietate sanguinem sudare vident, subito mœrore superati dormiunt, nec multis admonitionibus excitari possunt, vt officium faciant. Ita qui optimi sunt & zelo Christi aguntur, magnifice quidem sibi de semetipsis pol-

Argumentum & usus præsentis loci.

1. Pet. 2.

licentur quando in tuto sunt omnia: vt primùm vero pericula præter omnem expectationẽ incidunt: metu & terroribus absorpti nec officij sui nec propriæ salutis satis memores esse videntur. Quæ causa est, quòd cum illis aliquando durius agit Deus, vt stuporem istum ipsis excutiat. Sequitur enim, vt dormientibus discipulis superuenerit Iudas cum sua cohorte, atq; Christus ab hostibus comprehensus sit. Qui locus nostri seculi moribus probè conuenit, vt exemplo hoc admoniti vigilemus, & hostium Christi dolos & insidias discamus subterfugere.

Christus dormientibus discipulis hostẽ ceu digito mõstrat.

Venit Christus Dominus ad discipulos suos tertiò, & tunc quoq; dormientes inuenit. Et quia admonitionibus fidis & paternis hucusq; nihil profecerat, nunc Sarcasmo acerbiori (pro ut merebãtur) illos pungens ait: Dormite quod superest, & requiescite. Quasi diceret: Agite, quando sic lubet, pergite vt vultis, & si quid vobis otij & temporis superest, illo ad somnũ & placidam quietem vtimini. Sed res ipsa quid fieri debeat docebit, & hũc vobis veternum excutiet. Et mox verbis disertis, quid velit, admonet. Sufficit (inquit) & satis hucusq; dormitum est, venit iam hora illa fatalis, quam mihi pater constituit. Ecce nunc filius Dei traditur in manus peccatorum. Surgite ergo, eamus executum quod pater decreuit. Ecce enim prope adest, qui me prodit. Est hæc grauis oratio, & vt multùm differt à lamentis & querelis, quas nuper audiuimus, sic non obscura habet obedientiæ simul & diuinitatis argumenta. Nouit enim quæcunq; euentura sint, & quia sic patrem velle videt, absq; vlla contradictione cruci obuiam procedit.

Verberibus excitãtur, qui uerba non audiũt.

At imprimis obseruandum est, quid eos maneat, qui aut securi nimis stertunt, aut stupore correpti pericula imminentia non vident, & nec Dei verbo nec pijs amicorum admonitionibus sese excitari patiuntur, vt euigilent & officium faciant. Incidunt tales in pericula improuisa, & verberibus quodammodo excitantur, cùm verba negligant. Quod enim hẽc discipulis accidit, vt per Iudam & apertos Christi hostos expergefiant qui Christum audire noluerunt, hoc ipsum non semel multis alijs accidit. Dormiebant olim in officio suo Iudæi, & nec sacra diuinitus sibi tradita, nec vitæ morumq; præcepta religiose obseruabant. Surgebat manè Deus (sicuti scriptura ait) & illos à sceleribus reuocando officij admonebat. Cùm autem illud nequicquam faceret, tandem Chaldæos adduxit & illum magnum suum seruum Nabuchodozorem, qui longæ obsidionis terrore, & postea horribili vrbis & templi conflagrantis fragore pestilentem illum somnum ipsis excussit. Idem primis temporibus ecclesiæ accidisse, non vno loco historiæ testantur. Accõmodemus hæc nostro seculo, quando ijdem mores eandem disciplinam postulant. Etsi enim Deus verbi sui lucem ex singulari gratia accenderit, pleriq; tamen hac contempta vitijs & corruptissimis studijs indormiunt. Excitauit iam nos annis aliquot Dominus per verbi prædicationem, qua vitia nostra corripuit, officij admonuit, & pœnas denuntiauit, quæ pœnitere nescios maneant. Nec verbo tantùm monet, verumetiam prodigijs & signis varijs excitat. Et hæc non vana esse, tot vndiq; pericula testantur, quæ ecclesijs incumbunt. At incurabilis esse videtur multorum socordia, qui perinde ac si res omnes in tuto essent, & admonitiones & pericula negligunt, & in peccatis suis quotidie pergunt, aut saltem non seriam suæ salutis curã suscipiunt. Quid ergo aliud expectemus, quàm iustum & omnipotentẽ Deum nobis quoq; immissurum esse hostes sui nominis, qui vel inuitis somnum istum excutiant? Nec procul illi absunt, sed paßim faces & gladios expediunt, quibus fidei doctrinam excindant. Meruimus nos pœnas omnis generis.

2. Para. 36. Iere. 7. 11. &c.

Quid faciendũ instantibus periculis. Isaiæ 29. Matth. 15. Isaiæ 1. Ioel. 2.

Sed non ideò desperandum est, ô fratres. Quin vel nunc admittamus Christi consilium, quod in præsenti discipulis suggerit. Surgamus è luto peccatorum & studijs vitæ nostræ corruptissimis. Præparemus nos ad crucem ferendam, ne hîc quoq; voluntati Dei reluctemur, quin illi nos obuios feramus. Opem verò ipsius imploremus ardentißimis præcibus, nec ore modò & labijs, sed toto corde illi appropinquemus. Iungamus precibus pœnitẽtiæ studium seriũ, ne ex illorum numero simus, qui manus sanguine plenas ad Dominum attollunt, Singuli deniq; officium faciant, ne instituto sanctissimo & cum primis necessario quisquam defuisse videatur. Faciunt huc quæ olim Iudæis periclitantibus Deus per Ioelẽ præcepit, his verbis: Conuertimini vsq; ad me in toto corde vestro, in ieiunio, fletu & lamento. Et scindite cor vestrum, & non vestimenta vestra, & conuertimini ad Dominũ Deum vestrum. Item: Clangite tuba in Zione, sanctificate ieiunium, indicite cœtum, congregate populum, sanctificate cœtum, congregate senes, colligite puerulos & lactentes. Egrediatur sponsus de cubiculo suo, &c. Quibus verbis & priuatæ & publicæ pœnitentiæ rationem complectitur. Quòd si quem nec rei honestas,

stas, nec propriæ salutis cura excitat, saltem hostium studio & industria moueatur. Videmus vt bullis suis Romanus Papa non suos modò Italos, verumetiam exteras nationes ad pœnitentiam illam theatricam hortetur, & supplicationes publicas instituat. At hoc olim à maioribus ipsius tunc ferè fieri solitum fuisse constat, quando vel apertum bellum, vel proditiones occultas aduersus pios moliti sunt, vt regnũ suum, seu potius tyrannidem, stabilirent. Et hodie illos idem moliri, res ipsa testatur. Nũ ergo nos ab illo industria & studio superari patiemur? Annon hic quoq; antistites ecclesiarũ & pios magistratus aduigilare decet, vt quod olim à sanctissimis regibus, Ezechia & Iosia factitatum est, ipsi quoq; efficere studeant? Quod si hîc negligentiores simus, non est dubium, quin idem aliquando simus sensuri, quod hîc discipuli non sine scandalo experti sunt.

Loquente enim adhuc Christo venit Iudas, & cum eo turba multa cum gladijs & fustibus, &c. Quo loco primùm obseruabis, qui nam fuerint omnes isti, qui ad Christum capiendum venerunt. Nam quod hîc paucis dicitur, alibi diligentius & quasi per suas species Euangelistæ exponunt. Ioannes enim sic scribit: Iudas cùm accepisset cohortem, & à Pontificibus ac Pharisæis ministros, venit illuc cũ laternis, & facibus & armis. Lucas verò, Christũ, cùm caperetur, cũ principibus sacerdotũ, & templi præfectis ac senioribus expostulauisse dicit. Fuit ergo turba hæc ex multis & diuersissimis hominibus collecta. Primatum in ea tenuerunt principes sacerdotum & seniores ecclesiæ, quos totius negotij authores fuisse, supra audiuimus. Et credibile est, aliquos illius ordinis delectos fuisse, qui Iudæ adessent, ne aut remissius aut infidelius ageret. Adduxerunt hi seruos tam suos quàm aliorum sui ordinis, qui iam pridem heris suis adulari, & in re quauis seruire assueuerant. Ne quid autẽ pro cõmuni Iudæorum more, seditiose tentare videantur, cohortẽ militum seruis suis coniungunt, quam à Pilato præside acceperint oportet. Adhæc ex templi præfectis aliquos asciscunt: quem magistratum ego à Romanis institutum fuisse arbitror. Quia enim templum instar munitissimæ arcis erat, Romani eius curam præfectis quibusdam cõmisisse videntur, ne Iudæi illo occupato præsidibus suis negotium facerent. Et vox Græca στρατηγὸς magistratum hunc militarem fuisse innuit. Omniũ verò istorum dux siue antesignanus fuit Iudas pseudoapostolus. Fuerunt itaq; isti multùm inter se diuersi ac dissimiles, primò quidem gente, deinde professione aut vitæ genere, postremò etiam religione. Attamen in capiendo Christo conuenire possunt, eò quòd omnes impij sunt, & Veritatis lucem exosam habent. Docent autem ista, qui nam omnibus seculis Christi & Euangelij ipsius hostes futuri sint. Et hîc quidem primatum habituros semper falsos antistites, qui religionẽ quæstum faciunt, alibi diximus. Inueniunt hi facilè seruos, id est, seruilis ingenij homines, qui ipsis turpissime adulantur. Trahunt deinde in partes suas reges & principes, quorum authoritas illos tutos & quasi sacrosanctos reddit. Accedunt postremò pseudochristiani, qui vel auaritia excæcati, vel alijs affectibus & disciplinæ impatientia abrepti, omnia venalia habent: & hi plerunq; præcipui sceleris ministri fiunt, eò quòd fidelium honores, opes, consilia et omnia alia optimè perspecta habent. Et licet isti omnes pro affectuum suorum diuersitate in studia contraria scindantur, in hoc vno tamen illis conuenit, quòd Christum & doctrinam eius omnes odiunt & oppressam volunt. Quod in hunc finem nobis obseruandum est, ne impiorũ dissidijs fidamus, quasi illa perpetuæ sint, & proinde nihil periculi ab illis sit metuendum. Cõmittit quidem illos interdum Deus, vt ab ecclesia illorum furorem auertat (sicuti olim Philistæos Sauli negotium fecisse, & Pharisæos pro Paulo aduersus Sadducæos rixatos esse legimus) ijdem tamen illi mox consentiunt, & nouis conspirationibus ecclesiam premunt. Exempla eius generis hodie multa vidimus, & proinde prudentia & vigilantia diligenti opus est.

Deinde qua ratione & quibus artibus hanc causam isti agant, videamus. Antea crebris disputatationibus Christum aggressi sunt. At quia his se nihil profecisse vident, nunc vi aperta & armis agendũ esse censent. Interim astuto consilio magistratum in suas partes trahunt, quasi ipsis cum seditioso res sit, quem publica authoritate & armis legitimis coerceri oporteat. Attamen omniũ maximè nocet Iudas, qui osculo (quod amicitiæ symbolũ est) Christũ prodit. Quia enim nocturno tempore res agebatur, & error facilè admitti poterat, cõmune signũ ipsis dedit Iudas, dicens: Quẽcunq; osculatus fuero, is est: cõprehendite eum, & abducite tutò, &c. Docent ista, quibus armis ferè Veritatis oppugnetur. Debebat eius cognitio in articulis controuersis ex scripturis peti, iuxta illud Christi: Scrutamini scripturas, &c. At quia hypocritæ & impij has sibi aduersari sciunt, vim parant, & vt magi

[Margin notes: Qui & quales uenerint ad Christum capiendum. — Ioan. 18. — Lucæ 22. — 1. Sacerdotes & seniores. — 2. Serui. — 3. Milites. — 4. Præfecti templi. — 5. Iudas. — 1. Sam. 23. — Acto. 23. — Quibus artibus Christum oppugnent hostes. — Ioan. 5.]

K

stratus concitent, ciuiles controuersias fingunt, & doctrinam hanc publicæ paci inimicā esse clamant. Tunc verò Iudæ sese interponunt, qui cum hostibus iam ante quidem coniurauerunt, interim tamen piorum quoq; amicos se esse simulant, & proinde pro arbitris & sequestris admißi veritatis causam sub amicitiæ prætextu & non sine doloris significatione produnt. Poßem exempla cōmemorare nostri seculi, sed cùm illorū cōmemoratio odiosa, eadē verò omnibus satis nota sint, ijs libenter abstineo. Meminerint tamen horū qui ecclesijs & rebuspublicis præsunt, ne stulta credulitate & se & suæ fidei cō missos in periculū coniiciant. Qui verò ista faciunt, se Iudā imitari cogitent, cuius iudiciū etiam ipsi subibunt, nisi maturè pœniteant. Idē priuati quoq; homines obseruent, quibus volupe est Iudæ oscula figere, dum obtrectationibus & calumnijs eos circumueniunt, quorum amicitiam profitentur, &c.

Impij nunquam metu uacui sunt.

Interim cumprimis memorabile est, quòd impios ne tunc quidem securos & metu vacuos esse videmus, quando illis omnia ex voto succedere videntur. Patet hoc primò ex eo, quòd fustibus & gladijs instructi exeunt ad capiendum Christum, qui præter imbellem & inermem discipulorū turbam, comitatum nullum habebat. Imò ne sic quidem se tutos fore arbitrantur, nisi militum cohortem sibi adiungant. Deinde Iudas quoq; nobis exemplo est, qui illos tam studiose monet, vt cōprehensum tutò & cautè, vel circumspectè ducant, ne fortè manibus ipsorum elabatur. Quæ enim alia huius admonitionis causa est, quàm quòd sibi metuit, etiamsi non Pontificum modò authoritate, verumetiam Romani præsidis armato præsidio stipatus & munitus incedat? Nouerat enim quanta esset diuinæ virtutis potentia in Christo, & non semel viderat, quàm mirificè è medijs hostibus elapsus esset. Timet ergo, ne quid simile hîc etiam contingat. Eadem est impiorum omnium sors, qui etsi interdū exultent in succeßibus suis, & sibijpsis triumphare videantur, intra animos tamen suos conscientiæ terroribus excruciantur, & omnia sibi infesta esse putant.

Marci 3. Lucæ 4. Ioan. 8. &c.

Affectuum uis magna.

Vbi simul elucet, quanta sit affectuum vis, si quando illis frena laxentur. Etsi enim Iudas sibi à Christo metuat, vincit tamē metū hunc auaritia, quæ simul præceptoris reuerentiā & omnē humanitatis sensum illi excußit. Nā non cōtentus hostes in hortū adduxisse, & ijsdē Christū eminus ostendisse, insuper in conspectum illius sese infert, in illius collum ruit, osculatur, & præceptorem vocat siue magistrum, quem osculo prodebat. Sunt hæc admodum horrenda, & vtinam solus Iudas peccasset, & non hodie etiam multi huius similes reperirentur, qui mundi studijs fascinati, veritatem agnitam deserunt, & non modò hanc, verumetiam coniunctißimos amicos & patriam dulcißimam immanißimis tyrānis produnt. Coerceamus ergo affectus nostros, & principijs obstemus, ne quādo etiā ipsi incurabiles efficiamur.

Vt Christus se gesserit quando capiebatur.

Restat vt videamus, qualem in his omnibus sese præbuerit Christus Dominus. Qui locus ex Ioanne & Matthæo sarciendus erit. Primò post preces factas fortis iam & imperterritus hostibus suis obuiàm progreditur, & ne illorum salutem negligat, diuinæ potentiæ specimen præbet. Dum enim Iesum Nazarenum abs se quæri dicunt, se eum esse fatetur, & simul illos occulta virtute prosternit, vt intelligant, quo cum ipsis res sit. Deinde ad Iudam conuersus illum amicè, & non sine acerbißimi doloris significatione admonet. Amice (inquit) ad quid ades? Iuda, osculo filium hominis prodis? Amicum dicit, vt pristinam conuersationem & accepta beneficia in mentem reuocet. Et scelus grauiter perstringit, dicens: Ad quid ades? Quasi dicat: Quorsum ô miser tendis? quis hic conatus est? quò vsq; te cæca & insatiabilis cupiditas abripuit? Adeò ne & tuijpsius & Dei oblitus es, vt filium hominis, quem itidem Dei filium esse non ignoras, prodere ausis, & quidem osculo, quod solum te officij admonere poterat? Postremò iterum hostes alloquens ait: Si me quæritis, sinite hos abire: & hoc vno verbo discipulos tuetur, ne quid in illos hostiliter committant. Admonemur hoc Christi exemplo, primùm quatenus indulgendum sit infirmitati carnis: eò vsque nimirum, vt fortes simus, quando ita postulat neceßitas, & ne eos negligamus, quos nostræ fidei Deus concredidit. Deinde non timendos esse mortales homines ijs, qui Christum saluatorem habent. Apparet enim hoc loco, quanta illius fides sit erga suos, & quàm magna in illis defendendis & liberandis potentia. Etsi enim vndique ab hostibus crudelißimis premeretur, discipulos tamen non neglexit, & eosdem vno dicto ex hostium manibus eripere potuit. Num ergo nunc illum suam ecclesiam neglecturum, aut in illa tuenda minus posse putabimus, postquàm corpore suo in cœlum subuectus omnem potestatem in cœlo & in terra accepit, & nobis spiritum dedit, qui nostræ cum Deo reconciliationis & salutis ar-

tis arrhabo est certissimus? Vide Matth.28. 2.Corinth.1.5. Ephes.1.&c.

Postremò incurabilis impiorum contumacia hîc obseruari debet. Etsi enim Iudam verbis efficacissimis admoneat, reliquos verò etiam supinos prosternat, tamẽ & ille pergit in concepto scelere, & hi rursum in pedes erecti illum comprehendunt, & capto vincula inijciunt. Damnatur ab omnibus hæc illorũ pertinacia. At quoties ô boni, nos quoq; per Dei verbũ intra animos nostros conuincimur? quoties vel morbis vel alijs calamitatibus sternimur? & tamen quasi amisso omni sensu ad priora studia redimus? Obseruemus hanc carnis nostræ corruptionem, & vigilemus. Consolationem verò petamus ex Christi vinculis, quæ ille in eum finem sustinuit, vt corruptæ naturæ & peccati vincula solueret, nosq; assereret in libertatẽ filiorum Dei. Hanc ergo tueamur indefesso studio & precibus assiduis, simulq; illius exemplo patienter feramus si quando propter ipsius nomen vel vincula vel carceres, vel etiam mortem subire oporteat. Suo enim merito hæc omnia consecrauit Dei filius: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen. *Contumacia impiorum incurabilis.*

HOMILIA CXXII.

Vnus autem quispiam astantium educto gladio feriit seruum Pontificis, & abstulit eius auriculam. Et respondens Iesus, dixit eis: Vt in latronem existis cum gladijs & fustibus ad cõprehendendum me. Quotidie eram apud uos in templo docens & nõ comprehendistis me. Sed ut impleantur scripturæ. Tunc relicto eo, omnes fugerunt. Et quidam adolescentulus sequebatur eum, circũamictus sindone super nudum: Et prehenderunt eum adolescentuli. Ipse uerò derelicta sindone, nudus effugit ab illis.

PErgit Euangelista Marcus in describenda capti & vincti iam Iesu Christi historia, & in præsenti tria narrat, quæ singula considerationem diligentissimam merentur. Primum ex his est Petri inconsulta temeritas, qui ne promissis suis deesse videretur, Christum armis defendere conatus est, magna quidem (vt videtur) animi alacritate, sed euentu planè ridiculo. Secundò vt Christus cum hostibus suis egerit, & cum illis de vi iniusta expostulauerit, narratur. Tertiò discipulorũ fuga describitur, qui vt suæ vitæ consulerent, Christũ deseruerunt, sicuti ipse euenturum ante prædixerat. Seruiunt hæc nostræ institutioni & consolationi multiuariàm. Docent enim quàm infelix sit nostræ confidentiæ exitus, nisi Dei spiritu & verbo gubernetur. Deinde patientiam Christianam instituunt, & quæ vera sit huius exercendæ ratio. Præterea carnis infirmitatem arguunt, & ne illius sensu absorbeamur aut desperemus, monent. Insunt & alia multa eius generis, quæ in singularum partium tractatione consyderanda venient. *Argumentum & vsus præsentis loci.*

Principiò Petrus producitur, quem inter cœnandum reliquis discipulis confidentiorem fuisse audiuimus, quando se cum Christo mortis periculum adire velle pollicitus est. Nunc verò cõmuni discipulorum exemplo extimulatus, aliquid maius audendum esse arbitratur. Nam vt Lucas scribit, vndiq; in Christum ruentibus aduersarijs, exclamant illi: Domine, percutiemus ne gladio? Cuius quæstionis occasio illis fortassis ex eo petita est, quòd Christus illos iussisset venditis vestibus gladios emere, ita nimirum imminentis periculi magnitudinem exprimens. At nihil illis respondente Christo, alij quidem manus abstinuisse videntur, Petrus verò reliquis feruentior gladium stringit, in hostes armatos inuolat, & Pontificis seruo (quem Ioannes Malchum vocat) auriculam abscindit, & mox à Christo corripitur, qui itidem hosti vulnerato auriculam miraculose restituit. Quo loco personæ, quæ hîc producuntur, singulæ aliquantò diligentius consyderari debent. *Petrus pugnat gladio.*

Et primò quidem Petri exemplo docemur, quales sint, qui carnis zelo aguntur, bono quidem & sancto, sed non secundum scientiam, vt Paulus de Iudæis loquitur. Quod Christus facere iusserat, & quod absque periculo, & non sine ingenti commodo fieri poterat, non facit Petris, sed partim mœrore subito, partim somnolentia superatus stertit. Nunc verò ad facinus audacissimum spontè prosilit, quod & Christus nunquã mandarat, & quod absq; manifesto periculo non poterat tentari. Solus enim *Exemplum eorum, qui zelo carnis aguntur. Rom.10.*

in pugnam ruit, cùm tot sacerdotum seruis & armata militum cohorte congressurus, quæ non tam armis munita erat, quàm Romani imperij authoritate. Deinde magno quidem zelo fertur, sed euentus (vt supra diximus) ridiculus est. Quid enim tantus pugnator aliud proficit, quàm quòd seruulo vilissimo auriculam aufert, quæ & ipsa corporis pars est contemptissima? Præterea, qui nunc ita feruet, vt per medios hostes in pugnam ruat, paulò post ad Pontificis prunas aut ignem accensum ita languescit, vt mulierculæ voce territus Christum abneget. Suntq́ue hæc hodie nimis vulgaria inter eos, qui Euangelij doctrinam & fidem in Christum magnificè profitentur. Nam & hodie Christus inter crucis vndiq; imminentis pericula cumprimis pœnitentiam exigit, preces item priuatas & publicas, & vt aduersus satanæ mundiq; insidias perpetuò vigilemus. Et poterant ista à nobis non tantùm absq; periculo, verumetiam facilè & magno cum fructu præstari. Sed ea est carnis nostræ infelicitas, vt ad pugnas quàm ad disciplinam Euangelij & patientiam procliuior, arma potius eligat, & militaria consilia tractet, quæ verò de pœnitentia, de precibus, de vigilantia fidei dicuntur, aut securè negligat, aut cum sannis & ludibrio excipiat. Quàm verò infelix ferè sit cõsiliorum eiusmodi euentus, & quàm turpiter, qui tales sunt, seipsos simul & fidem Christianam impiorum ludibrijs exponant, non vno exemplo didicimus. Imò qui præ alijs feruere videntur, vbi spe sua frustrantur, primi ferè deficiunt, impijsq; hostibus supplices facti fidem turpiter abnegant. Quare carnis zelum suspectum habere oportet, curare autem vt verbi Dei scientia instructi simus, cuius studio fiet, vt quouis tempore fructus nostra professione dignos feramus.

Malchi auricula aufertur. Deinde Malchum videamus, quem Pontificis seruum fuisse scribitur, nec dubium est, quin pro more eius ordinis & loci hominum in Christo capiendo præ alijs operam diligentem nauauerit. Abscinditur ei auricula, & dextra quidem, vt Lucas annotauit, quod non temerè factũ putabimus. Scimus enim auriculam non auditus modò organum, sed etiam obedientiæ symbolum esse. Nam seruis, *Exod. 21. Deut. 15.* qui finito seruitutis tempore libertatis dono frui nolebant, aures subula perforabant ad domus herilis ostium, & eo signo innuebatur, ipsos iterum seruitio teneri, & heris suis obsequium debere. Quo *Psalm. 40.* videtur in Psalmis respexisse propheta, quando ait: Victimam & sacrificium cibarium non amas, aures verò perforasti mihi: tum dixi, En ipse adsum, &c. Docet igitur Malchi exemplum, quid ferè accidat ijs, qui sese falsorum antistitum seruitio aduersus Christũ addixerunt. Sunt tales in hoc persequendo præ alijs seduli, vt bonam gratiam apud heros suos ineant, & plerunq; veritatem agnitam persequuntur, cùm vel ex quotidiana conuersatione discere possint impostores & impios esse eos, quorum affectibus inseruiunt. Iusto igitur iudicio aures dextras illis aufert Deus, vt nihil audire pos- *Psal. 58.* sint, quo meliores fiant & saluentur. Nam vel obturant aures serpentum instar, quæ incantatorum verba audire nolunt, vel sinistris auribus Dei verbum audientes ex eo calumniarum occasionem arripiunt, quibus veritatis doctrinam proscindunt, & turbas publicas commouent. Fugienda sunt ergo diligenter eiusmodi hominum commercia, & simul cauendum nobis, ne ventris causa Antichristianorum Pontificum seruitijs nos temerè addicamus.

Christi iudiciũ de facto Petri. Tertiò Christi de hoc Petri facto iudicium audiamus, quod à Matthæo & Luca descriptum Marcus breuitatis studio omisit. Primò in genere discipulos (qui Petrum fortaßis imitari volebãt) compellans ait: Sinite hucusq;. Inde ad Petrum conuersus: Conuerte (inquit) gladiũ in locum suum: Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt. Petit hoc ex omnium antiquißima lege, qua *Gene. 9.* post diluuium statim Deus homicidia pœnis capitalibus mulctare iussit. Quare turpißima est illorum ignorantia, qui ius gladij & magistratus politicos hîc abrogari contendunt, cùm potius Petrum lege veteri absterrere voluerit, ne quid contra hanc ex priuato affectu tentaret. Et de ijs loquitur, *Rom. 13.* qui ipsi gladium temerè arripiunt, non de magistratibus legitimis, quibus ille à Deo datus est, sicuti Paulus docet. Quàmuis simul obseruari debet, Christi sententiã cumprimis ad Apostolos & ho- *Ephes. 6. 2. Cor. 10.* rum successores pertinere, quos non ciuili gladio, sed spirituali Deus armauit, Verbo nimirum suo, quo omnem intellectum subijcere & omnem altitudinem, quæ contra Deum extollitur, demoliri de- *Act. 2. 5. 10. etc.* bent. Hoc felicius multò pugnauit Petrus, quando in die pentecostes hominum tria millia deuicit, vt Christi regno spontè accederent. Eodem postea Ananiam & Sapphiram prostrauit, eodem Simonem Magum deuicit, & Cornelium Centurionem Christo adduxit. Hoc ipso reliqui Apostoli totum orbem terrarum subegerunt. Et hoc pugnare debebant hodie Pontifices & Episcopi, non politicos

ticos magistratus & imperia affectare, à quibus Apostolos Christus alienissimos esse voluit. Tertiò defensionem eiusmodi, etsi per se licita esset, nunc tamen locum non habere docet, cùm addit: An putas quòd nō possim nunc rogare patrē meum, & exhibebit mihi plus quàm duodecim legiones angelorū? Non ergo hominibus defensoribus mihi opus est, qui angelis vti possem. Sed quomodo implerentur scripturæ quæ hæc nunc fieri oportere docent, si vel hominum vel angelorū auxilia admitterem? Ita verò admonet, vehementer peccare eos, qui dum illos ad crucem vocat Deus, ad auxilia illicita confugiunt, & illam abs sese reijcere conantur. Consolationē autem & stimulos, qui nos ad obediendum Deo excitent, ex scripturis petere docet, quas in hunc finem nobis præcipuè datas esse Paulus testatur, vt ad patientiam nos instituant, & consolationibus sustentent, quibus non possumus carere, cùm vita hæc tota laborum plena sit, & persecutionem sustineant omnes, qui in Christo piè volunt viuere. Quid enim homo proferat in medium, quo inobedientiam & impatientiam suam excuset, qui hoc ita constituisse audit Deum, qui pater est optimus, & cui nosipsos & nostra omnia debemus? Matth.18. Lucæ 22. Rom.15. 2.Timoth.3.

His absolutis videamus, quid cum hostibus suis Christus egerit. Vbi primùm Malchus sese offert, cuius auriculam tactu suo miraculose restituit. Inde verò ad reliquam turbam conuersus, principes sacerdotum & seniores & præfectos templi (vt apud Lucam est videre) grauissimè corripit, dicens: Vt in latronem existis cum fustibus & gladijs ad comprehendendum me. Atqui quotidie apud vos eram in templo docens, & non comprehendistis me. Sed vt impleantur scripturæ. Vbi aposiopesi vtitur, quæ non parum grauitatis orationi confert. Habet enim aliquā Correctionis speciem, quasi dicat: Sed quid hæc dico, quando vos illis non mouemini, & ego sic à Deo patre olim cōstitutum & in scripturis prædictum esse scio, quas omnino impleri necesse est? Quibus addit apud Lucam: Hæc est hora vestra & potestas tenebrarum, id est, hoc illud tempus est, quo vobis Deus indulget, vt potestate tenebrarum, diabolica scilicet, in me grassari, & odio vestro satisfacere possitis. Christus quid cum hostibus egerit.

Est verò exemplum hoc multa consyderatione dignissimum. Primò enim docet, quæ sit Christianæ charitatis & patientiæ ratio, & quibus limitibus illæ debeant circumscribi. Benefacit acerrimi & crudelissimi hostis seruo, ne quid postea ex priuata vindictæ cupiditate dicere videatur. Mox autem & suam innocentiam tuetur, & hostium vim iniustam accusat, ipsosq; argumentis à tempore & loco & proprijs ipsorum factis desumptis conuincit. Vides ergo charitatem & patientiam, quarum exemplum perfectissimum est Christus, non obstare, quò minus & nostram innocentiam tueamur (maximè quando huius defensio cum gloria Dei coniuncta est) & hostium impietatem atque iniustitiam arguamus. Frenari quidem debet vindictæ cupiditas & odij affectus, interim verò gloriæ Dei & veritatis ratio habenda est, quæ ferè in nobis periclitatur, & grauibus argumentis retundenda impiorum temeritas, ne indomitum furiant, & vs alij exemplo ipsorum minus offendantur. Sic olim Eliam prophetam, & ante hunc non semel Dauidem fecisse legimus. Et Christi exemplum Paulus quoque imitatus est, quando Ananiæ sacerdotis hypocrisim & iniquitatem palàm arguit, qui ipsum præter ius & æquum percutere iusserat. Non ergo patientia nec charitas est, quam hodie quidam à nobis exigunt, qui nos ad quæuis conuitia conniuere, & veritatis causam turpiter deserere iubent, &c. Ratio charitatis & patientiæ. 1. Reg.18. Psalm.7.26. 59. &c. Acto.23.

Admonemur præterea, quales censendi sint magistratus, qui veritatem & iustitiam violenter opprimunt. Nominantur hîc non Pontifices modò, verumetiā Seniores & Templi præfecti, & ijdem militum cohortem secum habent, quam ab ordinario eius loci magistratu, Romano præside nimirū, acceperant. Attamen Christus illos potestatem tenebrarum, id est, diaboli mancipia & ministros vocat. Neq; hoc Paulo refragatur, qui omnem potestatem à Deo esse dicit: Paulus enim de ordinaria & legitima magistratus potestate, quatenus à Deo est instituta, loquitur: Christus verò ad istorum iniustos mores respicit, & quòd potestate sibi data iniustè abuterentur. Nam vt alia Dei instituta satan peruertere solet, ita magistratus interdum in suas partes trahit, vt sibi seruiant, qui Dei serui esse debebant. Et est hîc probe vigilandum ijs, qui in magistratu versantur, ne sibi quiduis pro suo arbitrio licere existiment, & ita in potestatem tenebrarum degenerent. Cogitent ergo, Deum ipsis sua iudicia credidisse, & se potestatem certis Dei legibus circumscriptam accepisse, quas transilire nefas sit. Simul verò error illorum conuincitur, qui magistratibus simpliciter obedire iubent, in ijs etiam, quæ sine manifesto scelere fieri non possunt: qui & ipsi, si ita principibus videatur, fidem Christi abne- Magistratus iniusti sunt potestas tenebrarum. Rom.13. Psal. 72. & 82.

gant, idola colunt, superstitiones quasuis recipiunt, & alijs horrendis sceleribus sese pollunt. Quid verò ijdem Christo respondebunt, qui iniustos magistratus tenebrarum potestatem esse dicit? Num tenebrarum potestati, id est, diabolo obediendum esse putabunt, cùm Paulus doceat, nos ne angelo quidem è cælo credere & obsequi debere, si aliud Euangelium prædicet? Quid dicent item, quando ita Cæsari obediendum esse audiunt, vt interim Deo demus, quod Dei est? Vel num prophetas & Apostolos vel seditionis vel stultitiæ accusabunt, qui vt veritatis doctrinam & fidei confessionem puram & integram conseruarent, regum & principum suorum edictis sese opposuerunt.

Galat.1.

Discipuli Christo deserto fugiunt.

Sed transeamus ad postremam huius loci partem, qua quid reliqui discipuli simul omnes fecerint, narratur. Tunc relicto illo, omnes fugerunt, sicuti nimirum Christus facturos prædixerat. At hîc singulare quid de adolescentulo quodam narrat Marcus, qui sindone sola super nudum corpus amictus, apprehendentibus illum quibusdam ex hostium Christi numero, relicta sindone nudus aufugit. Hunc nonnulli Ioannem Apostolum fuisse dixerunt: Sed omni ratione caret illorum opinio. Quid enim nomen reticere opus erat, cùm turpior longè Petri lapsus non dissimuletur? Deinde Ioannes Christum captum illicò secutus est, & Petrum adiuuit, vt etiam ipse atrium Pontificis posset ingredi. Vnde verò vestes tam citò habuit, cùm Hierosolymis hospes & peregrinus esset? Sed & adolescentuli vox in Ioannem minimè competit. Verisimilior ergo illorum sententia videtur, qui aliquem ex eius loci adolescentulis adfuisse putant, quo viso adolescentuli, qui Christi hostes comitabantur, illum quoq; comprehendere tentarunt, sed is relicta veste effugerit. Voluit autem exemplum hoc narrari spiritus sanctus, vt ostenderet quanto cum furore in Christũ hostes inuolarint, & vt luculentius sit miraculum, quo ille suos discipulos seruauit, ne quid ab hostibus mali paterentur. Cùm enim tanta fuerit illorum rabies, vt in puerum ignotum sibi manus iniecerint, quis non agnoscat Dei manu discipulos seruatos fuisse, postquàm Petrus pugnando hostes prouocasset? Interim faciunt hæc ad nostræ redemptionis mysterium, & Christum solum esse docent, qui torcular calcauit, & in quo nos saluari oportet. Et voluit discipulorum infirmitate in eum finem Deus abuti, ne redemptionis & salutis nostræ gloriam vel aliqua ex parte in ipsos transferremus. Est præterea hoc magnum nostræ infirmitatis argumentum, quando videmus discipulos ita subitò à Christo diffugisse, cuius fidem & potentiam tot signis perspexerant. Quid ergo nobis fiat, nisi præsenti ope Dei & spiritus sancti virtute sustentemur? Docet item hic locus, nihil tribuendũ esse hominũ promissis, sed salutis spem in vno Deo collocari debere, qui solus nobis adest, si quando homines nobis parum fidos experimur. Et de hoc ipse Christus nos admonuit, quando discipulis dixit: Ecce instat tempus, & iam venit, vt dispergamini vnusquisq; in sua, meq; solum relinquatis: & tamen non sum solus, quia pater mecum est. Quò etiã illud Dauidis pertinet, Vbi pater meus & mater mea destituunt me, Dominus colligit me. At nobis certior esse potest hæc dicendi fiducia, qui præter veteres promissiones Christum habemus dicentem: Non relinquam vos orphanos. Item, Ecce ego vobiscum sum vsq; ad cõsummationẽ seculi. Istis ergo promissionibus freti, pericula omnis generis intrepidè sustineamus, ac fidei confessionem illibatam seruemus, vt olim in magno illo die nos pro suis agnoscat Iesus Christus, saluator noster vnicus: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Ioan.18.

Isaie 63.
Act.4.

Ioan.16.

Psalm.27.

Ioan.14.
Matth.28.

HOMILIA CXXIII.

Et abduxerunt Iesum ad summũ Sacerdotem, & conuenerunt cum eo omnes principes sacerdotum, & seniores, ac scribæ. Petrus autem eminus secutus est eum usq; intrò in aulam Pontificis, & erat considens cum ministris, & calefiebat ad ignem. Principes autem sacerdotum & totus consessus quærebant aduersus Iesum testimonium, ut morte mulctarent eum: nec inueniebant. Nam multi falsum testimonium dicebant aduersus eum, sed non paria erant ipsorum testimonia. Tunc quidam cùm assurrexissent, falsum testimonium tulerunt aduersus eum, dicentes: Nos audiuimus eum dicentem: Ego dissoluam templum hoc quod est manibus factum, & in triduo aliud sine manibus factum ædificabo. Sed ne sic quidem par erat testimonium eorum.

Iesus

IEsus Christus saluator noster non temere ait: Beatus, qui in me non offenditur. Nam vt multa alia omittamus, vix fieri potest, quin caro ingens scandalum patiatur, quando illum post labores infinitos & paupertatis molestias ab hostibus captum, & ignominiosa morte mulctatum esse audit, & quidem ab ijs, penes quos tunc temporis summa erat in rebus ecclesiasticis authoritas & sanctitatis existimatio. Medebimur autem huic scandalo facillimè, si cur ista passus sit consyderemus, & quæ inde ad nos vtilitas redeat, quorum causa hoc omne factum est. Quia enim primus parens superba diuinitatis affectatione inescatus vniuersum genus humanum secum in ruinam traxit, Dei filium extremè humiliari & exinaniri oportuit, vt nos lapsos erigeret. Deinde quia peccati reatu & mortis æternæ vinculis nos omnes constrinxerat satan, Christus vinciri & instar facinorosi mortem subire voluit, vt ipsius merito nos absolueremur. Cur ergo offendat aliquem hæc Christi ignominiosa humiliatio, sine qua nobis consuli non poterat? Aut cur nobis vilior existimetur, qui hæc omnia propter nos sustinuit? Accedit tamen his immensus Dei amor, qui nuspiam euidentior eluxit, quàm in filio, quem pro nobis in mortem dedit. Hæc qui consyderant, adeò non offendentur, vt potius fidem suam confirmari, seq́ ad Dei amorem et eius cultum mirificè excitari sentiant. Idem ergo in sequenti huius historia parte obseruemus, qua narratur, vt filius Dei in Sacerdotum Concilio ignominiose tractatus, & tandem post actionem doli & iniustitiæ plenam condemnatus sit. Latent enim hîc quoque salutis nostræ mysteria, quæ fidem nostram excitare possunt, & simul inter pericula nos officij admonere.

Argumentum & usus præsentis loci. *Matth.11.*

Principiò ad summum eius anni Pontificem Caiapham Christus abducitur, apud quem reliqui etiam sacerdotum principes & seniores & scribæ conuenerant, ut de Christo occidendo consultarent. Nam etsi summum illud ius vitæ & necis Romani Iudæis eripuissent, aliquod tamen ipsis remanserat veteris illius iudicij vestigium, cuius præsidem Deus in Lege summum sacerdotem esse volebat. Et credibile est Romanos, cùm Iudæorum sacra nihili facerent, ecclesiasticas causas ad sacerdotes remisisse, qualis etiam hæc fuit, cuius prætextu Christum oppresserunt. Est autem multa consyderatione dignißimum, quòd publica totius Concilij sacerdotum & Seniorum authoritate Christum oppressum & damnatum fuisse omnes Euangelistæ perhibent. Fuit hæc fœda & horribilis dißipatio, quòd in populo Dei promissus Saluator ab ijs publicè & vnanimi consensu damnatur, penes quos templi & totius cultus externi cura erat, qui totus figuris & mysterijs Christi cõstabat. Sed ita fieri oportere ipse Christus ex Psalmis prædixerat: nec aliter potuit ab illis fieri, qui iam pridem sacra omnia sibi quæstum fecerant. Nobis autem exempli huius vsus hic esse debet, vt primò non offendamur, si quid hodie istius simile cõtingat: deinde vt ab eorum Concilijs nobis caueamus, qui istorum mores per omnia referunt.

Christus in Concilium pontificum abducitur. *Deute.17.* *Marc.12.* *Psalm.117.*

Est quidem hic vetus ecclesiæ mos, vt publica Conciliorũ authoritate controuersiæ ecclesiasticæ componantur, & erroribus ac noxijs circa fidem & religionem opinionibus obuiam eatur. Hoc remedio enim Apostoli vsi sunt, quando ecclesiam Nazarei turbabant, & circumcisionem atque legis opera ad iustificationem necessaria esse docebant. Et postea Christianos principes & episcopos contra hæreses sæpe conuenisse legimus, vt illas publica totius ecclesiæ authoritate extirparent. Sic Nicena Synodus contra Arrium, Constantinopolitana prima contra Macedonium & Eudoxium, qui spiritus sancti Deitatem negabant, Ephesina aduersus Nestorium incarnationis Christi obscuratorem, Chalcedonensis contra Eutychen, qui naturas in Christo confundebat, & rursum Constantinopolitana secunda & tertia contra Theodorum & deinde contra Monothelitas institutæ, & nõ sine eximio ac multiplici fructu fuerunt celebratæ. In omnibus verò his magno studio obseruatũ fuit, vt & conuocatio episcoporum legitima esset, & vt præiudicia nulla admitterentur, quæ vel veritatis causam vel illius ministros grauarent, & vt veritatis cognitio ex solis scripturis peteretur. Docet hoc cum primis Niceni Concilij historia, quam ecclesiastici scriptores magna diligentia conscripserunt, in qua perquàm memorabile videtur, quòd Constantinus Imperator accusationum libellos ab episcopis sibi oblatos ne inspicere quidem dignatus est, sed illos comburi iußit, episcopos verò grauiter monuit, vt positis contentionibus fidei negotium, cuius ergò conuenerant, tractandum susciperent. At postquam posterioribus seculis crescente magis & magis episcoporum auaritia & ambitione res ecclesiæ in peius vergere cœpit, vetus quoque Conciliorum disciplina & authoritas labefactata est, &

Conciliorum usus uetus. *Acto.15.* *Conciliorum ueteres regulæ.* *Vide Sozomenum lib.1. cap.17.*

Conciliorum papisticorum conditio.

Apocal.13.

Iudicio bullarum

tandem Romani Pontifices omnem Concilij conuocandi & administrandi potestatem sibi vendicarunt, & illa ad suam tyrannidem stabiliendam turpiter abusi sunt. Nec enim ab illis alij vocantur, quàm qui in ipsorum verba iurarunt, & characterem bestiæ acceperunt, sine quo nec emere nec vendere licet cuiquam (vt in Apocalypsi legitur) nedum de fidei & ecclesiæ controuersijs sententiam dicere. De præiudicijs verò, quæ in illorum Concilijs dominantur, quid attinet dicere, quando ex Indictionum bullis satis patet, ipsos iam ante veritatis doctrinam damnauisse, nec aliud quærere, quàm vt ipsorum sententia executores habeat, qui contradicentes igne & ferro persequantur? Et quia dei verbum apud eos iam olim explosum est, non ex illo veritas inquiritur, sed de stabiliendis hominum traditionibus disputatur, quas illi Dei verbo longè anteponunt. Quia ergo à regulis illis veteris ecclesiæ discesserunt, & pro suo arbitrio, vel potius libidine, omnia instituunt, iam ab annis quingentis & amplius Conciliorum exitus funestos & sanguinarios fuisse constat, & quæ grauissimorum bellorum causam præbuerunt. Possem hoc exemplis plurimis docere, nisi Tridentini Concilij & ex hoc enati belli memoria adeò recens esset, vt vel ex ea cæcus videat, quid ex eius continuatione sperari posit, quam Papa tantopere vrget. Semper ergo animis nostris obuersetur, Christum in Sacerdotum Concilio damnatum fuisse, & proinde eorum Concilia habeamus suspecta, quos Iudaicis sacerdotibus per omnia similes esse scimus. Esset quidem summis votis expetenda Synodus libera, in qua semotis affectibus controuersiæ omnes ex scripturis sacris componerentur. Sed quia talem nunquam admissuri sunt Romani pontifices, nos verò illorum Synodis veritatis causam subijcere nec possumus nec debemus, singulos rerum publicarum magistratus hoc curare decet, vt interea apud suos homines libera sit verbi Dei prædicatio, vtq́ abusus superstitiosi tollantur, & religio externa iuxta verbi præscriptum constituatur: ne dum Pontificum authoritatem expectant, Veritatis causam aut ignaui negligant, aut turpiter prodant. Quod si quem piorum in Concilia Antichristiana produci contingat, illum Christi exemplum consoletur, & hunc iam olim de hoc nos præmonuisse meminerit, idemq́ olim passos esse prophetas & Apostolos: quorum constantiam imitari, & fidei confessionem illibatam seruare debeant, &c.

Marci 13. Matth.10.

Petrus Christum eminus sequitur.

Cæterùm ne quid omittat Marcus, quod ad eorum cognitionem faciat, quæ postea sequentur, de Petro aliquid hoc loco interserit, qui cùm animum recollegisset, ex fuga reuersus est, & Christum eminus sequutus, & in ipsam quoq́ Pontificis aulam ingressus inter eius ministros consedit, vt calefieret. Fuit hæc præparatio quædam ad abnegationem Christi, de qua hic ipsum in Cœna postrema admonuerat. Elucet autem in Petro piorum ingenium, in quibus si quando pericula instant, amor Christi & metus acriter colluctantur. Et plerunq́ tanta sese exerit amoris diuini vis, vt posthabito periculi metu officium suum omnino facturi videantur. At ijdem postea, nisi illos Deus singulari gratia sustentet, grauissimè labuntur, adeò vt quantumuis eximiæ dotes nihil aut parum ipsis ad fidem & salutem conferant, si diuinæ gratiæ auxilio destituantur. In Petro certè amor Christi fuit flagrantissimus, zelus accerrimus, animi fortitudo haud vulgaris, voluntas siue institutum sanctissimum. Sed non iuuerunt illum ista omnia, cùm in ipso Deus humanæ imbecillitatis specimen dare vellet. Nemo igitur donorum fiducia extollatur, sed in vnius Dei gratiam intenti opem ipsius indesinenter imploremus.

Sacerdotes Christum occidere instituunt. Deute.1. 2.Para.19.

Sed ad Concilij præsides reuersi, quid illi cum Christo egerint, videamus. Vbi primò illorum institutum notatur, quod fuit, vt ipsum morte mulctarent, quare causam quæsiuerunt, cuius prætextu id possent facere. In ipso igitur limine impingunt, quod dicitur. Iudicis enim est causam primò cognoscere, & vbi hanc cognouit, iudicare pœnam ne aut præmium mereatur. Isti verò pœnam iam constituerunt, & nunc demum causas quærunt, quibus crudelē & iniquam sententiam palliare possint, Eandem planè viam hodie aduersarij nostri ingrediuntur, sicuti Pontificum Bullæ testantur, quibus illi Concilia indicunt. In illis enim disertè dicunt, se ecclesiæ vulnera curare & hæreses è medio auferre velle. Magnifica sanè & summo pastore digna promissio. At si roges, quæ nam illa ecclesiæ vulnera sint, & quæ illæ sint hæreses, quibus curam & medelam adhibere oporteat, mox de Euangelij doctrina per pios ministros nostro seculo restituta, & patefactis meretricis Romanæ fœdissimus abominationibus illos conqueri patebit. Interim nos quoque ad sua tribnnalia citant, & causam nostram se fideliter & diligenter cognoscere velle pollicentur. At qualis illa causæ cognitio, cùm & hæreseos

hæreseos crimine nos iam olim grauarint, & excidio dignos decreuerint? Sunt ergo hæc Caiaphitici Concilij manifesta indicia, quæ in eum finem obseruari debent, ne blandis ipsorum promissionibus nos seduci patiamur. Similiter autem in causis prophanis peccant, qui vel odio, vel inuidia, vel alio prauo affectu extimulati occasiones captant aliquos mulctandi, priusquam de ipsorum factis aliquid certò constet. Quod vbi fit, ibi nullus æquitati locus est reliquus, & ferè innocentes iniquis sententijs opprimuntur.

Sed modus quoq; inspiciendus est, quo causam istam Sacerdotes egerunt. Quò facit, quòd apud Ioannem Pontifex illum de discipulis & doctrina interrogat, quasi nouam et falsam doctrinam spargendo discipulos sibi fecerit priuata authoritate fretus, & ita in populo Dei schismatis author fuerit. Respondet Christus amicè, & ne ipse suarum laudum preco putetur, auditores interrogare iubet, & id facilè fieri posse docet, cum publicè in templo & synagogis docuerit. At benè & prudenter respondentem Pontificis famulus in faciem cedit (fortassis quòd minus aulicè locutus esset) et indignissimum hoc famuli facinus ipsi impunè abire patiuntur. Vt verò hoc non successit, ad dolos recurrunt, & falsis testimonijs innocentem opprimere instituunt, & ipsi testes falsos sistunt, quorum erat curare, ne quis in iudicijs iniustitiæ & mendacijs locus daretur. Nec vnum modo & alterum sistunt, sed cùm primi mentiendo nihil proficiant, nouos subinde producunt, si quid fortè aliqui comminiscantur, quod causam ipsorum iuuare possit. Quo exemplo docemur, quibus armis & artibus impij veritatem oppugnent. Quod enim isti fecerunt, hodie passim fieri consueuit. Postquam enim aliquos in suam nassam pertraxerunt veritatis hostes, mox inquisitiones solennes de fide et doctrina instituunt. Quòd si quis rectè & cordatè respondeat, vt illi contradicere non possint, vi agitur, qua plura locuturis os obturant, aut mox in carceres abstrusissimos abripi iubent. Mox vt principibus & populo inuisos reddant, calumnijs agunt, & facilè inueniunt parasitos, qui quicquid illi velint loquantur. Hinc illa grauia & horrenda crimina, quibus pios Christi cultores grauari constat, dum alij in ipsum Deum, Diuos Diuasq; omnes coniurasse, alij sacra omnia violauisse, alij pacem publicam turbasse dicuntur. Et quia tales non modò mentiendi impunitatem sibi datam esse norunt, verumetiam ex calumnijs præmia sperant, eò ferè audaciæ progrediuntur, vt licet improbitatem suam semel & iterum patefactam esse videant, impudentissimè tamen noua subinde figmenta proferant, quæ tantò illis plausibiliora videntur, quantò plus absurditatis & mendacij continent.

Modus quo contra Christũ sacerdotes progrediuntur.
Ioan. 18.

Ne tamen impijs audacium istorum calumnijs terreamur, simul hic euidens potentiæ diuinæ specimen proponitur, quæ impiorum consilia mirificè turbat, vt licet eadem ipsis voluntas, & idem studiorum scopus sit, attamen inter se conuenire non possunt, vt idem dicant: sed vt olim in turris Babel extructione impiorum linguæ scissæ sunt, quod opere inchoato ipsos abstinere coegit: ita frequenter fit, vt impij, etsi eodem animi instituto ferantur & lingua eadem loquantur, tamen nec se mutuò intelligere, nec consilijs conuenire queant. Imò ista occasione fit, vt nonnunquam hostiliter inter sese committantur. Præterea calumniatorum ea ferè sors est, vt quamuis cum audacia astutiam singularem coniunctam habeant, multa tamen sibijpsis pugnantia loquantur, & ita suo sese indicio prodant. Facit huc Senum exemplum, qui Susannam suis calumnijs oppressuri, suam nequitiam prodiderunt, & sibijpsis struxerunt exitium.

Deus impiorũ consilia turbat.
Gene. 11.

Subest autem huic actioni innocentiæ Christi testimonium irrefragabile, quando acerrimi & impijssimi hostes ne falsis quidem testibus quicquam inuenire potuerunt, quod ipsis ad declinandam populi inuidiam sufficere videatur. Vere ergo est agnus ille immaculatus, in cuius ore non inuentus est dolus. Facit item ad confirmandam ipsius innocentiam, quod ipse hostibus suis apud Ioannem dicit: Quis vestrum arguet me peccati? Hinc verò colligimus, illum sufficiens esse pro peccatis nostris sacrificium & verè ab Apostolo dici, quòd nobis à Deo iustitia & satisfactio & redemptio factus sit. Consolationi etiam seruit Christi exemplum, ne molestius æquo feramus, si quando falsis rumoribus aut etiam testimonijs mendacibus & calumnijs grauamur. Ea enim sanctorum sors est, vt cùm ab horrendis illis ac grauioribus sceleribus immunes sint, fictis criminibus petantur ab ijs, qui ipsos vulgò inuisos facere cupiunt. Sensit hanc olim Iosephus, quando impudicæ heræ criminationibus in carcerem detrusus fuit. Dauidem quoq; horrendis calumnijs obnoxium fuisse, Psalmi ipsius testantur, quibus suam innocentiam defendit. Nec melior fuit prophetarum conditio, sicuti ex

Innocentia Christi.
Exod. 12.
Isaiæ 53.
Ioan. 8.
1. Corinth. 1.
Gene. 39.
Psal. 7. 26. 69. 58. 120. &c.

Amos 7. Ierem. 36.37. 38.&c. Matth. 5. Matth. 10. Luc. 12. Psal. 34.

Amos & Ieremiæ historijs patet, quorum vterq; seditiosæ cōiurationis & proditionis accusatus fuit. Et idem Apostolis euenturum esse, Christus olim prædixit, & ipsi postea abunde experti sunt. Quid ergo mirum fuerit, si idem nobis quoq; contingat? vel num nobis aliquo iure sortem meliorem pollicebimur? Soletur nos potius, quòd Christus discipulis dicit, nihil tam esse occultum, quod non suo tempore manifestetur, & quòd alibi Deus suorum memoriam tueri dicitur: quod in prophetarū & Apostolorum exemplis manifestißimè cernitur. Viderunt hoc olim gentium philosophi, quando Veritatem temporis filiam dixerunt. Prodit enim illa ex latebris suo tempore, nec illam perpetuò occultare possunt calumniatorum fumi & nebulæ.

Falsi testes contra Christum producuntur.

Quia verò falsorum testium meminerat Marcus, ex multis vnum & alterū producit, vt exemplo doceat, quales reliqui omnes fuerint, & qualia fuerint ipsorum testimonia. Nam postremò aliquos surrexisse ait, qui dicerent: Audiuimus eum dicentem: Ego dissoluam templum hoc, quod est manibus factum, & in triduo aliud sine manibus factum ædificabo. Atqui hæc nusquam dixerat Christus, aliud verò longè diuerso sensu & alijs quoq; verbis dixerat, vnde ipsi occasionem calumniandi arripiunt. Apud Ioannem enim interrogatus, quo signo probaret, se templi & externi cultus reformandi potestatem habere, resurrectionem suam allegat, dicens: Destruite templum hoc, & in tribus diebus erigam illud. Id verò de templo corporis sui dicebat, quod ipsum sacerdotes intellexisse ex ipsorum verbis patet, quibus Pilato postea dixerunt: Domine, recordati sumus, quòd impostor ille dixit adhuc viuens: Post tres dies resurgo, &c. Vides ergo hoc testimonio multiplicem calumniam contineri. Primò ad templum detorquent, quod ille de corpore suo dixerat. Deinde vt hoc commodius possint, addunt quod ille non dixerat: Quod est manibus factum. Tertiò, quædam peruertunt, & aliter referunt, quàm Christus dixisset. Dixerat ille, Destruite templum hoc. Illi verò mutatis verbis referunt, perinde ac si templo ipse destructionem & ruinam minatus esset. Scopus verò hic illis propositus est, vt illum templi & totius cultus externi hostem esse conuincant: quod scelus Iudæis nulla venia dignum videbatur, eò quòd omnem salutis spem in vno templo haberent collocatam, neglectis interim ijs, quæ per externa hæc figurabantur: sicuti ex ijs patet, quæ olim Ieremiæ, postea autem Stephano quoq; obiecerunt. Iere. 7. Acto. 7.

Ioan. 2.

Matth. 27.

Falsi testes qui dicantur.

Admonemur autem exemplo hoc, quæ sit falsi testimonij ratio, & qui nam falsi testes censeri debeant: Non ij modò, qui ex semetipsis impudentißimè confingunt, quæ nec viderunt ipsi, nec à quoquam fide digno audiuerunt: verumetiam qui callidè & astutè ijs quæ facta & dicta sunt aliquid vel addunt vel adimunt, aut eadem improbè peruertunt. Hæc enim ratio est, propter quam isti testes falsi dicuntur. Est hoc diligenter obseruandum ijs, qui in iudicijs sistuntur, vt testimonium dicant. Vt enim testimoniorum vsum in causis forensibus Deus instituit, ita idem ille grauiter monet, ne aduersus proximum quis falsum testimonium dicat. Ne recipias (inquit) rumorem vanum, neq; paciscaris cum impio, vt sis testis iniquus. Ne sequaris multos ad malefaciendum, neq; respondeas in iudicio declinando post multos, vt peruersum quid committas. Et alibi pœnam grauem constituens, ait: Si testis mendax fuerit, mendacium respondens contra fratrem suum, facietis ei, quemadmodum ipse cogitauerat facere fratri suo, & exures malum è medio tui, vt reliqui id audiant & timeant, neq; audeant amplius designare rem hanc malam in te. Non parcet oculus tuus, animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede. Sed & Solomon testem mendacem inter sex illa connumerat, quæ deo exosa sunt, & idem non vno loco docet, fieri non posse, quin dignas scelere suo pœnas subeant, quicunque testimonium falsum dixerint. In Regum historia certè filij Belijaal dicuntur, id est, deuotè & incurabiliter impij ac scelerati, qui contra Naboth ex Iesabelis mandato falsum testati sunt. Et quo supplicio Susannæ accusatores falsiq; testes mulctati sint, nemo ignorat.

Deut. 17. Exod. 20. 23.

Deut. 19.

Prouerb. 6. 19. & 21. 1. Reg. 21.

Falsi testis peccatū multiplex. Ioan. 8.

Et sanè non sine grauibus causis testes mendaces tam grauiter punire Deus iussit, cùm in vno facto scelera plurima, eaq; grauißima concurrant. Primò enim mendacium omne per se peccatum est, & inter diaboli opera primum locum obtinet, qui vt ab initio mendax fuit, ita mendacijs subinde pugnat, & per ea hominum saluti insidias struit. Deinde eò grauius peccant mentiendo falsi testes, quòd proximi fortunis aut famæ, aut etiam vitæ periculum afferunt. Tertiò in ipsum Deum peccant, cuius nomine inter iurandū abutuntur. Quartò publica iudicia violant, & in loco iustitiæ sacro iniusti

iniustitiam crudeliter & subdolè exercent. Denique communem salutem quantum in ipsis est, euertunt & dissipant, quando constat, absq; iudiciorum sancta administratione nullam rempublicam diu consistere posse. Achab certè, cùm multa eius scelera tulisset Deus, mox cum omni sua domo extinctus est, vt primùm Naboth Iezreeliten falsis testibus & iniquo iudicio oppreßit. Horum ergo memores sint magistratus, nec temere quosuis ad dicendum testimonium admittant, et quæ dicuntur probè examinent, ne vanis & pestiferis hominibus vel patrocinari videatur, vel ijsdem animos addant, vt impudentius mentiri ausint. Cogitent etiam de his diligenter, qui vt testimoniū dicant, sistuntur, ne vel negligentius multa dißimulando, vel ex prauo affectu multa peruertendo, aut addendo, aut omittendo in Deum simul & in homines peccent et tandem crudeles sui sceleris pœnas exoluant, &c. 1.Reg.22.

Obseruabis præterea, Christum ceu templi destructorem & cultus diuini publicum hostem, ab ijs accusari, qui & templum vnà cum cultu externo iam pridem sua auaritia & ambitione violauerāt, & in viua Dei templa impijs suis traditionibus, & tyrannide crudelißima grassabantur. Solent idem etiam hodie falsi antistites, & quotquot horum partes tuentur. Qui enim iamdudum sacra omnia prophanauerunt, Dei verbum corruperunt, fidem Christianam adulterarunt, & disciplinam ecclesiasticam miris modis euerterunt, nec adhuc in sanctos Dei cultores insanire desinunt: nos interim accusant, & per nos ecclesiam dißipari, sacramenta pollui, doctrinam corrumpi, fidem euerti & disciplinam omnem labefactari, denique Diuos horribiliter contemni & conculcari vociferantur: nec aliam suæ accusationis causam habent, quàm quòd sacrorum nundinationem, & imagines templis eijcimus, sacramentorum vsum ad primæ institutionis regulam instituimus, & doctrinam Christi constanter retinemus, quam sanguine suo Diui olim confirmarunt. Sed non mouere nos debent eiusmodi clamores. Viuit enim & regnat adhuc Christus Iesus, qui suorum innocentiam asseret. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen. Christus ceu templi hostis accusatur.

HOMILIA CXXIIII.

Et Pontifex, cùm assurrexisset in medium, interrogauit Iesum, dicens: Non respondes quicquam? quid isti aduersus te testificātur? Ipse uerò silebat, & nihil respondit. Rursum Pontifex interrogauit eum, & dicit ei: Tun es ille Christus filius benedicti? Iesus autem dixit: Ego sum: & uidebitis filium hominis sedentem à dextra uirtutis, & uenientem cum nubibus cœli. Pontifex uerò diruptis uestibus suis dixit: Quid adhuc opus habemus testibus? Audistis blasphemiam: quid uobis uidetur? Illi uerò omnes contra eum iudicarūt, eum esse reum mortis. Et cœperunt quidam conspuere in eum, & obtegere faciem eius, & colaphos ei infligere, ac dicere ei: Vaticinare: & bacillorum ictibus eum cædebant.

QVamuis pij probè intelligant, salutem omnē in vno Iesu Christo contineri, nec aliam esse huius consequendæ rationem quàm fidem qua & Christum apprehēdimus, & ipsi inserimur, vt tam ipsius quàm meriti & donorum eius simus consortes: plurimùm tamen offenditur caro, quando fidem hanc fideiq; doctrinam à plerisq; reprobari, eiusq; professores odijs & persecutionibus perpetuis obnoxios esse videmus. Cui scandalo vt medeatur Deus, non modò per verbum suum consolationes adhibet, verumetiam filij sui exemplum proponit, vt cùm illum eandem nobiscum sortem sustinuisse audimus, non mirum aut insolens videatur, hæc nobis accidere. Nec enim temere ab illo dictum est: Non est discipulus supra præceptorem, neq; seruus supra dominum suum. Si me persecuti sunt, & vos persequentur: si sermonem meum seruauerunt, & vestrum seruabunt. Cumprimis verò huc facit præsens locus, quo vt Christus ab ædificātibus, id est, à doctrinæ & religionis præsidibus adeoq; publica totius Concilij authoritate damnatus sit, narratur. Vbi multa concurrunt, quæ nos hostium Veritatis mores, consilia & artes agnoscere docent, simulq; admonent, vt iuxta Christi exemplum veritatis & fidei confeßionem illibatam & synceram tenere debeamus. Argumentum & usus præsentis loci. Matth.10. Ioan.15.

Christus tacet, dum falsis testibus premitur.

Primò autem hic ipse proponitur, quid nimirum fecerit, quando se testibus falsis premi viddbat. Et quidem tacuisse dicitur, nec id sine graui & iusta ratione. Primò enim sciebat, locum defensionis nullum superesse apud eos, qui obstinatis animis in mortem ipsius coniurauerant. Deinde tanta erat testimoniorum absurditas & repugnantia, vt ne ipsis sacerdotibus probari possent, & proinde confutatione non opus habebant. Praeterea non ignorabat, hanc esse ipsius horam, à Deo patre constitutam, qua mortis suae merito peccatum expiare & sempiternam iustitiam (sicut Daniel praedixerat) reducere deberet. Tacet ergo ne Dei consilio reluctari videatur: & suo exemplo docet, quid nos facere conueniat, si quando nos simili dolo & iniquitate ab hostibus iuratis videmus circumuentos esse, apud quos dicendo nihil proficitur. Taciti rem Deo committamus, & soletur nos, quòd vt ipsi nobis bene conscij sumus, ita Deus suorum innocentiam nouit, & eandem instar patroni fidelißimi asserit atq; tuetur. Ita Dauid, quando sub Saule omnia tribunalia sibi infesta erant, ad Deum prouocabat, & illum suae innocentiae vindicem fore agnoscebat, sicuti in Psalmis eo tempore cōscriptis est videre. Sic Susanna ab improbis Senioribus circumuenta ad vnum Deum conuertebatur, & mox illius manu potenti erepta est. Neq; hic terreat, quòd non semper manum suam illicò Deus exerit, sed interdum patitur, vt pij instar facinorosorum ad supplicia rapiantur, quod & Christo & Apostolis ac horum sectatoribus contigit. Habet enim certas sui consilij rationes, & apud posteritatem suorum honori consulit, & impiorum mendacia manifestat: sicuti prophetarum & Apostolorum, deinde martyrum quoq; exempla abunde docent.

Dan. 9. — *Psal. 7. 12. 17. 26. 35. 45. 58.*

Pontifex Christum captiose adoritur.

At hîc nobis simul Pontifex Caiaphas consyderandus venit, qui sancta hac Christi patientia impudentißimè abutitur. Surgit in medium, vt vel corporis gestu grauitatem pontificalem simulet, & simul Christum noua hac maiestatis ostentatione perterrefaciat. Deinde illum interrogans, ait: Non respondes quicquam? quid isti aduersus te testificantur? Quibus verbis & silentium ipsius accusat, adeoq; ex eo argumentum petit, ipsum malè sibi conscium non habere quod respondeat: & ipsos testes non obscurè commendat. Nam δεικτικῶς dicit: Quid isti aduersus te testificantur? Quasi diceret. Contemni & silentio praeteriri poterat hominum nullius precij testimonium: Sed cùm isti haec dicant, quorum magna semper authoritas, & fides nunquam alicui suspecta fuit, non omnino nihil est quod ab illis dicitur, & hoc tuum silentium abunde testatur, te ista inficiari non posse. Et haec quidem dicit audax et impudens hypocrita, cùm testes illos subornatos esse non ignoraret. Sed ne cum solis hominibus ludere videatur, ipsum Deum quoque (quantum in se est) in scenam protrahit. Nam adhuc tacente Christo, illum per Dei nomen coniurans (sicuti Matthaeus annotauit) ait: Adiuro te per Deum viuentem, vt dicas nobis, an tu sis Christus, filius Dei. Duo igitur quaerit. Primum, An Christus sit, id est, promissus ille humani generis redemptor, Rex & sacerdos aeternus. Alterum, An Dei filius sit. Tunc enim vulgò credebant Iudaei, Meßiam siue Christum Dei filium fore, & ideo qui Iesum pro Meßia agnoscebant, ea quoque ab illo postulabant, quae humanas vires longè superant, & à solo Deo praestari possunt. Etsi enim verbi diuini doctrina hominum traditionibus esset corrupta, nondum tamen omnium animis exciderant prophetarum oracula quae Meßiae diuinam naturam asserunt. Isaias certè illum Deum fortem & patrem aeternitatis nominat. Et idem cùm de illius afflictionibus & morte vaticinaretur, simul addit: Et generationē eius quis enarrabit? Cui & Micheas consentit, qui cùm Meßiam Bethlehemi nasciturum dixisset, mox subijcit: Et exitus eius à seculo, à diebus aeternitatis. Et cumprimis perspicuus est Ieremiae locus, qui de Meßia vaticinans, ait: Ecce dies venient, dicit Dominus, vt excitem germen iustum Dauidi, regnabitq; rex, & prudenter rem geret, & faciet iudicium & iustitiam in terra. In diebus eius saluabitur Iuda, & Israel habitabit tutò: & hoc nomen eius, quo vocabunt eum, IEHOVAH iustitia nostra. En ipsum Dei nomen essentiale promisso redemptori, qui ex Dauidis stirpe nasciturus erat, Ieremias tribuit. Possem & alia huius generis loca adducere, quae cùm non ignoraret Caiaphas, quaestiones hasce coniunxit, vt qui sciret, Iesum non posse Meßiam siue Christum dici, nisi simul Deus quoq; diceretur. Vbi obiter videmus, quantùm nostri seculi Iudaei à patribus ipsorum degenerarint, & quàm foede in Meßiae cognitione hallucinentur, quando terrenum modò regem expectant, nec in illo quicquam diuinitatis agnoscunt. Arguuntur item Caiaphae exemplo Ariani, & qui istorum haeresim hodie reducunt Seruetani canes, qui cùm Christi nomine glorientur, aeternae tamen ipsius Deitati horrendis blasphemijs

Iudaei Meßiam Dei filium esse crediderunt. — *Isaiae 9. & 53.* — *Mich. 5.* — *Ierem. 23.*

phemijs oblatrant: Imò ad salutem non necessarium esse aiunt, vt Christum verum Deum & patri coæternum esse credamus. Et horum impietas eò intolerabilior censeri debet, quòd cùm ipsi ecclesias nullas ex Antichristi tyrannide eripiant, in aliorum tamen labores subeunt, & hospitibus suis ferè eam gratiam referunt, quòd aliorum labore & sanguine constitutas ecclesias perturbant, simulq; renascentem Euangelij doctrinam impijs suis disputationibus suspectam & inuisam reddunt.

Cæterùm etsi quæstiones illas rectè coniungat Pontifex, longè tamen alius illi finis est propositus, quàm vt Messiæ cognitionem veram inquirat: sed potius quæstione captiosa Christum circumuenire & irretire conatur, & ideò Dei quoque nomen fraudulenter adhibet: Si enim se Messiam & Dei filium esse dixerit, mox blasphemus dicetur, & eo nomine condemnabitur, quòd diuinos honores sibi vendicarit. Quòd si neget, iam parata est alia quæstio: Cur ergo docuerit? Cur discipulos sibi fecerit? Cur Messiæ promissi munia captarit? Et ita seditionis in republica & ecclesia accusabitur. Sin taceat, impium diuini nominis contemptorem dicent, & ita quoque ipsum damnandi causam habebunt. Vides ergo in Caiapha cum hypocrisi & impietate incomparabilem astutiam coniunctam esse: quæ pestes ferè omnibus veritatis contemptoribus adesse consueuerunt. Sunt enim filij huius seculi prudentiores filijs lucis in generatione sua, nec quicquam illis vulgarius est, quàm sub pietatis & religionis prætextu veros Dei cultores opprimere. Quod nos in eum finem obseruare decet, vt cauti simus & circumspecti, ne quando fidei confessionem veram nobis suis hisce artibus & imposturis eripiant.

Caiaphæ quæstio insidiosa.

Lucæ 16.

Facit huc Christi exemplum, quo admonemur, quid nos agere conueniat, si in tales incidamus. Supplendus tamen locus hic ex Luca, qui illum Caiaphæ & sacerdotum improbitatem palàm reprehendisse scribit, & dixisse: Si vobis dixero, non creditis: quòd si etiam interrogauero, non respondebitis mihi, neque dimittetis. Quibus verbis innuit, se non ignorare, quòd ex composito faciant omnia, vtut iustitiam simulent. Deinde verò ad quæstionem propositam respondet, ac ingenuè quod verum erat fatetur. Ego sum, inquit, nimirum Christus ille promissus, & filius Benedicti, id est, Dei, qui solus ex semetipso bona omnia habet, & eadem pro suo arbitrio dispensat. At quia videbat, illos ignobili eius specie offendi, ad futuram gloriam ipsos relegat, & simul Dei iudicium illis ob oculos statuit, dicens: Videbitis filium hominis sedentem à dextra virtutis, & venientem cum nubibus cœli. Consultò autem verbis vtitur ex veteri scriptura petitis, ne quid insolens & inauditum hucusque dicere videatur. Dauid enim Deum Christo dixisse scribit: Sede à dextra mea, donec posuero inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Et Daniel de eodem vaticinans, ait: Spectabam in visis nocturnis, & ecce veniebat in nubibus cœli quidam, ceu filius hominis, qui vsque ad antiquum dierum peruenit, eumq; adduxerunt ante illum, Et dominatus est ei traditus, & honor, & regnum, vt omnes populi, nationes & linguæ colant eum, &c. Hæc illis in mentem reuocat Christus, vt aliquando vices fore intelligant, & verborum sensus est: Nunc quidem vestro iudicio sistor, nec quicquam in me præter assumptam filij hominis naturam videre potestis, & ideò insolentius mecum agitis. Sed simul cogitandum erat, Messiam Dei filium esse, cui ab æterno dictum est: Filius meus es tu, ego hodie te genui, & quòd eidem in carne ex Dauidis semine assumpta manifestando iam inde ab æterno diuinitatis consortium, dominatus item & regnum æternum destinatum sit. Quod quia vos videre non vultis, agedum ego quod res est, vobis edico. Videbitis (inquam) me sedentem à dextra virtutis, id est, sentietis & reipsa experiemini me verum Deum esse, adeoq; illum ipsum esse Dei filium, per quem ille virtutem suam exerit, & per quem omnia condita sunt atq; seruantur. Nec in hoc tantùm seculo me illum esse experiemini, sed olim cùm nouissimus ille dies illuxerit, quo omnem carnem Dei iudicio sisti oportebit, me illum hominis filium esse cernetis, quem Daniel ad antiquum dierum vsq; peruenisse, id est, Deo patri coæternum & consubstantialem esse vidit. Et tunc ad meum tribunal sistemini, vt dignas vestris sceleribus pœnas exoluatis, &c. Hic (inquam) verborum Christi sensus est.

Christus Caiaphæ respondet.

Psal. 110.

Dan. 7.

Nos autem ipsius exemplo admonemur, quomodo cum manifestis & iuratis fidei & veritatis hostibus agi debeat. Curandum imprimis, vt veritatis confessio nobis salua maneat & integra. Requirit hanc Christus passim, nec æquum est, vt illius nos pudeat coram mundo, quem non puduit nostri: imò qui ut nos assereret, acerbam & ignominiosam mortem subire voluit. Sit autem scripturis

Vt agendũ cum hostibus fidei apertis.

Matth. 10.

Marci 8.

firmata fidei nostræ confeßio, quò magis hostium animos feriat, qui etsi Deum & verbum eius contemnant, nunquam tamen effugient, quin stimulum aliquem conscientiæ sentiant, qui aliquando velint nolint illos sui sceleris admoneat. Nec alienum est à fidei & charitatis officio, vt & latens hostium improbitas arguatur, & iisdem scelerum pœnæ denuntientur. Hoc enim Apostolos quoq; non semel fecisse legimus, & quidem non sine fructu eximio, licet incurabiles manerent multi, qui animos suos contra veritatem obfirmauerant. Et horum exemplum secutus Stephanus eorum iniquitatem acriter corripuit à quibus condemnabatur. Interim admonet simul locus hic, in cruce nos ad gloriam Christi cœlestem respicere debere, quam olim impij videre cogentur, iuxta illud prophetæ: Videbunt in quem pupugerunt. Eadem verò lætitiam & consolationem eximiam afferet ijs, qui in hac vita afflictionum Christi consortes fuerunt. Vide Sap.3.& 4.cap.

Act.2.3.& 7.&c.

Zach.12.

Caiaphas ueste scindit.

Porrò ad Pontificem reuersi, quid ille audita Christi confeßione fecerit, videamus. Primò vestem scindit, & eo gestu animi dolorem testatur, quem ex blasphemia audita conceperit. Fuit enim hic vetus Iudæorum mos, vt auditis conuitijs in Deum, vestes scinderent, sicq; Dei gloriam sibi cordi esse significarent, sicuti in exemplis Iorami regis Israelitici & Ezechiæ, Pauli item & Barnabæ est videre. Facit tamen hoc præter decorum suum Caiaphas, cùm in Lege Deus prohibuerit, ne summus Sacerdos vestes scindat, vt qui affectibus minus debuit esse obnoxius. At quia hoc hypocritæ ad zeli sui ostentationem plurimùm seruiebat, Dei mandatum facilè contemnit. Deinde Christi confeßionem blasphemam esse pronuntiat. Quid (inquit) adhuc opus habemus testibus? Audistis blasphemiam. Quàm temerè verò ita pronuntiet, quiuis videbit, qui rem ipsam propius inspexerit. Cùm enim scripturæ promissum generis humani saluatorem venturum esse, & eundem Dei filium esse doceant, non statim blasphemus erit, qui se & Meßiam & Dei filium esse dixerit, nisi hoc falsò dicat. Prius ergo mendacij conuincendus erat Christus, priusquàm blasphemus esse pronuntiaretur. At quomodo mendacij illum conuincerent, qui operibus miraculosis se & Meßiam & Dei filium esse quotidie demonstrabat? Est itaque temeratius nimis Caiaphas, & simul sua authoritate collegas suos totumq; Concilium in suam sententiam trahit. Nam his dictis, mox subijcit: Quid vobis videtur? Illi verò omnes contra eum iudicarunt, eum esse reum mortis.

2.Reg.5. et 19.
Act.14.
Leuit.21.

Christus ob ueritatis confeßionē dānatur.

Hypocritarum mores.

Vbi primò obseruabis, Christum propter Veritatis confeßionē damnatum esse: quod ipsum postea sanctis quoque martyribus contigit, quò minus nobis graue uideri debet, si idem ipsi quoq; patiamur. Simul verò hoc quoq; canes Seruetanos arguit atq; confutat, qui vt modò diximus, non necesse esse aiunt, vt Christum verum & patri coæternum atq; coessentialem filium Dei esse credamus. Hic enim ille articulus est, de quo tot tamq; graues cum Iudæis disputationes suscepit, quæ ab Ioanne Euangelista describuntur. De hoc in præsenti examinatur: Et hunc palàm confiteri voluit, cùm se ideo capitis damnandum esse sciret. Quod si verò vt ista sciamus & credamus, ad salutem necesse non est, ergo Christus de re nihili & superuacanea cum aduersarijs suis contendit, quod ambitiosi solent, & nimium temeraria ambitione seipsum in periculum vitæ coniecit, neq; præter omnem rationem damnatus est. Videtis ergo ô fratres, quorsum per eos tendat satan, qui hodie per exteras gentes oberrant, & cùm se Italia & alijs regionibus propter Christum eiectos esse dicant, impijs & blasphemis opinionibus totum redemptionis nostræ negotium euertunt, & infirmorum conscientias horribiliter turbant. Vigilate itaq; aduersus impuros Christi hostes ô pastores, & qui in magistratu synceriores fidei protectores vos esse profitemini, videte etiam atq; etiam, ne Euangelio labem hanc aspergi finatis, vt sub huius falso prætextu in vestris vrbibus aperti deitatis Christi hostes delitescant, imò suis latratibus fidem Christianam proscindant. Deinde hypocritarum mores obseruentur. Poßunt illi pietatis speciem mirificè simulare, quasi blasphemias in Deū nullo modo ferre poßint. At si rem propius inspicias, solam Veritatem ipsis blasphemam & intolerabilē videri patebit, eò quòd sola hac ipsorum quæstui & honori derogat. Quis enim nescit, quàm multa illo seculo traditiones inuecta essent à Dei verbo alienißimæ? Vel quis ignorat tunc Sadducæos regnasse, qui & mortuorum resurrectionē, & animarum immortalitatē, & spiritus tam bonos quàm malos negando ipsa fidei & salutis principia conuellebant? Hos tamen Caiaphæ isti ferunt, nec quisquam illorū, dum istos audit, vel minimo indicio animi impatientiam testatur. Longè ergo aliud illos solicitos habuit, quàm Dei gloria, cuius

Marc.12.
Acto.23.

cuius patronos & vindices haberi volunt. Metuunt enim ne populus Iesum agnoscat esse Christum, & ab ipsis secessionem faciat, qui illum hucusque traditionibus ac imposturis ad quæstum & ambitionem compositis dementarant. Eadem est planè ratio eorum, qui nos hodie in Deum, in Christum, in virginem Mariam & Diuos omnes clamant blasphemos esse. Nam si interrogentur, cur nos hoc crimine grauent, cùm & Deum unum trinumque agnoscamus, & in Christo Iesu salutis spem collocemus, & Mariam filij Dei genitricem esse fateamur, Diuorum verò fidem & doctrinam sancta reuerentia exosculemur: mox de Missis, de preculis mercede conductis, de purgatorio igne, de imaginibus, de votis monasticis, de peregrinationibus, & sexcentis alijs sermonem instituent, quæ vt nullis scripturis probari possunt, ita veteri & primitiuæ ecclesiæ omnino ignota fuere. Imò per illos homines quiduis tibi in religione statuere licebit, modò traditiones ipsorum & superstitiones non attingas, ex quibus quæstum faciunt vberrimum, néue vnum Christum tradas, cuius syncerior cognitio ipsorum imposturas arguit. Vides ergo non temerè credendum esse ipsorum clamoribus, quibus hodie reges & principes aduersus pios Christi cultores armare solent: quando res ipsa docet, illos sub religionis prætextu nihil præter suam gloriam & quæstum priuatum quærere.

Præterea arguitur hoc Caiaphæ exemplo magistratuum nostri seculi, & priuatorum quoque hominum negligentia & supina segnities. Etsi enim Caiaphas hic ab omni religione alienissimus, Dei gloriam facilè negligat, quia tamen sacerdotio fungitur, sui officij esse intelligit, vt religionis studium vel aliqua ex parte simulet, seque à blaspemijs abhorrere fingat. At hodie totus orbis Christianus conuitia in Deum, in verbum Dei, in scripturas sacras, in fidem catholicã, in sacra denique omnia auribus patientissimis audit, & apud reges ferè in delitijs sunt, qui in hisce cauillandis argutiores alijs esse reperiuntur. Quid, quòd Papam diuinos honores sibi palàm vendicantem, & ad pedũ oscula reges & Imperatores vocantem, non modò ferunt, verumetiam pro illius authoritate cõtra quosuis dimicant? Sunt hæc mundi mox perituri indicia, quando gloriæ Dei cura adeò in omnium animis extincta est, &c. *Caiphas nostrã socordiam arguit.*

Restat postrema huius loci pars, qua narratur quid cum Christo iniquis sententijs damnato gestum sit. Et quidem ignominiosissimè tractatum fuisse Euangelistæ tradunt. Primò enim in eum expuunt, quod animi impotentis admodũ & in rabiem effusi est iudicium. Deinde faciem illius velant, adeoque caput obnubunt, quod olim facinorosis fiebat, quando ad suppliciũ ducebantur. Inde colaphos infligunt, & ipsum vaticinari vel prophetare, id est, spiritu prophetico indicare iubent, à quo nã percussus sit. Et in eum finẽ ministri quoque baculis vel virgis, quas gestabant, illum pecutiunt. Ita verò prophetiam rident, cuius summam existimationẽ apud populũ hucusque sustinuerat. Notæ sunt enim illæ voces multorum: Propheta magnus surrexit inter nos. Itẽ, Hic est Iesus ille propheta à Nazareth Galilææ. Et apud Ioannem qui panibus pauculis miraculose exaturati fuerant, dixerunt: Hic est verè propheta ille, qui venturus est in mundum, &c. Ista ergo ludificatione & Christi authoritatẽ rident, & vulgi de hoc iudicium damnauit. Quin potius suam ipsorum insipientiam & contumaciam produnt, & suo exemplo docent, quantò aptiores sint ad percipienda salutis mysteria homines simplices & plebeij, quos nulla humanæ sapientiæ persuasio inflat, quàm eximij illi & insignes, qui titulis inanibus turgent, & præcipuam sapientiæ laudem sibijpsis vendicant. Agnoscit vulgus magnum illum prophetam, quem venturũ esse Moses promiserat. Eundem verò agnoscunt Pontifices, imò scurriliter rident. Quod ipsum hodie etiam fit, & semper implebitur, quod Christus ait, mysteria hæc reuelari paruulis, cælari autẽ sapientes huius seculi. Quoad verò præsens negotium, non aliud passus est Christus Dominus, quàm quod se passurum esse olim per Isaiam prædixerat, hisce verbis: Corpus meum præbui percutientibus & genas meas vellicantibus faciem meam non abscondi à contumelijs & sputo. Ita verò fieri oportuit, vt nobis consuleretur, qui et faciẽ vel imaginẽ primam amiseramus, & corã facie Dei, in qua est satietas gaudiorũ (vt Psaltes inquit) non poteramus cõsistere. Suo enim merito nos Christus hac ignominia liberat, & ad Dei thronum nobis aditum liberum parat. Vbi nos Dei amorem erga nos singularẽ agnoscere decet, qui filiũ suum propter nos hac ignominia multari voluit, & à peccatis abhorrere, ne quando relapsi à salute excidamus. Debet præterea exemplum hoc institutioni ad patientiã seruire, ne Dei iudicia accusemus, si quando contumeliosius æquò nos tractari contingat. Etenim vix quicquam est, quòd caro impatientius ferat, quàm contemptũ & ignomi-

Christus damnatus ignominiose tractatur.

Lucæ 7. Matth. 21. ioan. 6.

Deut. 18. Matth. 11. Isaiæ 50. Psalm. 16.

niam, cùm naturali ambitione ad gloriã & honorẽ tendamus. At qui in Christi exemplũ respiciunt, mox sentient, se non habere quod quiritentur, cùm rex ille gloriæ tam indignis modis tractatus sit.

Vt Deus filij sui contumelias ultus sit.

Vt verò consolationi doctrina quoq; accedat, ne ipsi quoq; improbos hosce scurras imitemur, simul etiam pœnæ obseruari debent, quas de illis Deus sumpsit. Velant ignominiose Christi faciem: meritò igitur suæ etiam gratiæ faciem illis subduxit Deus. Christũ item contumeliose percutiunt: ergo percussores quoq; senserunt Romanos, & hodie etiam omniũ ludibrio & sannis sunt expositi. Rident in Christo dignitatẽ propheticam: ergo prophetia & vera verbi doctrina spoliati famem illam sentiunt, quam olim Deus per Amos prophetam ipsis minatus fuerat. Hæc ergo obseruent, qui hodie illorum mores imitantur. Faciunt hoc qui verbi Euangelici doctrinam irrident, quæ populi perituri nota est certissima. Nec enim temerè dixit Solomon: Cùm deest prophetia, dissipatur populus. Prophetiæ autem vocabulo verbi diuini prædicatio intelligitur, quæ in Euangelij doctrina omniũ illustrissima habetur. Eiusdem ordinis sunt, qui Christi vulnera & mortẽ immani deierandi & execrandi libidine conspuunt. Quotquot item in sanctos Christi martyres simili crudelitate grassantur, & afflictis maiorem afflictionẽ addunt. Quia enim nec nominis sui abusum Deus inultum fert, & sibi factum censet Christus, quod in suos credentes designatur, dubium non est, quin eandem cum Iudæis pœnã subituri sint, quicunq; vel verbi doctrinã, vel Christi meritũ, vel in hunc credentes ignominiosius tractauerint. Quare Dei filium Iesum Christum totis animis amplectamur, & in illo vincamus opprobria & quæcunq; aduersa incidunt, quando constat olim cum illo regnaturos esse, qui crucis & passionum eius conformes fuerint. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Amos 7. Prouerb. 29. Exod. 20. Zach. 2. Matth. 25. 2. Timoth. 2.

HOMILIA CXXV.

Et cùm esset Petrus in aula inferius, uenit una ex ancillis Pontificis, cumq; uidisset Petrum calefacientem se, inspiciens in eum dicit: Et tu cum Nazareno Iesu eras. Ipse uerò negauit, dicens: Nõ noui, neq; scio quid tu dicas. Et exiuit extra in uestibulum, & gallus cantauit. Et ancilla cùm rursus uidisset eum, cœpit dicere ijs, qui astabãt: Iste est ex ipsis. Ipse uerò rursum negauit. Et rursum paulò post qui astabant, dixerunt Petro: Verè ex ipsis es, etenim Galilæus es, & locutio tua similis est. Ipse uerò cœpit execrari & iurare, Non noui hominem istum, quem dicitis. Tunc ex secundo gallus cantauit, recordatusq; est Petrus uerborum, quæ dixerat ei Iesus: Priusquàm gallus cantarit bis, abnegabis meter: & animum adijciens fleuit.

Argumentum & vsus præsentis loci.

PEtri Apostoli lapsum Euangelistæ omnes diligenter describũt, non quòd vel inani et otiosa eius cõmemoratione curiositati lectorum satisfacere conentur, vel tanti Apostoli authoritati inuidiose derogare cupiant: sed quia exemplũ hoc eximia quædam et singularia continet, quæ nostræ institutioni & cõsolationi multiuariàm seruiunt. In Petro siquidẽ humanæ infirmitatis exemplum proponitur, cuius vsus est multiplex. Primò enim monet ne confidentes simus, dum nobisipsis stare videmur, sed tunc maximè (sicuti Paulus docet) nobis à lapsu caueamus. Deinde ne in aliquẽ hominum salutis fiduciã collocemus, quod faciunt, qui Petrum ecclesiæ fundamẽtum cõstituunt, nimirũ Christi verbis abusi, quibus ille Petro dixit: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo ecclesiã meam, &c. Quorum figmentum (vt multa alia omittamus) hic validissimè confutatur. Ecclesiæ enim fundamentum stabile & immotum esse oportet. At Petrum hìc non modò nutauisse, sed ita quoq; collapsum fuisse constat, vt de ipsius salute omnino actum fuerit, nisi illum Christus ex singulari gratia restituisset. Fundamentum ergo ecclesiæ esse nequit, nisi hanc quoque totam cum illo cecidisse, aut illo prolapso stetisse dicamus, quod vtrumq; ab omni ratione est alienissimum. Tertiò pœnitentiæ exemplum est Petrus omnibus numeris absolutum, quo tota pœnitentiæ ratio nobis traditur. Postremò Dei bonitas & misericordia hìc elucet, qui tam fœdè prolapsum in gratiam recipere dignatus est. Quæ omnia vt rectius intelligatur, præcipua totius historiæ capita ex ordine inspiciemus.

1. Corinth. 10. Matth. 16.

Et

Et primò quidem de ipso abnegationis peccato dicendum erit, quod licet nonnulli ex inconsulto sanctorum amore excusent, tamen excusationẽ nullam admittit. Nam Christum abnegauit, quem Dei filium & saluatorẽ olim patribus promissum esse sciebat, & qui in Euangelio dixit: Quisquis negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo, qui in cœlis est. Item, Quęcunq. puduerit mei & meorum sermonũ in generatione hac adultera & peccatrice, pudebit illius & filium hominis, vbi venerit in gloria patris sui cum angelis sanctis. Sed & Petrus ipse pœnitentia sua doloris & lachrymarum plena peccati sui grauitatem testatur. Quid enim illa opus erat, nisi se scelus ingens admisisse sciuisset? Non ergo excusatione opus est, sed videamus potius quot modis illud peccatum admiserit, quod in genere abnegatio Iesu Christi dicitur. Primò cùm ab vna ancillarum agnitus esset, quæ illum ex eorum numero esse dicebat, qui cum Iesu Nazareno fuerant, dissimulat se intelligere quid dicatur. Respondet enim: Non noui, neq. scio quid tu dicas. Et hoc quidem illum coram omnibus dixisse Matthæus annotauit. Iam ergo illum Christi pudet, quem ipsius non puduerat, cùm pauperculus esset piscator. Fuit hæc non modò abnegatio Christi, sed ingratitudo quoq., quæ sola mortem æternam merebatur. Obseruabimus tamen, circumstantiam hanc loci (quòd coram omnibus & palàm negauit) non temerè à Matthæo annotatam fuisse. Admonemur enim quando de Christi confessione agitur, diligenter debere spectari, qui & quàm multi nobis adsint. Tam enim abest, vt hominum vel multorum vel excellentium præsentia peccatum istud abnegationis excuset (quod multi hodie falsò arbitrantur) vt potius eò grauius sit & atrocius, quò plures interfuerint. Aut enim boni sunt illi omnes, aut mali, aut ex vtroq. genere mixti. At qui boni sunt, si nos Christi fidem abnegare audiant, non possunt non grauissimè offendi, & in conscientijs suis vulnerari. Quare illis, quantũ in nobis est, interitus aut saltem maximi mœroris authores sumus. Mali verò & impij nostra leuitate & inconstantia ferociores facti magis proteruiunt, & exemplo nostro in oppugnandis infirmioribus improbè abutuntur: itaq. illis fidem & religionem Christianã deridendam propinamus. Quòd si tam boni quàm mali nos abnegantes audiant, ad vtrũq. lapidem simul offendimus. Procul ergo facessant ineptæ & putidæ rationes, quibus hodie nonnulli suam ignauiam vel pusillanimitatem (vt ne quid grauius dicamus) excusant. Nam si ita cœperimus, mox vlterius progressi magis peccabimus, quod Petro etiam accidisse constat. Paulò post enim ancilla eadem (quam proteruiorem & illo hero dignissimam fuisse patet) illum astantibus ministris monstrat, & vt ab illis quoq. interrogetur, facit. Ibi verò non contentus simpliciter negasse, iusiurandum quoq. adhibet (vt apud Matthæũ legitur) vt huius religione sese tueatur aduersus eos, quos sibi propter Christum insidias struere arbitrabatur. Nec hic quoq. pedem sistit, sed vbi se argumentis vrgeri sensit, dicentibus nonnullis: Verè ex ipsis es, nam & Galilæus es, & locutio tua similis est (erant enim in Syriaca lingua variæ dialecti, quales in Græca et plerisq. nostri seculi linguis esse videmus) cum execratione negat, qua seipsum deuouet, vel quouis supplicio addicit, si Christum nouerit. Sunt hæc horrenda admodum, nec modò carnis nostræ infirmitatem arguunt, verumetiam docent, quòusq. deuoluantur qui semel labi cœperunt, nisi illos Deus sua manu retineat. Quid enim non facturus erat Petrus, si plures alij adhuc accessissent, & plus quiddam ab eo fuisset requisitum? Sed Dei hæc bonitas fuit, qui impios Pontificis seruos cohibuit, ne quid præterea tentarent. Petrum enim infirmitatis nostræ exemplum fieri voluit, eundem verò totum perire non voluit, & ideò istorũ petulantiam freno quodam occulto constrinxit.

Petri Christum abnegantis peccatum. Matth. 10. Marc. 8.

Nobis autem hìc obseruandum est, singula hæc Christi abnegationem dici. Ex eo enim docemur, quid sit Christum negare, & quot modis illud fiat. Negant hunc quotquot illum non agnoscunt doctorem & saluatorem suum, & de hoc requisiti, illum talem fateri dedignantur. Fit hoc primùm simulando & dissimulando, cùm interrogati de fide vel tacemus, vel ambiguis responsionibus interrogantes eludimus. In hoc gradu ferè collocandi sunt pusillanimes et sapientes huius seculi, qui mirificè tergiuersantur, si quando in apertos Christi & fidei hostes incidunt, ex quibus vel periculũ aliquod metuunt, vel lucrũ sperant. Et hoc quidem abnegationis genus hodie vulgatissimum est, imò sapientissimi & hominũ omnium cõmodissimi censentur, qui in hoc plurimùm possunt. Sed ijdem illi in secundum gradum facilè delabuntur, vt nimirũ disertè negent, si quis illos fortius vrgeat. Et in hoc etiam gradu alij alijs grauius peccant. Sunt enim qui simplici abnegatione contenti, nihil præterea addunt. Sunt deinde qui ne quibus suspecti sint, iusiurandũ quoq. adhibent. Nonnulli verò seipsos diris quoq.

Quot modis Christus negetur.

execrationibus deuouent. Et in horum numero non illi modò censeri debent, qui ad tyrannorum tribunalia fidem in vnum Christũ abiurant, verumetiam qui ad superstitiones antea relictas & abs se damnatas reuertuntur, & illis sese cum iureiurando iterũ obstringunt: quales sunt, qui ad monastica uota recurrunt, & superstitionum legibus se denuò subijciunt. Omnium verò impietatẽ superant, qui Christum & fidem in hunc non sine horribili execratione abnegant, dum uel ad Iudæos deficiunt, vel ad Turcas, & Mamuluchi fiunt, quos crucis signum ima plantæ insculptũ contumeliose calcare ferunt. Grauia sunt hæc quæ non temerè horrorẽ afferant omnibus qui vero Christianæ fidei sensu tanguntur. Meminerimus tamen, esse etiam abnegationis genus, quod factis perficitur, de quo Paulus, quando de nonnullis sui seculi loquens, ait: Deum profitentur se scire, cæterũ factis negant, cùm sint abominabiles, & dicto non audientes, & ad omne opus bonũ reprobi. Si enim fidẽ operibus declarare iubet Apostolus, illam vtiq; negare dicentur, qui deuota malitia abrepti operibus à fide alienissimis occupantur. Hæc igitur omnia caueant, qui Christi discipuli veri censeri volunt.

Titi 1.
Iacobi 2.

Occasio & causæ, quæ Petrum abnegatorem fecerunt.

Secundo loco consyderandum venit, qua occasione & quibus causis ad Christum negandum Petrus adductus sit. Pertinet huc quod nuper vidimus, ipsum à longè secutum fuisse, quando Christus abducebatur, & vt rei finem videret, in Pontificis domum ingressum cum illius ministris consedisse. Fuit hoc ingens zeli & amoris argumentũ, quo Christum prosequi solebat. Inconsyderatus verò iam est zelus hic, nec vera scientia gubernatur. Quia enim illum quid facturus esset, Christus abundè monuerat, in angulum potius aliquem sese occultare debuisset, quàm in ea loca prodire, vbi Christi abnegandi occasio sese offerre poterat. Zelus ergo hic in confidentiam degenerauit, & ita in peccatum ruit Petrus dum maximè in hoc est, vt officium faciat. Fit hoc frequenter, quando res graues & arduas absq; Dei vocatione aggredimur: & vt labamur Deus permittit, vt nostro malo admoniti modestè de nobis ipsis sentire discamus, & illius opem ardentius imploremus, vt ipse gressus & studia nostra dirigat. Porrò non Pontificis aulam modò ingreditur Petrus, sed cum illius seruis ad eundem ignem considet vt calefiat. Postremò cùm semel negasset, iamq; videret sibi minimè tutum fore inter illos diutius versari, non illicò se proripit, sed in vestibulum egreditur, fortassis vt occultius & sensim sese subducat, ne subita discessio illis suspicionem grauiorem moueat. Concurrunt ergo hic simul Confidentia, Consortium cum apertis Christi hostibus, & Prudentia carnalis. Proponuntur autem nobis in eum finem, vt discamus quæ res Christi abnegatores faciant. Primò enim hic plurimùm nocere solet Confidentiæ malum, maximè si illam zelus non vulgaris confirmet. Per hanc fit, vt manifestis quoq; periculis nos exponamus, dum vel gloriam ex zeli nostri ostentatione, vel lucrum priuatum quærimus. Hanc ergo non temerè sic vlciscitur Deus, vt ne minimos quidem assultus sustinere possint, qui sibijpsis victorias & triumphos splendidissimos pollicebantur. In mortem se cum Christo abiturum esse promiserat Petrus, & idem cum armata cohorte pugnare cœperat. Nunc verò vbi non armis, sed nudis verbis agitur, ad fœminæ imbellis, imò vilis ancillulæ quæstionem turpiter succumbit. Quod vtinam non hodie multi magno suo malo experirentur, quos suarum virium fiducia similiter inebriat. Ex confidentia enim ferè consortia cum apertis Christi hostibus enascuntur, quæ facilè admittimus lucri & commodi priuati spe inescati, cùm nos ad omne certamen plus satis instructos esse arbitramur. At hic nobis idem quod Petro accidit. Calescit ad ignem eundem cum seruis Pontificis, sed interim tepescit, imò frigescit in illo zelus, quò paulò antè discipulos omnes superabat. Ita multi hodie dum Pontificum, Episcoporum & Abbatum culinas & mensas sectantur, sensim languescunt, & ipsis quodammodo nescientibus fidei ardor deficit, quo antea præditi erant. Solent illi scripturæ sacræ admonitiones contemnere, & sibijpsis de sua virtute plurimùm polliceri: sed multò oculatior istis fuit Diogenes, qui cùm Cratetem patrimonium omne in fiscum contulisse, & philosophiæ studium amplexum esse audiret, scripta ad illum Epistola hortabatur, vt quàm ocyssimè Athenis discederet. Nam minimè tutum est (inquit) vt illic moram trahas, vbi tui similes non inuenias. Cæterum in hac causa, non parum officit carnis prudentia, si illam in consilium adhibere libeat. Quia enim hunc ferè finem sibi propositum habet, vt quàm minimum offensæ detur ijs quibus cum viuis, & vt proxima quæq; pericula prudenti aliqua consiliorum & factorum moderatione declinentur: ferè Dei gloriam & animarũ salutem negligit, & Christi obliuiscitur, qui parentes quoq; & fratres, imò vitã odisse iubet, si nobis in fide & religione obstaculo sint. Possent ista exemplis infinitis demonstrari

1. Confidentia.

2. Consortia impiorum.

3. Prudentia carnis.

Matth. 10.
Luc. 14.

strari, sed cùm quotidiana his fidem abundè faciant, & singuli quadam huius generis in semetipsis facilè reperiant, si animum diligentius attendant, ijs commorandis non opus est diutius inhaerere. Discant potius singuli ea cauere, quae Petro, tanto tamq; eximio Christi organo, tam foedi & turpissimi lapsus causam praebuerunt. Quid enim de nobis fiet, si istis locum demus, qui ne zeli vehementia, nec alijs spiritus sancti donis, ita instructi sumus, sicuti Petrum fuisse constat?

Petri poenitentia.

Restat vltimũ huius historiae caput, quo Petri poenitentia siue conuersio & restitutio describitur. Habet haec quoq; suas causas, quibus externè simul & internè adiutus est, quas primùm inspexisse proderit. Et initiò quidem cùm post primam abnegationem in vestibulum exiuisset Petrus, gallus cecinit. Coepit ergo fieri, cuius illũ in vltima coena Christus admonuerat, nec leuis erat haec occasio, quae ipsum & peccati & officij sui admonere poterat, nisi alijs affectibus animum occupatum habuisset. Quia verò ad primum cantum non mouetur, sed abnegando pergit, ad tertiam abnegationem secundò canit gallus, & simul Petrum respicit Christus, & quidem non sine occulta spiritus operatione, quae animum ipsius perculit, vt de lapsu suo cogitare inciperet, sicuti ex sequentibus patebit. Nunc discamus duo praecipua esse, quae veram in nobis poenitentiam pariunt, nosq; ad interitum ruentes in viam salutis reuocant. Gallicinium nimirum & Christi respectus siue intuitus. Gallicinio externae admonitiones cõprehenduntur, quibus nos excitari planè opus est, & quas varias deus adhibet. Sunt enim priuatae amicorum, aut etiam hostium, qui scelera nobis exprobrant, quae vel ipsi in nobis non agnoscimus, vel probè occulta putantes non emendamus. Et haec non vulgaris est vtilitas, quam ex inimicis captari posse, gentium philosophi testantur. Plerunq; enim fit, vt quae amici vel non obseruant, vel amicè dissimulant, inimici acutissimè cernendo notent & oblata occasione exprobrẽt. Facit huc Hieronis exemplum, cui cum oris foetorem inimicus quidam opprobrasset, domũ reuersus obiurgauit vxorem, quod vitium hoc ipsi nunquam indicasset. At illa cùm esset pudica & simplex, Putabã (inquit) omnes viros ad eundẽ modum olere. Quod autem Hieroni in corporis vitio accidit, frequẽtius multò in vitijs animi accidere solet, vt de illis saepius ab inimicis, quàm amicis admoneamur. Gallicinium ergo nobis diuinitus obiectum putemus quicquid huius generis ab hostibus nobis dicitur, & mox in nosipsos descendentes inquiramus an haec ita habeant. Ad priuatas admonitiones casus quoq; improuisi referri debent, quibus aures nobis securis deus vellicat. Quoties ergo vel morbis tentamur, vel aliquam opum iacturam facimus, vel de honore & nominis fama periclitamur, haec non sine numine putemus fieri, & mox nos grauioribus poenis dignos esse videbimus, qui ad poenitentiam stimulus est accerrimus. Imprimis verò suam erga nos bonitatem declarat deus, dum publicas admonitiones in ecclesia instituit, quarum authoritas maxima esse debet, eò quòd ex dei verbo petuntur, cui suus effectus semper coniunctus esse solet. Quia enim est hominum peruersitas, vt suum tẽpus non agnoscant, adeoq; gruibus, ciconijs, hirundinibus & alijs brutis stupidiores sint (sicuti apud Ieremiam deus conqueritur) communes salutis publicae excubitores siue speculatores constituit, qui & mores hominum obseruent, & peccantes ad poenitentiam excitent, & imminentes scelerum poenas sancta dicenda libertate denuntient. Et hos quidem in officio suo diligẽtissimos esse conuenit, vt gallorum instar poenitentiam securis & dormientibus summo mane praedicent. Videtur hinc morem exortum olim fuisse, quo templorum pinnis aut turribus gallorum effigies imponuntur, quae docerent, in templis verbi dei praedicationem perpetuò sonare, & quosuis illa ad poenitentiam excitari debere. At postquã episcopi auro abundare coeperũt, simul etiam gallicinium istud conticuit, & cum hominũ traditionibus superstitiones inutiles irrepserunt, in quibus pleriq; poenitentiam consistere putarunt. Meminerint autẽ ministri, se nequaquam adhuc suo munere defunctos esse, si semel & iterum peccatores admonuerint, sed eandem cantilenam vel inuitis subinde occinant. Vt enim ad primum galli cantum Petrus non mouetur, ita pleriq; in peccatis eò vsq; indurantur, vt admonitiones grauissimas surdis auribus praetereant, & ideo assiduo ac indefesso ministrorum studio opus est. Caeterùm quia nemini mortalium in aliorum animos ius est, gallicinio huic Christi nos respicientis gratia accedat oportet. Agnouerunt hoc sancti omnes, quorũ preces sunt: Conuerte nos ad te, & conuertemur. Item, Trahe me post te. Sed & Lydiae purpurariae cor deus tetigisse dicitur, vt ijs attenderet, quae à Paulo dicebantur. Quae probè obseruanda sunt, ne quis poenitentiam veram & salutarem vel ex nostris viribus pendere, vel à ministro conferri posse arbitretur. Quia enim in peccatis concepti & geniti ex nobisipsis ne cogitare quidem pos

Poenitentiam acturis duo necessaria sunt.
1. Gallicinium.

Ierem. 8.
Ezech. 3. 33.
Acto. 20.

2. Gratia Christi nos respicientis.
Iere. 31.
Thren. 5.
Cant. 1.
Acto. 16.
2. Cor. 3.

sumus quod bonum est, pœnitentiæ quoq; nec nobis nec alijs authores esse poterimus, sed dei hoc opus est, qui filium suum (vt Petrus ait) nobis & pœnitentiæ & remissionis peccatorum authorem constituit. Et fungitur quidem officio Deus diligenter. Monet priuatim & publicè, casibus insolitis & improuisis excitat, in cordibus nostris accusat, & propriæ conscientiæ testimonio nos sceleris conuincit, & sæpius veri confessionem extorquet, vt pœnitentia nobis planè opus esse spontè fateamur. Si qui ergo in sceleribus pereunt, ipsi sibi interitus authores sunt, quando fidelem hanc Dei curam & bonitatem improbè aspernantur.

Acto. 5.

Pœnitentia uera in quibus uersetur.

Videamus itaq; alteram huius loci partem, qua narratur vt Petrus & galli cantu & Christi intuitu vsus sit, & mox discemus, quid nos facere conueniat. Primò verborum Domini recordatur, quæ illi inter cœnandum dicta fuerunt: Priusquam gallus bis cantauerit, ter me abnegabis. Nec dubium est, quin illorum quoq; sit recordatus, quibus pœnam suis abnegatoribus ille constituit, quæ supra adduximus. Quia enim simul peccatum suum agnouit, vt sequentia testantur, non potuit non illorum meminisse, quæ sola ipsum de peccato suo iudicare docebant. Deinde ex eo loco mox egreditur (quod Lucas & Mattheus annotarunt) nimirum rei indignitate ita permotus, vt nec locū tanti sceleris conscium, nec hominum consortium ferre posset, qui ipsi huius authores fuerāt. Tertiò & verborum Domini & peccati consyderatione abreptus amarè fleuit. Occurrebant enim procul dubio, quæcunq; & scelus illud amplificabant, & animi dolorem augere poterant, cum & ducissimæ cum Christo conuersationis meminisset, & in illo solo omnem salutem nobis repositam esse cogitaret, qua se iam indignū videbat. Fletus ergo hic non fictus sed cum acerbissimo animi dolore coniunctus fuit, dolore (inquam) secundùm Deum, qui (vt Paulus ait) pœnitentiam parit ad salutem haud pœnitendam. Quia enim in Dei bonitatem respicit per fidem in Christum, obstat simul, quò minus desperatione absorbeantur, qui se peccatores esse vident. Et hæc sanè præcipua sunt, in quibus vera pœnitentia consistit. Est hæc conuersio à peccatis ad Deum. Ergo Dei verbum obseruent pœnitentiā acturi, vt ex illo de peccatis iudicent, nec admittant carnis blanditias, quæ grauissima scelera pro leuiculis ducere consueuit. Illa autem nobis displicere fuga testemur, qua occasiones illorum deuitemus, & quæcunq; nobis ad illa adiumento fuerunt. Quæ pars vitæ totius emendationem complectitur, & hāc singuli pro suorum delictorum ratione sibijpsis applicare debent. Accedat his animi contritio cum fide coniuncta, quæ peccata deflere quidem doceat, non autem in illis desperare sicuti Cainum & Iudam fecisse scimus, quos desperatio ad Deum conuerti prohibuit, & ijsdem damnationis causa fuit. Sunt hæc probè obseruanda nostro seculo. Peccatorum enim summam esse licentiam nemo potest negare. Canunt vndiq; galli, quando priuatim & publicè nos Deus per verbum suum, per prodigia & signa ac horribiles insolitosq; rerum casus admonet. Sed deploranda est huius seculi peruicacia, qua fit, vt aut pœnitere nescij in peccatis pergamus, aut ad creaturas potius quàm ad Deum conuertamur, aut momentaneam & theatricam pœnitentiam agamus, qualem Israelitis Hoseas exprobrat. Non temere ergo Deus omnis generis plagas infert, quibus nos in viam reuocet. Agnoscamus nos manum ipsius, & ad ipsum conuertamur, & mox nobis sese propitium dabit in Christo Iesu filio suo: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

2. Cor. 7.

Genesis 4.
Matth. 27.

Hos. 6.

CAPVT XV.

HOMILIA CXXVI.

ET statim diluculo consilio inito, summi sacerdotes cum Senioribus & scribis ac toto consessu, uinctū Iesum abduxerūt tradiderūtq; Pilato. Et interrogauit eum Pilatus: Tu ne es ille Rex Iudæorum? Ipse uerò respondens dixit ei: Tu dicis. Et accusabant illum principes Sacerdotum de multis. Pilatus autem rursus interrogauit eum dicens: Non respondes quicquam? Ecce quàm multa aduersus te testificantur. Iesus autem etiamnum nihil respondit, adeò ut miraretur Pilatus.

EXPOSVIT hucusque Marcus, quid in Sacerdotum & Seniorum consessu gestum, & ut in illo Christus propter Veri confessionem damnatus sit. At quia Iudaei tunc temporis Rom. Imperio subiecti ius gladij amiserant, nec illis aliquem licebat occidere, sequitur deinceps, ut illum Romano praesidi tradiderint, & ut huius sententia morti sit adiudicatus, quam in cruce eodem mox die sustinuit. In qua historiae parte (ut in alijs quoque omnibus) primò salutis & redemptionis nostrae mysterium obseruare conuenit. Ideo enim ad prophani iudicis tribunal Christus sistitur, ut nobis suo merito ad thronum gratiae accessum liberum faceret. Quoties ergo peccatorum conscientia territi, diuinae iustitiae conspectum formidamus, in Christum nos respicere couenit, qui ut terrore hoc miseros nos liberaret, coram Pilato reus sisti voluit. Deinde exemplum illius nobis imitandum proponamus, ne impatientia peccemus, si quid nobis simile contingat. Nam idem ferè omnibus in se credentibus euenturum esse, ipse monuit, ut nimirum ad Regum et praesidum tribunalia suae fidei & doctrinae rationem reddere cogantur. Ibi verò fidei constantia nos armari conuenit, qua hostium insidias & conatus facilè vincemus. Proderit autem multùm historiae huius consyderatio, quae & hostium Christi mores agnoscere docet, & quid nobis faciendum sit monet. Videamus igitur in praesentis loci tractatione, primò qui nam Christum Rom. praesidi adduxerint: deinde quales se coram illo gesserint, & de quibus ipsum accusarint. Tertiò Pilatus ipse, & postremò Christus consyderandi venient.

Argumentum & usus loci praesentis. — *Hebr. 4.* — *Matthaei 10. Marc. 13.*

Quoad primum caput, nominantur hîc Sacerdotes & Seniores & scribae, qui summo mane iterum collecti, consilio inito, illum Pilato adduxerunt. Verè ergo ab aedificantibus reiectus est lapis ille pretiosus, quem Deus anguli caput constituit. Lucas tamen totius quoque multitudinis meminit, & ex contextu patet, populum summo diluculo fama capti Christi excitatum confluxisse, & suam quoque operam in illo deducendo contulisse sacerdotibus. Magna autem secularitas exprimitur, quando summo mane conuenisse dicuntur, qui noctem totam ferè insomnem egerant, in Christo nimirum capiendo & examinando occupati. Adeò industrios et indefessos in malo reddit satan eos, qui in munere sibi commisso negligentissimi esse consueuerunt, quales istos fuisse historia Euangelica abunde docet. Attamen alia duo hîc concurrunt, quae consyderationem diligentissimam merentur.

Qui Christum Pilato tradiderint. — *Psalm. 118.*

Primum est iniquissimum & ab omni pietate alienissimum Sacerdotum facinus. Accusarunt Iesum de doctrina & discipulis, imò totius controuersiae status in hoc versabatur, num ipse esset Christus, id est, promissus ille generis humani saluator, quem ipsorum patres sancta & constanti fide expectarant, & quem tunc quoque pij omnes venturum sperabant. Nunc verò causam hanc omnem hominis ethnici & à veri Dei cognitione alieni, imò totius gentis Iudaicae infensissimi hostis iudicio subijciunt, & cum illo possunt conuenire, modò Christum è medio tollat. Nō desunt huius generis exempla hodie. Scimus enim Euangelicae doctrinae professores alicubi apud Turcicos praesides à Papistis accusatos fuisse: quod quid obsecro aliud fuit, quàm fidem Christianam, quae merito crucis Christi nititur, hostibus crucis subijcere? Taceo nunc eos, qui peregrinos milites in patriae viscera accersunt, ut per illos veritatis doctrinam opprimant, quorum insidias meritò cauere debebant. Sed eueniet illis aliquando idem quod Iudaeis, qui non multò post cum vrbe & tota gente in Romanorum manus traditi, & ab illis horribili exemplo excisi sunt, sicuti fore Christus praedixerat. Luc. 19.

Causa fidei iudici prophano subijcitur.

Alterum est vulgi inconstantia & ingratitudo detestabilis. Quia enim Christum antea turmatim secuti fuerunt, & in vrbem aduentantem honorificè exceperunt, ac eidem testimonium tulerunt publicè nunc sacerdotum & Seniorum iniquissimam sententiam approbant, & eundem Romano praesidi adduci curant. Discamus igitur, nec hominum zelo confidere, nec eorundem ingratitudine offendi. Feruent enim ferè homines, quando Christus primùm praedicatur, quia priuati commodi spe inflammati sibiipsis magnifica quaedam pollicentur. At vbi spes illa fallit, aut turpiter deficiunt, aut etiam hostes fiunt aperti, & se malitiose deceptos esse conqueruntur. Typus huius leuitatis olim in Aegyptiaca liberatione praecessit. Cùm enim hanc polliceretur Moses, inclinatis capitibus reuerenter promissionem illam recipiunt. Vt primùm verò ad Mosis postulationem irritatus Pharao seruitutis iugum aggrauat, iam ad Dei tribunal ab illis citatur Moses, ut qui consilijs suis improbis tanti mali author fuerit. Et deinceps multa huius generis in deserto acciderunt, si quando periculum aliquod improuisum, aut molestia aliqua grauior occurreret. Non ergo offendantur, qui hodie salu-

Vulgi inconstantia & ingratitudo. — *Marci 11.* — *Exod. 4. & 5.*

tis publicæ curam sustinent. Sunt hi mundi mores, qui beneficia maxima ingratitudine & iniurijs
Matth.5. rependit, vt in omnium gentium historijs est videre. Soletur verò pios, quòd in cælo mercedem sibi repositam esse sciunt, qua olim fruentur, multis interea in hoc quoq; seculo ea libertate gaudentibus, quam illi suis laboribus & studio fideli ipsis acquisiuerunt.

Quid coram Pilato fecerint sacerdotes. Ioan.18.

Transeamus nunc ad alterum huius loci caput, quo narratur, quales coram Pilato se gesserint sacerdotes: quia verò breuior est Marcus noster, aliunde petenda erunt, quæ in illo desyderantur. Et primò memorabile est, quod Ioannes scribit, illos noluisse prætorium ingredi, ne pollueréntur in diem festum. Abhorrent autem à prætorio, tum quia ab homine ethnico inhabitabatur, tum quia illic agebantur causæ capitales. Interim verò sanguinis innocentis effusionem non horrent, cuius authores sese constituunt: & qui hominis ethnici conuersetione se pollui posse putant, interim non verentur illius opera & ministerio ad scelus infandum abuti, quo nullum vnquam à condito orbe atrocius commissum est. Est hoc euidens exemplum fucatæ sanctimoniæ, quam illis Christus exprobrat, dum ipsos culicem colare, camelum verò deglutire dicit. Nec multùm dissimilis est monachorum sanctimonia, & omnium eorum, qui doctrinam ipsorum admittunt. Nefas illis videtur, si die prohibito carnes aut oua comedant: interim si ex rapto partis opibus totius vitæ tempore voluptuentur, vix aliquam in se culpam agnoscunt. Similiter inexpiabile scelus est, si qui sacris ipsorum initiatus est, vxorem ducat: at aliorum vxores comprimere, & filias constuprare, illis lusus iocusq; videtur. Et huius generis multa possem commemorare, sed sufficiat occasionem dedisse ijs, qui similium inuestigatione delectantur.

Matth.23.

Arroganter suam authoritatem urgent.

Deinde vt idem Ioannes annotauit, Pilato ad ipsos foras egresso, & accusationis capita quæreti, superbè & arroganter suam authoritatem obijciunt. Si hic (inquiunt) non esset nocens, haudquaquam illum tibi tradidissemus. Impudens sanè dictum, quasi tanta esse debeat cuiusquam authoritas, vt nullo crimine comperto ad alicuius condemnationem sufficiat. Sed vtinam non hodie Pontifices & horum emissarij eadem insolentia vterentur, & quidem maiori cum successu. Istorum enim impudentiam Pilatus reijcit: at hodie magistratuum aliquorum tanta est vecordia, vt causarum ecclesiasticarum cognitionem nihil ad se pertinere putent, & proinde Pontificum legatis ius omne in suos homines permittant: quò fit, vt multi illorum artibus circumuenti iniquissimè simul & crudelissimè necentur. Dabunt principes isti aliquando graues pœnas, & Romanorum præsidum exemplo iudicabuntur, quos olim in Christianorum causis cognoscendis diligentiores & æquiores fuisse historici ecclesiastici testantur.

Accusationis capita.

Porro vbi sacerdotum arrogantiam Pilatus repressit, accusationem instituunt, & dicit Marcus, quòd illum de multis accusauerint. Lucas verò accusationis capita diligentius exponens, ita loquentes inducit: Hunc deprehendimus euertentem gentem, & vetantem tributa dare Cæsari, dicentem se Christum regem esse. Ita verò trium scelerum accusant, Seductionis populi, Seditionis & Regni affectati. Et in primo quidem in illum transferunt quod ab ipsis fiebat, cùm & falsa doctrina humanarum traditionum & sacrorum nundinatione populum totum circumuenirent, & multorum conscientias euerterent. Secundum verò palàm falsum fuisse constat ex Christi responso, qui de censu
Marc.12. interrogatus, Cæsari dare iusserat quæ Cæsaris sunt, et Deo quæ sunt Dei. Quin idem sub censu nasci
Lucæ 2. voluit, & didrachma tam suo quàm Petri nomine persoluit, & huius persoluendi more miraculo in-
Matth.17. signi nobilitauit. Similis quoq; est tertij criminis ratio. Adeò enim à regni terreni affectatione alie-
Ioan. 6. nus fuit, vt ab illis se occultè subduxerit, qui ipsum regem facere constituerant, & discipulos regnum
Matth. 18. 20. somniantes non semel reprehēdit, & illos ad humilitatis studium & ad crucem ferendam exhortatus
Lucæ 22. est. Sed ne quid sceleris omittant, ex prophetis improbè detortis ipsi calumniam struunt, & quia illæ
Psalm.2.110. Messiæ regnum & regios honores tribuunt, ipse verò se Messiam esse professus erat, malitiosè corra-
Zach.9.&c. dunt quicquid illi odium & inuidiam conciliare poterat: adeoq; ipsos prophetas simul accusant, qui suis oraculis ipsi tale quid tentandi occasionem dederint. Et horum similes sunt, qui hodie non minus inuidiosè in calumniam rapiunt, quicquid fideles Christi ministri iuxta verbi Dei præscriptum vel docent vel faciunt. At nobis hoc loco cumprimis obseruandum est, quæ præcipua crimina sint, quæ & olim prophetis, & postea Apostolis obiecta sunt, & quæ hodie etiam Euāgelicæ doctrinæ ministris obijci consueuerunt. Seductionis accusantur, qui vnum Christum docent, qui lux est, via & veritas.

Quia tamen religionis & doctrinæ controuersias ferè non magni faciunt Monarchæ, seditionis crimen astutè profertur, & inuidiose admodum insimulantur, quasi sibijpsis in ecclesiam & rempublicam ius omne vendicent, & soli omnibus dominari velint. Hæc olim Mosi & Aaroni Pharao obijciebat, imò ex Israelitis nonnulli, qui disciplinæ iugum excutere cupiebant, & primatum in populo Dei affectabant. Eliam quoq; rex Achab turbatorem Israelis esse dixit, & eodem nomine Amos prophetam apud Ieroboamum accusatum fuisse legimus. Quid Ieremiæ acciderit, omnes norunt, quem insuper proditionis insimularunt aduersarij. Et Apostolos pro seditiosis & Imperij Romani turbatoribus habitos fuisse nemo ignorat, qui Apostolorum Acta vel obiter inspexerit. Seruiant exemplo hæc institutioni, ne clamoribus eiusmodi facilè locum demus: & simul nos consolentur, si quid simile de nobis spargatur. Qui enim prophetarum & Apostolorum innocentiam apud posteros asseruit, nos minimè negliget, quos ita filij ipsius conformes fieri oportet. Ioan. 8. 14. Exod. 5. Nume. 16. 1. Reg. 18. Amos 7. Iere. 28. 38. Acto. 16. 17. 18.

Sed Pilatum videamus, qui omissis articulis alijs de regni affectatione quæstionem mouet, dicens: Tú ne es ille Rex Iudæorum? Emphasim habet particula, ILLE. Non ignorabat enim vulgò iactari sermones de promisso saluatore, quem pleriq; ex prophetijs malè intellectis regem terrenum fore somniabat. Nec malè agit Pilatus, quòd illud interroget, cùm officij sui esset seditionibus viam præcludere, vel iam excitatas sopire. Quæ causa est, quòd illi Christus amicè respondet, & se regem illum esse profitetur: ne quid tamen erret, illum de regni sui conditione instruit, vt paulò post ex Ioanne patebit. Ergo innocentem videns Pilatus, sua sententia ipsum absoluit. Et hactenus quidē boni viri & iusti iudicis officio est functus. Quia tamen Dei cognitione & timore destituitur, non perseuerat, sed vt inuidiam omnem apud Iudæos declinet, vbi audiuit Galilæum esse, ad Herodem transmittit, ne in alienæ ditionis hominem aliquid temere nimis statuisse videatur. Sed & ille nihil supplicio dignū deprehendit, & ita duplici innocentiæ testimonio à prophanis hominibus ornatur Christus, quem Sacerdotes & seniores ecclesiæ ad crucem postulabant. Pilatus Christum de regno affectato interrogat. Lucæ 23.

Elucent autem in exemplo hoc mores principum qui à Dei cognitione alieni sunt, nec illius timore reguntur. Habent aliquando iustitiam aliquam politicam, & hanc in repub. obseruatu necessariam esse intelligunt. Vbi verò ad singularia descenditur, & causa iusta aduersus eos defendi debet, qui authoritate pollent, tunc omne periculum subterfugiunt, & ne alicuius odium incurrant, eos impiorum libidini permittunt, quos defendere debebant. Imò cùm offensas nihil metuant in ijs, quæ ipsorum commodis & affectibus inseruiunt, pro bono et iusto ne vilissimi quidem homuncionis odium volunt incurrere. Quàm facilè enim Iudæorum fauorem & amicitiam in alijs causis Pilatus neglexerit, multa eius facta crudeliter & iniquissimè designata testantur. At idem nunc Christi salutem, & suum officium planè contemnit. Fiunt huius generis multa hodie, maximè tamen, quando Christi gloria asseri & piorum causa aduersus veritatis hostes defendi debebat. Sed meminerint omnes isti, amicitiam huius mundi inimicitiam esse cum Deo, nec fieri posse, vt Christi serui sint, quicunq; hominibus placere student. At qui Deum sibi inimicum habent, ijs nihil vspiam tutum vel faustum esse poterit, et plerunq; fit, vt qui pro Veritate periclitari nolunt, tandem velint nolint in rebus inhonestis pericula grauissima subeant. Discamus ergo fortes esse in Domino, qui pro suo nomine periclitantes contra omnes insidias facilè tuebitur. Mores principū huius seculi. Iacobi 4. Galat. 1.

Restat vt de Christo quoq; dicamus, quid ipse inter hæc omnia fecerit. Primò se regem esse fatetur (vt supra dictum est) & simul Pilato omnem scrupulum eximit, docens, regnum suum non esse de hoc mundo: quod facilè probat, cùm neminem habeat, qui armis & vi aperta causam suam tueatur. Quin se non alia de causa in mundum venisse ait, quàm vt testimonium ferat Veritati, adeoq; vt in ipso impleantur, quæcunq; olim diuinitus promissa & in typis legalibus adumbrata sint. Quia verò Pilatus non facit officium, sed innocentis causam turpiter abs se reijcit (vt paulò ante vidimus) nullo illum amplius responso dignatur Dominus, sed aduersariorum calumnias & ipsius Pilati interpellationes quasi surda aure præterit. Quid enim responderet, qui se nihil profecturum esse sciebat, & ita constitutum esse, vt mortem subiret, cuius merito nos redimi oportebat? Facit tamen ad nostræ salutis causam hoc Iesu Christi silentium. Tacet ille sicuti olim Isaias prædixerat, vt nobis ad Deum clamandi copiam faceret. In illo enim accepimus spiritum adoptionis, in quo clamamus, Abba pater. Interim suo exemplo docet, quid nos in simili casu facere conueniat. Interrogati inge- Quid Christus fecerit. Christi silentiū. Isaiæ 53. Rom. 8.

nuè fateamur quod verum est, ne vel nostro officio vel aliorum saluti defuisse videamur. Quòd si in tales incidimus, qui vel ignaui nos tueri nolunt, vel etiam iniqui nos oppressos cupiunt, patienter rem omnem Deo committamus. Tunc enim maximè illud prophetæ completur: In silentio & spe erit fortitudo vestra: nec vnquam suis deerit Christus Iesus, cuius vox dulcissima est: Non relinquam vos orphanos. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Isaiæ 30.
Ioan. 14.

HOMILIA CXXVII.

In festo autem dimittebat eis unum captiuum, quemcunque postulassent. Erat autem quidam qui dicebatur Barrabas, uinctus cum seditionis socijs, qui cædem per seditionem fecerant. Et cùm exclamasset turba, cœpit petere sicut semper fecerat ipsis. Pilatus autem respondit eis, dicens: Vultis dimittam uobis Regem illum Iudæorum? Nouerat enim quòd per inuidiam tradidissent Principes sacerdotum. Sed principes sacerdotum concitauerunt turbam, ut potius Barrabam ipsis dimitteret. Pilatus autem respondens, rursum dicit eis: Quid ergo uultis faciam ei, quem dicitis Regem Iudæorum? Ipsi uerò rursum clamauerunt: Crucifige eum. Pilatus autem dicebat eis: Enimuero quid mali fecit? Illi autem amplius clamauerunt, Crucifige eum. Pilatus autem uolens turbæ satis facere, dimisit ei Barrabam: & Iesum flagellatum tradidit ut crucifigeretur.

Argumentum & usus præsentis loci.

QVemadmodum Dominus & saluator noster Iesus Christus in suæ passionis et mortis historia suo exemplo docet, quæ omnibus seculis suorum in hoc mundo sors futura sit, & quid ipsos in persecutionibus facere conueniat: Ita vicissim in aduersarijs illius apparet, quod sit mundi huius & omnium eorum ingenium, quos Dei cognitio nondum illustrauit: Quorum alij veritati palàm aduersantur, alij verò etsi hostes videri nolint, illam tamen turpiter nimis suo patrocinio destituunt. Et huc faciunt quæ hucusque de sacerdotibus et Pilato audiuimus. Illi enim plus quàm belluina rabie inflammati Christum omnino occisum volunt. Hic verò etsi innocentem esse intelligat, tamen propter illum nec periclitari vult, nec alicuius odiū subire, sed ad artes conuertitur, & primò ad Herodem transmittit Christum, vt causam inuidiæ & odij plenam in illum deriuèt. Sed hoc vnum proficit, quod & innocentia Christi ex Herodis testimonio magis elucescit, & ipse suam iniustitiam maiori cum dedecore prodit, quando eum condemnat, cuius innocentiam tot testimonijs sciebat esse comprobatam. Sequitur enim noua actio, quam eodem consilio, sed euentu infeliciori Pilatus instituit, in qua multa concurrunt, quibus docemur, quanta improbitate falsi antistites Christum oppugnent, & quàm frigidè eundem defendant magistratus, quos veræ pietatis sensus nondum afficit, quàm item infelix sit consiliorum eiusmodi euentus, quæ ex ratione humana potius quàm Dei verbo petuntur, si quando Veritas & illius sectatores aduersus impiorum insidias defendi debebant. Quæ vt rectius intelligantur, primò consuetudinem publicam videbimus, quæ huic tractioni occasionem dedit: deinde de singulis ex ordine dicemus.

In paschate unus ex captiuis dimittebatur.

Consuetudinem fuisse scribunt Euangelistæ, vt Romanus præses in die festi paschalis ex captiuorum numero vnum populo donaret, quem ille sibi dari petijsset. Fuit autem hic vetus mos, non quidem à Deo traditus, sed ab hominibus superstitiosis inuectus, qui præpostera hac misericordia, vel potius indulgentia, liberationis Ægyptiacæ memoriam honoratiorem reddere, adeoque Dei imitatores videri voluerunt, si vt ille patres ipsorum ex tristi seruitute liberauerat, ita ipsi quoque aliquem captiuum & mortis reum dimitterent. Et morem hunc Romani illis reliquerunt, vt populo Iudæorum faciliori vterentur. Ita enim mitigari & demulceri solent, quibus amissa libertas dolet, quò facilius in officio contineantur. Hîc verò superstitionis ingenium nobis considerandum venit, quæ non contenta ijs, quæ à Deo benè & vtiliter instituta sunt, insuper de suo aliquid addere cupit, bono quidem zelo, sed inconsyderato, & qui ea ferè instituit, quibus Dei instituta violantur, & cum inobedientia

dientia manifesta coniuncta sunt. Est hoc videre in præsenti. Festi enim huius rationem perfectè tradiderat Deus, quæ & lætam veteris beneficij commemorationem, & futuræ in Christo redemptionis typum luculentissimum continebat. Ne tamen parum religiosi videantur, hanc quoque consuetudinem inuexerunt, vt eodem die aliquem ex facinorosis dimitterent: & vt suam audaciam populi consensu tuerentur, huius arbitrio rem omnem subiecerunt, qui plerunq; in eiusmodi casibus ineptè & iniquè iudicare consueuit. Erat hoc & iustitiæ publicæ & diuini cultus legibus aduersum. Deum enim obedientia potissimùm coli constat, iuxta illud: Obedientiam volo, & non sacrificium. At idem facinorosos plecti vult, non defendi, & grauiter monet, ne pauperis quoq; misereantur iudices, quos ille iustitiæ executores constituit. Et Solomon Deo perinde exosum esse ait, qui impium absoluit, vt qui iustum condemnat. Peccarunt igitur hac sua consuetudine Iudæi, & hodie similiter cum illis peccant magistratus, qui præpostera misericordia sceleratis parcunt, quos gladio sibi diuinitus cõmisso excindere debebant, & idem illis omnibus quod Achabo dicitur: Quia dimisisti virum dignum morte, erit anima tua pro anima illius, &c. Nec dissimilis multum illorum culpa est, qui votis monasticis obstricti diuina præcepta negligunt. Solent autem omnes isti sua hæc cõmenta pertinaciter tueri, seq; magna iniuria affici putant, si quid ex illis decedat, sicuti ex hoc Iudæorum exemplo patet, quos clamauisse scribit Marcus, vt pro solito more Pilatus illis, quem vellent, dimitteret. Sed quàm infelix sit eiusmodi institutorum exitus, præsens historia abundè docet, quando hac occasione Dei filius ad mortem condemnatus est, vt modo dicetur.

Exod. 12. 1. Sam. 15. Deut. 19. Exod. 13. Prouerb. 17. Rom. 13. 1. Reg. 20.

Christus cum Barraba confertur.

Pilatus enim hinc consilij pessimi & iniquissimi occasionem sumit: & cùm inter captiuos Barrabas quidam esset, homo seditiosus & latro, & publici alicuius mali primarius author, illum ex omnibus deligit, quem Christo componat, sperans nimirum, nunquam adeò iniquos vel impudentes fore Iudæos, vt Barrabam potius quàm Christum postulaturi essent, cuius & innocentia omnibus comperta erat, & beneficia in totam gentem Iudaicam infinita extabant. Astutè ergo à populo impetrare cupit, quod ipse sine sacerdotum offensione præstare non poterat: nimirum vt liberetur Christus. At quàm parum profecerit hoc suo consilio, postea dicetur. Nunc obseruabis, eos qui abiecto Dei timore semel exorbitare cœperunt suos affectus secuti, subinde in peius proficere. Nuper enim audiuimus, Pilatum Iudæorum improbitatem mox deprehendisse, & in præsenti Marcus illum sciuisse scribit, quòd principes sacerdotum illum ex inuidia tradidissent. Quia verò homines potius quàm Deũ & ab hoc sibi commissum munus respicit, ne Sacerdotum odia in se prouocet, Christum Herodi transmisit, quod vt iniquum erat, ita Romani Imperij dignitati non parum derogabat, cuius defensorem & vindicem acerrimum agere debebat. Nunc verò, cùm Herodis testimonio & exemplo moneretur, qui ipsi Christum remiserat, turpius agit, quando quem sanctum iustumq; esse sciebat, cum latrone cõfert, & mobilis vulgi iudicio subijcit, quem uel inuitis omnibus tueri debebat. E. ne hîc quidem pedem sistit, sed postea eundem flagellis cædi curat, si uel ea ratione populi furorem mitigare possit. Insuper ne vxoris quidem fida admonitione mouetur, quæ insomnijs tristibus exagitata monebat, nè quid in virum iustum & insontem designaret. Pergit enim & vt Iudæorum libidini satisfaciat, Barrabam liberum illis dimittit, Christum verò crudeli & ignominioso crucis supplicio condemnat. Sed ita ferè magistratus, qui nullo Dei timore tenentur. Etsi enim sui iuris & dignitatis acerrimi vindices esse soleant, & in rebus priuatis facilè omnes negligant, quando tamen Christi & religionis causa agitur, mox ignaui languent, & qui optimi videntur, ad artes & compositiones eiusmodi conuertuntur, ne quem offendant. Et in illis quidem sibijpsis mirificè placent, cùm illarum exitus plerunq; infelicissimus sit, sicuti paulò post patebit. Nequit enim fieri, quin eiusmodi compositionibus & comparationibus factis, vel impij præualeant, quorum maior semper est numerus vel imprudens & mobile vulgus ignorantia aut cæco affectu abreptum in peiorem partem declinat. Fit ergo, vt qui Christi causam semel deseruerunt, & in hominum gratiam illum (vt sic dicam) flagellari sinunt, tandem illum velint nolint etiam crucifigere cogantur: quod Pilato euenisse historia docet. Discant igitur magistratus Dei & religionis causam fortiter & ingenuè agere, ne dum mundi respectu & carnis ratione ducuntur, & Veritatẽ turpiter prodant, & ignominiam sibijpsis perpetuam consciscant, vt Pilatum fecisse videmus.

Humiliatio Christi nostræ saluti seruit. Eccli 10.

Interim obseruabimus, hanc filij Dei humiliationẽ non temerè factam fuisse, sed ad nostræ redemptionis causam pertinere. Quia enim superbia Adam peccauerat, quam hoc nomine peccati omnis initium Sapiens dixit, Christum extremè humiliari necesse fuit, vt ita superbiæ culpa expiaretur, qua Adam honores diuinos malè affectauerat. Latroni igitur confertur, imò posthabetur, vt nos angelorum consortes factos in filiorum Dei dignitatem subueheret. Quæ consyderatio, vt in tentationibus consolationẽ dulcissimam affert, ita ad vitæ & morum institutionẽ plurimum conducit. Primò enim admonemur, patienter ferendũ esse contemptum & ignominiam, nec audiendam esse carnẽ, quæ cùm natura sit ambitiosior, vix quicquam fert impatientius, quàm si præter meritum indignius contemni videat. Deinde ne superbi & fastuosi contra Deum & proximum efferamur, Christi exemplum docet. Quid enim indignum est magis, quàm contra Deum efferri eos, quorum nomine Dei filius eò vsq; humiliari voluit, vt latroni postponeretur? Aut cur non pudet proximum contemnere & fastidire, quem Christus suæ humiliationis merito ad cælestis gloriæ consortium euexit? Vel quæ ratio monet, vt propter generis ignobilitatem, egestatem & conditionis tenuitatem tibi sordeat, quem Deus ipse in Christo filium agnoscit & hæredem? Quoties ergo innato ambitionis æstro nos exagitari sentimus, ad Christum respiciamus, & ita mox cristæ concident, quas nimis altè eramus erecturi.

Sacerdotes populo persuadent, ut Barrabam petat. &c. Iodn. 11. Acto. 5.

Sed ad historiam reuersi Principes sacerdotum videamus, qui secundum locum in ista tractatione obtinent. Dicuntur hi populũ concitauisse (Matthæus persuadendi verbo vtitur) vt Barrabam sibi dari postularet. Quibus rationibus hoc effecerint non exprimitur, sed credibile est non alios fuisse, quàm quibus in concilio vsi fuerunt: Esse nimirum hominem seditiosum, & periculum esse, ne si illum saluum velint, Romani totam gentem seditionis suspectam habeant, & immissis exercitibus terram omnem crudeliter deuastent. Et fortassis exempla adduxerunt Iudæ Galilæi & Theodæ aliorumq; similium, qui non ita pridem seditiosis suis consilijs reipublicæ ingens damnũ dederant. Solent enim omnes eloquentiæ vires intendere, qui populi leuitate ad veritatis oppressionem abuti instituerunt. Et est hoc memorabile exemplum, quo admonemur, quantum mali ex corruptis præsulibus oriri soleat. Si enim vt poeta dixit, Mobile mutatur semper cum principe vulgus, multò plus in illo mutando possunt, qui cum politicis rationibus religionis quoque prætextum coniungunt. Et vtinam hodie non rude modò vulgus ab illis seduceretur, & non simul etiam reges ac principes decepti illorum consilia atq; conatus adiuuarent. Audiuntur enim passim in vulgo, in foro, in aulis regum, in templis antistitum vnctorum rationes, quibus & prophanos & religiosos homines in veritatis odium manifestum adducunt. Nam si in eos incidant, quos nulla religionis cura tangi sciunt, de dissidijs, contentionibus & bellorum periculis quiritantur, quorum omnium causam in nouos doctores & Euangelij prædicationem reijciunt. Apud pios verò & religiosos doctrinam pietatis corrumpi, veterem Dei cultum euerti, sacramenta cum templis prophanari, Diuos Diuasq; horribiliter proscindi, omnia deniq; sacra impiè dissipari clamant. Quò fit, vt apud omnes homines veritatis doctrinam non modò suspectam, verumetiam exosam & inuisam reddant. Sunt hæc diligenter obseruanda, vt veteres diaboli artes caueamus, & ne nos extra culpam omnem constitutos putemus, si antistitum consilijs seducti in Veritatis & piorum oppressionem consentiamus. Fecerunt hoc Iudæi, & grauius quidem atrociusq; fuit Sacerdotũ scelus, attamen in miserum quoq; vulgus horribiliter sæuijt pœna, qua Deus indignam filij sui mortem est vltus. Quare admodum noxius illorum error est, qui magistratibus & ecclesiasticis proceribus simpliciter obtemperandum esse putant, & ita sese ipsorum impietatis & truculentiæ ministros constituit, &c.

Populi Iudaici ingratitudo & crudelitas.

Et hoc quidem populo Iudaico etiã accidisse, sequens historia testatur. Primò enim cùm Pilatus inexpectata postulatione perculsus interrogaret, quid de Christo vellent fieri, quem pleriq; Regem Iudæorum dicant, illũ crucifigi petunt. Fuit hoc ingens scelus, et crudelitatis non vulgaris argumentum. Scelus est, quòd occidi volunt eum, quẽ nullius criminis aduersarij adhuc cõuicerant, cùm leges homicidij à Deo præscriptas non ignorarent. Crudele aũt fuit, quòd non ad mortẽ modò, sed ad crucem poscunt hominem innocentem, quo supplicio genere nullum illo tempore atrocius erat & ignominiosius. Deinde Pilato (ut Ioannes scribit) non sine exprobratione acuta satis interrogante, Num Regem vestrum crucifigam? Respondent illi: Non habemus regem, nisi Cæsarem. Quibus verbis non modò Christum abnegant, sed promissiones olim patribus datas turpiter reijciunt, quæ omnes

Gene. 9. Num. 35. &c.

Regem

Regem Messiam venturum docebant, qui populum ex diaboli seruitute in libertatem filiorum Dei assereret. Quantum ergo in se est, cum patribus ipsos quoq; prophetas damnant, qui omnem salutis spem in promisso saluatore repositam habuerunt: & cùm hunc nobis Deum verum, æternum & sanctum describant, illi Cæsarem præferunt Tiberium, hominem non modò mortalem, verumetiam tyrannicum & monstrum libidinis. Fuit ergo hæc vox indigna planè, & quæ sola merebatur, vt Cæsarem sentirent crudelissimum, quem Christo saluatori præferre non puduerat. Nec tamen adhuc quiescunt, sed Pilato de innocentia Christi apertius testante, & quærente quodnam ob crimen occisum velint, insanis clamoribus obstrepunt, & hoc vnum subinde vociferantur: Crucifige eum, crucifige. Adhæc Pilato solenni manuum ablutione culpam omnem abs se reijcienti, illi occlamant: Sanguis eius super nos, & super filios nostros. Qua voce nihil horrendum magis dici poterat, vel audacius. Cùm enim Deus innoxij sanguinis reatu pollutis suam iram in lege denuntiet, quid hoc aliud fuit, quàm huius iudicium contra sese & posteritatem omnem prouocare? Cumprimis tamen hoc loco obseruanda est populi huius ingratitudo & crudelitas. Etsi enim tot tantaq; in illos Christi beneficia extarent, vt illis commemorandis ne totus quidem dies sufficeret, omnibus tamen illis sacerdotes præferunt, quorum traditionibus seducebantur, & qui sacra omnia sibi quæstum fecerant. Deinde cùm innocentem esse negare non possint, illi tamen latronem præferunt, nec aliqua proprij honoris cura tanguntur, qui non leuiter violabatur, cùm latronis patrocinium & defensionem susciperent. Præterea Pilatũ grauiter & non sine rationibus sibi reclamantem audiunt, huic tamen præferunt sacerdotum blanditias: qui interim suo indicio sese produnt egregiè. Qui enim Christum occidendum esse dixerant, ne seditionem excitaret, nunc populo authores sunt, vt seditiosum & latronem sibi donari petat. Postremò nec rationibus nec tristi & sanguinolento Christi flagellati spectaculo mitigari possunt, sed clamoribus seditiosis Pilatum cogunt, vt ipsis morem gerat. Dignissimi ergo fuerunt, qui postea seditionibus bellum sibijpsis accerserent, quo horribiliter & incomparabili crudelitate excisi sunt. Atqui vtinam hodie non similia publicè & priuatim fierent. Scimus enim Euangelij professores & totas ecclesias interdum impiorum artibus ita circumueniri, vt fidos pastores ad lanienam extrudant, dum paci publicæ non aliter consuli posse persuasi sunt. Sunt etiam, qui Euangelij doctrinam prorsus abijciunt, vt hostium animos sibi concilient. Quoties verò priuatim Barrabas Christo præfertur, quando multi ab hoc potius excludi & manifestam salutis iacturam facere volunt, quàm à sceleribus refugere, quibus totam fidei suæ professionem polluunt, adeoq; Christum ipsum (quantum in illis est) crucifigunt? Sæpius igitur Christo impudens scortũ, aut turpe lucrum, aut fœdum impietatis studium aut alia immanissima scelera anteponunt, qui nullis admonitionibus vel minis se in viam reuocari patiuntur. Sed discent omnes illi olim magno suo malo, quàm seueriter Deus filij sui contemptum vlciscatur. Nos verò meriti illius fiducia erecti iniurias & aduersa queq; patienter feramus, vt cum eodem olim in cælis regnare liceat. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CXXVIII.

Milites autem abduxerunt eum intra aulam, quod est prætorium, & conuocant totam cohortem. Et induunt eum purpura, & circũponunt ei plexam coronã spineam: & cœperunt eum salutare: Aue rex Iudæorum. Et uerberabant illius caput arundine, & inspuebant in eum, ac summissis genibus adorabant illum. Et cùm allusissent ei, exuerunt illum purpura, & induerunt illum uestibus proprijs: educuntq; eum ut crucifigerent eũ. Et cogunt prætereuntẽ quendam Simonẽ Cyrenæũ, qui ueniebat rure, patrem Alexandri & Rufi, ut tolleret crucem eius.

QVemadmodum Dei filius cùm in terris ageret, in omnes homines beneficia magna & salutaria contulit, nec aliquem ad se venientem est aspernatus: Ita cùm mortis ipsius tempus instaret, omnis ordinis & loci homines incomparabili ingratitudinis exemplo in illum peccarũt. Nam Argumentum & vsus præsentis loci.

de illo occidendo primi consultarunt sacerdotes & scribæ, quorum erat ipsi populum adducere. Hi illum prodit Iudas discipulus & pseudoapostolus, capiunt sacerdotum famuli, captum Petrus abnegat, condemnant cum sacerdotibus seniores, inde Pilato traditum totus populus vnanimi consensu ad infame crucis supplicium postulat. Pilatus verò præses, vt illis gratificetur, innocētē condemnat. Accedunt his omnibus milites, qui antiquitus suppliciorum executores & præfecti erant, qui singulari crudelitate in illum sæuiunt. Et hæc omnia Euangelistæ studiose narrant, primò quia sub his latent nostræ redemptionis mysteria, deinde quia hinc discere licet, quæ semper inter homines Christi & doctrinæ ipsius sors siue conditio futura sit. Etsi enim ex illius prædicatione infinita ad omnes homines beneficia redeant, tamen vt primùm pericula imminent, pleriq; turpiter deficiunt, multi verò etiam hostes aperti fiunt, & in verbum ipsius & in omnes credentes crudelissima rabie grassantur. Tunc verò ad Christi exemplum nos confugere oportet, vt illius consyderatione fidem nostram confirmemus. Facit huc præsens locus, quo militum crudelitas describitur, qui primò contumeliosissime tractarunt eum, quem præses damnauerat, deinde ad supplicium duxerunt, & Simonem Cyrenæum crucem ipsius ferre coegerunt: ex quibus facilē patebit, quid hodie sperandum sit omnibus qui in illo volunt piè viuere.

Christum ut regni affectatorem milites rident.

Primò in prætorium abducunt, & totam cohortem conuocant, vt omnes simul rabiem impiam exaturent. Ibi suis vestibus exutum induunt purpura, spinis coronant, & simul multa alia faciunt in illius contumeliam, quæ hîc cōmemorantur. Porrò actionis huius tam contumeliosæ, occasio fuit, quòd affectati regni illum accusarant sacerdotes, & hoc nomine à Pilato esset damnatus. Et videntur milites hoc facto suum erga Romani Imperij maiestatem studium testari voluisse, dum adeò ignominiose eum tractant, qui læsæ maiestatis crimen sustinebit: simul verò per ludibrium indicant, quæ sit ipsorum de regno Christi sententia. Regum insignia sunt pallium siue trabea, corona & sceptrum. Hæc ergo omnia Christo tribuunt, sed ludicra & ignominiosa, vt regnum eius ridiculum, caducum & inglorium esse testentur. Primò purpura illum induunt, qua Reges olim vestiri solebant, sed genus vestis militare fuisse, quo Christum induerunt, Matthæus docet, qui chlamydem vocat. Irrisione ergo non caruit, quòd militariter eum induunt, qui hactenus prophetæ vel doctoris officio functus fuerat. Deinde coronam capiti imponunt, sed ex spinis contextam, vt regnum ipsius miserum & calamitosum esse innuant, quod tam ipsi quàm sectatoribus suis exitium afferat. Dant præterea sceptrum, sed arundineum, quo vires illi planè nullas esse significare volunt. His addunt salutationes irrisionis & amarulentiæ plenas: *Aue rex Iudæorum*: quibus non Christum modò, sed vniuersam Iudæorum gentem ludibrio habent, quam regem & regnum nouum somniare sciebant. Fit igitur iusto Dei iudicio, vt quæ Christo infertur contumelia in illos ipsos redundet, qui eius primi authores fuerant. Neq; his contenti, insuper conspuunt, & arundine (quam sceptri loco ipsi dederant) eius caput percutiunt. Facta sunt hæc ab illis indignissimè. Nam vt maximè supplicio dignus fuisset Christus, cōmunis tamen sensus docet, cōmiseratione prosequendos esse eos, quos eò vsq; prolabi passus est Deus, vt publica iustitiæ ipsius exempla ipsos fieri oporteat. At cùm omnibus perspecta esset Christi innocentia, nec Pilati præsidis de illo testimonium milites isti possent ignorare, plus quàm belluinus, imò diabolicus fuit furor iste, qui illos ad tantam rabiem extimulauit. Et poterant ista non parum offendere infirmos, si ad rationis humanæ calculum examinarentur.

Cur Christum irrideri oportuerit.

Est ergo diligenter consyderandū, cur ista sic fieri oportuerit: & mox læta salutis mysteria patebunt, quæ omni scandalo facilè medebuntur. Peccarat Adam superbia, vt nuper diximus, & tanta est transgressionis ipsius vis, vt in nobis etiam ambitionis huius vestigia quotidie appareant, quando non modo nobis ipsis plus æquo placemus, & proximos nostros insolenter contemnimus: verumetiam contra Deum animos attollimus, cuius verbo reluctari, & iudicia eiusdem reprehendere non pudet. Quia ergo in nobis omnibus Dei imago extincta fuit, non percuti modò & conspui, sed à Dei facie eijci & cum diabolis æternæ damnationis ignominia mulctari merebamur. Sed succurrit nobis Dei filius, qui extremā hanc ignominiā propter nos subire voluit, vt & nostrā culpā suo merito expiaret, et Dei imaginē in nobis restitueret. Neminem ergo offendere debent contumeliæ, quas Christus sustinuit, cùm hæ ad nostrā redemptionē tantum momenti contulerint. Agnoscamus potius Dei bonitatem, qui filiū suum eò vsq; humiliari voluit, sed & filij Dei dilectionē celebremus, qua nos ita complexus est

xus est, vt hæc tam acerba & contumeliosa voluerit subire, vt nostræ saluti consuleretur.

Simul verò discamus, quàm indignus sit Christiano homine fastus omnis, imprimis uerò is, quem vestitu & ambitiosa honorum huius seculi affectatione multi declarant. Vult enim Christus, vt suo exemplo humilitatem discamus, & de ferendis contumelijs sæpe cogitemus, quando has nunquam effugient, qui illius discipuli esse voluerint. Quoties ergo vestitu superbire libet, quoties item honorũ & titulorũ inanium vmbratilis splendor mentis tuæ oculos perstringit, tunc tibi Christi propter peccata tua tam contumeliose illusi imago in mentem veniat, & mox disces, quàm parum ista eos deceant, qui in Christi morte ignominiosa spem salutis omnem collocatam habent. Vidit hoc Gottefridus, qui cùm illi Hierosolymæ à Christianis occupatæ regnum deferretur, regiam quidem potestatem & curam suscepit, regis verò nomen & insignia recipere noluit, negans se in ea vrbe auream coronam sumpturum, vbi Dei filius spineam gestasset. Dignus sanè, qui totius orbis regnum teneret, indignus autem, cuius pietate & fortitudine Romani Pontifices sub prætextu sacri belli ad suam tyrannidem stabiliendam abuterentur. Mouit illũ, vt hoc diceret, loci religio: at cur non magis moueat omnes nos salutis nostræ cura, quã ita nobis restitui oportuit, ne ea denuò cõmittamus, à quibus Christi merito sumus redempti? Num enim illum ideò corona spinea redimiri voluisse putabimus, vt nos elato capite & petulanti ornatu proteruire pergamus? An chlamydem militarem per ludibriũ gestauit Dei filius, vt tu totus sericatus incedas, & immani fastu superbias? An arundineum sceptrũ manu tenuit, vt tu digitos auro & gemmis vincias? Sed quid ista in priuatis hominibus accusare iuuat, quando Pontifices non pudet coronam gestare triplicem, auro gemmisq́ grauem, qui se Christi vicarios esse gloriantur? Exponunt illi etiam hodie Christum Turcis & Iudæis deridendum, imò potius illum in sinu suo derident, dum illius contumelias & crucem prædicant, interim verò sub huius nomine Regum huius seculi fastum & splendornm longè vincunt.

Contra fastum & superbiam. Matth. 11. & 5.

Nota.

Gottefridus Lotharingiæ Dux.

Præterea hoc exemplo doceri nos oportuit, quod nam omnibus seculis futurum sit huius mundi de Christi regno iudicium. Vnde enim hæc libido milites incessit, nisi quòd Romanum Imperium, cui Christus insidiatus esse ferebatur, sacrosanctum & inuictum, imò æternum esse putarent? Quod ipsum se egregiè demonstraturos arbitrantur, si Christo & regno ipsius illudant, & illud infirmum, periculosum, caducum & infame esse doceant. Est hoc mundi ingenium, vt quæ carni præclara videntur suspiciat & æterna putet, cœlestia verò & quæ verè æterna sunt, pro caducis & noxijs contemnat atq; negligat. Et hæc ferè illusionum & ludibriorum causa est, quibus pij petuntur, si quando res ipsorum minus feliciter succedunt. Sic olim gentes pijs dicebant: Vbi nunc est Deus ipsorum? Et in præsenti Christum securi rident milites, quòd ipsum vinctum & damnatum esse videant. Hodie huius generis multa paßim audiuntur, & nihil tam vulgare est, quàm quòd ex piorum calamitatibus triumphandi occasionem mundus infelix venatur. At neminem ista offendere debent, quia suo iudicio mundus multùm fallitur. Etsi enim Christus vilis & contemptus sit, sua tamen potentia mundi uires longè superat. Ipse enim lapis ille est, qui absque hominũ manu resectus mundi regnis finem imponet, & orbem totum complebit. Idem ille sceptrum habet ferreum, quo hostes suos omnes, vt vasa testacea comminuet. Experti sunt hoc olim Romani Imperatores, quotquot contra illum & ecclesiam ipsius arma sumpserunt: qui omnes horrenda exempla facti sunt, quibus totum mundum Deus admonere voluit, quid filij sui contemptores maneat. Et regnum ipsius perpetuũ & æternum esse, non prophetæ modò, uerumeti ãangeli testantur, & ipsa rerum experientia abundè docet. Corruerunt enim regna huius mundi omnia, nec vllum vnquam fuit, quod vel armis vel consilijs denfendi & seruari potuerit. At Christi regnum, etsi armis potentißimorum regum iam inde ab exordio mundi oppugnatum sit, durat tamen in hunc vsq; diem, & in consummationem vsq; seculorum durabit, in qua fideles cœlestis gloriæ consortes facti cum Christo Iesu æternum regnabunt. Coronantur quidem spinis dum hîc viuunt, sed ex spinis istis rosa suauißimi odoris enascitur, & olim corona iustitiæ donabuntur, quam aduentum suum diligentibus Dei filius præparauit. 2. Timoth. 4. Quotquot verò pij afflictionum authores sunt, & in illis fidei confeßionem rident, hi se militum istorum socios esse meminerint, & cum illis olim suæ impietatis stipendia accipient. Christi enim uox est: Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei. Item, Quod vni ex minimis hisce fecistis, mihi fecistis. Nec multùm ab his absunt, qui Christi cruce & omnibus ijs, quæ passus est, temerè abutuntur, dum per illius

Iudicium mundi de regno Christi.

Iudicium mundi.

Daniel. 2.
Psalm. 2.

Luc. 1.

2 Timot. 4

Zach. 2.
Matth. 25.

vulnera, flagra, sanguinem, mortem mala imprecantur illis, quibus irati sunt, adeoq; Christum iræ suæ iniustæ ministrum siue executorem constituunt. Quid enim hoc aliud est, quàm ea illi exprobrare, quæ propter nos pati dignatus est?

Christus ducitur ad supplicium.

Porrò ad alterã huius loci partem transeamus, qua vt ad supplicij locum ductus sit Christus narratur. Cùm illusissent ei (inquit Marcus) exuerunt illum purpura, & induerunt illum vestibus proprijs, educuntq; eum vt crucifigerent eum. Cur purpura illum exuerint, non dicitur: attamen verisimile videtur, quòd cùm chlamys illa ad aliquẽ illorum pertineret, ille in ea ipsum duci noluerit. Interim locus datur diuisioni vestium Christi, quam illo in crucẽ suffixo fieri oportebat, sicuti à Dauide fuerat prædictum. At hac parte cumprimis memorabile est, quod de Symeone Cyrenæo scribitur. Primò enim ipse Christus crucem, cui affigendus erat, extra vrbis portas gestauit, sicuti Ioannes testatur. Et videtur hic mos publicus fuisse, vt sontes ipsi suas cruces portarent, cùm tanta esset huius supplicij ignominia, vt illas nemo tangere dignaretur. At cùm vigilia nocturna & flagris defatigatus, curis item & mœrore confectus tanto oneri succumberet, Simonem Cyrenæum ex agro in vrbem redeuntem coegerunt, vt crucem post Iesu ferret: quod per ludibrium & contumeliæ ergò factũ fuisse, non est dubium.

Psalm. 22.

Crucis Christi mysterium.

Latet autem sub his nostræ redemptionis & salutis mysteriũ. Extra vrbem Christus moritur, et illuc ipse crucẽ propriã effert. Respondet hoc veteri typo, quod Apostolus obseruauit, cùm scriberet: Animaliũ, quorum sanguis infertur pro peccato in sancta per pontificẽ, horum corpora cremantur extra castra. Quapropter & Iesus, vt sanctificaret populũ per propriũ sanguinẽ, extra portã passus est. Idem verò crucẽ fert propriã (cuius facti typus etiã præcesserat in Isaaco, quem ligna tulisse legimus, in quibus ipsum immolare pater Abraham decreuerat) vt ostendat sibi impositas esse omnes iniquitates nostras, nec has modò, verumetiam pœnam & mulctam correctionis nostræ, vt Isaias inquit, qua nos omnes ad mortem æternam poscebamur. Extulit autem crucem hanc extra vrbem, ita docens, peccatum nobis posthac imputari non posse, cùm ipse suo merito pro nobis satisfecerit. Et huc idem Apostolus respiciens dixit: Nulla est nunc condemnatio his, qui sunt in Christo Iesu. Item: Quis intentabit crimina aduersus electos Dei? Deus est qui iustificat, quis ille qui condemnet? Firmißima ergo hinc peti potest consolatio, qua nos in tentationum palæstra sustentemus. Vbi simul cogitabimus, officij nostri esse, vt etiam ipsi relicto mundo hoc, in quo non habemus ciuitatem permanentem, quiq; totus in malo constitutus est, ad Christum exeamus, opprobrium eius portantes, sicuti Apostolus in loco superius adducto nos admonet. Cur enim in mundo hoc delitientur, qui salutem sibi in vno Christo repositam esse norunt, qui extra portas passus, hinc in cœlos migrauit, vt illic nobis patriam & hæreditatem æternam pararet?

Hebr. 13.
Num. 19.
Genesis 22.
Isaiæ 53.
Rom. 8.
Consolatio.
1. Ioan. 5.
Hebr. 13.

Pij crucẽ Christi ferre coguntur.

Facit huc cumprimis, quod de Simone Cyrenæo scribitur, quem ex agro redeuntem Christi crucẽ ferre cogunt milites. Docet enim hoc exemplum, quid pios maneat, dum in huius vitæ stadio decurrunt. Inuitat Christus ad crucem ferendã omnes, qui ex discipulorũ ipsius numero censeri volunt. A cruce verò carnẽ abhorrere, supra Christi exemplo didicimus, et in nobisipsis quotidie experimur. Opus ergo est illis, qui nos vel inuitos cruci subijciãt: nec vsqiã illi desunt, quàm primùm relictis agris, id est, terrenis studijs ad cælestem Hierosolymam tendere incipimus. Nam vt veritatis luce mundus odit, ita nec eos ferre potest, penes quos illa lucet, & quos suis studijs contrarios esse sentit. Quo fit, vt iuxta Pauli dictum persecutionem patiantur, quotquot in Christo piè viuere instituerunt. Ac hîc duo cumprimis necessaria sunt obseruatu. Primum, vt Christum secuti, quam Deus imponit crucem ex fide patienter feramus. Quod tunc præstabimus, si nos illa opus habere cogitemus, quando caro nostra aliter coerceri nequit. Patris itaq; officio fungitur Deus, & filios quos diligit, castigat. Deinde non est, quòd præsenti contumelia seu ignominia moueamur. Per fidem enim fit, vt crux Christi efficiatur quicqd nobis molesti accidit, & proinde cum illo olim regnabũt & viuent, qui cũ ipso afflicti aut mortui fuerint. Quin inter homines quoq; martyrũ suorum memoriã Deus conseruat, cuius rei exemplum euidens in præsenti historia proponitur. Quàm enim vilis & obscurus homo fuerit Simon hic Cyrenæus, vel ex eo patet, quòd temerè correptũ Christi crucẽ ferre cogũt milites. At eiusdẽ nomẽ Deus per suos scriptores perpetuæ memoriæ consecrare voluit: nec ipsius modò, verumetiã Alexandri & Rufi, filiorum ipsius, quos in ecclesia posteris temporibus celebres fuisse puto, cùm illorũ

Matth. 16.
Ioan. 3.
2. Timoth. 3.
Hebr. 12.
Prouerb. 3.
2. Timoth. 2.

nomina perinde recenseat Marcus, ac si omnibus notissimi fuerint. Quæ enim ratio erat, quâ Simonem (qui cum hæc scriberet Euangelista, fortassis vita defunctus erat) Alexandri & Rufi patrem fuisse, iuberet annotare, si non aliqua fuisset illo tempore inter pios nominis illorum celebritas? Et si quid coniecturis assequi possum, non alios fuisse puto, quorum mentionem Lucas in Actis, & Paulus ad Romanos scribens, faciunt. Ille enim Alexandri meminit, quem in Ephesina seditione Pauli odio in concionem extruserũt Iudæi, cùm Paulum fratres ad se recepissent. Rufum verò cum matre saluere iubet Paulus, qui fortasse post Simonis mortem Romam concesserant. Certè, nisi alibi prius sedes habuissent, Paulo tam familiariter noti non fuissent, qui illo tempore Romam nondum viderat. Sed quicquid illud fit, Simoni officium hoc, quod Christo præstitit, abundè fœneratum fuisse constat, quando & ipsius & filiorum nomina tam diligenter consignari voluit spiritus sanctus. Similia exempla sunt in alijs, qui cùm antea obscuri essent & ignobiles, martyrio nobilitati & celebres facti sunt. Quapropter crucis ignominia adeò neminem terrere debet, vt hanc potius veram & solidam perpetuæ & immortalis gloriæ materiam esse credendum sit. Acto.19. Rom.16.

Alterum in hac causa obseruandum est, quòd etsi afflictionum Christi consortes simus, salutis tamen fiduciam in solius Christi merito collocatam habere cõuenit, ne quid nostris meritis tribuamus. Fert quidem Christi crucem Simon, sed vbi ad supplicij locum ventum est, vbi pro totius mundi peccatis sacrificium fieri debuit, non ille, sed solus Christus in crucem suffixus est. Ita nos etiam eo quidem honore dignatur Dei filius, vt crucis ipsius consortes efficiamur, nostræ verò redemptionis gloriam sibi saluam & integram seruat, iuxta illud: Ego Dominus, hoc est nomen MEVM, & gloriam meam alteri non dabo. Et Apostolorum vnanimis vox est, qua præter Iesum Christum nomen nullum sub cœlo esse testantur, in quo homines saluos fieri oporteat. Et Paulus cùm omnis generis pericula & afflictiones Christi nomine sustinuisset, se tamen in illius modò cruce gloriari dicit, nec quicquam aliud nouisse quàm hunc crucifixum. Impudens ergo & pernitiosa admodum est illorum insolentia, qui suis laboribus et afflictionibus salutis meritum tribuunt, quod solius Christi afflictionibus debetur, eò quòd qui illas in assumpta carne sustinuit, simul dilectus ille Dei filius est, in quo patri complacuit. Et hæc quidem in præsentem nostri Euangelistæ locum sufficiant. Sola Christi crux salutis meritum habet. Isaiæ 42. Acto.4. Galat.6. 1.Corinth.2.

Cæterùm priusquam dicendi finẽ faciamus, Christi colloquium cum mulieribus videre oportet, quod eodẽ tempore incidit, & à Luca hisce verbis describitur: Sequebatur illum multa turba populi ac mulierum, quæ plangebãt & lamentabantur illum. Conuersus autem ad illas Iesus, dixit: Filiæ Hierusalem nolite flere super me, sed super vobisipsis flete, et super filijs vestris. Quoniã ecce venient dies, in quibus dicent, Beatæ steriles, & ventres qui nõ genuerunt, et vbera quæ nõ lactauerũt. Tunc incipient dicere montibus, Cadite super nos, & collibus, Operite nos. Quia si hoc fit in humido ligno, in arido quid fiet? Quo loco primùm obseruabimus, mulieres istas de Christo bene sensisse, cùm mortem ipsius deplorando innocentiæ eius testimonium ferant, & iniquam Concilij atq; Pilati præsidis sententiam damnent, qua morti fuerat adiudicatus. Est ergo hoc plenum consolationis, quòd etsi maior hominum pars Christum condemnauerit, nec aliquo mortis ipsius dolore tangantur, imò ex ipsius afflictionibus & contumelijs voluptatem capiant, non desunt tamen, qui ipsum agnoscant, & ipsi condolentes aliquam illi recreationem afferant. Perpetuum hoc est, & quando maximè regnare videtur impietas, habet tamen suæ ecclesiæ seminarium aliquod Deus, ex quo illa suo tempore instauretur, sicuti in prophetis non vno loco promisit. Officij verò nos admonent mulieres istæ suo exemplo, vt nimirum ipsi quoq; condoleamus ijs qui affliguntur, & (vt Paulus ait) cum plorantibus ploremus. Exigit hoc non modò charitatis lex, verumetiam fidei mysterium, quæ nos sub Christo capite in vnum et idem corpus coniungit, quod vno & eodem Christi spiritu animatur, & proinde idem sentire, & inter membra συμπάθειαν illam custodire debet, quam inter nostri corporis membra esse videmus: qua de re idem Apostolus in priori ad Corinth. pulchre disserit, & ad Hebræos eodem respiciens ait: Memores estote vinctorum, tanquam vnà cum illis vincti, eorum qui affliguntur, tanquam ipsi quoq; versantes in corpore. Et sæpius accusantur, qui dum fratres laborant, ipsi voluptatibus indulgent vel etiam illis improbè & proteruè insultant. Horum nos hodie meminisse oportebat, quando passim pericula imminent ecclesijs, & multi priuatim fame & inopia, multi tentationibus conscientiæ, multi alijs afflictionibus exercentur: nec meliora sperare licet, quando hæc nouissima Mulieres Christi mortem deplorant. Isa.1.& 10. Ioel.2.&c. Rom.12. 1.Corinth.12. Hebr.13.

tempora sunt, de quibus ista Christus olim prædixit. Sed quia hæc sine gemitu & oculis siccis inspicimus, nec interea vllas intermittimus voluptatum illicitarum occasiones, satis testamur, nos ab ecclesiæ & corporis huius mystici communione adhuc alienissimos esse, & proinde nec ad salutis consortium nos pertinere, quando hæc extra Christum nulla inueniri potest.

Christus mortẽ suam non inultam fore docet.

Porro Christus mulieres flere vetat, non quòd ipsi pius ille affectus displiceat, sed vt scandalo medeatur, quo illarum fidem tentari non ignorabat. Quis enim illum Deo patri curæ esse putauisset, qui post tot tamq; graues contumelias ad mortẽ infamem ducebatur? Docet ergo Deum suæ mortis vindicem fore, & vindictæ grauitatem exemplis illustrat, quasi diceret: Si qua afflictio aut calamitas fletum & lachrymas requirit, vestram potius & filiorum vestrorum calamitatem deplorate, quæ vobis propter hanc meam mortem indignam obueniet: & tanta erit, vt quæ steriles fuerunt hactenus, beatæ & felices censeri possint, cùm multi doloris acerbitate superati, optaturi sint, vt terra ipsis dehiscat. Rationem verò addit parabola vestitam, & ait: Quia si hoc fit in ligno humido aut viridi, in arido quid fiet? Quibus verbis ad Dei iudicium respicit, & seipsum cum incurabili Iudæorum gente confert. Erat enim ipse lignum siue arbor virens & fructibus ferax. Attamen hominum peccata, quæ in se ipse transtulerat, ita expiari voluit Deus, vt ipse insons & innocens tam dira & acerba pateretur. Quid ergo (inquit) sperandum est ijs, qui in prauis cupiditatibus imò sceleribus publicis ita exarserunt, vt toti aruerint, nec vllam amplius melioris fructus spem de sese præbeant? Nec inanes fuisse minas istas, mox secutum gentis & vrbis excidium abunde docet. Vnde nobis doctrina communis petenda est, Deum suorum causæ non deesse, nec perpetuò impunè ferre suam tyrannidem ecclesiæ persecutores, licet interdum triumphent, & pro sua libidine in Christi membra grassentur. Neminem ergo momentaneæ afflictiones offendant, sed in Deo confidant, qui causæ suæ, quam ex ipsius iussu sustinemus, vindex est acerrimus.

Mors Christi ut defleri debeat.

Admonemur præterea mortem Christi ita à nobis defleri debere, vt simul quid ipsi meruerimus cogitemus, propter quorum peccata illũ ista pati oportuit. Sumus enim nos reuera aridi stipites & inutiles trunci, & proinde digni qui in æternum ignem abijciamur, si suo iure in nos Deus vti velit. Semper ergo hoc Christi dictum animis obuersetur, & nos ad patientiam in afflictionibus & vitæ emendationem mirificè excitari sentiemus. Repetamus illud ipsum, si quando pios & sanctos affligi videmus. Per horum enim afflictiones mundo pœnitere nescio Deus præludit, & iudicij sui executionem à domo sua orditur, ne in suis probare videatur, quæ in alijs punit: & vt sui cultores plagis paternis emendati æternum supplicium effugiant, vitam verò cœlestem & immortalem consequantur in Christo Iesu, cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

1.Pet.4.

HOMILIA CXXIX.

Et ducunt eum in Golgotha locum, quod est si interpreteris, Caluariæ locus. Et dederunt ei bibendum myrrhatum uinum: ipse uerò non sumpsit. Cumq; crucifixissent eum, dispertiuerunt uestimenta eius proiecta sorte super ea, quis quid tolleret. Erat autem hora tertia, quando crucifixerunt eum. Eratq; inscriptio criminis ipsius inscripta: Iste est Rex Iudæorum. Et eum eo crucifigunt duos latrones, unum à dextra, & alterum ab eius sinistra. Et impleta est Scriptura quæ dicit: Et cum iniquis reputatus est.

Argumentum & usus præsentis loci.

Hebr.8.

IN tota filij Dei Iesu Christi historia nihil excellentius est illius morte, quam in cruce sustinuit. Vt enim carnem humanam ex virgine Maria in eum finem assumpsit, vt haberet quod pro peccatis nostris posset offerre: Ita in mortis ipsius merito salus nostra omnis fundata est. Diligentem ergo consyderationem merentur omnes huius historiæ partes, imprimis verò præsens hic locus, qui primò ipsum Christi supplicium cum præcipuis eius circumstantijs exponit, deinde quædam de vestium Christi distributione & mystico crucis titulo, huc cumprimis pertinentia, commemorat: Vbi multa simul concurrent, quibus salutis nostræ mysteria pulchrè explicantur, & quæ ad morum institutio-

stitutionem, & consolationem in aduersis multùm faciunt. At quia Euangelistæ non eodem ordine singula recensent, nos vt auditorum ruditati consulamus, primò in vnam summam contrahemus quæcunq; ad crucis supplicium spectant, deinde de vestium quoq; diuisione, & titulo cruci per Pilatum affixo, seorsim dicemus.

Quoad crucis supplicium, sic scribit Marcus: Et ducunt eum in Golgatha locum, quod est si interpreteris, Caluariæ locus: & dederunt ei bibendum myrrhatum vinum: ipse verò non sumpsit. Erat autem hora tertia, quando crucifigunt eum. Et cum eo crucifigunt duos latrones, vnum à dextra, & alterum ab eius sinistra. Et impleta est scriptura, quæ dicit: Et cum iniquis reputatus est. Summa narrationis de crucifixione Christi.

Priusquam verò rem ipsam aggrediamur, explicandus erit nodus, qui in temporis notatione occurrit. Marcus enim horam tertiam fuisse dicit, quando illum crucifixerunt: & in hoc palàm dissentire videtur ab Ioanne, qui ferè sextam horam fuisse scribit, quando Pilatus pro tribunali consedit, vt illum condemnaret. Sed solutio facilis est, si teneamus, apud veteres duplicem fuisse diei distinctionem. Primam, qua dies totus in horas duodecim distinguebatur, iuxta quam horas à Solis exortu numerabant, vt sexta in ipsum meridiem incideret. Alteram, qua horas diei duodecim in quatuor quadrantes diuidebant, quorum singuli nomen sumebant à prima sui initij hora. Primus ergo tres primas horas diei habebat, & totus hora prima dicebatur. Secundum horam tertiam vocabant, qui ab ea vsq; ad sextam extendebatur. Tertius à sexta vsq; ad nonam numerabatur, & sextæ horæ nomen habuit. Quartum nonam horam dixerunt, eò quòd à nona initium sumeret, & inde reliquas diei horas vsq; ad duodecimam complecteretur, qui totius diei finis erat. Ad hanc distinctionē Marcus respiciens horam tertiam fuisse dicit, quando Christum crucifixerunt, & secundum diei quadrantem intelligit, qui ab hora tertia initio facta quartam, quintam & sextam comprehendebat: & proinde ab Ioanne nihil dissentit, qui iuxta priorem distinctionem loquitur, quando horam ferè sextam fuisse scribit. Scio alios quæstionem hanc aliter expedire, qui hora tertia Iudæorum linguis, sexta autem à militibus reuera crucifixum fuisse dicunt. Sed illud nimis coactum est, & totum contextum nostri Euangelistæ conturbat, quasi ille de Christi supplicio sermonem exorsus, nunc absq; magna ratione ad Iudæos redeat, de quorum furiosis clamoribus iam ante satis dictum fuit. Sunt qui numerorum notas librariorum incuria corruptas esse dicant: quod etsi in Græcis codicibus propter elementorum similitudinem facilè fieri potuisset, ego tamen nec tutum satis, nec etiam religiosum esse puto in quæstionibus quæ ex contradictionis specie enascuntur, eiusmodi suffugia captare, quæ sacrorum codicum fidem vel minima ex parte in dubium vocent. Primam igitur solutionem retinendam puto, quæ & nihil coactum habet, & cum veteri horarum ratione, quæ apud probatos authores reperitur, optimè conuenit. His præmissis ad ea transeamus, quæ maioris momenti sunt. Conciliantur Ioannes & Marcus.

Primò in Golgatha ducitur Christus, quod Caluariæ locū significare Euangelista ipse testatur. Fuit autem locus publicis supplicijs destinatus, quod vel ex eo colligi potest, quòd simul eòdem duo latrones ducti fuerunt. Quod non sine numine factum fuit, Isaiæ locus docet, quem Euangelista allegat, licet, nihil horum interea vel Iudæorum sacerdotes, vel Pilatus aut milites cogitarint. Respondent ista veteri typo, vt nuper ex Paulo ad Hebræos diximus, & ad salutis nostræ meritum faciunt. Oportuit enim cum iniquis & facinorosis reputari Christum, vt quam nos merueramus, pœnam lueret, & nos in regno patris sui angelorum consortes faceret. Quoties ergo conscientiæ terroribus extimulati, metuimus nos à regno Dei & beatorum consortio exclusos esse, tunc Dei filius in mentem veniat, qui vt nobis succurreret, inter latrones medius in crucem infamem suffigi voluit. Habet præterea aliam quoq; consolationem locus iste. Christus enim suæ mortis merito infames suppliciorum locos, adeòq; ipsa facinorosorum supplicia sanctificauit, ne quis illorum infamiam pijs & in ipsum credentibus apud Deum fraudi esse arbitretur, & hominum saluti officere. Vt enim nec loci infamia, nec ossium & caluariarum illic sparsarum tristissimus aspectus, nec ex illis exurgens fœtor obstare potuit, quò minus Deo patri gratissimum esset hoc filij sui sacrificium: Ita nec infames cruces, nec horribiles ignium rogi hodie obstabunt, quò minus pretiosa sit in oculis Domini mors sanctorum eius, qui fidem suam proprij sanguinis testimonio obsignant. Ideo olim Christi martyres de infamia suppliciorum nunquam conquestos, quin potius palos, quibus alligandi erant, exosculatos fuisse legimus. Ignatius certè, qui Apostolorum temporibus proximus fuit, cùm ex Syria vsq; Ro-

Locus Golgatha. Isaiæ 53. Hebr. 13. Num. 19. Loca suppliciorum sanctificauit Christus. Psal. 116.

[illegible]

Eusebius hist. eccl. lib. 3. cap. 36.

nam ad bestias duceretur, inter alia scribebat: O salutares bestiæ, quæ præparantur mihi. Quando venient? quando emittentur? quando eis frui licebit carnibus meis? Et mox: Ignes, cruces, bestiæ, dispersiones ossium & membrorum discerptiones, ac totius corporis pœnæ, & omnia in me vnum supplicia diaboli arte quæsita cumulentur, dummodo Iesum Christum adipiscar. Et idem, vt de illo Irenæus scribit, dicebat: Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molor, vt mundus panis Dei inueniar. Possent huius generis multa adduci, & nostro quoq; seculo similes Christi martyres complures videre licuit, qui non minori constantia et fidei alacritate dirissima quæq; supplicia sustinuerũt: quod nunquam facturi fuerant, nisi ipsa quoq; supplicia & illorum loca per Christum sanctificata esse sciuissent, vt pro illius nomine morientibus nihil mali aut damnationis inde sit metuendum. Nec minus ad sontes & facinorosos quoq; ista consolatio pertinet, qui etiam ipsi non obstante suppliciorum infamia salutem in Christi merito inuenient, si Dei iudicium patienter agnoscant, & salutis fiduciam omnem in vna Dei gratia per Iesum Christum collocent. Et hoc facit alterius latronis cum illo crucifixi exemplum, de quo suo loco dicemus.

Lib. 5.

Myrrhatum uinum Christo propinatur.

Secundò vinum myrrhatum illi propinant, vt primùm in Golgotha peruentum fuit. Matthæus acetum felle mixtum fuisse scribit. Sed nullum est in huius discriminis specie periculum. Vtriq; enim propositum fuit docere, quòd potum amarulentißimum obtulerint. Sunt autem, qui hoc pro more factum fuisse putent, vt postea sanguis aceti vi impulsus largior flueret, & ipse eò citius moreretur. Sed cùm postea illo sitiente acetum mortis accelerandæ ergò propinari vetent, potior mihi videtur illorum sententia, quia hoc nouo crudelitatis genere per ludibrium factum fuisse arbitrantur contra morem communem, quo ad mortem damnatis vinum pretiosius datur, vt illo confortentur: quod officium scriptura quoq; nobis commendat. Est autem hoc euidens exemplum siue specimen eius ingratitudinis, quam Iudæorum genti per Isaiam Deus olim in vineæ parabola exprobrauit, quando post beneficiorum commemorationem ait. Expectauit dilectus meus, vt vinea hæc vuas ferret, sed protulit labruscas. Quid enim est labruscas ferre loco vuarum dulcium, si hoc non est? Quin hoc verè draconum virus & aspidum fel dici potest, quale huius vineæ vinum fore, ante Isaiam Moses prædixerat. Sed vtinã non idem hodie à multis fiat, qui cùm quotidie à Deo beneficia infinita accipiant, & per Euangelij prædicationem summo studio excolantur, vt fructus sua professione dignos ferant, ita tamen viuunt, vt propter illos Christi nomen & Euangelium ipsius pessimè audiat. Peiores his sunt, qui istis non contenti, insuper Christo, quando in membris suis affligitur, & consolationis vino exatiari cupit, acetum exprobrationum, ludibriorum, imò conuitiorum quoque propinant. Sunt isti omnes fallax & maledicta vinea, quibus idem haud dubiè Dei iudicium imminet, quod propheta in loco supra citato Iudæis denuntiat, & quod illis non multò post Christi mortem accidisse, ex historicis abunde constat.

Prou. 31.

Isaiæ 5.

Deut. 32.

Crucis supplicium quale.

Ioan. 20.

[illegible]

Tertiò ipsum crucis supplicium consyderandum uenit. Fuit hoc & dirum ualde & cumprimis infame. Nam ut ex Psalmo uigesimo secundo & uerbis Thomæ Apostoli colligere licet, super crucem ualidißime extensi ad illam clauis per manus & pedes adactis affigebantur, & deinde in sublime erecti inter horribiles neruorum omnium & totius corporis cruciatus uitam suam finiebant. Superabat tamen omnem huius supplicij atrocitatem, quòd Moses maledictum pronunciauerat eum, qui in cruce penderet. Quæ causa fuit, quòd hoc supplicij genus de illis modò sumeretur, qui in publicam salutem scelus aliquod cumprimis atrox & nulla uenia dignum commisissent. Sic tribuum principes ex Dei iussu Moses suspendit, eò quòd cum Noabiticis mulieribus scortando toti ecclesiæ ingentis scandali & cladis publicæ authores fuissent. Et Darius ex trabe suspendere iubet eos, qui templi extructionem impediendo regum edictis rebelles sint & immorigeri. Hamanum quoq; læsæ maiestatis reum in crucem ab Assuero actum fuisse legimus. Credibile tamen est posteris temporibus inter Iudæos supplicium hoc uulgarius fuisse partim quidem propter præsidum Romanorũ crudelitatem, partim uerò quòd Iudæi omnibus exosi quouis supplicio digni uiderentur, si uel leuißimam culpam admisissent. Qua etiam occasione (ut de arcano Dei consilio iam nihil dicamus) factum fuit, ut Pilatus in hoc ipsum supplicium de Christo sumendum tam facilè consentiret, nec etiam obstaret, quò minus insolita rabie multa præter morem communem hic à militibus fierent. Et sanè ad augendum cruciatus ac infamiæ dolorem fecit, quòd uinum myrrhatum propinauerunt, quòd uestibus

Deut. 21.

Num. 25.

Hest. 7.

Ezræ 6.

bus omnibus exutum in crucem suffixerunt, quod inter duos latrones medium erexerunt, perinde ac si latronum dux & princeps aliquis fuisset.

At quia Dei filium in cruce pro peccatis nostris immolatum fuisse scimus, crux eius nobis instar altaris consyderanda est, & sic non erit, quòd illius infamia quicquam offendamur. Cur enim scandalo nobis sit illud, sine quo salus nobis parari non poterat? Versemur potius in eorum consyderatione, quæ hîc plena doctrinæ & consolationis proponuntur. Primò enim incomparabilis Dei amor elucet, quo genus humanum ille complectitur: quando filium suum vnigenitum & dilectum in cruce potius inter latrones mediũ videre voluit, quàm nos inter æternæ damnationis cruciatus cõspicere. Admonet de hac Apostolus, quando ait: Commendat autem suam charitatem erga nos Deus, quod cùm adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus fuit. Ibidem verò hic efficacissimum consolationis argumentum nos petere docet, quo in tentationibus fidem nostram confirmemus, quando mox subijcit: Multò igitur magis nunc iustificati sanguine eius, seruabimur per eum ab ira. Nam si cùm inimici essemus, reconciliati fuimus Deo per mortem filij eius: multò magis reconciliati seruabimur per vitam ipsius. Et alibi idem Apostolus ait: Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, qui fieri potest, vt non & cum eodem omnia nobis donet? Hæc sane qui serio expendunt, tentationum pugnis non facilè succumbent.

Crux altare Christi.

Amoris Dei erga nos testimonium.

Rom. 5.

Rom. 8.

Deinde verò non minus hîc elucet, quanta sit nostrorum peccatorum atrocitas, quando illa sacrificio tam pretioso, sanguine nimirum filij Dei, expiari oportuit? Quo loco vt peccati blanditiæ confutantur, quibus sese apud carnem nostram insinuat, ita infallibili & irrefragabili argumẽto docemur, quàm vanæ sint & futiles satisfactiones reliquæ omnes, quibus nonnulli peccata hominum expiari posse arbitrantur: quàm item nullæ sint hominum vires aut merita, quæ illis expiandis sufficiant. Si quid enim tale vspiam inueniri aut excogitari potuisset, num obsecrò Deum vel tam vecordem fuisse putabimus, qui illud non viderit, vel tam immitem & crudelem (ne dicam iniustum) vt filium suum sine causa necessaria diram & infamam crucis mortem subire voluisset? Vides ergo eos, qui nouas peccatorum expiationes & satisfactiones statuunt, non seipsos modò salute per Christum parta spoliare, verumetiam Deũ ipsum atroci iniuria afficere, quasi ille vel imprudens vel crudelis, aut etiam iniustus, filium vnigenitum cruciatibus atrocissimis obiecerit. Non temere ergo ab Apostolis pronunciatum fuit, præter Christum Iesum non vllum aliud nomen sub cœlo hominibus datum esse, in quo nos saluari oporteat.

Peccatorum atrocitas quanta.

Acto. 4.

Simul verò deplorãda nobis est hoc loco infelix hominum vecordia, qui ne ab ijs quidem peccatis abstinemus, quæ hoc filij Dei suppliciũ nobis in mentem et ob oculos reuocare poterant, nisi plus quàm plumbei essemus, aut ferrei. Extra vrbem Christus in locũ supplicijs publicis infamem educitur, vt suo exemplo admoniti opprobrium ipsius patienter feramus, & relictis mundi studijs ad patriam cœlestem tendamus: vbi sui sanguinis merito nobis ciuitatem permanentem acquisiuit. At pleriq; hominum, quasi in terris æternum victuri sint, solis terrenis occupantur, & vt opes fallaces & incertas congerant, æterna & cœlestia bona negligunt. Illi inter extremas animi angustias laboranti, & corporis quoq; infandos dolores iam iam subituro, acetum felle mixtum propinant milites. At nos vino immodico quotidie inebriamur, & fœdis voluptatibus immersi, nullis vel admonitionibus Dei, nec iudiciorum ipsius exemplis, quantumuis crebris & horrendis, nos in viam patimur reuocari. In cruce nudus pendet Dei filius, vt nos suæ iustitiæ merito vestiat: nos verò vestibus ad luxum & lasciuiam confectis impudenter superbimus, imò illas in ecclesiam, in conspectum ipsius & sanctorum angelorum inferimus. Sunt hæc deploratæ malitiæ argumenta, quam olim Christus grauibus pœnis vlciscetur.

Hominum uecordia arguitur.

Hebr. 13.

Vide 1. Cor. 11.

Sed ad reliqua transeamus, quæ mox secuta sunt, postquam Christus in crucem suffixus fuit. Vbi primum occurrit quid de uestium ipsius distributione scribitur. Cùm crucifixissent eum (inquit) dispertiuerunt vestimẽta eius: proiecta sorte super ea, quis quid tolleret. Facit & hoc ad contumeliam Christi, quòd vestes eius (præter quas nihil in terris habuit proprium) aleæ infamis fortunæ subijciuntur. Huic autem rei occasionem dedisse videtur tunica inconsutilis, quæ nisi tota perderetur, dissui non poterat, sicuti Ioannes annotauit. Interim in Christo verè impletur illud, cuius typus in Dauide præcesserat, qui à Saulinis domum suam direptam fuisse conqueritur, & inter alia ait:

Vestes Christi sorte distribuuntur.

Psalm. 22.

Paupertas Christi. Lucæ 2. Matth. 8. Lucæ 8. Ioan. 11. 1. Corinth. 8.

Partiti sunt sibi vestimenta mea, & de veste mea iecerunt sortem. Vbi primò Christi paupertatem obseruare prodest, cuius multa in scripturis argumenta habentur. Scimus enim in pauperi tugurio, vel potius stabulo meritorio natum fuisse. Deinde adultus iam non habet, quò reclinet caput suum. Adhæc mulierum aliquot beneficentia sustentatũ fuisse, Euangelistæ tradunt. Nunc nudus in cruce pendet. Talem verò ipsum fieri oportuit, vt nos ipsius paupertate ditesceremus, vtq; nobis thesaurum æternum in cœlis compararet, & (vt modò monuimus) nos suæ iustitiæ merito vestiret, qui in Adamo vestem innocentiæ amiseramus.

Fortunarum iactura ferenda patienter. Gene. 12.

At simul officij quoq; admonemur, ne graue nobis videatur opes huius seculi propter ipsum amittere, imò ne ea quidem quibus non sine summo incommodo carere possumus. Hanc enim piorum omnium sortem esse, in Abrahamo cernitur, quem ea conditione primùm vocauit Deus, vt solum natale & domum paternam post se relinqueret. Quod ipsum postea pij sæpe fecerunt, & ne illud fortuitum putemus, ipse Dei filius nunc idem patitur. Hic verò consoletur nos, quòd in hoc etiam seculo retributionem nobis Christus pollicetur, & in cœlis thesauros acquisiuit, quos nulla vis hostilis & nulla calamitas auferet. Viderunt hæc Hebræi fratres, quos Apostolus scribit suarum facultatum direptionem cum gaudio accepisse, eò quòd scirent, se potiorem & permanentem substantiam in cœlis habere. Neque hic nos solicitos esse conuenit, cui nam nostra cedant. Videt hîc Christus vestes suas ad prophanos & impios milites peruenire, quas (si humanam rationem audias & carnis affectum) potius vel matri virgini, vel Ioanni dilecto discipulo voluisset obtingere, qui soli ex omnibus suis ad crucem astabant. Quid ergo mirum fuerit, si bona nostra in impiorum manus perueniãt, ijs præteritis, quibus illa meliori iure debebantur? Tu illa Deo consecra, & patienter ferre discas, etiamsi immanißimis hostibus eadem ille dederit, qui vt arcano & inscrutabili consilio omnia agit, ita iusto iudicio de nobisipsis & rebus nostris omnibus dispensat. Huc olim Iobus respexit, quando opibus suis per Sabæos & Chaldæos direptis dicebat: *Dominus dedit, Dominus abstulit: sit nomen Domini benedictum*, &c. Quæ præterea hoc loco de vestium luxu & fastu dici poterant, & quàm parum ille Christo initiatos deceat, paulò ante perstrinximus, & plura aliunde peti poterunt.

Marc. 10. Matth. 16. Hebr. 10.

Iob 1.

Inscriptio uel Titulus Crucis.

Sequitur quod de Crucis titulo Marcus succinctè admodum annotauit, nimirum quòd idem hoc ab alijs diligentius expositum esse non ignoraret. Quare locus hic ex Ioanne sarcietur, qui sic scribit: *Scripsit autem & titulum Pilatus, & imposuit cruci. Erat autem scriptum: Iesus Nazarenus rex Iudæorum. Hunc ergo titulum multi Iudæorum legerunt, quia prope ciuitatem erat locus, vbi crucifixus est Iesus. Et erat scriptum Hebraicè, Græcè & Latinè. Dicebant ergo Pilato pontifices Iudæorum, Ne scribe, Rex Iudæorum: sed illum dixisse: Rex sum Iudæorum. Respondit Pilatus: Quod scripsi, scripsi.* Est hæc actio multa consyderatione dignißima, eò quòd mysteriorum plenißima sit, & multa simul comprehendat, quæ ad fidei nostræ institutionem & consolationem faciunt. Primò enim etsi Pilatus à Dei cognitione alienißimus fuerit, ita tamen illius animum & manum regit Deus, vt ad Iudæorum omniumq; hostium Christi confusionem paucis verbis dicat, quis ille sit, & ad quos nam salus per ipsum parta pertineat. Quoad primum, Regem vocat, & ita vindicem & assertorem esse docet. Et talem quidem olim prophetæ omnes descripserunt, nunc verò talem esse Pilatus, ceu publica Romani Imperij authoritate, promulgat. Et cruci imponitur illa inscriptio, vt constet, per hanc illum triumpha[illegible] tunc maximè exaltari, quando homines illum oppressum volunt. Conuenit his Dauidis oraculum, quo de Christo dixit: *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.* Quoad secundum, Iudæorum Regem esse dicit. Et ipse quidem in gentis illius contemptum hoc scripsit, attamen Iudæorum nomen eos denotat, qui Deum verum confitentur. Omnium ergo in se credentium & nomen suum confitentium Rex est Dei filius, qui in cruce pependit. Quod non ita accipi debet, quasi impij ab illius potestate exempti sint (nam etiam hos sceptro ipsius ferreo subiectos esse, nuper ex Dauide docuimus) sed quia hîc de redemptionis mysterio agitur, soli Iehudim, id est, confessores veri Dei nominantur, ad quos illa solos pertinet. Tribus verò linguis hoc promulgatur, quæ tunc in toto orbe vulgatißimæ erant, vt sciamus, ad veros illos Iudæos aut Israelem spiritualem (vt Paulus loquitur) non eos modò pertinere Christi meritum, qui iuxta carnem ex Abrahamo nati sunt, sed etiam omnium gentium credentes, qui Dei promißiones fide vera recipiũt, & ideo promißionis filij dicuntur. Vnus ergo & idem omnium credentiũ rex, vindex & assertor est

Christus Rex.

Psalm. 110. Rex Iehudim Christus.

Psalm. 2.

Rom. 2. & 9. Galat. 4.

Christus

Christus Iesus, siue illi Iudæi siue gentiles fuerint: quo nomine Euangeliū quoq; in omnes gentes prædicari iussit. Contendunt contra inscriptionem hanc tam gloriosam Iudæorum pontifices, vt qui se nō obscurè perstringi sentiunt, & odium implacabile adhuc produnt: simulq; semper fore aliquos docent (imprimis autem in antistitum ordine) qui Christo suum honorē inuideant, nec illum vel suum vel ecclesiæ Regem & caput vnicum agnoscere velint. Et sanè hæc præcipua est contentionum materia, de qua olim sectæ omnes pugnarunt, & circa quam hodie adhuc Christiani & Papistæ & Turcæ digladiantur. Christo enim suum honorem assertum volunt pij, alteri verò eundem vel in Papam Romanum, vel in Mahumetem transferre conantur. At hic consolationis plenum est, quòd Pilatus, qui paulò ante iniquissimis Iudæorum postulatis cesserat, nunc noua animi virtute confirmatus, illos non sine stomacho reijcit, nec quicquam propter illos in Crucis Christi inscriptione mutare dignatur. Voluit hoc exemplo docere spiritus sanctus, nihil effecturos vnquam, quotquot Christo suam gloriam ereptam & illius nomen vel verbum extinctum volunt. Et sanè, si firmum ratumq; mansit, quod homo prophanus de Christo scripsit, multò magis sacrosancta & inuiolabilis erit eorum authoritas, quæ diuini prophetæ, & post hos Apostoli scripserunt, quos in eum finem Deus vberiori spiritus sui virtute afflauit, vt salutis in Christo acquisitæ mysteria literis mandarent. Accedit his argumenti efficacissimi loco, quòd contra tot hæreticorum dolos & imposturas, totq; tyrannorum cruentas persecutiones Deus sacræ scripturæ codicem non seruauit modò, sed à mendis & corruptelis quoq; integrum seruauit. Cuius hæc præcipua causa est, quòd filij sui cognitionem inter homines manere voluit, in quo vno salus omnis continetur. Hæc nos in periculis confirmare debent, vt fidei professionem illibatam seruemus, nec mundi conatibus terreamur, qui vtut furiat mundus hic, vincet tamen, & suos quoq; in se victores faciet. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Matth. 18. Marc. 16. Act. 1.

Contenditur de Titulo Christi.

Christi regnum inexpugnabile.

HOMILIA CXXX.

Et qui præteribant conuiciabantur ei, mouentes capita sua, & dicentes: Vah, qui dissoluis templum, ac triduo ædificas: Serua teipsum, & descende à cruce. Similiter autem & principes Sacerdotum illudentes dicebant alij ad alios cū scribis: Alios seruauit, seipsum seruare non potest. Christus ille Rex Israel, descendat nunc à cruce, ut uideamus, & credamus. Et qui crucifixi erant cum eo, probris afficiebant eum.

EVangelistæ non modò Iesum Christum pro nobis passum & mortuum esse docent, verumetiam diligenter narrant, quid illius aduersarij & hostes aduersus illum designarint. Quæ omnia sic à nobis consyderari debent, vt primò cogitemus, quanti constiterit salus nostra, & quanto studio caueri debeant peccata, quæ aliter expiari non potuerunt. Deinde vt obseruemus etiam, quæ nam hostibus Christi fuerit aduersus ipsum peccandi occasio, vtq; nobis eadem cauenda sit, ne ipsi quoq; nostræ carnis iudicio decepti in illum similiter peccemus. Sunt hæc per totam historiā obseruanda, maximè tamen in præsenti loco, vbi narratur, vt illi in cruce pendenti illuserint. Et hîc simul latronum qui cum ipso crucifixi fuerunt, actio incidet, quam ex Luca huius loci tractationi postea inseremus.

Argumentum & usus præsentis loci.

Primùm in genere de omnibus dicit Marcus: Qui præteribant conuiciabantur ei, mouentes capita sua. Impudens erat & inhumanum inter mortis dolores pendenti conuiciari: sed auget facti indignitatem, quod gestu etiam utuntur, qui animos illius odio & contemptu plenos arguit: Ita verò rabiem plus quàm belluinam produnt, quæ ne supplicij quidem atrocissimi conspectu satiari potuit. Meminerimus tamen hanc etiam partem ad generis humani redemptionē pertinere. Oportuit enim Christum (sicuti Simeon dixerat) poni in signū cōtradictionis, vt nos à satanicis calumnijs assereret. & cùm ista olim in propria persona sustinuerit, non offendi debent fideles, etiamsi illū hodie quoq; ab omnibus contemni, & quasi catholico omniū consensu damnari videant: Ita enim fore olim Dauid prædixit, & idem cùm Christi typus esset, similia passus est, sicuti in Psalmis est videre, vbi de suis miserijs conquerens inter alia dicit: Ego autem vermis sum, & non vir: opprobriū hominum & contemptus à populo. Quicunq; me aspiciunt, subsannant me, distendunt labia, mouent caput, dicentes:

Omnis loci homines Christo conuiciantur.

Lucæ 2.

Psalm. 2. & 22.

Voluatur ad Dominum, eripiat eum, liberet eum, siquidem amat eum, &c. Porrò vt melius exprimant Euangelistæ quàm acerba fuerint conuicia hæc, quibus impij Christo illuserunt, diligenter admodum omnium locorum & ordinum homines producunt, & quid singuli dixerint cōmemorant.

1. Plebeiorum in Christum conuicia.

Primi hîc sunt plebei & qui ex vulgo erant. Illi, quia eum templo minitatum esse audiuerant, ex eo conuiciandi occasionē arripientes, dicunt: Vah, qui destruis templū, ac in triduo ædificas, serua teipsum. Et apud Matthæum insuper addunt: Si filius Dei es, descende de cruce. Ita verò vanitatis & mendacij illū insimulant: quasi falsò potentiā humana maiorē sibi arrogarit, & quòd maiori adhuc impudentia se Dei filiū esse dixerit. Et hîc quidē carnis nostræ & mundi ingeniū pulchre elucet. Proprium huius est, ex præsenti rerum statu de hominibus iudicare. Quos ergo iuxta seculū hoc felices & beatos esse viderit, eosdē à Deo verè, & solos quidē, diligi arbitratur, adeoq; inter Dei filios collocat. Quos autem infelices & miseros esse videt in hoc seculo, illos à Deo negligi & illi exosos esse putat, promißiones verò vitæ æternæ, quas pij allegant, scurriliter ridet, & quæ in illis collocatur fiduciam extremæ stultitiæ loco ducit. Hinc fit, vt quicquid vnquā à pijs fortiter & animose dictū fuit de Dei protectione, de ecclesiæ liberatione, deq; salutis certitudine in Christo Iesu, hoc omne in probrum & conuiciū vertatur. Est autē tentatio hæc grauißima. Nam & fiduciā in Deum oppugnat, & ad ea solicitat, quæ salua fide & conscientia bona fieri non possunt: vt nimirū ex illicitis operibus diuini erga nos fauoris argumenta quæramus. Sic olim satan Christo esurienti dicebat: Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. Et hæc dicendo non miraculum quærebat, quo Christi gloria illustraretur, sed vt ille famis & exprobrationis huius impatientia superatus ab officio discederet, quod illi ex patris mandato in terris erat obeundū. Et hodie à pijs, quando inter afflictiones & pericula omnis generis laborant, multa per ludibriū, vel etiam seriò, exiguntur, quæ à fide & fideliū officio alienißima sunt, & absq; manifesto scelere non possunt fieri. Alij enim cum ludibrio iubent, vt nos præsentibus periculis extricemus, cùm illud impoßibile esse non ignorent. Alij autem ad media illicita ablegant, & vt ad tempus nos malis istis subducamus monent, nec adeò anxiam vocationis diuinæ rationē à nobis habendam esse dicunt, vt & nos & fidei nostræ existimationē in præsens periculum adducamus. Tunc verò nobis Christi exemplū succurrere debet, vt illū imitati in vitæ æternæ promißiones respiciamus, quæ nunquam fallent, vtut mundus hic illas rideat, & aduersum credentes tumultuetur.

Matth. 4.

Sacerdotes & scribæ Christo conuiciantur.

Secundò sacerdotes & scribæ producuntur, qui vt rerū vsum habebant maiorē, & Christi etiam odio magis feruebant, ita acutius pungunt, & singulari astu ea dicunt, quæ non tam ipsi dolorē afferre poterant, quàm eorum fidē euertere, qui illi adhuc aliquid tribuebant. Et hîc sanè veritatis hostibus omniū consiliorum & actionum præcipuus scopus est, vt non modò pauculos illos è medio tollant, quibus cum illis in præsenti res est, sed vt omnes fidei scintillas in aliorum quoq; animis extinguant, quos aliqua veritatis cognitione imbutos esse suspicantur. Primò igitur miraculorū fidē eleuare student, quibus multos sciebant detineri, quò minus Christum possent contemnere: & proinde dicunt: Alios seruauit, seipsum seruare non potest. Multos ab illo seruatos fuisse, negare nō possunt, sed ex præsenti ipsius cōditione colligere volunt, in miraculis ipsius non diuinam potentiā eluxisse, nec quicquā in illis fuisse solidū, cùm modò seipsum liberare nequeat. Ita enim dicere videntur: Iam ne videtis meras præstigias fuisse, quæcūq; antehac miraculosè & diuina virtute facere visus fuit? Si enim aliqua seruandi virtute vnquā verè præditus fuisset, vtiq; nunc in seipso seruando illā exereret. Nec pudet impios hosce antistites, ea illi vitio vertere, quæ magno multorū bono fecerat, et quæ paßim à multis prædicabantur. Adhæc falsa est consequentia: Seipsum seruare non potest, ergo meræ præstigiæ fuerunt illius miracula. Nec enim sese seruandi potentia illi deerat, sed voluntas, eò quòd patrē ita decreuisse sciret, quod ipsum Iudæis non semel dixerat. Deinde quia multi Regem illū à prophetis promissum esse dixerant, ad illud quoq; respondent. Christus ille (inquiunt) Rex Israel, descendat nunc de cruce, vt videamus & credamus. Regē vocant cum irrisione & contemptu, vt ostendant vel cæcis iam patere, nequaquam pro Rege et liberatore eum esse habendū, qui in crucē suffixus inter latrones pendeat, nec aliqua exerat regiæ maiestatis & potentiæ argumenta. Ita verò primùm suam inscitiā produnt, cùm non obseruarint apud prophetas Meßiā ita describi, vt illū per afflictiones & mortem probrosam in regnum suum ascensurum doceant. Dauid certè: Reges & principes vnà cum populis aduersus illum conspiraturos, & ipsos architectos lapidem illum reprobaturos esse ait, qui caput anguli

Ioan. 10. 12. etc.

Psal. 2. 118. & 22.

guli fieri debeat. Et idem in Psalmo supra citato de suis quidem miserijs loquitur, multa verò dicit, quæ ipse nunquam passus fuit, & proinde de Christo exponi debent, cuius typum ille gerebat. Isaias verò de Messiæ morte & omnibus quæ in hanc inciderunt, adeò perspicuè vaticinatur, vt Hieronymus non temerè dubitarit, an illum in prophetarum vel potius Euangelistarum numero collocaret. Isa. 54.
Daniel item Messiam excindendum dixit, & quo tempore illud fieri oporteat, disertè annotauit. Dan. 9.
Apud Zachariam verò Iehosua sacerdos, qui Christi typus erat, in vestitu sordido conspicitur, & Zach. 3.
ibidem lapidi confertur Messias, in quo cælaturam, id est, stigmata & vulnera fieri oporteat. Idem Zach. 9. & 13
propheta regem quidem vocat Messiam, sed humilem describit, & qui nullo cum fastu asinæ pullo insidens vrbem sit ingressurus, et de eodem paulò post dicit: Excitare ô gladie super pastorem meum, & super virum coæqualem mihi, dicit Dominus exercituum: percutiam pastorem, & oues dispergentur, &c. Hæc & alia huius generis infinita cùm apud prophetas extent (quos Petrus quoq; Christi afflictiones prædixisse testatur) turpis & nulla excusatione digna fuit sacerdotum & scribarum ignorantia, qui ex crucis ignominia colligunt ipsum pro Rege Israelis non debere agnosci. Deinde malitiam quoq; & impietatem suam produnt, quando se illi credituros dicunt, si de cruce descendat. Atqui multa viderant ab illo fieri præclariora, & quæ de ipsius diuina virtute luculentius multò testabantur, quando nimirum morbis incurabilibus sola verbi virtute medebatur, spiritus immundos eijciebat, & vita defunctos miraculosè in vitam reuocabat. Sed & tertio die post maius quiddam fecit, quando disruptis mortis compedibus & vinculis è sepulchro rediuiuus prodijt, & suæ maiestatis fulgore custodes propè exanimauit. Num verò his visis & auditis crediderunt? Nequaquam. Imò milites pecunia corruperunt, vt illius resurrectionem mendacijs sepelire possent, sicuti antea Lazaro etiam insidiati fuerant, vt huius resuscitati miraculum obliterarent. Turpissime ergo mentiuntur, quando se credituros dicunt, si ex cruce descendat, & animos produnt omnino incurabiles. Tertiò quòd populus illi vsurpati filij Dei nomen exprobrarat, isti quoq; repetunt, sed amarulentia maiori fidem quoq; in Deum ipsi vitio vertunt, dicentes: Confidit in Deo, liberet illum nunc, si vult eum: Dixit enim, Filius Dei sum. O impias voces, & plus quàm diabolicæ impietatis testes. Quid enim magis diabolicum est, quàm afflicto & omni humana ope destituto fiduciam & spem in Deum exprobrare & vitio vertere, quam omnis scriptura docet, & quam gentes quoq; vnicum malorum huius seculi solatium esse dixerunt, sicuti ex poetarum fabulis de Pandora colligi potest? Cæterum similes horum sunt, quicunq; pijs in afflictione constitutis insultant, & pro suo arbitrio signa exigunt, & Dei fauorem ad præsentem necessitatem astringunt: quasi is nunquam iuuare velit, si nunc nos suo auxilio destitutos diutius periclitari patiatur. Hîc autem fideles meminerint, fieri non posse, vt suorum curam Deus abijciat, quos filij sanguine redemptos voluit. Promissiones autem huius vitæ prout nobis opus esse videt, moderatur, & interdum cruce & tentationibus nos exercet, vt carnis proteruientis contumacia magis coerceatur. Nunquam ergo Dei promissiones ipsi ad præsens tempus restringere, nec Deo imperiosius præscribere debemus, quid in nobis liberandis faciat, sed illius bonitatem expectare cum spe & silentio, quæ vnica & optima est ratio, quæ & afflictiones nobis leuiores facit, & nos promissæ à Deo liberationis quàm citissimè consortes reddit.

Matth. 28. Ioan. 12. 1. Pet. 1. Isaiæ 49. Psalm. 103. Psal. 62. Isa. 30.

Porrò ne quod hominum genus tam nefandi sceleris expers esset, latrones quoque illi conuiciatos fuisse dicitur. Id verò per Synecdochen vel Enallagen numeri exponi debet, quia ex Luca constat, hoc ab vno tantum factitatum fuisse. Nec tamen inter Euangelistas contradicentia statui debet, quæ illorum scriptis fidem aliqua ex parte deroget. Matthæo enim & Marco non hoc propositum fuit, vt vel insontem falso crimine grauarent, vel totam illam actionem, quæ latronibus intercesserat, ex ordine describerent: sed vt docerent, conuiciandi libidinem eò vsq; progressam fuisse, vt inter facinorosos quoq; repertus sit, qui inter medios sui corporis cruciatus linguam impiam aduersus Christum laxaret. Sunt hæc dira & horrenda admodum, sed meminisse oportet (quod initiò monuimus) ad nostræ redemptionis negotium ista pertinere: & nobis eorundem hunc vsum esse debere, ne offendamur, si hodie etiam vel doctrinam Christi, vel huic addictos fideles, similibus probris & conuicijs peti videamus. Vicit olim hæc omnia Christus, & mox angelorum vocibus celebratus est, qui nunc ista passus fuerat. Vincent in eodem etiam pij, & quæ in hoc mundo sustinent opprobria æternæ beatitudinis gloria olim compensabuntur.

3. Latro in Christum conuicia iacit.

(2) Malitia sacerdotum [handwritten marginal note, partly illegible]

3

Actio latronum ex Lucæ 23.

Quia autem hoc loco duorum latronum actio incidit, qua nihil memorabilius habet tota hæc passionis Dominicæ historia, si ea spectes, quæ ab hominibus dicta vel facta sunt, minimè conuenit, vt illam silentio prætereamus. Sic verò illam Lucas descripsit: Vnus autem sceleratorum, qui suspensi erant, conuiciabatur ei, dicens: Si tu es Christus, serua teipsum & nos. Respondens autem alter increpabat eum, dicens: Ne Deū quidem tu times, cùm in ipsa damnatoine sis? Et nos quidem iustè, nam digna factis recipimus: hic verò nihil mali gessit. Et dixit ad Iesum: Domine, memento mei, cùm veneris in regnū tuum. Dixit illi Iesus: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. Continet ista historiæ pars quæcunq; de nostra redemptione dici possunt. Et quia Dei filius in mundum venerat, vt mortis suæ merito peccatores saluos faceret, exemplum eiusmodi in mortis suæ historiam incidere voluit, in quo, ceu in tabula, videremus ipsum peccatores ad se conuersos non aspernari, & quæ vera sit ratio, qua salutis in ipso exhibitæ cōsortes fieri possumus. Quæ omnia, vt rectius intelligantur, primò latrones hosce consyderabimus, quorum alter in peccatis mortuus est, alter verò salutem in Christo inuenit. Deinde qualem se huic Christus præbuerit, videbimus.

Latrones typus humani generis.

Quoad latrones, præsens hæc illorum conditio humani generis typum nobis exhibet. Fuerunt hi peccatores insignes, & cùm vitam hactenus in omni flagitiorum genere exegissent, nunc dignas sceleribus suis pœnas exoluunt. Eadem est omnium nostrûm conditio. Etsi enim non omnes flagitijs atrocioribus obnoxij simus, qualia ab istis fuerunt designata, peccatores tamen sumus, & figmenta cordis nostri (vt Deus inquit) ab ineunte ætate mala sunt. Adhæc nostrorum peccatorum pœnas quotidie exoluimus. Per peccatū enim mors intrauit, & propter peccata Dei ira venit super omnes filios inobedientes: adeò vt quicquid in orbe est malorum, siue fames, siue egestas, siue morbi, siue bella, siue curæ & solicitudines, quicquid deniq; vel corpus vel animū excruciat, illud omne peccati pœna censeri debeat. Neq; ista modò meruimus, quæ in præsenti vita incidunt, sed simul damnationis æternæ supplicio subiacemus, id quod sancti omnes agnouerunt, quorum voces sunt: In iniquitate formatus sum, & in iniquitate concepit me mater mea. Non ambules in ius cum seruo tuo, quoniam non iustificabitur coram te vllus viuens. Item: Si iniquitates obseruaueris ô Deus, quis consistet? Vt autē medius inter latrones hosce Christus pendet, & expansis vtrinque brachijs vtrunq; quodammodo ad sese inuitat: Ita Dei filius in medio seculorum homo factus, & in medio orbis habitati immolatus, manus suas saluificas ad omnes extendit, & per Euangelij prædicationem omnes laborantes atq; oneratos ad sese inuitat, & in se credentibus vitam & salutem æternā pollicetur. Et huc etiam Apostolus respexisse videtur, quando Christum inter Galatas crucifixum fuisse scribit, nimirū quòd crucis illius meritum ipsis etiam per Euangelium esset prædicatum. Est hoc in eum finem obseruandū, ne nostræ perditionis causam vel in Dei nimiū rigorem, vel etiam in Christum reijciamus, quasi ille malignior meriti sui fructum nobis inuideat. Quòd enim pleriq; à salute excidunt, ideò fit, quòd maior hominum pars latronem priorem imitantur. Luit ille quidem suorum scelerum pœnas, sed se à Deo puniri non intelligit, & proinde nec deum timet, nec sub illius potenti manu humiliatur, nec de conuersione ad illum cogitat. Et Christum quidem sibi corpore etiam præsentem habet, sed in illo non nisi carnalia quærit, & proinde de merito ipsius & salute æterna nihil est solicitus. Quare dum nihil in Christo inuenit, quod affectibus carnis arrideat, in aperta quoq; cōuicia erumpit, & quasi cum illo expostulans ait: Si tu es Christus, serua teipsum & nos. Tales hodie multi sunt, qui etsi dei virgas sentiant, causas tamen illarum, sua nimirum peccata, non agnoscunt, & proinde nec conuertuntur ad eum, qui ipsos percutit (sicuti per Isaiam de nōnullorum contumacia Deus quæritur) sed doloris impatientia superati contumaciter cum illo litigant, adeoq; horrendis blasphemijs restinguere conantur conscientiæ æstum, quem horribilis iudicij diuini conspectus in illis excitat.

Genesis.8. Rom.5. Colos.3.

Psal.51. & 143. & 130.

Matth.11. Ioā.3.5.6.&c. Galat.3

Prior latro typus reproborū.

Isaie 9. & 10.

Alter latro typus veræ pœnitentiæ.

Videamus ergo alterum latronem, qui veræ pœnitentiæ typum nobis exhibet. Primò enim vera peccati cognitione tangitur, quod ex eo patet, quòd & sua peccata publicè fatetur, & socij sui impietatem palàm corripit, cupiens nimirum salutis consortem habere quem scelerū socium habuerat. Ne deum quidem tu times, cum in ipsa damnatione sis? Vbi pulchre omnium scelerum fontem indicat, animum nimirum dei timore vacuum. Fieri enim nequit, quin pro affectuum libidine in omne scelus ruant, qui frenum hoc semel excusserunt, quo vno homines in officio contineri possunt. Amplificat autem socij impietatem temporis & loci circumstantia, quòd ne nunc quidem dei timore tangatur, quando

quando illius iudicium sentiat, & suorum scelerum pœnas exoluat. Deinde non sua modò & socij peccata fatetur, sed insuper innocentiæ Christi publicum fert testimonium: Hic (inquit) nihil mali fecit. Grauis vox & laude immortali dignißima. Dum enim Christo patrocinatur, sacerdotum & Pilati iniustitiam accusat, qui insontem tam crudeli supplicio adiudicarint. Et hîc simul videmus, quales ferè Christus patronos habeat. Damnarunt illum publica Concilij totius authoritate sacerdotes & scribæ cum senioribus. Innocentem Herodes suo patrocinio destituit, Pilatus insuper supplicio addicit, milites damnatum scurriliter rident, conuicia in illum iaciunt omnis loci ordines. Solus latro horum omnium iudicia damnat, & ex cruce tanquam suggestu illius iustitiam simul & vim saluificam prædicat. Non est ergo quòd hodie cultorum & præconũ Christi vel ignobilitate vel paucitate offendamur. Nam infirma & ignobilia huius mundi eligit Deus, vt impiorum fastũ & potentiam confundat. Et Christus alibi publicanos & meretrices, quoad salutis & regni Dei cognitionẽ, sacerdotibus & scribis anteponit. Tertiò fidem quoq; exerit latro hic, qua nescio an vlla vnquam nobilior & luculentior fulserit, si vel ipsum latronem, vel præsentem Christi conditionem, vel etiam latronis petitionẽ consyderes. Nam inter acerbißimos cruciatus & extremos mortis dolores ad Christum confugiens ait: Domine, memento mei, cùm veneris in regnum tuum. Et hæc quidem illi dicit, quem eiusdem supplicij socium vnanimi omnium consensu damnari & rideri, & iamiam moriturum esse videbat. Vitam ergo in morte Christi sperat, & regnum eius morte non finiri, sed potius inchoari & confirmari intelligit. Imò illi, quem omnes vt vanum & impotentem conuitiabantur, regnum tribuit, in quo suos tueri, & iam defunctos hac vita beatos reddere poßit. Magna certè & incomparabilis fidei vis in illo homine fuerit oportet, qua per tot obstacula eluctari, & Christum qui in cruce pendebat, iam tamen in cœlis regnantem videre & apprehendere potuit.

1. Corinth. 1.
Matth. 21.

Admonemur autem exemplo hoc, quæ vera & solida sit salutis consequendæ ratio. A peccatorum cognitione initium fiat oportet, quia sine hac de salute ne cogitabimus quidem. Hæc verò non ex carnis sensu & mundi iudicio, sed ex lege Dei petenda est, quæ sola infallibilem regulam exhibet, ad quam nostra tum dicta tum facta omnia examinare poßumus. Cognitioni huic publica quoq; confeßio accedat, maximè quando suum in nos iudicium stringit Deus, ne maiorem nostri nominis, quàm gloriæ Dei rationem habere videamur. Inter has verò animi pœnitentis & æstuantis angustias non desperemus de gratia Dei, sed Christum apprehendamus constanti fide, qui suæ mortis merito peccatum omne sustulit, suæ autem resurrectionis virtute mortis imperium aboleuit, & iam regnum suum ingressus omnem potestatem accepit in cœlo & in terra. Et hæc quidem omnia vna & sola fides præstat, quæ & nostram corruptionem nos agnoscere docet, & pœnitentiam in nobis veram excitat, & Dei bonitatem in Christi merito apprehendit: Vnde etiam sola hæc iustificare & saluare dicitur.

Ratio uera salutis consequendæ.
Rom. 7.
1. Cor. 15.
Matth. 28.

Sed vt luculentius ista intelligantur, Christum quoq; audiamus, qui mira & incredibili facilitate latronem ad se conuersum excipit. Amen dico tibi (inquit) hodie mecum eris in paradiso. Aurea vox, & quæ nunquam satis expendi poßit. Primò enim nullam cum illo litem instituit, non altercatur, non quicquam exprobrat, sed amicè & paternè compellat, & promißionem contestatione sanctißima confirmat. Verè ergo neminẽ ad se venientem foras eijcit, sicuti in Euangelio pollicetur: & proinde nec nos repulsam metuere debemus, si per illum ad gratiæ thronum accedamus. Deinde salutem præsentem promittit, cùm ait: Hodie mecum eris in paradiso. Elucet hîc sacerdotij & regni Christi virtus, quæ cùm in cruce sese exeruerit, multò magis hodie ad salutem omnibus sufficiet, qui ad ipsum confugiunt. Obseruabis autem, quòd absq; omni exceptione & nulla ampliori satisfactione imposita illum à culpa simul & pœna liberat: nimirum exemplo hoc generalem illam promißionem confirmans. Amen dico vobis, qui verbũ meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam, & in iudicium non veniet, sed transiuit à morte in vitam. Corruit ergo hîc purgatorius ignis, quo hominum animas lustrari dicunt, qui ex simplici vulgo quæstum venantur. Nec est, quòd exemplum hoc speciale fuisse dicant, quando illud cum generali promißione conuenire constat, quam simul hoc exemplo confirmatam fuisse, modò diximus. Sed & omnis scriptura solius Christi sanguine peccata expiari, nosq; ab illis purgari docet. Baptista clamat: Ecce agnus ille Dei, qui tollit peccatum mundi. Cui dilectus ille Christi discipulus consentiens, ait: Sanguis filij Dei emundat nos ab omni pecca-

Christus latroni salutem pollicetur.
Ioan. 6.
Ioan. 5.
Ioan. 1.
1. Ioan. 1.

Psalm.51. to. Dauid etiam se à Domino lauari petebat, & ita se niue candidiorem fore testabatur. Omitto in-
Hebr.9.10.etc. finita loca, & multorum instar esse possunt, quæ in Epistola ad Hebræos de redemptione per Christum facta scribuntur. Præterea salutis modum quoque exprimit, dicens: Mecum eris in paradiso. Paradisi voce locum beatitudinis æternæ intelligit, & gloriæ suæ consortem fore policetur, qui ipsum in cruce per fidem apprehenderat. Rursum ergo ipsi applicat, quod alibi generalius omnibus promittit, qui in ipsum credunt. Volo (inquit) pater, vt vbi sum ego, etiam ij sint, quos dedisti mihi. Et Apostoli vox est: Si cum illo morimur, cum eodem viuemus: & si cum illo patimur, eidem conregnabimus. Debent ista nobis semper ob oculos versari, quoties pericula & afflictiones imminent. In mortis autem articulo cumprimis hoc consoletur, quòd & animas à corpore digressas viuere, & ijsdem apud Christum in cœlesti patria locum esse scimus. Curandum tamen, ne cæcis carnis affectibus abrepti, exemplo hoc ad peccandi licentiam abutamur, sed mortificatis quotidie membris carnalibus in Christo resurgamus, vt tandem emenso huius vitæ curriculo cum illo in cœlis viuamus. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Ioan.27.
2.Timoth.2.
Rom.6.

HOMILIA CXXXI.

Cùm uerò aduenisset hora sexta, tenebræ factæ sunt super totam terram usq; ad horam nonam. Et hora nona clamauit Iesus uoce magna, dicens: Eloi, eloi, lamma sabachthani? quod est si quis interpretetur: Deus meus, Deus meus, cur me deseruisti? Et quidam astantium cùm audissent, dicebant: Ecce Eliam uocat. Cucurrit autem quidam, & impleta spongia aceto, & circumposita calamo, dedit ei potum, dicens: Sinite, uideamus an ueniat Elias ad deponendum eum. Iesus autem emissa uoce magna expirauit. Et aulæum templi fissum est in duo, à summo usque ad imum. Cùm uidisset autem Centurio, qui astabat ipsi ex aduerso, quòd ita emisso clamore expirasset, dixit: Verè homo iste filius erit Dei.

Argumentum & vsus præsentis loci. Jo: 12

Dominus & saluator noster Iesus apud Ioannem ait: Ego si exaltatus fuero à terra, omnes traham ad meipsum. Quibus verbis effectum quidem & fructum mortis suæ exprimit, simul verò docet, hanc gloriosam & sibi honorificam fore, vtut mundi iudicio infamis putetur. Verè autem hoc ab ipso dictum fuisse, multis argumentis patet, maximè tamen ex ijs quæ ipsum mortis illius articulum comitata & consecuta sunt. Voluit enim in hac signa quædam plena terroris edi Deus, quæ 1 primùm Christo innocentiæ & diuinitatis testimonium ferunt, & proinde fidem nostram aduersus crucis scandalum mirificè confirmant: deinde 2 mortis ipsius fructum indicant, & quid nobis ex ea boni sperandum sit docent. Quare in eorum tractatione ita nobis versandum est, vt Christum Iesum agnoscamus redemptorem nostrum esse, & in eiusdem exemplo discamus, quàm fideliter Deus suos curet, quos inter medias mortis angustias paterno suo fauore tuetur. Et hæc quidem euidenter patebunt, si singula ex ordine videamus.

Tenebræ trium horarum.

Primò ab hora sexta vsq; ad nonam tenebræ factæ fuisse dicuntur super totam terram. Id plerig; de sola Iudæa intelligunt, eò quòd nullum huius prodigij testimonium apud scriptores vel Latinos vel Græcos extet. At eadem ratione tota Christi historia in dubium vocari poterat, cùm de illo à prophanis historicis nihil ferè proditum sit, præter illa paucula, quæ apud Iosephum habentur, qui tamen nec huius quoq; prodigij mentionẽ fecit, cuius nõ potuit non recens esse illo viuente apud omnes memoria. Quare ergo illorum sententiæ potius accedo, qui Euangelistas de toto orbe terrarum loqui arbitrantur. Suffragatur illis Luciani martyris testimonium, qui pro Christi fide mortem iam aditurus dicendi potestate sibi facta, inter alia hoc quoque dixisse legitur: Solem vobis ipsum horũ (quæ nimirum de Christo dixerat) produco testem, qui cùm hæc fieri per impios videret in terris, lumen suum meridie abscondit in cœlo. Requirite in Annalibus vestris, inuenietis temporibus Pilati, quando Christus patiebatur, fugato sole interruptum tenebris diem, &c. Quòd verò alij scriptores nullã huius rei mentionem faciunt, vel quòd eorum scripta interciderunt, qui ista annotarant, non nouum est aut

Euseb.lib.9. cap.6. Luciani martyris testimonium

est aut insolens, quando hoc ipsum in multis alijs accidit. Nam vt satan curauit obliuione & ignorantia sepeliri ea, quæ ad Christi illustrationem faciunt: ita Deus ex authenticis Apostolorum libris ea ipsa nos discere voluit, non ex prophanis scriptoribus ne quis illa hominum authoritate niti putaret. Non oscitanter verò obseruuari debet, quòd tenebras hasce in luminarium oppositione contra naturæ leges incidisse omnes vnanimi consensu fatentur. Prodigiũ ergo fuit singulare, quo Deus primò Iudæorum animos nimium stupidos excitare voluit, vt saltem ex tenebris repentè & præter naturæ cursum exortis cernendi occasionem acciperent, qui hactenus in media luce cæcutierant. Deinde docet, quantum illud Iudaicæ gentis scelus fuerit, quo promissum redemptorem abnegarunt, & quàm atrociter peccent omnes illi, qui eundem aspernantur atq; reijciunt. Faciunt hoc, qui Euangelij doctrinam persequuntur, qua ille se nobis offert, & illam contumeliosè oppressam, imò funditus extirpatam volunt. Abhorret à scelere tanto Sol, nec sui creatoris ignominiam ferre potest. Et iidem digni sunt, quibus & corporis & animi lucem Deus eripiat. Est enim Christus sol æternus iustitiæ, & lux illa mundi, quæ sola ducit, ne tenebrarum potestate obruti pereamus. Hanc ergo quotquot fastidiunt, hi sanè merentur, vt omne calamitatis genus sentiant, & post infelicem conscientiarum carnificinam in tenebras exteriores eijciantur, vbi æternus est ploratus & stridor dentium. Ioan. 1. 8. 9. 12. Ambulemus ergo (sicuti ipse admonet) dum lucem habemus, ne tenebræ illæ horribiles & exitiales nos occupent. Ioan. 12. Non vanam enim fuisse in Iudæis prodigij huius comminationem, res ipsa testatur, quando in hunc vsq; diem vero scripturarum sensu destituti, fame autem verbi Dei (quã olim Amos ipsis minatus est) irritati per Rabinorum suorum tenebras plus quàm Cimerias miserè ac infeliciter oberrant. Amos 7.

Secundò circiter horam nonam, cùm iam trium horarum spatio dolores infandos sustinuisset Christus, exclamat: Eli eli, lamma sabachthani, id est, Deus meus, Deus meus, cur me deseruisti? Eli eli lamma sabachthani. Desumpsit verba hæc ex Psalmo vigesimo secundo, in quo Dauidem Christi typum gessisse proximis duobus sermonibus diximus. Et hîc cauendum est diligenter, ne eos audiamus, qui Christum ista vel in aliena persona locutum esse, vel alioqui aliquid simulasse dicunt, vt illum à desperationis culpa liberent. Quia enim veritas ipsa est Christus, simulatio nulla in illum cadere potuit, imprimis quando nostræ redemptionis negotium peragebat, quo tempore cumprimis illud præstandum fuit, quod de illo Isaias olim prædixerat: In ore eius non inuentus est dolus. Isaiæ 53. Fuit ergo hæc vox animi verè dolentis, qui inter corporis dolores incomparabiles simul etiam iræ Dei sensu afficiebatur, & inter desperationis terrores quasi fluctuabat. Neq; illud à Christi filij Dei persona alienum censeri debet. Quia enim peccata nostra ille in se susceperat, & proinde illorum reatu tenebatur, pœnam quoq; peccati illum sentire oportuit, vt plena & sufficiens esset expiatio illa, quæ ex mortis ipsius merito dependet. At peccata non corporis modò dolores, sed horribiles & humano sensu grauiores cruciatus mereri, scriptura passim testatur, & multi experiuntur, qui inter conscientiæ terrores constituti luctam illam fidei & desperationis sustinent. Christo igitur in cruce pendenti horribile Dei iudicium obuersabatur, quod illum omni externo præsidio destitutum eiusmodi voces eiaculari coegit. Nec tamen idcirco desperationi succubuit, sed cum illa ex fide constanter luctatus, imò superior factus est, sicuti hæc ipsa verba satis testantur, & quæ paulò post secuta sunt. Nam etsi carnis sensus suggereret, ipsum à Deo patre derelictum esse, fidei tamen constantis & victricis argumentum est, quòd Deum suum vocat, & proinde talem agnoscit, ad cuius opem in illa necessitate confugere debeat.

Porro tentationis huius acerbitatem vehementer auxit militum petulantia, qui tam ardentibus precibus ad deum clamanti illudunt, & quantum in illis est, precandi fiduciam, quod vnicum illi restabat solatium, eripiunt. Milites Christi precibus illudunt. Nam ad vocem Eli alludentes, Eliam ab ipso inuocari dicunt: & sitienti rursus acetum propinant, siue vt mortem ipsius accelerent priusquam Elias ipsi subuenire possit, siue vt ipsum recreent per ludibrium, vt interea dum Elias venit, dolores tantos sustinere queat. Quid verò homini grauius & molestius accidere potest, quàm si inter precandum ea objiciantur, quæ dei à nobis abalienati indicia videri possunt? Deum patrem inuocat, & se ab illo derelictũ queritur. Diceret aliquis necessitatem iam postulauisse, vt Deus cælitus exerta manu filium suum ex tam acerba lucta assereret. At potius diuersum fieri videtur. Acetum enim illi propinant milites, &

quouis aceto austerius est ludibrium, quo preces ipsius in sensum non modò alienum, sed impiũ plane detorquent, quasi nimirum ipse etiam relicto Deo vero à creaturis auxilium petat.

Fructus tentationum Christi.

Interim huius tentationis fructum nos expendere conuenit, qui multus est & eximius. Primò enim docemur, nec nouum nec insolens videri debere, si quid simile nobis etiam contingat, vt vndiq, Dei irati signa sensibus nostris occurrant, & simul conscientia propria nos ab illo derelictos esse testetur, adhæc satan & mundus hoc ipsum nobis ogganniant. Senserunt olim hæc ipsa sancti, quorum uoces sunt: Quò vsq, mei obliuisceris Domine? num perpetuò? quò vsq, faciem tuam à me abscondis? Quò vsq, tandem ô Domine? succensebis ne perpetuò? ardebit ne vt ignis zelus tuus? Hæc verò dum animis nostris obuersantur, Christi exemplum occurrat, qui etsi dilectus ille esset Dei filius, eandem tentationem sustinuit. Minimè ergò Dei à nobis alienati indicium est, si & nos idem patiamur: sed dum iræ suæ & inferorum terrores nostris conscientijs Deus obijcit, carnis stuporem ea ratione excutere vult, & animos nostros ad ardentius gratiæ suæ & salutis æternæ studium excitare. Tunc ergo alterum quoq, accedat, vt nimirum Christi exemplum imitemur, & principium illud fidei inconcussum seruemus, quod Deum nostrum esse testatur. Argumenta huius certissima & infallibilia sunt, quòd nos cum nulli essemus, in Christo elegit, priusquam mundi huius fundamenta iacerentur, quòd ex gratia creauit, quòd lapsos filij sui sanguine redemit, & ex verbi sui semine regenuit, quòd in filiorum suorum numerum adoptatos Christi cohæredes fecit, quòd deniq, patris nomine à nobis inuocari vult, & paterni erga nos animi fauorem beneficijs quotidianis exerit. Accedunt his promissiones, quæ in scripturis habentur. Apud Isaiam pijs se ab ipso derelictos esse dicentibus respondet. Num obliuiscitur mulier infantis sui, quò minus misereatur filij vteri sui? Sed esto, obliuiscantur illæ, ego tamen tui nõ obliuiscar. Ecce in manibus istis ambabus insculpsi te, &c. Et rursum: Pusillo momento dereliqui te, at in miserationibus multis colligam te. Per momentum quo irascebar abscondi vultum meum à te, sed misericordia sempiterna miserebor tui, ait redemptor tuus Dominus. Quid? nonne ipse Christus, se minimè passurum dicit, vt quisquam oues suas è manibus suis eripiat? Facit etiam ad huius consolationis confirmationem, quòd vbi acetum gustasset (vt Ioannes annotauit) dixit, Consummmtum est. De ijs enim hoc testatus est, quæ de nostræ redemptionis negotio Deus ab æterno constituerat, & quæ iam inde ab exordio mundi promissa & à prophetis prædicta fuerunt, & quorum executorem ipsum fieri oportuit. Iam igitur impletas esse dicit promissiones vnà cũ typis in lege propositis & prophetarum oraculis omnibus. At si illa tunc impleta fuerunt, iam vtiq, nobis placatus est Deus pater, salus item nobis parta est, nec aliquid causæ est, quòd de gratia Dei posthac dubitemus, aut nouis sacrificijs vel satisfactionibus opus esse arbitremur. Nam vt illa voce salutis nostræ certitudinem confirmat, ita simul mendacij arguit omnes eos, qui noua pro peccatis nostris sacrificia & nouas satisfactiones excogitauerunt. Vides ergo quantum consolationis hæc Christi vox nobis exhibeat, quæ primo intuitu desperationis plena esse videtur.

Psalm. 13. 79.

Ephes. 1.
1. Pet. 1.
Rom. 8.
Galat. 4.
Isaiæ 49.

Isaiæ 54.

Ioan. 10.

Consummatum est.

Christus animam patri commendans moritur.

Sequitur tertio loco: Iesus emissa voce magna expirauit. Qualis autem hæc eius vox fuerit, & quid clamarit, apud Lucam habetur, qui illum dixisse scribit: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Quæ vox iterum testatur, Christi fidem in tentatione, quæ modò exposita est, nequaquam fuisse superatam. Vt verò se verè mori testatur, ita diuinæ virtutis argumentum denuò exhibet, dum prætr hominum morem in extremum vsque halitum sensibus & horum organis integris vtitur, vt clamori tanto sufficiant, & spiritum suum propria potestate dum ipse vult efflat, sicuti antea dixerat: Nemo tollit animam à me, sed ego pono eam à meipso. Interim de animarum conditione his locus nos admonet. Christum enim humanam quoq, animam assumpsisse alibi diximus, & idem quas in ea sustinuit passiones abunde testantur. Hanc verò ipse spiritum vocat, & eandem iam moriturus Deo patri commendat. Animæ ergo nostræ spiritus sunt quoad essentiam suam, & à corporibus digressæ non euanescunt nec pereunt, sed superstites viuunt. Docent hoc Christi verba, qui in se credentes à morte in vitam transire dicit, quod de sola anima potest intelligi, eò quòd corpus prius resolui & corruptibilitatem omnem exuere prius oportet, vt in nouissimo die incorruptibile & gloriosum resurgat. Et Paulus Apostolus dissolui cupit, & esse cum Christo, nimirum quòd animam corporis ergastulo liberatam in beatorum sedes ad Christum transiturum sciret. In Euangelio item Lazarum, id est, animam Lazari in sinum Abrahami deportatum fuisse legimus. Confutantur his il-

Ioan. 10.

Ioan. 5.
1. Corinth. 15.
Phil. 1.
Luc. 16.

bis illorum deliria & impia commenta, qui animas, vbi à corporibus migrarunt, vel dormire, vel etiam intermori aut euanescere aiunt, quasi inter hominis bruti animantis animam nihil sit discriminis. Student quidem impij homines eiusmodi fabulis conscientiæ terrores eludere, qui inuitis quoq; occursant: at quàm vana sint ista solatia, olim magno suo malo experientur: & plerunq; tales iam morituri animæ terrores sentiunt, & quia de eius salute nihil norunt, in voces desperationis plenas erumpunt. Exemplum huius rei in Ælio Adriano Imperatore habemus, qui cùm bonis literis instructissimus esset, Christi autem & æternæ salutis cognitione destitueretur, moriturus hosce versiculos recitabat: Aelius Adrianus imperator.

Animula vagula, blandula,
Hospes comesq; corporis,
Quæ nunc abibis in loca?
Pallidula, rigida, nudula,
Nec vt soles, dabis iocos.

O miserum & infelicem Imperatorem. Animam corpori superstitem fore videbat, quò autem migratura esset videre non poterat, & proinde de illius discessu queritur. Quantò melior Christianorum conditio, qui & animas viuere, & illis cum Christo locum in cœlis paratum esse intelligunt? Firmiter ergo teneamus spem istam, & Christi exemplum imitati, in mortis articulo animas nostras similiter Deo patri & Christo redemptori commendemus. Hic enim mortis Christi fructus est, quòd nobis eam potestatem suo merito impetrauit, vt illud nobis tutò liceat, iuxta illud: Volo vbi ego sum, ibi etiam sit minister meus. Hæc vt morituris consolationem firmissimam exhibent, ita quæstuosas superstitiones monachorum & sacrificulorum euertunt, qui cum limbo purgatorium quoq; fabricarūt, & morituros animas suas, non Deo creatori, sed Diuæ virgini, aut Barbaræ, aut Christophoro aut alijs Diuis commendare docent: quod vt nulla scripturarum authoritate probari potest, ita Christi & sanctorum omnium exemplis aduersatur. Ioan.12.

Quartò, moriente Dei filio aulæum siue velum templi in duo scinditur à summo vsq; ad imum. Erat enim templū Iudaicum diuisum in Sanctum & Sanctum sanctorum. Pendebat inter hæc aulæum ingens & pretiosum, intra quod nemini mortalium ingredi licebat præter quàm summo pontifici, & quidem semel duntaxat in anno. Et quia interiori illa templi parte regnum cœlorum adumbrabatur, aulæo isto quod reliquos ab eius ingressu arcebat, admonebantur (vt Apostolus ait) nondum manifestatam aut patefactam esse viam sanctorum, consistente adhuc priori tabernaculo. Scinditur autem in Christi morte non sine miraculo velum hoc, vt discamus illius merito uiam cœlorum nobis aperiri, & per illum omnibus nobis iam licere, vt in Dei conspectum progressi coram illo intrepida fiducia consistamus. Sumus enim regale sacerdotium (vt Petri verbis vtar) & Christus omnes in se credentes Deo reges & sacerdotes fecit. Quòd si ergo in Christo patefacta est sanctorum via, et sublatum velum, quo à propiori mysteriorum salutis intuitu arcebamur, legales quoq; ceremonias simul abrogatas oportuit, eo quòd vmbris locus non aliquis conceditur, vbi ipsa veritatis lux sese oculis & sensibus nostris ingerit. Confirmatur ergo hoc veli scissi miraculo dictum Christi, quod supra ex Ioanne adduximus, quo redemptionis nostræ negotium iam consummatum esse testatus fuit. Et hoc illud est, quod Apostoli deinceps sua doctrina admodum diligenter illustrarunt, legis nimirum ceremonias in Christo sublatas, & nullum amplius illarum vsum esse, qui Christum nobis inutilem facere velimus. Quæ doctrina Iudæorum odia illis excitauit, & præcipua persecutionum causa fuit, quas Iudæis authoribus sustinuerunt. Quorum exemplo adhuc insistunt, qui hodie ceremonias plus quàm Iudaicas Pontificum superstitione & auaritia postliminiò reuocatas pertinacissimè tuentur, & ferro simul atq; igne persequuntur eos, qui in vnius Christi merito acquiescunt. At meminerint ijdem illi, hac veli scissura Iudæorum quoq; pœnas denotatas fuisse. Latuerant illi diu sub templi & cultus externi vmbraculo, & scimus Deum propter illum sæpe pepercisse vrbi Hierosolymæ, ne illa pereunte, nomen suum malè audiret apud gentes, quam rationem pij frequenter in precibus suis adducunt, quando pœnas imminentes, vel etiam nunc præsentes, deprecantur. At scinditur velum & simul abolentur legalia omnia, vt intelligant, Dei protectionē planè auferendam ab ipsis, nec illum passurum amplius, vt templo & ceremonijs ad peccandi licentiam abutantur, & sub his quasi in latronum spelunca delitescant. Et hoc fore olim Isaias prædixerat, quando templi simul & armorum fiducia elatis dicit: Reuelabitur operimentum siue velum Iuda, & respicies in die illa ad armamen-

Velum templi scinditur.
Hebr.9.
1.Pet.2.
Apocal.1.& 5.
Acto.6.7.&c.
Iere.7.
Isaiæ 22.

tarium domus saltus, &c. Hoc ipsum sibi applicent, quotquot hodie Christo relicto in inanibus ceremonijs salutis fiduciam collocant, & pro illis aduersus pios fratres crudelitate summa digladiantur.

Terræmotus &c.

Quintò terræmotum horribilem factum fuisse Matthæus scribit, cuius vi & petræ scissæ sunt, & sepulchra patefacta, ex quibus sancti aliquot resuscitati vrbem ingressi sunt, vbi multis apparuerunt. Notatur & hoc prodigio sceleris in Dei filium commissi indignitas, quam ne terra quidem & durissimæ petræ sustinere potuerunt: & impijs sua exprobratur durities, quos Christi passio minimè mouet, vt vel credant in Christum, vel illius nomen tum dictis tum factis suis prophanare desinant. Simul verò mortis Christi virtus exprimitur, quæ suo merito nobis vitam restituit, & eiusdem prædicatione totum orbem terrarum concussit & immutauit, vt gentium corda, quæ in superstitionibus & peccatis supra petras indurverant, non modò finderentur, sed illa toti emolliti, Abrahami filij fierent. Atqui hæc illa orbis commotio est, quam olim per Haggeum Deus prædixerat: Adhuc semel, idq; breui, ego commouebo cœlum & terram, & mare & continentem. Et commouebo omnes gentes, & veniet qui desideratur ab omnibus gentibus impleboq; domum istam gloria, dicit Dominus exercituum. Implentur hæc etiam hodie, adeò vt Christi gloria, quæ in eius morte sese exeruit, quotidie in uitis impijs omnibus illustretur.

Matth. 3.
Hag. 2.

Signorum in morte Christi effectus.

Restat videre, vt signis istis moti sint, qui illa viderunt. Vbi de sacerdotibus non opus est dicere, quos in cœpta impietate perstitisse ex ijs satis patet, quæ deinceps fecerunt. De Centurione autem, qui illi ex aduerso stetit (nimirum vt ex more supplicij executioni præesset) memorabile quiddam narratur: quòd cùm illum tanto cum clamore expirauisse, & signa reliqua simul incidisse videret, primò valde timuerit, deinde deum glorificarit, & ipsi Christo testimonium tulerit amplissimum, dicendo: Verè homo iste erat filius dei. Addit his Lucas: Et omnes turbæ, quæ conuenerant ad spectaculum illud, cùm vidissent quæ fiebant, percutientes pectora sua reuertebantur. Num verò iste momentaneus modò impetus ad pœnitentiam fuerit, non opus est curiosius disputare. Fateor equidem, illos nondum solida & perfecta Christi cognitione imbutos fuisse, quam ne Apostoli quidem tūc temporis adhuc habuerunt. At interim crediderim hæc non vulgaria fuisse principia, quibus excitati, postea fidei doctrinam facilius amplexi sunt: nec credibile est, deum sua gratia in posterum eos destituisse, quos nunc in ipso supplicij loco filij sui precones fieri voluit, vt illos rabioso sacerdotum furori opponeret. Admonemur autem horum exemplo, signa quæ præter solitum naturæ cursum fiunt, nequaquam à nobis oscitanter negligi debere. Nihil enim in terris fortuitò fieri, Christus docet, quando ne passerculos quidem absq; patris voluntate interire ait. Quin ipse de signis, quæ nouissimo tempore horribiles totius mundi motus & suum gloriosum aduentum præcessura sint, nos admonet, & illa obseruare iubet. Sed ô duritiem nostram. Prodigia quotidie cernimus, & nullum vnquam seculum fuit, quod plura nostro hoc viderit. Pleriq; tamen adeò obsurduerunt, vt illa aut planè negligant, aut scurriliter & impiè irrideant. Accusabunt hanc mundi impiam securitatem elementa, quæ iudiciorum dei sensu magis quàm homines permouentur. Commendatur præterea exemplo hoc admirabilis dei bonitas & precum Christi mediatoris nostri efficacia. Illum enim pro ijs intercessisse scribit Lucas, à quibus crucifigebatur, & dixisse: Pater, ignosce illis, nesciunt enim quid faciant. At non irritas fuisse preces istas, tum ex hoc militum exemplo patet, tum ex eo, quòd primis Apostolorum concionibus aliquot milia eorum conuersa fuisse legimus, qui in filij dei mortem conspirauerant. Solentur nos ista in conscientiæ tentationibus, quando fieri nequit, vt filij sui intercessionem pro nobis deus aspernetur nunc, postquam illi per eius mortem iam reconciliati sumus: qua de re alibi fusius est dictum. Amplectamur ergo constanti fide Iesum Christum, qui morte sua gloriosa peccatum omne sustulit, & nos sibi fecit regni sui cohæredes. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Prodigia non negligenda.
Matthæi 10.
Marc. 13.
Luc. 21.

Act. 2. 3. &c.

HOMILIA CXXXII.

Erant autem & mulieres eminus spectantes, inter quas erat Maria Magdalena, & Maria Iacobi parui & Iose mater, & Salome: Quæ etiam cùm esset in Galilæa, secutæ fuerant illum, & ministrauerant ei: aliæq; multæ

multæ quæ simul ascenderant cum eo Hierosolyma. Cùm autem serum diei iam esset (quoniam erat parasceue, hoc est antesabbathum) ueniēs Ioseph, ortus ex Arimathæa, honestus Senator, qui & ipse expectabat regnum Dei: fidenti animo introijt ad Pilatum, & petijt corpus Iesu. Pilatus autem miratus est si iam mortuus esset, & aduocato Centurione, interrogauit eum, an iamdudum mortuus fuisset. Et re cognita ex Centurione, donauit corpus Iosepho. Is autem emit sindonem, & depositum eum inuoluit sindone, deposuitq; in monumento, quod erat excisum è petra, & aduoluit saxum ad ostium monumenti. Maria Magdalena uerò, & Maria Iose, spectabant ubi poneretur.

ETsi Dei filius diram & infamem mortem subire, & in illa extremè humiliari voluerit, vt nos ab æternæ damnationis infamia liberaret: idem tamen vt scandalo crucis mederetur, inter moriendum diuinam suam potentiam & maiestatem multis argumentis palàm exeruit. Primò enim latroni suam opem imploranti inter extremos mortis dolores paradisum & vitam pollicetur, vt se vitæ & mortis Dominum esse ostendat. Deinde se illud non inani arrogantia & temeritate facere, sed reuera talem esse reipsa, id est, prodigijs omnem humanam potentiam superantibus testatur. Soli enim suum splendorem eripit, terram totam immani motu concutit, petras & cum his velum templi scindit, sepulchra recludit, animam suam propria potestate in manus Dei patris deponit, denique in ipsis hominum animis operatur, quos efficaciter mouet & immutat, vt ipsius innocentiam & diuinitatem publicè prædicent, qui paulò ante crudelissimi hostes scurrili licentia omne conuitiorum genus in illum effuderant. Accedit his omnibus sepultura, quæ (vt olim Isaias prædixerat) multis modis honorifica fuit, & sua magnificentia crucis probrum magna ex parte aboleuit. Vsus omnium est, ne crucis ignominia offendamur. Solet enim Deus suorum memoriam in hoc etiam seculo asserere & tueri, iuxta illud Psalmi: Iusti memoria æterna erit. Item, Iusti memoria laudem habet, impiorum autem memoria fordet. Si quam verò infamiam in præsenti sancti propter Veritatis confessionem sustinent, illam in cœlis Deus immortali gloria compensat. Quoad verò sepulturæ Christi historiam, primò personæ producuntur, quæ ad illam aliquid contulerunt: deinde qualis illa fuerit, narratur.

Argumentum & usus loci præsentis. Isaiæ 53. Psalm. 112. Psalm. 10.

Inter personas primo loco habemus mulieres, quæ in præsenti quidem nihil contulerunt, nisi quòd eminus & mortis supplicium & sepulturam spectarunt, multum autem facturæ erant, nisi illas sua resurrectione Christus præuenisset. Fuerunt inter has Maria Magdalena, sic dicta ab urbe Magdalo, vbi nata fuerat, Maria item Iacobi parui & Iose mater, quam Cleophæ vxorem & Diuæ virginis sororem fuisse Ioannes scribit. Additur his Salome, de qua nihil certi in scripturis præterea traditur. Lucas simpliciter mulieres dicit, quæ ipsum ex Galilæa vsque Hierosolymam fuerint secutæ, vnde præter has etiam alias multas affuisse Marcus ait, eò quòd in vltima illa profectione comitatum ipsius maximum fuisse constat. Sed & notos eius cum illis stetisse Lucas scribit: Ex omnibus tamen solæ mulieres istæ nominatim producuntur ab Euangelistis, tum quòd illarum fides illustrior fuit, tum vt tacita comparatione discipulis opponantur, qui tunc maximè suam infirmitatem prodiderunt, quando ipsorum fides cumprimis lucere debuit. Et sanè eximium fidei veræ & constantis exemplum in mulieribus istis spiritus sanctus proponit. Illas enim iampridem Christo ministrauisse, & aliquas illarum ex suis facultatibus ipsum aluisse, Lucas testatur. Nec tamen istis officijs fatigatæ: sed eundem relictis rebus suis omnibus Hierosolymam vsq; secutæ sunt, nec illas absterruerūt frequentes & tristes admodum Christi conciones, quas in ea profectione de sua morte habuit. Adhæc cùm illum in hostium immanissimorum manus venisse, & ab illis ad crudele & infame crucis supplicium abripi viderent, ne hoc quidem illas offendit, sed quem docentem & miracula facientem obseruarant, nunc etiam piè diligunt, & cùm non alia re possint, saltem sua præsentia illius dolores subleuant. Imò ne mortuum quidem derelinquunt, sed sepulturæ locum diligenter obseruant, vt quod vnicum restabat officium illi præstare possint. Ardentissimam ergo & constantissimam fuisse oportet fidem illarum, quæ per tot laborum, sumptuum, & periculorum obstacula, adhæc per crucis infa-

Mulieres sepulturæ Christi spectatrices. Ioan. 19. Luc. 8. Luc. 9. 19. &c.

miam, quæ Apostolis ipsis scandalo fuit, eluctari potuit, ne deficeret. Nobis autem illas in exemplum proponi cogitemus, vt vbi Christo nomen dedimus, forti constantia in finem vsq; perseueremus, nec vllis remoris nos patiamur impediri vel abstrahi. Nam vt Christus ait, Nemo qui postquam manum aratro admouit, à tergo respicit, dignus est regno Dei: sed qui perseuerauerit in finem vsque saluus erit. Luc. 9. Matth. 24.

Decorum muliebre. Simul autem obseruabis, mulieres istas, etsi in officio longè sanctißimo occupentur, non tamen sui decori obliuisci. Nec enim impudenter medijs viris sese ingerunt, sed eminus spectant, vt suo tempore præstent, quod iam ante animo conceperant. Suo igitur exemplo omnes eas arguunt, quæ otiosæ per vicos discurrunt, lasciuiam & petulantiam suam omnium oculis ingerunt, & ne ab illis quidem spectaculis abstinent, quibus ne viri quidem graues interesse debebant. Imò vt poeta olim dicebat, Spectatum veniunt, veniunt spectentur vt ipsæ. Longè aliter Sara, quam matrem fœminarum credentium Petrus uocauit, quæ cùm Abraham angelos hospitio excepisset, nequaquam hospitum ergò excurrebat, sed intra sui tabernaculi ostium ea peragebat ex mariti mandato, quæ hospitibus accepta et honorifica fore putabat. Et Paulus Apostolus mulieres fidas domus custodes esse iubet: quod officiũ illas cumprimus decere, gentium quoq; sapientes obseruarunt. Phidias enim Eliensibus Venerem testudini insistentem sculpsit, vt inter mulieris dotes hanc non postremam esse doceret, si domus suæ curam sedulò obiret, nec extra illam temere vagaretur. Apud Ægyptios autem patrius mos fuit, ne calceis vterentur mulieres, vt ipsa quasi necessitas illas domi manere cogeret. Neq; ista sine grauitatione homines sapientißimi instituerunt. Quàm facile enim pudicitiæ & honoris sui iacturam faciãt, quæ licentiosius vagantur, exemplum Dinæ Iacobi filiæ docet, quam ea occasione constuprauit Sichemi princeps, quod vt filias Chananitides spectaret, incautius egressa fuerat. Sunt eius generis exempla paßim obuia. Si quæ ergo pudoris sui studio vero tenentur, nostras hasce sibi imitandas proponant, quæ in sanctißimo opere sui tamen officij memores fuerunt.

Gene. 18. Titi 2. Gene. 34.

Iosephus ab Arimathea. 1. Sam. 1. Subijcitur mulieribus istis præcipuus sepulturæ Christi author, Iosephus ex Arimathea ciuitate oriundus, quam nonnulli eandem fuisse putant cum Ramathaim, Samuelis prophetæ patria. Huius personam Euangelistæ diligenter admodum describunt. Primò Senator fuit, siue decurio, vt Lucas habet. Marcus eidem morum & vitæ honestatem tribuit. Lucas insuper virum bonum & iustum fuisse testatur, idq; exemplo probat, quia non consenserit in Christi mortem, cùm reliqui illum vnanimi consensu damnarent. Additur his omnium virtutum fons, quòd expectarit regnum Dei, id est, salutem & instaurationem, quam Deus in Christo promiserat: quo præconio Simeon quoq; ornatur. Nec id leue fuit quando tales salutis spem constanter retinebant, cùm publica religionis corruptio regnaret, & ipsa salutis promissæ doctrina fabulosis traditionibus esset obscurata. Nec modò expectauit regnum Dei Iosephus, sed discipulus quoque Christi fuit occultus, & proinde ipsum regni huius instauratorem esse credidit. Addit his omnibus Matthæus, diuitem fuisse. Et cùm talis esset, tamen facinus sordidißimũ & periculosum aggreditur, dum ex cruce deponit hominem communi totius Concilij & Præsidis authoritate damnatum, & illud agendo illorum iudicium iniquitatis & impietatis accusat. Annotantur hæc diligenter, tum vt eius fides magis eluceat, tum vt discamus, nec opes, nec honores, nec etiam potestatem politicam obstare, quò minus Dei serui simus, & eidem grata sint nostra officia, modò animos vera pietate imbutos habeamus. Vt enim paupertas, si in homines Dei cognitione destitutos incidat, impatientes reddit, & magnorum scelerum causa est, quo nomine illam veteres malesuadam dixerunt: Ita diuitiæ cum fide & pietatis studio cõiunctæ præclaram pulcherrimarum virtutum occasionem præbent, & in illarum exercitio nos non vulgariter iuuant, sicuti patriarcharum quoq; exemplis admonemur. Minimè ergo audiri debent homines fanatici, qui vt in paupertate & sordibus salutis meritum constituunt, ita diuites omnes vnà cum diuitijs simpliciter damnant: nec obseruant, illas inter Dei dona censeri, quæ nobis ex eius singulari benedictione obtingunt. Scimus quidem eas alibi spinis conferri, & sanctos orare, ne diuitijs immodicis illos Deus donet: Sed istud nostro vitio fit, qui carnis cupiditate inflammati circa opes peccamus, & tandem illarum fiducia abrepti Deum quoque contemnimus. Et eosdem sanctos inopiam quoque deprecari legimus, ne illa Dei abnegatores faciat. Frænemus ergo iudicij nostri temeritatem, & animos nostros fide & Dei timore instruamus: ita fiet, vt nec diuitiæ nec paupertas

Luce 2. Opes & honores non excludunt à Christo. Marci 4. Prou. 30.

nos

nos à Dei dilectione separent, sed cum Paulo Apostolo egere sciamus simul & abundare. Vide Rom.8. Phil.4.

Iosephus corpus Iesu petit ad sepulturam.

Sed ad Iosephum nostrum redeamus, qui cùm iam serum esset eius diei, qui sabbatum proximè præcedebat, & quo Christus mortuus fuit, fidenti animo ad Pilatum ingressus corpus eius petit, nimirum vt ex cruce sublatum honorificè sepeliret. Pilatus verò vbi ex Centurione intelligit, illum citius opinione sua expirauisse, hoc illi concedit. Mox ergo emit sindonem, qua ipsum inuoluat, & circa hæc occupato (vt Ioannes testatur) iungit se Nicodemus, qui etiam ipse aliquando Christum occultè conuenerat, & in salutis causa ab illo fuerat institutus. Venit is ferens mixturā myrrhæ & aloes ad libras ferè centum. Itaq; corpus Iesu vna cum aromatibus inuolutum linteis in sepulchrum nouum ex petra excisum deponunt. Ioan.3.

Dei prouidentia in Christi regno prouehendo.

Hic verò admirabilis Dei prouidentia & inuicta potentia consyderanda venit, qua ille regnum suum in hisce terris administrat. Cùm miraculis clarus viueret Christus, & manifesta diuinæ virtutis indicia quotidie proferret, pauculos discipulos habuit, qui ipsum doctorem & magistrum suum publicè agnoscerent, quibus deinde aliqui occulti accesserunt, qui etsi in illum crederent, tamen metu impediti eum profiteri non audebant. Mentionem horum facit Ioannes cùm ait: Ex principibus quoq; multi in eum crediderunt, sed propter pharisæos non confitebantur, ne è synagoga eijcerentur. Dilexerunt enim gloriam hominum magis quàm gloriam Dei. Nunc verò, cùm in cruce inter latrones medius expirauit, aperti quidē discipuli præ metu dispersi delitescunt, ex occultis verò intrepidè prodeunt Iosephus & Nicodemus, & illius gloriam sepulturæ honoribus asserunt. Timuerunt ergo quando periculum nullum, aut certè exiguum apparebat: quando autem spes in humanis nulla superest, fidei robur proferunt, & animi fortitudine reliquos omnes superant. Exempla huius generis multa in historijs occurrunt eorum, qui cùm prius omnes alios fidei constantia & spiritus sancti donis longè excellere viderentur, postea persecutionum tempore metu insperato correpti nihil sua pro fessione dignum fecerunt, cùm interim constantissimos sese præberent, qui antea vix tyrones adhuc videbantur iu Christiana militia. Nos ex illis discamus, non temerè damnare infirmos in fide, nec nobis ipsis nimium tribuere, si quando in fide stare videmur. Facilis enim est lapsus, nisi præsenti Dei manu sustentemur. Curent tamen pseudonicodemi, ne hisce exemplis abutantur ad fouendam carnis ignauiam: quin potius cum Iosepho & Nicodemo in melius proficiant, vt fortes sint & intrepidi, quando ipsorum operam Deus requirit. Ioan.12. Rom.14. 1.Corinth.10.

Magistratuum officia.

Præterea officij hîc admonentur diuites, imprimis verò qui in magistratu sunt constituti. Decet hos ante omnia morum & vitæ honestas, ne exemplo suo eos offendant, quibus ipsi præsunt. Nam vt poeta ait, in vulgus manant exempla regentum. Romæ Curijs & Fabricijs regnantibus virtus floruit, & respublica mirificè est propagata. At ubi Asiæ delicijs corrupti proceres ab auorum moribus degenerare cœperunt, luxus apud omnes ordines inualuit, & eò vsq; progressa est morum licentia, vt tandem Romano Imperio exitialis fuerit. Plurimùm ergo falluntur, qui sibi eo nomine plus licere putant, quòd potentia & authoritate reliquos antecedant, cùm potius eò maiorem vitæ suæ rationē habere debeant, quò maior est exempli ipsorum authoritas. Deinde iustitiam sanctè colant, & Dei iudicia sibi concredita esse cogitent, & proinde non licere sibi vt quicquam ex priuato affectu agant, quòd illis aduersetur. Iustitiæ autem est, suum cuiq; tribuere, oppressos & afflictos asserere, bonos tueri, malos & improbos pœnis dignis coercere. Et hæc præcipua sunt officia, quæ Deus magistratibus præscribit. Quòd si illa non semper præstari possunt, curent saltem, ne improbis iniquorum consilijs siue decretis ipsi consentiant, sed aduersus illa publicè protestentur: quod Iosephum hunc fecisse constat ex eo, quòd tam disertè scribitur, ipsum in Christi mortem non consensisse. Postremò Dei gloriam cordi habeant, & in illa propaganda atq; asserenda fortes sint atq; constantes. Quod eò magis facient, si in Dei regnum respiciant, & huius mundi potentiam atq; honores momentaneos & fluxos esse cogitent. Et sanè cùm à Deo omnem suam potestatem & authoritatem acceperint, hanc illi gratiam negare non possunt, vt vicissim ipsius quoq; honorem tueantur. Quod qui faciunt, facilè laborum & periculorum socios inueniunt, qui sese præter omnem expectationem offerent, sicuti Iosepho Nicodemum accessisse videmus. Nec enim sua ope eos destituit Dominus, qui vel ipsius vel publicæ salutis negotium seriò & bona fide agunt. Psalm.72. Rom.13. Daniel.2.

Sepulturæ Christi descriptio. Sed ipsam sepulturæ Christi descriptionē videamus, in qua primùm tempus notatur, vespera nimirum prosabbati vel diei quam parasceuen Iudæi dicebāt, eò quòd tunc sese & sua omnia ad epulū paschale præpararent. Facit hoc ad resurrectionem Christi, quam tertio die post secutam fuisse constat, sicuti sæpius prædixerat. Deinde aromatibus myrrha nimirum & aloe, condîtum corpus nouæ sindoni inuoluunt, & in monumentum nouum deponunt, in quo nemo vnquam iacuerat. Quod ipsum quoq; non sine mysterio factum fuit, ne vel alius quispiam, vel ipse alterius virtute resuscitatus fuisse putaretur, sicuti de illo legimus, qui in Elisæi sepulchrum abiectus reuixit, cùm illius ossa tetigisset.

2. Reg. 13. Sepeliendi mortuos consuetudo. Hîc autem sepulturæ ratio tota consyderanda venit. Est hic vetustissimus mos, & iam inde ab exordio mundi sanctorum exemplis comprobatus, vt defunctorum corpora terræ mandentur. Conuenit autem cum Dei sententia, quam ille contra Adamum pronuntiauit: Terra es, & in terram reuerteris. (Gen. 3.) Ita verò rem instituit Deus, partim vt nostræ conditionis memores minus efferamur, partim vt futuræ resurrectionis spes confirmetur. Habet quippe sepultura aliquam sementis similitudinem, de qua ipse Christus, & post illum Paulus Apostolus disertè nos admonent. (Ioan 12. 1. Cor. 15.) Vt enim terræ sulcis mandantur semina, & vbi in illis resoluta & emortua sunt, ex ijsdem cum fœnore enascuntur: Ita in terram deposita corpora nostra, vbi per illam resoluta corruptibilitatē suam exuerunt, olim in die nouissimo gloriosa & clarificata resurgent. Et vt hanc spem veteres magis fouerent, certa sepulturæ suæ loca esse voluerunt (sicuti in Abrahami historia legitur, qui agrum ab Ephrone Hethæo in eum vsum emit) (Gene. 23.) & ijdem corpora defunctorum aromatibus condierunt, vt vel eo ritu futuræ resurrectionis spem publice testarentur: Exemplum eius rei in Iosepho extat, qui patris Iacobi corpus medicis condiendum tradidit: (Gene. 50.) & ab eo tempore morem illum inter Iudæos seruatum fuisse, ex præsenti historia patet, in qua Ioannes scribit, Christi corpus pro communi Iudæorum more aromatibus fuisse condîtum. Quem morem vt hodie reuocemus minimè opus est, cùm inter Christianos homines, quibus veritatis lux plenissima fulget, certior & firmior esse debeat resurrectionis fides, quàm vt illam ritibus superuacaneis confirmari oporteat. Quoad verò sepulturam, primò curandum, vt ea honesta sit, ne ignominiosius tractentur corpora defunctorum, quæ cùm viuerent, spiritus sancti organa, imò templa fuerunt, siquidem credentium fuerint. (2. Cor. 6.) Iubet idem communis humanitatis lex, cuius obseruationem ita nobis Deus commendat, vt ne facinorosorum quidem cadauera diutius in cruce relinqui voluerit. (Deut. 21.) Et Moabitis inter excidij causas obijcitur, quòd legum naturæ obliti regis Idumæi ossa combussissent. (Amos 2.) Quid? nónne inter gentes malè audierunt olim, qui mortuorum corpora feris dilanianda obiecerunt, vel per negligentiam illa sepulturæ honore fraudarunt? Hæc vtinam hodie obseruarent, qui in Christi membra tam furiosa rabie grassantur, vt illa occidisse ipsis nihil videatur, nisi post mortem quoque illa infestent, & in illorum ossa vel cineres deseuiant. Vt verò defunctorum corpora nec negligentius nec inhumanius tractari debent: ita superstitio quoque cauenda est, ne sepulturæ magnificentia & superstitiosis exequiarum ritibus salutem animarum promoueri putemus. Nihil enim tale sancti Dei cultores vnquam obseruarunt, sed gentium superstitiosarum figmentum est, quæ animas, quarum corpora inhumata iacerent, uagari putauerunt, sicuti de Palinuro & reliquis naufragij socijs Vergilius nugatur. Postea vbi inter Christianos superstitio locum inuenit, inde quæstuosissimam errorum officinam excitauit satan, & ignem purgatoriū accendit, & sacrificulos cum monachis illi calefactores dedit, qui alchymisticen repererunt diu à multis frustra quæsitam, qua ex preculis sono incerto demurmuratis, ex cereis, ex incantata crustula, ex aqua consecrata, imò ex campanarum sonitu, non modò aurum & argentum conflarunt, verumetiam prædia, decimas, redditus annuos, adhæc principatus & regna constituerunt. Et poterat ferri stulta superstitio, si de pecunijs solis ageretur: sed cùm animarum salus & Christi gloria simul in periculum veniant, nullo modo dissimulari potest. Pugnat enim cum Christi verbis, qui credentium animas non in iudicium venire, sed à morte in vitam transire ait. (Ioan. 5.) Procul ergo à funeribus arceri debet quicquid superstitionis aliquam speciem habet, ne de defunctorum salute in Christo dubitare videamur. Caueatur etiam fastus, quem nonnulli præter omnem rationem ostentant, dum sepulchra sumptuose ædificant (quod in Sobna olim Isaias accusauit) (Isaiæ 22.) & illa insignibus exornant, & arma ad eadē suspendunt, quasi post mortem adhuc minas spirare & belli terrorem circumferre cupiant. Sunt hæc amentis superbiæ & deploratæ confidentiæ argumenta, quando ne sepulchra quidē nobis persuadere possunt, vt

nos mortales esse cogitemus, & humiliemur sub potenti manu Domini. Praeterea luctus nimius & immodicus damnatur, eò quòd qui illi indulgent vel de defunctorum salute dubitare videntur, vel de Dei auxilio desperare, quasi cum illis qui morte nobis erepti sunt, simul omnis nostrae incolumitatis spes interciderit. Admonet de hoc grauiter admodum Paulus Apostolus, quando Thessalonicensibus sic scribit: Nolo vos fratres ignorare de his qui obdormierunt, ne doleatis quemadmodum & caeteri qui spem non habent. Nam si credimus, quòd Iesus mortuus est, & resurrexit: sic & Deus eos qui obdormierunt, per Iesum adducet cum illo, &c. Dandum est quidem aliquid charitati, nec stipites sumus, qui nullo sensu tangamur, quando charissimi homines & optimè de nobis meriti auelluntur. Interim fidei quoq; ratio habenda est, & quam defunctis debemus charitas dolorem lenire debet, quando illos iam in caelis beatitudine vera frui scimus. Et haec quidem de Christi sepultura & nostrae sepulturae ratione dicta sufficiant. 1. Thess. 4.

Repetit in fine Marcus quod de mulieribus initiò dixerat, illas nimirum spectasse diligenter, quò nam corpus Christi poneretur, cui ipsae etiam transacto sabbato suppremum honorem impendere constituerant. Repetitionis causa est, vt illas in finem vsque perseuerasse testetur, quod fidei & charitatis indefessae argumentum fuit.

Porrò priusquam sermonem concludamus, ex Matthaeo inserendum erit, quod ille de obstinata & deplorata planè sacerdotum malitia & impietate annotauit. Etsi enim signis paulò ante expositis commoti sint plurimi, & inter hos milites quoque, illi tamen adeò non mouentur, vt potius noua contra Christum consilia suscipiant. Iam enim in mentem venit, quòd se tertio die resurrecturum dixerat, & ne id fiat prohibere conantur. Pilatum itaque accedunt, & periculum esse aiunt, ne discipuli corpus eius noctu suffurentur, & illum resurrexisse dicant, & eo figmento erroris nocentioris causam praebeant. Vbi videmus impiorum & hypocritarum gaudia non esse diuturna, imò tales instar maris aestuare (sicuti olim Isaias dixit) dum semper noua pericula illorum animis occursant, quorum metu & terrore exagitantur. Et possem nostri seculi exempla recensere eorum, qui post extinctos ipsorum consilijs Christi martyres, ceu furijs agitati omnia sibi infesta esse conquesti sunt, & martyrum nomina non sine terrore subinde inclamarunt. Pilatus verò, vt etiam hîc illis morem gereret, custodiam militarem sepulchro adhibere permisit, & illius ostium suo sigillo obsignauit, ne quis illud reseraret, nisi laesae maiestatis crimen vellet incurrere. Quid autem hoc nouo consilio Christi hostes profecerunt? Vnum hoc, quòd Christi gloriam mirificè propagarunt, & resurrectionis ipsius testes nobis conduxerunt, quorum fides nec ab ipsis quidem in dubium vocari potuit: Imò quos suis pecunijs conduxerant, vt Christi resurrectionem impedirent, illorum linguas paulò post maioribus impensis redimerunt, ne illum resurrexisse praedicarent. Ita impiorum conatus ridet & eludit Deus: & hodie frequenter ad Christi gloriam & veritatis propagationem cedere videmus, quod ad eius oppressionem ab impijs instituitur.

Sacerdotes sepulchro milites adhibent, &c.

Iob. 20.
Isaiae 48. et 57.

Exposuimus iam pro gratia nobis diuinitus concessa totam passionis Dominicae historiam, cuius fines praecipuos nos semper ob oculos habere conuenit, de quibus initiò diximus. Primus in hac est humani generis redemptio. In hac verò solida & perfecta Dei cognitio elucet, quando hic iustitiae ipsius, bonitatis item & misericordiae, adhaec veritatis, omnipotentiae & sapientiae argumenta proponuntur luce clariora. Accedit his exemplum, quo Christus nobis praeire voluit. In haec ergo intenti, salutem, quam ille nobis acquisiuit, fide constanti apprehendamus, eiusdem autem merito redempti libertatem nostram tueamur, Deo obediamus, & quam ille imponit crucem feramus patienter.

Ita fiet, vt huius vitae certamina emensi olim regno illo fruamur, quod in filio suo nobis praeparauit Deus pater: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in aeternum. Amen.

CAPVT XVI.

HOMILIA CXXXIII.

ET cùm transisset sabbatum, Maria Magdalene, & Maria Iacobi & Salome, emerunt aromata, ut uenientes ungerent eum. Itaq; ualde mane primo die hebdomadæ ueniunt ad monumentum, exorto sole. Dicebantq; inter sese: Quis reuoluet nobis lapidē ab ostio monumenti? (Et cùm respexissent, uident lapidem esse reuolutum) erat enim magnus ualde. Et ingressæ in monumentum, uiderunt adolescentulum sedentem ad dextram amictum stola candida, & expauerunt.

Vsus resurrectionis Christi.



Voties Dominus & saluator noster Iesus Christus de sua morte discipulos admonuit, simul quoq; se tertio die post à morte resurrecturum esse promisit. Vnde constat non mortem modò Christi, verumetiam eiusdem resurrectionem ad nostræ redemptionis negotium necessariam fuisse, imò hanc nostræ redemptionis esse complementum. Quæ causa Euangelistas mouit, vt vnanimi studio & consensu illius historiam descripserint, & eadem Apostolos incitauit, vt in omnibus suis concionibus & scriptis Christi Iesu mortem & resurrectionē subinde inculcent, & in his vniuersam salutis nostræ rationem consistere doceant. Quorum exemplum nos quoque excitare debet, vt sicuti singulas passionis & mortis Christi partes ex ordine inspeximus: ita non minori diligentia ea expendamus, quæ de illius resurrectione traduntur. Facient enim ista ad nostræ salutis certitudinem, & fidem nostram inter tentationum fluctus haud vulgariter confirmabunt.

Rom. 4. 10. 1 Cor. 15.

Cæterùm vt euidentior sit & minus perplexa huius rei tractatio, proderit initiò statim, cum ijs quæ Marcus noster pro suo more breuiter exposuit, ea coniungere, quæ alij Euangelistæ tradiderunt, vt ex omnibus simul collectis totius historiæ summam complectamur, vt quo ordine singula gesta sint, nobis constet.

Resurrectionis Christi historia.

Matth. 28.

Cùm transiuisset sabbatum, & iam primus hebdomadis dies cœpisset, multa adhuc nocte, angelus de cœlo descendit, & terra graui motu concussa tremuit. Angelus verò cùm ad sepulchrū accessisset, lapidem ab ostio illius reuulsit, nihil vel excubantes illic milites, vel Romani Imperij maiestatem veritus, cuius nomine & authoritate lapidē illum Pilatus obsignauerat. At reuulso lapide è sepulchro Christus prodijt, supra lapidem verò resedit angelus in veste candida, & facie instar fulguris splendente. Quare cùm angeli splendore, tum Christi resurgentis gloria custodes tantumnon exanimati aliquantisper iacent. Paulò post recuperatis animi & corporis viribus in vrbem festinant, & sacerdotibus quæ nam vidissent, referunt. Interea temporis sub primum diluculum ad sepulchrum veniunt mulieres, & lapidem ab ostio sepulchri deuolutum vident, & sepulchrum ingressæ angelum à dextris sedentem, & illas quasi expectantem inueniunt, qui illas de Christi resurrectione certiores reddit. Hæc totius historiæ summa & ordo est, in qua primò videndum erit, quo tempore Christus resuscitatus sit: deinde de mulieribus dicemus, quibus primis innotuit Christi resurrectio: postremo diuinam Christi maiestatem consyderabimus, quæ in singulis historiæ partibus elucet.

1 Quo tempore 2 de mulieribus 3 diuina [illegible]

Tempus resurrectionis Christi.

In temporis notatione diligentissimi sunt Euangelistæ, licet quædam inter illos contradictio esse videatur, dum alij tenebras, alij profundum diluculum, alij verò sub Solis ortum aut Sole iam exoriente hæc facta fuisse dicunt. Sed facilis est huius dissonantiæ conciliatio, si alios de tempore loqui cogitemus, quo primùm Christus resurrexit, & quo mulieres sese ad iter pararunt: alios verò de eo temporis articulo, quo ad sepulchrum venerunt. Etsi enim non procul ab vrbe abfuerit sepulchrum, facilè tamen fieri potuit, vt illis aromata parantibus, & de toto negotio consultantibus vna aut etiam altera hora effluxerit. Etenim Marcus non absque hæsitatione illas hoc opus aggressas esse innuit, quando illas de sepulchri lapide remouendo solicitas fuisse dicit. Et hanc solutionem ego libentius amplector, quòd mihi religiosior videatur, quàm si in sacris codicibus in historia tanti momenti mendam aliquam librariorum incuria aut falsariorum improbitate irrepsisse dicamus. Sufficiat

ficiat nobis, quòd hæc sabbato iam transacto facta fuisse, omnes consentiunt, quando primis sequentis septimanæ dies iam cœperat. (Solent enim Hebræi dies à Solis occasu incipere.) Hinc siquidem colligitur, hunc diem à morte Christi tertium fuisse. Nam in die parasceues mortuus & sepultus fuit, qui primus ordine numeratur. Secundus verò fuit dies sabbati, quem totum in sepulchro transegit, & in quo propter sabbati religionem mulieres nihil tentarunt. Huic succedit tertius, qui post sabbatum septimanæ sequentis initium erat.

Nec temerè ista Euangelistæ tam diligenter annotarunt. Nam Christi promissionibus consentiunt, & de illius veritate simul & potentia luculentissimè testantur. Sciebant hostes ipsius, illum de sua resurrectione frequenter concionatū esse, & proinde illam adhibitis sepulchro militaribus excubijs impedire & prohibere conati sunt. Adeò autem vani & irriti fuerunt conatus ipsorum, vt illum ne vnius quidem horulæ spacio diutius quàm ipse velit, in sepulchro detinere queant. Priusquàm enim plenè illucescat dies ille, à quo sibi maximè timebant, magna cum gloria & maiestate, nec absque immani hostium suorum terrore resurgit: eoq; argumēto demonstrauit Deus, Iesum hunc filium suum esse dilectum, & inuictum illum regem gloriæ, aduersus quem mundus hic nec consilijs nec viribus suis quicquam proficiat. Seruiunt hæc consolationi aduersus omnes Antichristi conatus, quibus ille Christum & regnum eius adhuc hodie oppugnat. Ea enim est omnium promissionum Dei conditio, quòd illarum veritas nullo hominum consilio aut potentia euerti siue prohiberi possit. At Christum per Euangelij prædicationem in toto orbe regnaturum esse, Deus iam olim promisit. Frustra ergo frement gentes, frustra consultabunt reges & principes, frustra excubias agent Pontificum satellites vnà cum totis rasorum & vnctorum cohortibus vt Christi doctrinam & fidem perpetua ignorantia sepeliant. Oportet enim Euangeliū in toto orbe prædicari, priusquàm magnus ille dies Domini veniat. Et Christi promissio est: Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi. Pertinent huc veterum tyrannorum & persecutorum ecclesiæ exempla, qui suæ audaciæ & impietatis graues pœnas dederunt: de quibus cùm alibi dictum sit, non opus est eadem in præsenti repetere. Et quid nostro tempore effecerint, qui illorum vestigijs insistere ausi sunt, notius est quàm vt multis commemorari oporteat.

Christi ueritas & potentia.

Rom. 1.

Psalm. 2.

Marc. 13.

Matth. 28.

Secundò mulieres producuntur, quibus suam resurrectionem Christus primis innotescere voluit. Fuerunt hæ Maria Magdalene, Maria Iacobi & Iose mater, & Salome, de quibus nuper diximus. Lucas his Ioannam quoq; coniungit, quam alibi vxorem Chusæ regij procuratoris, & ex earū numero fuisse ait, quæ Christum suis facultatibus sustentauerunt. Addit his alias adhuc, quarum nomina non exprimuntur, conscriptæ verò sunt in libro vitæ apud Dominū. Venerunt hæ cum aromatibus vt Christo pro more gentis suæ extremum vnctionis honorem impenderent. Pium quidem officium, sed in quo ignorantia & obliuione peccarunt, cùm ille se resurrecturum esse toties prædixisset. At hîc primò consyderabimus, non temerè factum fuisse, quòd Christi resurrectio mulieribus primis innotuit. Ex eo enim patet, illum muliebris quoq; sexus redemptorem esse, id quod peculiari & euidenti demonstratione opus habebat. Quia enim per mulierem peccatum & mors intrauerunt, & sexum illum Deus ideò plagis quibusdam peculiaribus mulctauit, facilè illas ad diffidentiam aut desperationem satan impellere potuisset, nisi peculiaribus promissis fidem illarum Deus fulciuisset. Ne quam ergo haberent de salute dubitandi occasionem, Christus saluator iuxta primam promissionem absq; virili congressu ex muliere nasci debuit, vt idem sexus iustitiam & vitam nobis pareret, qui peccatum & mortem in mundum intulerat. Deinde nec minora neque pauciora suæ bonitatis & gratiæ argumenta in mulieres Christus edidit, quàm in viros. Nam illis quoq; Euangelij promissiones proposuit, illarum quoque morbis miraculosè subuenit, & ex fœda peccatorum seruitute ad se conuersas benignè in gratiam recepit. Nec puduit illum, quando Hierosolymam proficiscebatur vt ibi humani generis redemptionem obiret, mulieres in suo comitatu secum ducere, quas etiam suæ mortis testes oculatas esse voluit, & ijsdem resurrectionem suam, quam nostræ redemptionis complementum esse initiò diximus, prius quàm discipulis per angelum denuntiat, imò has illius præcones & (vt ita dicam) euangelizatrices constituit. In horum consyderatione Christianas fœminas diligenter & crebrò versari deceret, vt consolationem habeant, qua sui sexus incommoda, & quæ coniugium & liberorum procreationem comitantur molestias ferre & superare possint. Quia enim ad ipsas quoq;

Mulieres, quibus resurrectio Christi primis innotuit.

Luc. 8.

Christus mulierum quoq; saluator.

1. Timoth. 2.

Gen. 3.

Christus pertinet, non est quòd de salute sua dubitent, siquidem manserint in fide ac dilectione & sanctificatione cum castitate. Vide 1. Timoth. 2.

Fides mulierū. *Porrò vt istarum mulierum exemplum nostræ institutioni & cõsolationi magis seruiat, quædam de illis repetenda erunt, vt quales fuerint, & quem ex suo studio fructū reportarint, videamus. Etsi enim carnis infirmitate deceptæ, resurrectionis Christi mysterium nec intellexerint nec obseruarint (quo nomine postea ab angelo reprehendentur) in illis tamen quoad externa officia, insignis fidei typus elucet. Huius proprium esse Apostolus docet, quòd per charitatem operatur, ne cruce offendatur, eò quòd in Dei verbum intenta sit, quo admonemur, Deum diligentibus omnia cooperari in bonum, & cum Christo olim in cœlis regnaturos esse, qui cum illo & pro nominis ipsius gloria afflictionem sustinuerint, Vtrumque mulieres istæ præstiterunt. Suam enim erga Christum charitatem luculenter testatæ sunt, quando illi ministrauerunt, & eundem impensis maximis aluerunt, & ut eius doctrina frui possent, illi per multos longorum itinerum labores indiuulsæ comites fuerunt. Constantiæ verò argumentum est irrefragabile, quòd nec inopina Christi mors, nec ignominiosum & infame crucis supplicium, illas offendere potuit, vt quasi spe omni frustratæ illum relinquerent, & fidem in illum abnegarent. Quin (ut nuper vidimus) constantia plus quàm virili in finem vsque perseuerant, nec mortuum negligunt, quem cùm in viuis esset, coluerant. Adhæc periculum omne contemnunt, quod ex militibus imminere videbatur, si sepulchrum aperire, & Christi corpus contrectare auderent. Ista verò nobis in exemplum proponi cogitemus, vt fidem qua gloriamur, iisdem argumentis ipsi quoque testemur. Quia enim charitatem à fide diuelli impossibile est, hæc quoque latêre nequit, eò quòd charitate nihil magis industrium est, quæ nec quiescit etiam, donec suum finem attigerit. Et cum eidem coniuncta sit certa & constans promissionum diuinarum & auxilij diuini fiducia & beata immortalitatis spes, periculorum quoque metum & terrores facilè vincit, nec vllis minis sese ab agnita Christi veritate abstrahi patitur. Exempla huius constantiæ in electis & veris Dei cultoribus passim occurrunt, qui inter medios ignes & gladios fidei suæ confessionem illibatam & synceram seruauerunt. Quæ si cum nostri seculi moribus conferas, à fidei ingenio alienissimos reperies, qui illa quàm maximè gloriantur. Friget enim ferè charitas, & posthabito cœlestium bonorum studio, pleriq; religionem sibi quæstum faciunt. Quò fit, vt fidem & Euangelicæ doctrinæ studium profiteantur quidem, dum aliqua priuati comodi spes affulget: vt primùm verò pericula surgunt, illis offensi & territi fidem abnegant, & summam stultitiam arbitrantur illi confidere, qui iam mortuus & sepultus esse videtur, dum persecutionum fluctibus quasi obruitur. Sunt hæc carnis cogitationes, quas assidua promissionum Dei meditatione retundere oportet, & mox absq; magno labore omnia ea vincemus, quæ nobis cumprimis ardua & insuperabilia esse videbantur: quod ipsum istarum mulierum exemplo spiritus sanctus luculentissimè docet.*

Præmiū fidei. *Vt enim ad sepulchrum venerunt, confectū inueniunt, quod illas maximè sollicitas habebat. Lapis siquidem per angelum reuulsus & deuolutus est, de quo remouendo inter eundum disputarent, eò quòd ille ingentis ponderis, ipsis verò vires nullæ essent, quæ huic remouendo sufficerent. Adhæc milites quoque diffugerant, qui illis videbantur obstituri, ne sepulchro appropinquarent. Et licet non inueniant Christi corpus, de illius tamen resurrectione per angelum edocentur, adeoq; plus inueniunt, quàm sperare auderent. Corpus enim quærebant mortuum, vulneribus & cruore multo fœdatum, illud verò iam reuixisse, & mortis vincula & carcerem magna cum gloria euasisse intelligunt. Non obstant ergo fidei quæ grauissima & difficillima videntur, nec sua ope Deus illos destituit, qui sancta fidei constantia armati ipsius vocationem sedulò sequuntur. Equidem non quiescit satan, & obijcit multa indies, quibus pietatis officia remoretur. Sed victoria nostra fides est (vt Ioannes inquit) quæ & mundum vincit & mundi principem, & quæ eadem facit, ne quid impossibile sit ijs, qui Dei opem implorant. Christi enim vox est: Omnia possibilia sunt credenti. Item, Confidite Deo: Amē dico vobis, quòd quicunq; dixerit monti huic, Tollaris ac mittaris in mare: & non hæsitauerit in corde suo, sed crediderit fore quæ dixerit, erit illi quicquid dixerit. Propterea dico vobis, quæcunque orantes petitis, credite quod accipietis, & obtinget vobis, &c. Sunt hæc exemplis innumerabilibus probata ab ipso mundi exordio, multa verò cumprimis præclara Paulus in Epistola ad Hebræos congessit, vbi eos commemorat, qui non modò mundi illecebras & carnis affectus, verumetiam acies hostium*

Margin references: Galat. 5. — Rom. 8. — 2. Timoth. 2. — 1. Ioan. 5. — Marc. 9. & 11. — Hebr. 11.

hostium & sæuissima quæq; tormenta per fidem superauerunt. Imprimis autem huc pertinent Apostoli, qui etsi rudes & inexperti essent, nec vlla authoritate præstarent, tamen intra paucos annos vniuersum orbem terrarum Christi imperio subiecerunt, cùm illius mandatum constanti fide exequerentur. Ex his nos consolationem petere conuenit aduersus eos, qui in periculis nihil præter nostrarum virium imbecillitatem & insuperabilem hostium potentiam in ore habent, vtrūq; verò in eum finem adducunt, vt euincant, aliquid dandum esse veritatis hostibus & proxima quæq; pericula declinari debere, vt nos melioribus temporibus seruemus. Ita verò quantum in ipsis est, Dei gloriam collabi patiuntur, quam is olim magno ipsorum malo vindicabit. Fatemur equidem credentes serpentina prudentia instructos esse debere, sicuti Christus monuit. At prudentiam istam verbi Dei cancellis circumscribi oportet, ne dum plus illo sapere volumus, illius iram contra nos prouocemus. Iubet autem ille fidem habere incōcussam, iubet fidem illam publicè confiteri, iubet gloriam suam propagare, & contra quosuis pro nostræ vocationis ratione tueri & asserere, iubet item propter nomen & verbum suum parentes, coniugem, liberos, fratres & fortunas omnes relinquere. Quid ergo disputare lubet, si vt hæc faciamus ipsa rei necessitas & nostræ vocationis ratio exigit? Quin potius officium facimus, & rei euentum Deo committimus, qui si quid per nos effectum velit, viam facilè inueniet. Quòd si secus fiat, illius bonitatem agnoscamus, qui crucis filij sui consortes reddit, quos propter peccata sua infinitis pœnis mulctare poterat: neq; vnquam animis nostris excidat, illum fidelem esse, qui non patiatur nos tentari supra id quod possumus, imò cum tentatione euentum dare, quo onus ab illo nobis impositum possimus sufferre, &c. Vide 1. Corinth. 10. Item 2. Corinth. 1. &c.

Matth. 10.

Cur Christus mulieres resurrectione sua præuenerit.

Cæterū quærat aliquis, cur Christus mulieres hasce resurrectione sua præuenerit, nec extremum hoc vnctionis officium admiserit, quod ipsi impendere instituerant. Vbi non putabimus ipsi piam & sanctam mulierum industriam displicuisse. Nam etsi ignorantia (vt ante diximus) peccarint, animi tamen intentio ex fide & charitate profecta illi grata fuit, quod vel ipsa resurrectionis denuntiatio, & postea ipsius Christi apparitiones testantur. Causa ergo alia fuerit oportet, nimirum quòd officijs eiusmodi non opus haberet amplius in corpore iam clarificato, quod corruptionem omnem exuerat, & quòd pauperes sibi substituisset, in quos quæcunq; sunt huius generis officia impendamus. Et huc referri debet Cœnæ Bethaniensis historia, vbi vnctionis in ea per Mariam Lazari sororem factæ mysterium contra murmurantes discipulos hisce verbis exposuit: Sinite illam, cur illi molesti estis? Bonum opus operata est erga me. Semper enim pauperes habetis vobiscum, & quandocunq; volueritis potestis illis benefacere, me verò non semper habetis. Quod potuit hæc, fecit: præuenit vt vngeret meum corpus ad sepulturam. Quia ergo ad sepulturam iam ante vnctus fuerat, & externis officijs aut corporis curatione non amplius indigebat, mulieres istas præuenire voluit, vt & suum de pauperibus iuuandis præceptum magis stabiliret, & superstitionibus mederetur, quas circa sepulturæ suæ memoriam orituras esse sciebat. Itaq; eos confutat Christus, qui quotannis simulachrum ipsius sepulchro includunt, & huic excubitores adhibent sacrificulos & monachos, qui illius funus lamentabili cantu celebrant. Ridiculi planè homines, qui Christo, quem in cœlis regnantem inuocant, in terris exequias & funebria festa instituunt, & quæ ille in pauperes conferre iussit, in simulachrum ligneum conferunt.

Contra peregrinationes religionis ergò.

Imprimis autem euertitur hîc insana peregrinationum superstitio, quas religionis ergò homines veritatis & salutis suæ ignari suscipere consueuerunt. Causa eius est, quòd falsis persuasionibus decepti, gratiam Dei & ipsum Christum certis in locis inueniri posse, vel externum cultum ob loci religionem Deo magis gratum esse arbitrantur. Quò fit, vt multi relictis domi coniugibus & liberis suis per terras & maria Hierosolymam & alia eius generis loca petant, quæ vel Christus Iesus, vel Apostoli ipsius suis miraculis nobilitauerunt. Prætexunt illi quidem pietatis studiū, nec negauerim multos ex illis non malitia, sed anxio quodam & solicito salutis & gloriæ Dei studio exagitari: At interim omne hoc Christi verbis & doctrinæ aduersatur, qui ne quid tale fiat, disertè prohibuit. Quoad enim cultum externum & preces, harum efficaciam nulli loco certo alligari debere docet, quando Samaritanos simul & Iudæos propter illam superstitionem reprehendens, mox addit: Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt patrem in spiritu & veritate. Et Paulus Apostolus de precibus publicis & priuatis disserens, Volo (inquit) viros orare in omni loco, sustollentes pu-

Ioan. 4.

1. Timoth. 2.

ras manus absque ira & disceptatione. Nibil ergo precibus ex loci religione accedere putauit, sed animum potius requirit ab omni affectu malo alienum, et vni Deo consecratum. Quoad verò Christi praesentiam & meriti ipsius effectum, monet ille, ne eos audiamus, qui ipsum in terris hisce vel hic vel illic monstrare audent. Nec enim loco certo alligauit meriti sui gratiam Christus, sed vt Euangelium suum in toto orbe terrarum praedicari voluit, ita vbiq; locorum efficax est erga omnes, qui ipsum vera fide amplexi fuerint. Et cùm nationum & personarum discrimen omne in Christo sublatum sit, minimè credendum est, aliquem in terris locum eo priuilegio esse donatum, vt per se ad salutem nostram aliquid possit conferre. Quod non obscurè innuisse videtur Deus, quando eas vrbes horribili excidio deuouit, quas aliquandiu sui cultus sedem esse voluerat, sicuti de Silo, Nobe & Hierosolymis sacra historia testatur. De Silo enim in Psalmis scribitur: Deseruit tabernaculum Silo, tentorium quod inter homines inhabitabat. De Hierosolyma autem Ieremias dixerat: Si non audieritis, reddam domum istam similem Silo, & vrbem hanc contumeliae exponam omnibus gentibus. Nec inanes fuisse minas hasce Psalmus testatur, in quo pij de hostium insolentia quiritantes inter alia dicunt: Rugierunt aduersarij in medio synagogarum tuarum, signa sua posuerunt pro signis. Sanctuaria tua igne incenderunt, ad terram affligendo tabernaculum nominis tui prophanauerunt, &c. Quòd si haec eo tempore fieri passus est Deus, quando vmbris & ceremonijs locus adhuc certus erat ab ipso cōstitutus, quis obsecro sanae mentis ipsius gratiam nunc loco alicui alligatam esse putauerit? Nec absq; numine factum putabimus, quòd mulieres istae, quae primae omnium Christi sepulchrum inuiserunt, nihil illic repererunt praeter angelum, qui illas reprehendit, quòd verborum Christi parum memores essent, & Christum ibi quaerere iussit, quò se iturum ante promiserat. Idem ergo nobis dictum putemus, vt nimirum illum non in terris hisce quaeramus, sed in coelis, quo illum ascendisse scimus, & vbi animis per fidem euectis sese inueniri patietur. Docuit hoc ipsum Deus olim memorabili exemplo, quando Christianis sepulchrum Domini superstitiose colentibus locum illum impijs fidei Christianae hostibus subiecit, qui non contenti illum vndiq; congestis ruderibus obruisse, insuper illic sacellum Veneri sacrum extruxerunt: vt vel inde constaret, Christi meritum non illic alligari debere, vbi spurcissimae Deae cultus nepharius exercebatur. Ea tamen fuit superstitionis vis, ut mox denuo succrescens orthodoxos ecclesiae doctores illam oppugnare coegerit: inter quos Diuus Hieronymus olim ad Paulinum scribebat: Nō Hierosolymis fuisse, sed Hierosolymis bene vixisse laudandum est. Et idem pater Hilarionem probat, qui cùm Palestinus esset, & in Palestina viueret, vno tantum die Hierosolymam vidit, vt nec contemnere loca sancta propter viciniam, nec rursus Dominum loco claudere videretur. Cuius exemplum si posteri quoq; imitati essent, minus superstitionis haberemus, & vera religio nobis syncerior & ex omni parte integrior mansisset.

Matth. 24. Galat. 3. Colos. 3. Rom. 2. Psal. 78. Iere. 26. Psalm. 74.

Porro tempus est, vt diuinam potentiam & maiestatem considyeremus, quae in singulis huius historiae partibus euidentissimè elucet. Nam primùm immani motu terra tota concutitur, quasi eum superis reddere gestiat, quem inuita sinu suo exceperat. Deinde coelo descendit angelus in veste candida (qui olim triumphantium habitus fuit) vt vestis colore Christum victorem denotet. Idem etsi contra milites nihil agat hostiliter, solo tamen fulgore exanimatis similes reddit. Docent haec, Christum etsi in cruce infamem mortem subierit, Deum tamen esse omnipotentem, qui (vt olim de Ioue suo poetae fabulati sunt) suo nutu terram, maria & coelum concutiat. Praeterea etsi nemo mortalium restet, qui ipsi inseruire studeat, praeter mulierculas istas (quae tamen extremum modò, quod defunctis debetur, officium praestare instituerunt) angelos tamen ministros habet, qui coelo delapsi hostes ipsius prosternunt, & resurrectionem illius adiuuant. Adhaec cùm impossibile videatur, Christum sepulchro exire posse etiamsi in vitam redeat, inde tamen magna cum gloria prodit, & vnici angeli ministerio hostium suorum consilia sic turbat, vt resurrectionis ipsius praecones & testes fiant irrefragabiles, qui vt illam prohiberent à sacerdotibus conducti fuerant: sicq; eadem opera & suam potētiam exerit, & sacerdotes extremae impietatis conuincit, quando nec illorum relationi credunt, quibus intra animos suos non poterant non fidem adhibere.

Modus resurrectionis gloriosus.

Vt verò magis perspecta nobis sit Christi potentia, obseruandum est, angelos non modò resurgenti, sed etiam vbiq; aliàs suum obsequium praestitisse. Conceptionem illius Diuae virgini praedicat archangelus Gabriel, natiuitatem verò angelicae cohortes hymnis laetis celebrant. In deserto agenti & cum

Angeli Christo seruiunt. Lucae 1. & 12. Matth. 4.

& cum satana luctanti angelos ministrauisse legimus. Postea ad olivueti montem oranti & sanguinem sudanti angelus apparet, qui ipsum consolatur. In ascensione item illius angeli comparent, & huic testimonium ferunt. Sed quid istis immoramur, quando Daniel infinitas angelorum myriades ad illius seruitium paratas assistere vidit? Quanta verò angelorum virtus sit, pluribus exemplis constat. Duorum angelorum ministerio Deus Sodomas & Gomorrham cum finitimis terris omnibus euertit. Vnus angelus occidendis in vna nocte Ægyptiorum primogenitis sufficit. Per vnum quoq; in Assyriorum castris hominum centies mille & octoginta quinque milia cæduntur. Quis ergo inuictam & insuperabilem esse neget Christi Iesu potentiam, quem (vt in Psalmis scribitur) omnes angeli adorant, quiq; illis pro suo arbitrio & nutu vtitur? Lucæ 22. Acto.1. Dan.7. Gene.19. Exod.12. Isaiæ 37. Psal.97.

Sunt hæc plena consolationis, quando eius virtutem demonstrant, quem vindicem & saluatorem nostrū esse credimus. Magis tamen in illa confirmabimur, si angelos nobis quoq; à Deo ministros datos esse cogitemus. Si enim Christo per fidem insiti sumus, nostrum vtique est quicquid ille habet: nec temere olim à Paulo dictum fuit: Omnia vestra sunt, siue Paulus, siue Apollos, siue Cephas, siue mundus, siue vita, siue mors, siue præsentia, siue futura, omnia (inquam) vestra sunt, vos autem Christi, Christus verò Dei, &c. Sunt tamen scripturæ loca, quæ angelos nobis quoq; ministros datos esse disertè testantur. Paulus enim de illis loquens ait: Nonne omnes sunt administratorij spiritus, qui in ministerium emittuntur propter eos, qui hæredes erunt salutis? Et ante hunc Dauid canebat: Angelus Domini castrametatur circum eos, qui timent ipsum, & eripit eos. Item: Angelis suis de te mandauit, ut in omnibus uijs tuis te custodiant: Manibus te gestabunt, ne ad lapidem pes tuus offendat. Adhæc Daniel angelorum meminit, qui certis regnis & nationibus à Deo custodes constituti sint: & Christus angelos paruulorum coram facie patris sui semper comparere ait. Nec desunt exempla eorum, quibus angeli assumpta visibili specie inseruierunt. Horum ministerio è Sodomis educitur Lothus, & eorundem exercitus Iacobo visuntur, quando è Mesopotamia reuertens propter Esaui fratris occursum trepidabat. Angelum item Israelitis per desertum itineris ducem, & postea aduersus Chananæos propugnatorem fuisse traditur. Eliseus quoq; per angelos ex Syrorum insidijs fuit ereptus: & Daniel angelum Domini leonum ora obturauisse dicit, ne ipsum læderent. Præterea Apostolos angeli opera è carcere eductos fuisse, Lucas prodidit. Taceo nunc reuelationes, quas per angelos ferè Deus suis offerre solet. Taceo item quotidiana Dei beneficia, quæ per angelos confert, dum illis ducibus aut consultoribus pericula inscij & nihil de illis cogitantes declinamus. Hinc ergo consolatio petatur in periculis ne de salute nostra desperemus, si quando omni humano præsidio destituimur, cùm angelorum custodia tegamur, quorum potentia humanam longè superat. Nec minus institutioni ista seruire debent, vt illorum consyderatione ad sanctimoniam vitæ & pietatis studium excitemur, ne morum impuritate nosmetipsos spoliemus angelorum præsidio, sine quo vitam hâc tutò transigere nunquam licebit. Vidit hoc Paulus, quando de mulierum habitu differens, eas vel propter angelos modestiæ & honestati studere iubet. Et sanè, si horum semper meminissent homines, non tanta passim regnaret peccandi licentia. Angeli fidelibus seruiunt. 1.Corinth.3. Hebr.1. Psalm. 34.91. Dan. 10.12. Matth.18. Gene.19.31.32.&c. Exod.14.23.31.&c. 2.Reg.6. Dan.6. Acto.5.12. 1.Cor.11.

Addit in fine Marcus, mulieres istas viso angelo expauisse. Accidit hoc illis pro infirmitate carnis, quæ sanctis quoq; Dei seruis cum omnibus hominibus communis est: qua fit, vt sæpe terrorem incutiant, quæ consolationem afferre debebant. At tunc animos trepidantes confirmat Dominus, quod hîc quoq; factum fuisse, in proximo sermone patebit. Sufficiat nunc resurrectionis Christi Iesu historiam vidisse, quæ luculenta potentiæ ipsius argumenta continet: & hac freti constanter feramus quæcunque Deus imponet. Nunquam enim ille suos deseret, & inter huius seculi turbas, perpetuò in suis resurget, viuet & regnabit Dei filius Iesus Christus, cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen. Mulieres expauescunt.

HOMILIA CXXXIIII.

Ipse uerò dicit eis: Ne expauescatis. Iesum illum quæritis Nazarenum, qui fuit crucifixus: suscitatus est, non est hîc: ecce locus ubi posuerant eum. Sed abite, dicite discipulis eis & Petro, quòd præcedit uos in

Galilæam: illic eum uidebitis, sicut dixit uobis. Tunc abeuntes citò fugerunt à monumento: habebat enim eas tremor & stupor, neque cuiquam quicquam dicebant: Timebant enim.

Argumentum & usus præsentis loci.

ETsi Iesus Christus communis totius generis humani saluator sit, suam tamen resurrectionem, quæ nostræ salutis complementum est, mulieribus primis innotescere voluit, vt se huius quoq; sexus redemptorem esse doceret, qui peculiaribus consolationibus opus habebat: & vt hinc consolationem petant, quotquot sese adhuc infirmos & imperfectos esse sentiunt, & proinde de Dei gratia incipiunt dubitare. Et huc facit, quòd non modò illarum fides, verumetiam vitia commemorantur. Primò siquidem verborum Christi immemores, resurrectionis mysterium non intelligunt, & ideò per angelum corripiuntur. Deinde angeli conspectu terrentur, quo illas potius exhilarari oportebat. Quia tamen fidei fundamentum saluum & incolume retinent, Christi videlicet studium & amorem, non abijcit illas Dominus, sed potius earum infirmitatibus medetur. Sequitur enim angeli oratio, quæ tribus partibus constat. Prima territas consolatur. Secunda Christi resurrectionem illis denuntiat, & eandem constantissimè asserit. Tertia iubet, vt illam discipulis prædicent. Nos verò hæc ita considerabimus, vt quod illis dicitur, nobis quoq; dictum putemus, & proinde resurrectionis spe confirmati aduersa omnia patienter vincamus.

1. Angelus territas solatur.

Primum, vt splendore insolito & rei insperatæ conspectu expauefactas consoletur, ait: Ne expauescatis. Causam addit: Quæritis Iesum illum Nazarenum, qui fuit crucifixus. Vel vt Matthæus verba angeli retulit: Scio enim, quòd Iesum qui crucifixus fuit, quæritis. Sic ergo argumentatur: Quicunq; Iesum quærunt pio & sancto fidei studio incensi, hi eius maiestatem non timere, sed illa potius gaudere debent. Vos autem Iesum illum quæritis. Ergo vos etiam nequaquam terreri conuenit, cùm hæc eius maiestas vestræ simul & omnium credentium consolationi inseruiat. Quo loco obseruabis, eundem angelum, qui militibus terrori fuerat, mulieres istas tam amicè consolari, & quidem hoc argumento consolari, quòd Iesum pio & sancto studio quærerent. Hinc patet, resurrectionem Christi impijs terribilem & timoris plenam esse, pijs verò gaudium & consolationem afferre. Est hoc videre nostro seculo, sicubi per Euangelium resurgere & regnare incipit. Vt enim pij ex hoc dulcissimam consolationem percipiunt, eò quòd mentes peccatorum conscientia consternatas mirificè subleuari & confirmari sentiunt. Ita impij subito metu perculsi furores nouos concipiunt, & horribiliter tumultuantur: quando vel quæstum suum euerti vident, quem ex superstitionibus & doctrina falsa fecerunt: vel peccata sua palàm argui, & peccandi licentiam pœnitentiæ doctrina & seueriori pœnarum denuntiatione coerceri audiunt. Quia enim nemo adeò impudens est & impius, qui non iustitiæ & innocentiæ titulo sese occultare studeat, iniquissimum & intolerabile facinus carni videtur, si quis illata verbi diuini luca prætextum illum auferat. Admonet de hoc Christus, quando ait: Lux in mundum venit, & homines dilexerunt tenebras magis quàm lucem. Erant enim opera eorum mala. Omnis enim qui mala agit, odit lucem, nec venit ad lucem, ne arguantur opera ipsius. Et hinc ferè fremitus ille gentium & regum concursus oritur, quem in spiritu olim Dauides præuidit, & quem hodie passim experimur. Nec est quòd nobis otium & pacem huius mundi polliceamur. Vt primùm enim Christi regnum surgit, simul bella & pugnæ surgunt, quas ex vna parte superstitiosi hypocritæ, ex altera verò carnales & Epicuri de grege porci mouent, ne quando in ordinem redigantur. Soletur autem nos, quòd etsi horrendum furiunt & tumultuantur, in animis tamen suis graues conscientiæ terrores sentiunt, pijs interim inter medios periculorum fluctus læta & salutari animorum pace fruentibus.

Christi resurrectio pijs consolationem, impijs terrorem affert.

Ioan. 3.

Psalm. 2.

Eadem quoq; est nostræ resurrectionis ratio, quæ similiter impijs terrifica est, eò quòd tunc Iesum Christum in nubibus cœli iudicem venturum esse audiunt, coram cuius tribunali omnes homines sisti oporteat, vt in corpore suo recipiant pro vt fecerunt, vel bonum vel malum. Quomodo enim iudicem ferrent, qui Saluatorem & redemptorem agnoscere dedignantur? Quoad ergo incolumes viuunt & rebus secundis fruuntur, doctrinam resurrectionis & nouissimum Christi aduentum in dubium vocant, & vt Petrus olim prædixit, mira scurrilitate eludunt. Vbi est (inquiunt) pollicitatio aduentus eius? Siquidem ex quo die patres dormierunt, sic omnia permanent ab initio creationis.

Resurrectionis nostræ conditio eadem.
Rom. 14.
2.Cor.5.

Ita

Ita verò & spem maiorum suorum stultitiæ insimulant, & in posterum sibijpsis pollicentur, mundum nunquam interiturum esse. Nonnulli verò maiori cum impudentia linguas suas laxantes addunt: Edamus, bibamus, ludamus, & morosis illis concionatoribus relinquamus inferos & cælos, quos ad terrefaciendos simplices ex suo cerebro fabricauerunt. Omnium verò sermonum eiusmodi hic illis finis propositus est, vt momentanea aliqua consolatione, imò inani persuasione, conscientiæ terrores mitigent, qui vel inuitis oboriuntur. Et sanè durat nonnunquam ad tempus aliquod illa consolatio, vt sibijpsis non malè consuluisse videantur, quoad nimirum nihil aduersi illos exagitat. Vt primùm verò vel in mortis articulo, vel in periculis vndiq; imminentibus graue & ineuitabile Dei iudicium illis occursat, mox salutis incerti fiunt, & quia salutis authorem Christum Iesum non agnoscunt, horribiliter desperant, & cum magno suo malo experiuntur, quàm horrendum sit incidere in manus Dei viuentis. Hebr.10. Tandem, vbi Christum Iesum in nubibus cœli venire videbunt, iudicij præsentis conspectu & propriæ conscientiæ testimonio territi, miserabiliter quidem, sed absq; fructu, plangent atque mærebunt. Matth.24. At longè alia est piorum conditio. Quia enim illi iam pridem mundo mori, & carnis affectus mortificare didicerunt, & Christo addicti propter hunc mundi odia & afflictiones assiduas sustinent, illius aduentu adeò non terretur, vt potius in hoc omnem spem collocatam habeant. Hunc enim redemptionis suæ diem fore sciunt, quo corporibus suis restituti Christo per aerem obuiàm rapientur, vt in cœlesti patria regni diu sperati possessionem occupent. Lucæ 21. Ideo Paulus hinc consolationis argumenta petere iubet, quibus in mortis terrore & luctu nos mutuò confirmemus. 1.Theß.4. Idem quando sub Nerone captiuus crudele mortis supplicium in horas singulas expectabat, huius spei fiducia seipsum consolabatur. Nam ipse iam immolor (inquit) & tempus meæ resolutionis instat. 2.Tim.4. Certamen bonum decertaui, cursum consummaui, fidem seruaui. Quod superest, reposita est mihi iustitiæ corona, quam reddet mihi Dominus in illo die, qui est iustus iudex, non solum autem mihi, sed & omnibus qui diligunt aduentum ipsius. Et alibi clarius adhuc omnibus pijs in genere applicat, quod de se ipso dixit: Nostra conuersatio siue ciuitas (Græce enim est πολίτευμα, quod societatem qualis inter ciues est significat) in cœlis est, ex quo & seruatorem expectamus, Dominum Iesum Christum, qui transfigurabit corpus nostrum humile, vt conforme reddat corpori suo glorioso, secundùm efficaciam, qua potest sibi omnia subijcere, &c. Philip.3. Eandem verò patrum quoq; in veteri Testamento spem fuisse, vel vnius Iobi exemplum manifestè docet, qui in summis miserijs de resurrectione sua disserens docet, qua fiducia tentationes omnes vincat. Vtinam (inquit) scribantur sermones mei, vtinam in libro exarentur, stiloq; ferreo incidantur in plumbum aut saxum vt perpetuò durent. Iob 19. Ego scio quòd vindex meus viuit, (Sic verò Christum vocat, eò quòd frater noster factus causam nostram ex cognationis iure tueri & asserere potest) qui in nouissimo die adhibebit vim suam pulueri. Et cùm circumdederint hoc mea cute, spectabo Deum ex carne mea. Quem ego mihi contemplabor, & oculi mei videbunt, & non alius: & hoc est meum desyderium. Similiter Dauid olim canebat: Posui Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextra mea est, ideo non labar. Psalm.16. Ob id lætatum est cor meum, & exultauit gloria mea, quin & caro mea habitabit confidenter. Quoniam non derelinques in inferno animam meam, neq; dabis sanctum tuum videre corruptionem. Etsi enim vltima hæc verba de Christo propriè dicantur, cuius typum Dauides sustinuit, simul tamen ad singulos credentes referri possunt, quorum corpora quàmuis in terram resoluantur, non tamen æternùm pereunt, sed olim resuscitata incorruptibilitatem induent. Atque hac ipsa spe sancti Martyres olim tyrannorum minas & horribiles suppliciorum cruciatus constanter vicerunt, & eadem etiam hodie vincunt, quotquot pro Christi nomine mortem subeunt, vel alijs calamitatibus & aduersis exercentur. Docent hæc quàm magnus quæstus sit pietas, quæ vt huius vitæ molestijs medetur, ita mortis recordationem dulcissimam reddit, quæ impijs acerbissima esse solet, & sola tunc iuuat, quando ex omnibus quæ in hoc mundo eximia habentur, nulla vel vtilitas vel consolatio ad nos redire potest. 1.Timoth.4.

Sequitur secunda orationis angelicæ pars, qua Christi resurrectionem mulieribus denuntiat, & illi multiplex fert testimonium. Primò enim (vt Lucas scribit, illis suam ὀλιγοπιστίαν & quòd promissionum Christi parum memores essent, exprobrat, dicens: Quid quæritis viuentem cum mortuis? Innuit ergo adeò verum esse, quod de resurrectione sua prædixerit sæpius, vt nõ leuem reprehensionẽ

II. Christi resurrectionem nuntiat.

mereantur, quicunque de illa dubitarint. In præsenti verò rem ita proponit, vt singula verba suum pondus habeant, adeoq; omnibus ijs studiose occurrit, quæ resurrectionis Christi veritatem in dubium vocare, aut suspectam facere poterant. Nam primò, ne de alio quopiam loqui videatur, illum disertè nominat, quem ipsæ quærebant. Iesum illum quæritis (inquit) Nazarenum, qui fuit crucifixus. Deinde illum ipsum suscitatum esse testatur. Tertiò addit, Non est hîc: vt doceat illum in sepulchro non amplius quæri debere. Et ne quid dubitarent, subiungit: Ecce locus, vbi posuerant eum. Neque istis contentus, Christi verba quoq; illis in mentem reuocat, ne quid insolens hîc factum putarent, & vbi Christum inuenturæ sint docet, nimirum in Galilæa, quò se præiturum esse, non semel promiserit.

Christum corpore suo uero resurrexisse.

Cæterùm nemini superuacanea censeri debet hæc angeli diligentia. Quia enim mortuorum resurrectio res maximi momenti est, & quæ humanæ rationis captum longè superat, & proinde vix fidem inuenit, omnino necesse fuit, Christi resurrectionem, cui nostra innititur, & quæ (vt Theodoreti verbis vtar) communis resurrectionis fideiussor est, certissimis & minimè ambiguis testimonijs probari, quæ illum non modò resurrexisse, sed in resurrectione verum suum corpus, & veri corporis proprietates retinuisse docerent: quales sunt, suis membris & partibus constare, palpabilem esse, & certo loco contineri. De infirmitatibus enim & vitijs, quæ corporibus nostris inhærent (qualia sunt fames, sitis, fatigatio, morbi, corruptio, generatio & alia huius generis) nihil nunc dicimus: eò quòd illa corporum accidentia potius debeant censeri, quæ ex peccati noxa & culpa contraximus, eadem suo tempore in mortuorum resurrectione deposituri per clarificationem, quæ infirmitates & vitia auferet, corporis verò substantiam & propria minimè tollet. At Christum illa retinuisse cum corpore clarificato resurgeret, omnes huius historiæ circumstantiæ, deinde singula angeli verba, adhæc quæ mox secuta sunt, abunde docent. Primò enim angelus cœlo delapsus lapidem ab ostio sepulchri reuulsit, nimirum vt corpori Christi vero & palpabili exitus pateret. Neque illud nos primi dicimus, sed eandem olim vetteris ecclesiæ sententiam fuisse, ex Leonis Romani eposcopi scriptis patet, quem circiter annum à nato Christo quadringentesimum quartum sedem Romanam obtinuisse constat, quando Constantinopoli Eutychina hæresis exorta est, quam non multò post Chalcedonensis Synodus damnauit, in qua episcopi sexcenti conuenerunt. Leo itaque vt veram Christi humanitatẽ assereret, inter alia hoc etiam argumento usus est. Nam ad Palestinos scribens, ait: Dicant igitur isti phantastici Christiani quæ substantia saluatoris affixa sit ligno, quæ iacuerit in sepulchro, & reuoluto monumenti lapide, quæ tertio die caro surrexit, vel quale corpus Iesus discipulorum visui, clausis ad eos ostijs ingressus, intulerit, cùm ad abigendam cernentiũ diffidentiam, inspici oculis digitisq; tractari, patentes adhuc fixuras clauorum, & recens compuncti lateris vulnus exigeret? Quæ verba satis testantur, veteres in Christi resurrectione nullum miraculum finxisse, quasi lapide nondum reuoluto per illum corpus penetrarit, sicq; miraculose sepulchro egressus sit. Nec tamen omnipotentiam eius negamus, quin fatemur, illum multa sæpe præter naturæ leges fecisse, & nunc etiam infinitos alios habuisse modos, quibus è monumento prodiret, sed nihil illum voluisse facere dicimus, quod vel resurrectionis vel corporis ipsius veritatem in dubium vocaret. Deinde angeli verba huic sentẽtiæ apertè suffragantur, quibus illum non amplius illic loci esse ait, quò ipsum posuerant. Quòd si illic non fuit, certè nec vbique fuit, sed locum habuit certum in quo tunc degebat. Et idem veteres nobiscum sensisse, Theodoreti verba testantur, quibus de corpore Christi resuscitato & iam clarificato sic scribit: Non est mutatum in naturam diuinitatis, sed post resurrectionem est quidem & immortale & à corruptione & interitu alienum, & diuina gloria plenum, sed tamen corpus est quod habet propriam circumscriptionem. Accedunt his infinita alia testimonia, maximè ipsius Christi, qui per dies quadraginta multis & varijs apparitionibus probauit, se & corpore suo, quod prius habuit, resurrexisse, & eiusdem proprietates veras in resurrectione seruasse. Primò enim prope sepulchrum Mariæ Magdalenæ visus est, quæ cùm initiò hortulanum esse putaret, postea illum sibi loquentẽ agnouit. Deinde alijs quoq; mulieribus, cùm à sepulchro reuerterentur, occurrit, & illis salutem dixit. Postea duobus discipulis Emauntem proficiscentibus sese itineris comitem adiunxit, qui post longum colloquium tandem ex panis fractione ipsum agnouerunt, cùm prius oculi ipsorum tenerentur, quò minus illum agnoscerent. Vbi non oscitanter præteriri debet, quod de oculis eorum dicitur, ne quis in Christi corpore mutationem eiusmodi factam putet, quæ carnis substantiam & corporis proprietates

Dial. 3. qui inscribitur Impatibilis.

Acto. 1.

Ioan. 20.

Matth. 28.

Lucæ 24.

tates

tates abstulerit. Eodem die ad discipulos simul congregatos ingressus est, quibus sese contrectandū præbuit, & cùm expauefacti spectrum se videre putarent, magna cum grauitate dixit: Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in cordibus vestris? Videte manus meas & pedes meos, quia ego ipse sum. Contrectate me & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Quid verè clarius dici poterat? Membrorum enim meminit, carnis item & ossium, quæ præcipuæ corporis humani partes sunt: & illos se non videre modò iubet, verumetium contrectare. Nec illo contentus est, sed ne illis maneat dubitandi occasio, cibum ferri iubet, & ipsis videntibus edit, vt se non membra tantùm, sed illorum usum quoque habere ostendat, licet clarificatis corporibus nec cibo nec potu opus sit, cùm omni corruptione sint exempta. Præterea cùm Thomas, qui solus quando hæc agebantur, abfuerat, hæc narrantibus discipulis non crederet, iterum comparens, illi clauorum vestigia videnda & latus quoq; contrectandum præbet. Rursum ad mare Tiberiadis piscantibus discipulis adest, & se Christum esse insolita piscium captura declarat, & cum ijsdem prandium sumit. Paulum ipsum plus quingentis fratribus simul collectis visum fuisse scribit. Adde his milites, quorum testimonium cùm ne ipsi quidem sacerdotes reijcere possent, ab illis silentium pecunia multa redemerunt. Neq; omitti debent mulierū testimonia, quæ etsi discipulis somniare & delirare viderentur, constantissimè tamen affirmarunt Christi resurrectionem, cuius certa & infallibilia argumenta viderant. Quòd si Apostolos audiamus, nihil illi frequentius & constantius inculcare solent, quàm Christum Iesum à mortuis excitatum, nunc in cœlis viuere, & illic nostrum mediatorem & aduocatum coram patre comparere. Petrus certè apud Cornelium de Christo disserens, inter alia inquit: Hunc Deus suscitauit tertio die, & exhibuit eum, vt manifestus fieret, non toti populo, sed testibus prius, ad hoc delectis à Deo, nimirū nobis, qui comedimus & bibimus vnà cum illo posteaquàm à mortuis resurrexit, &c. Quid multis? nullum ego fidei articulum extare scio, qui pluribus minusq; ambiguis testimonijs probatus, adeoq; sensibus nostris tam apertè propositus est, quàm hic est, quo Christum vero suo corpore, quod in Mariæ virginis vtero assumpsit, resurrexisse fatemur.

Ioan. 20.
Ioan. 21.
1. Cor. 15.
Lucæ 24.
Act. 10.

Contra ubiquitatem corporis Christi.

Ergo turpis illorum error est, qui Christi corpus in resurrectione exinanitum vel Deificatum esse somniant, vt positis veri corporis proprietatibus iam nullo certo loco sit, sed per totam huius mundi machinam mirabili & ineffabili modo diffundatur. Monstrosum dogma nouum quoq; & monstrosum vocabulum nobis peperit, vt Vbiquitas iam omnium ore versetur, infelix sanè partus, qui Christiani nominis professores hostibus publicis, imò Turcis & Iudæis deridendos propinat. Dogmatis verò tam absurdi causam dedit infelix, quæ circa mysticam cœnam Domini exorta controuersia, ecclesias iam annis aliquot miserè exagitauit. Vt enim suam sententiam tueri possint, qua Christum naturali & vero corpore in Cœna præsentem esse, & in vel cum pane bonis simul & malis, pijs & impijs verè & substantialiter manducandum exhiberi docent: ad eiusmodi opinionum portenta & scopulos scandalorum, contentionum fluctibus abripiuntur. Vident enim illam consistere nullo modo posse, si Christi corpus post resurrectionem proprietates suas & propriam circumscriptionem (vt Theodoretus ait) habere fateantur. At si verè & ex animo sentiunt sicuti loquuntur, quid obsecro ad Christi resurrectionem respondebunt, in qua corporis ipsius veritas tot argumeutis & testimonijs asseritur? Quid de eo dicent, quòd corpus illud in cœlos ascendisse scriptura docet, vbi illud mansurū Petrus dicit, vsq; ad tempora restitutionis omnium? Scio illos ad miraculum confugere, & cœlos locum certum esse negare, adeoq; ascensionis historiam in dubium vocare, quasi in illa nullus corporis motus ex loco in locum factus sit, sed mutatio tantùm, vt qui prius visibiliter in terris versabatur, nunc inuisibilis factus, verè tamen & corporaliter nobis adsit. At quis errorum & portentorum finis erit, si pro nostro arbitrio ipsi nobis miracula fingimus, quorum scriptura nullam facit mentionem? Aut quæ ratio mouet nos, vt historicas de Christo narrationes, in quibus Euangelistæ cum simplicitate summam diligentiam coniungunt, mysticis expositionibus obscuremus, tropum verò omnem ceu nefas aliquod abominemur in locutionibus sacramentalibus, quas omnis vetustas pro figuratis agnouit, & in quibus ipsa necessitas ad tropos cōfugere docet, ne signa pro rebus veneremur, quam miserrimam animarum seruitutem esse olim Augustinus monuit? Vel num Christum post resurrectionem corpus suum videndum & contrectandum exhibuisse putas, vt nos iam illud inuisibile & impalpabile & per omnia diffusum esse credamus? Fide hîc opus esse aiunt, quia ratio huma-

Acto. 3.

Rom.10. na hæc capere non poßit. Audio. At fides Dei verbo nititur, quòd cùm ista nuſpiam doceat, non hæc fides erit, sed vanißima & temeraria persuasio, vel opinio potius: si quid tale ipsi nobis imaginemur. Adde, quòd nostrorum corporum resurrectio cumprimis obstat, ne istis opinionibus locum demus. Philip.3. Hæc enim olim clarificato & glorioso Christi corpori conformia & similia fore, Apostolus testatur. Iob.19. Iisdem verò scriptura oculos, cutem, carnem & ossa tribuit. Hæc ipsa ergo corpori Christi adimere non poterimus, nisi eadem in nobis locum habitura esse negemus.

Resurrectionis Christi fructus. Porrò nemo putet, ista præter rationẽ tam multis vrgeri. Nisi enim de vera Christi resurrectione nobis probè cõstet, vniuersa nostræ salutis ratio periclitabitur, & qui ex illa dependent saluberrimi fructus omnino intercident. 1. Complementum nostræ salutis. In hac enim nostræ redemptionis & salutis complementum consistit. Quia frustra pro nobis mortuus esset Christus, nisi etiam mortẽ vicisset, cuius duro imperio & tyrannide premebamur. At hanc ab illo deuictam esse patet, quãdo propria virtute eius vincula excußit, & à mortuis suscitatus est. At quia mors per peccatum ingressa est in mundum, & ex peccato omne eius imperium dependet, hoc quoq; simul sublatũ sit oportet, cùm mors deuicta Christum non potuerit detinere. Lucæ 11. Quomodo enim quis deuincet fortem aliquem, nisi illum prius exarmauerit? Vides ergo vniuersam redemptionis nostræ fiduciam & certitudinem in Christi resurrectione fundatã esse. Vnde Rom.4. Paulus dicebat: Traditus est propter peccata nostra, excitatus autẽ à mortuis propter iustificationem nostri. 1.Cor.15. Item alibi: Si Christus non resurrexit, superuacanea est fides vestra, adhuc estis in peccatis vestris. Igitur & qui obdormierunt in Christo, perierunt, &c. Ex quibus verbis nos inferre aut concludere possumus: At resurrexit Christus & resurgendo mortem deuicit. Ergo fides nostra superuacanea non est, nec amplius sumus in peccatis nostris, & proinde non pereunt etiam, qui in illo Ioan.5. obdormiunt, sed (sicuti ille promisit) à morte transeunt in vitam æternam. Quin horum fiducia con-Hos.13. firmatis cum propheta Pæana canere licet: Vbi tuus ô mors aculeus? Vbi tua inferne victoria? Atqui hîc non vulgaris resurrectionis Christi fructus est. Quoties enim peccatorum conscientia tentamur, & mortis terrores sentimus, hinc consolationem certam & dulcißimã petere possumus. Quàm enim certum est, Christum à mortuis resurrexisse, tam certò constat, ipsius merito & virtute peccatum omne sublatum, & mortem simul deuictam esse, &c.

2. Animarum immortalitas asseritur. Deinde ex Christi resurrectione animarum immortalitas argumento irrefragabili cognoscitur. Suam enim animam moriturus Deo patri cõmendauerat: quæ si in morte periisset, aut in aerem dispersa, vel in nihilum redacta fuisset nec ad corpus suum redire, nec in illo vitæ officia obire poterat. Ioan.12.13. Matth.26. Christum verò vnà cum corpore animam quoq; verè humanam assumpsisse, vel ex eo constat, quòd illam contristari, affligi & excruciari ipse non semel testatus est. Eadem ergo est nostrarum quoque animarum conditio, quòd nimirum corporis vinculis solutæ non intereunt, sed superstites manent, & in locum ipsis à Deo destinatum colliguntur. Atqui hoc illud est, quòd Christus credentes à morte in vitam transire ait, & quòd latroni nuper dixit: Hodie mecum eris in paradiso. Ita verò aduersus mortis terrores Christi resurrectio solatur, ne dum illi iam morituris ob oculos versantur, de animarum salute incerti fluctuemus, sicuti nuper de Imperatore Adriano diximus. Ea enim est impiorum sors, quòd cùm inter huius seculi gaudia securi rideant quicquid de animarum immortalitate & vita æterna dicitur, morituri horribiles cruciatus sentiant, & quia de corpore iam actum esse vident, de animarum migratione soliciti esse incipiunt, & quò se vertant ignari animas suas cum indignatione (vt poetæ annotarunt) exhalant. Vitaq; cum gemitu fugit indignata sub umbras. Verg. Pij verò vt in reliquis tribulationibus gaudent, ita quò propius ad vitæ finem accedunt, eò maiori fiducia ad patriam cœlestẽ aspirant, adeoq; cupiunt dissolui, vt Christo conuersentur, quem peccati & mortis victorem agnoscunt. Vide Philip.1.

3. Resurrectio corporũ asseritur. Tertiò Christi resurrectio nostrorũ quoq; corporũ resurrectionẽ asserit. Vult enim nos secũ esse, & se nobis locũ in cœlis parauisse dicit, in quẽ nos sub nouißimũ ipsius aduentũ trãsferri oporteat. Ioan.12.17. & 14. Sed in morte nõ mansit Christus. Ergo nec nos in illa manebimus. Præterea caput nostrũ est Christus, à quo membra diuelli non possunt, nisi totius corporis interitũ statuere velimus. Quia ergo ille resurrexit, nos quoq; resurgamus oportet. Nisi enim hoc fiat, nos per mortem à Christo separari fatebimur, quod Rom.8. factu impossibile esse Paulus testatur, quãdo dicit: Persuasum mihi habeo, q neq; mors neq; vita, &c. neq; vlla creatura alia poterit nos separari à dilectione Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Rom.14. Item: Si viuimus, Domino viuimus: si morimur, Domino morimur. Siue igitur viuamus, siue moria-

mur

mur, Domini sumus. In hoc enim Christus & mortuus est, & resurrexit, & reuixit, vt mortuis ac viuentibus dominetur. Et huc facit argumentum, quo supra vsus est Christus contra Sadducæos, quando Deum Abrahami, Isaaci & Iacobi Deum esse dixit, & ex eo illos viuere & olim resurrecturos esse, probauit. Quòd item Lazarum suum amicum dicit, postquam ille iam mortuus & sepultus erat. Postulat hoc ipsum Dei iustitia, vt qui cum Christo mortui sunt, cum eodem viuant: puniantur autē, qui omni disciplinæ iugo excusso aduersus ipsum proteruiunt & voluptuantur. Quia enim in hoc seculo remuneratio aut omnino nulla, aut admodū rara et exigua est, in futuro seculo eam statuere oportet, nisi Deum omni iustitiæ laude spoliare libeat: qua de re cùm alibi plura dicta sint, hæc modò annotauisse sufficiat. Marc.12. Exod.3. Ioan.11. 2.Timoth.2.

Est præterea fructus quidam resurrectionis Christi mysticus seu allegoricus, quo docemur, vt ipsi quotidie peccato mori, & in Christo ad vitæ nouitatem resurgere debeamus. Commendat hunc nobis Paulus his verbis: An ignoratis, quòd quicunq; baptizati sumus in Christum Iesum, in mortē eius baptizati sumus? Sepulti igitur sumus vnà cum illo per baptismum in mortē: vt quemadmodū excitatus est Christus ex mortuis per gloriā patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Nam si insititij facti sumus illi per similitudinem mortis eius, nimirū & resurrectionis participes erimus, illud scientes, quòd vetus ille noster homo cum illo crucifixus est, vt aboleretur corpus peccati, vt posthac nō seruiamus peccato. Etenim qui mortuus est, iustificatus est à peccato. Quòd si mortui sumus cum Christo, credimus, quòd & viuemus cum eo: scientes quòd Christus excitatus à mortuis non amplius moritur, mors illi non amplius dominatur. Nam quòd mortuus fuit, peccato mortuus fuit semel: quod autē viuit, viuit Deo. Itaq; & vos existimate, vosipsos mortuos quidē esse peccato, viuere autē Deo per Christum Iesum Dominum nostrum, &c. Adde his, quæ ad Coloss. idem Apostolus scribit: Si resurrexistis vnà cum Christo, superna quærite, vbi Christus est ad dextram Dei sedens. Superna curate, non terrestria. Siquidem emortui estis, & vita vestra abscōdita est cum Christo in Deo, &c. Poterant hæc multis declarari, & peculiarem Sermonem requirerent. Sed cùm passim occurrat de illis dicendi occasio, & non tam consyderatione acuta quàm diligenti actione seu praxi opus habeant, pauculà hæc Christianis hominibus possunt sufficere. 4. Vitam & mores instituit. Rom.6. Colos.3.

Transeamus nunc ad tertiam orationis angelicæ partem, qua mulieribus præcipit, vt Christi resurrectionem discipulis nuntient, & quidē Petro imprimus, qui quòd Christum abnegasset, indignus videri poterat qui discipulorum loco haberetur, & salutis in Christo consors esset. Nec modò resurrectionem indicare iubet, sed quòd in Galilæam ipsis præeat, vbi illum visuri sint, sicuti aliâs promiserit. Id verò non pugnat cum eo, quòd illum eo ipso die discipulis visum fuisse, supra diximus. Nam in præsenti de peculiari & imprimis insigni apparitione angelus loquitur, in qua Christus non modò se discipulis simul omnibus videndum exhibuit, verumetiam regni sui mysteria (ut Lucas in Actis testatur) illis exposuit, & Apostolis docendi munus commisit. Et huc referri debet, quod Matthæus in fine libri sui Euangelici ad hunc modū narrat. Vndecim discipuli abierunt in Galilæam, in montem ubi constituerat illis Iesus. Et cùm vidissent illum, adorauerunt eum: quidam autem dubitauerunt. Et accedens Iesus locutus est eis: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra: euntes ergo docete omnes gentes, &c. Voluit autem huius apparitionis, seu potius promissionis, angelus mentionem facere, quia & ad regni Christi illustrationem maximè pertinuit, & simul argumentum fuit euidens, quo ostendebatur discipulos non reiectos fuisse à Christo, licet aliquid humanitus passi essent. Admonet igitur locus iste, resurrectionis Christi meritum & fructus dulcissimos ad omnes eos pertinere, qui illius discipuli sunt, nec quenquam ob suam vel infirmitatem vel indignitatem desperare debere, quasi à regno suo Christus exclusum velit. Nam si discipulos inspiciamus, multa illis defuisse patebit, quæ ad Christianam perfectionem faciunt. Nam & Christi desertores fuerunt, & meticulosi nimis adhuc latent, nec in publicum prodire audent, adeoq; mulierculis istis formidulosiores sunt, quæ ad sepulchrum exire non dubitarunt. Deinde verborum Christi immemores, pro deliramentis & somnijs habent, quæ à mulieribus de eius resurrectione dicebantur. Attamen suam resurrectionem Christus illis annuntiari vult, & apud Matthæum illos fratrum nomine dignatur: hîc verò Petrū angelus disertè nominat, qui vitijs modò commemoratis turpem quoq; addiderat Christi abnegationem. Quia enim verbum Christi nondum abiecerant, adhuc pro mundis censeri possunt, sicuti in vlti- III. Iubet resurrectionem Christi nuntiare discipulis. Acto.1. Matt: 28. Fructus dulcis[illegible] Resurrectionis Ioan.20. Lucæ 24. Ioan.15.

ma Cœna Dominus dixit. Nihil ergo est, quod Christum Iesum à nobis alienare possit, modò fidei scintillam seruemus. Reuera enim is est, qui arundinē quassatam non conterit, & liniū fumigans non extinguit. Et cùm ipse nostras infirmitates sustinuerit, nobis condolere potest & compati. Vide Hebr.2.&c.

Isaiæ 24. Matth.12.

Mulieres timent.

Addit his in fine Marcus quædam de mulieribus. Tunc (inquit) abeuntes citò fugerunt à monumento: habebat enim eas tremor & stupor, neq; cuiquam quicquam dicebant. (Inter eundum scilicet, donec ad discipulos ventum est, quibus omnia fide bona narrauerunt.) Timebant enim: Sunt hæc (vt nuper diximus) humanæ infirmitatis argumenta, qua fit, vt gloriæ cælestis splendorem ferre non possimus. Extant huius generis exempla in prophetis & Apostolis passim, quæ eorum ambitiosam temeritatem arguunt, qui reuelationibus diuinis gloriantur, quales ferè sunt Monachi & Anabaptistæ, qui vel eo indicio probant, se à sanctorum moribus esse alienissimos, quos suam infirmitatem fateri non pudet, nec ita ambitiose apparitiones eiusmodi iactitant.

Dan.10. Matth.17. Apoc.1.&c.

Et hæc in resurrectionis Christi Iesu historiam dicta sint. Proderit autem istorum consyderatio, si ex ijs Christum peccati & mortis victorem agnoscamus, & beatæ immortalitatis ac futuræ resurrectionis spe extimulati, peccato moriamur, ad vitam verò nouam & à Deo sacram resurgamus in eodem illo Iesu Christo, Domino & saluatore nostro: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CXXXV.

Cùm aūt resurrexisset Iesus, mane primo die hebdomadæ, apparuit primùm Mariæ Magdalenæ ex qua eiecerat septem dæmonia. Illa profecta renuntiauit ijs qui cum ipso fuerāt, lugentibus ac flentibus. Et illi cùm audissent quòd uiueret, & spectatus esset ab ea, non crediderunt.

Argumentum & usus præsentis loci.

QVoniam resurrectio Christi nostræ redemptionis complementum est, & simul nostrorum corporum resurrectionē asserit, quæ vt à carnis sensu nō facilè percipitur, ita si verè percipiatur & credatur, nostræ institutioni & consolationi plurimùm seruit: non temerè illam multis & euidentibus testimonijs probari oportuit. Et hîc quidem Euangelistæ alij alias historias describunt, vt modò his, modò illis sese conspiciendum exhibuerit: vt hæc omnia in vnum collata huius articuli fidem magis confirment. Marcus verò etsi breuitati studeat, ex omnibus tamen tres deligit, quibus partim docet, Christum vero suo corpore à mortuis resurrexisse, & post resurrectionem veri corporis proprietates retinuisse: partim in discipulis nostræ tarditatis exempla proponit, vt hac agnita ad ardentius salutis studium excitemur. Nobis verò istorum omnium hic vsus esse debet, vt per illum impleta esse intelligamus, quæcunq; olim de humani generis redemptione prædicta fuerunt, & proinde ipsum huius vnicum esse redemptorem, quo vno niti oporteat omnes eos, qui salutem consequi cupiunt.

Christus Magdalenæ manifestatur.

Primùm Mariæ Magdalenæ occurrit Christus, & quidem summo mane eius diei, quo à mortuis resurrexerat. Historiā per singulas partes diligentius Ioannes exponit. Quantum uerò ex Matthæo colligere licet, eodem diluculo non multò post mulieribus omnibus quæ ad vngendum corpus ipsius venerat, se obuium dedit, & cùm illas salutasset, præcepit, vt suam resurrectionem discipulis nuntiarent, quos (vt nuper diximus) fratres suos dicere dignatur. Marcus verò & Ioannes solius Magdalenæ meminerunt, quia huic primæ visus est, & in illa peculiare bonitatis diuinæ specimen elucet. Et huc facit personæ descriptio, qua docetur, quæ antea huius conditionis fuerit. Ex qua (inquit) septē dæmonia eiecerat. Septem dæmonia immanem diaboli tyrannidem denotat, qua illam oppresserat, vt in illa non vnius modò dæmon, sed multi & innumeri dominium obtinere videri possent, sicuti de illo scribitur, quem tota legio dæmoniorum exagitauit. Scimus enim septenarium numerū in scripturis perfectionis aut plenitudinis notā esse, & apud prophanos quoq; scriptores non rarò numerus finitus pro infinito vsurpatur. Et ipse Christus infelicissimam & deploratam eorum conditionem descripturus, qui per suam socordiam in diaboli seruitium relabuntur, spiritum immundum, qui ex illis pulsus fuerat, assumptis septem alijs dæmonijs se multò deterrioribus ad illum redire ait, & tunc

Magdalenæ prior conditio. Marc.5. Matth.12.

tunc postrema illorum hominum primis deteriora fieri. Dum ergo Magdalenam septem dæmonijs aliquando exagitatam fuisse scribitur, illam omnibus modis infelicißimam, & turpißimum diaboli mancipium fuisse innuitur, cui tam corpore quàm animo seruierit. Vnde pleriq; eam peccatricem illam infamem fuisse existimant, quæ Christi pedes lachrymis abluisse & capillis tersisse apud Lucam scribitur, cùm ille apud Simonem quendam Pharisæum discubuisset. Quorũ sententiam vt audacius reijcere nolim, ita nec temerè ausim affirmare, quod Euangelista non expreßit: nec causam video vllam quæ Lucam mouerit, vt nomen Magdalenæ illic reticeret, quum illam mox sequenti cap. inter eas numeret, quæ Christo comites indiuulsæ fuerunt. Sufficiat nobis eam fuisse illius conditionem, vt planè negligi mereretur, & vt Christum illius nõ immeritò pudere potuerit, nisi gratia singulari illius misereri voluisset. Quæ vnica causa fuit, quod ex Satanæ tyrannide liberatam inter suos familiares habuit, & nunc primam esse voluit, cui se resuscitatum visendum exhiberet. Luc.7.

Agnoscamus hìc immensam Dei bonitatem, qua ille peccatores eos quoq; in gratiam recipit, quorum salus omnino deplorata videri poterat: & proinde non statim desperemus, si quando nos grauius labi contingat. Nam vt Iacobus ait, in multis labimur omnes, nec vnus modò dæmon suum in nobis imperium exercet, dum modò ambitionis spiritu inflati turgemus, modò inuidiæ & odij spiritu arrodimur, modò intemperantiæ spiritu obruimur, modò libidinis spiritu in scortationis cœnum præcipitamur, modò ira abrepti insanimus, ita deniq; affectibus vexamur vt nulla purioris cognitionis Dei indicia appareant. Imò ea est naturæ nostræ corruptio, vt iustitiæ nostræ centonum instar sint, & instar panni menstruæ mulieris. Digni ergo quos non modò negligat Deus, sed æternæ dãnationi mancipet, si suo iure nobiscum agere instituat. At hìc primùm illud occurrat, quod in Psalmis habetur: Ratio iniquitatum nostrarum superauerat nos, tu verò transgreßiones nostras expiauisti. Est enim vberior multò profundior fons misericordiæ Dei, quàm vt à quoquã exhauriri queat: & illius promißio est: Viuo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut cõuertatur & viuat. Nec misericordiæ modò immensæ est Deus, verumetiã potentiæ inuictæ & insuperabilis, vt nec ipsæ portæ inferorũ eos à salute prohibere poßint, quos Deus è peccatorũ laqueis liberatos vult. Huius opus est, quod Abrahamus, cùm inter idololatras versaretur, relicto natali solo, salutis promißionẽ acciperet. Idem Mosen aureis aulicæ vitæ compedibus vinctum eduxit, vt cum fratribus potius omnia aduersa perpeti, quàm cum impijs ecclesiæ hostibus voluptuari vellet. Imò cùm hoc Israelitas omnes ex Ægyptiaca seruitute asseruit. Eiusdem potentia Lothum seruauit, ne vel scelesta Sodomorum conuersatione pollueretur, vel cum illis eodem supplicio periret. Simili gratia & virtute Dauidem cruento libidinis cœno immersum extraxit, Matthæum item & Zachæum vnà cum multis alijs publicanis & meretricibus ex fœda flagitiorũ seruitute asseruit. Quibus & nostra hæc Magdalena adnumeratur cum multis alijs, quorum exempla commemorare longum foret. Nobis autem (vt supra diximus) in eum finem obseruanda sunt, vt ex ijs consolationem petamus, si quando peccatorum conscientia tentamur, & ignitis desperationis telis satan fidem nostram expugnare conatur: nec etiam de aliorum salute statim desperemus, quos satanæ laqueis aliquando detineri cernimus.

Bonitas & potentia Dei in suis saluandis. Iacobi 3. Isa.64. Psal.65. Ezech.18. Iosu.24. Gene.12.&c. Hebr.11. 2. Sam.12. Matth.9. Luc.19.

Ne verò ista consyderatio impunitatis spem in nobis excitet, & peccandi licentiam pariat, in Magdalenæ exemplo simul videre oportet, quid illa fecerit, postquàm Christi beneficio ex diaboli potestate fuit liberata. Primò Christum secuta est, & illi comes indiuulsa adhæsit, licet multa essent, quæ ne istud faceret, impedire poterant. Sequitur autem non otiosa, & vt hoc prætextu suæ ignauiæ & gulæ consulat, vt qui hodie sub religionis prætextu monasticam vitam deligunt: sed Christo inseruit, & in illum confert facultates, quas vel malè acquisiuerat, vel quibus antea ad libidinem & voluptates illicitas fuerat abusa. Adhæc ne mortuo quidem Christo illius quærendi studiũ abijcit. Et nunc iubenti vt discipulis renuntiet quid viderit, absq; vlla tergiuersatione obtemperat, nec carnis rationes admittit, quæ diuersum poterant suadere. Quid? tune prima eris eius rei nuntia, quæ vt vix vlli credibilis videbitur, ita sacerdotum animos rabie noua accendere poterit? Aut uerum est quod vidisti, aut inanis & vana mentis solicitæ & consternatæ illusio. Si verè resurrexit Dominus, non deerunt infiniti alij modi, quibus sese manifestet, & quidem maiori cum fide. Quis enim credat fœminæ? Quis in re tanta fidem illi adhibeat, cuius fama ob vitam malè & infeliciter transactam adhuc apud multos periclitatur? Quòd si hæc illusio quædam fuerit, quibus ludibrijs teipsam simul &

Magdalenæ cõuersio. Lucæ 8.

& fidem expones, quam hucusq; es professa? Hæc & alia huius generis infinita in mentem venire potuerunt, quò minus Christo obediret. Sed omnibus hisce rationibus contemptis fidele illi obsequium præstat. Et hæc sunt eorum officia, quos Christus ex diaboli tyrannide liberatos ad sese conuertit. Sequantur illum, partim fide, vt in illo vno salutem omnem contineri credant, partim vitæ conuersatione, vt relictis prioribus studijs Christi exemplum sibi imitandum proponant. Seruitio eius sese & suas facultates omnes consecrent. Illum assiduo verbi studio ac precibus indefessis quærant. Voluntati verò eius obtemperent, & huic subijciant sensus omnes vnà cum rationibus omnibus quas vel mundus hic, vel satan, vel caro, in diuersam partem adducere consueuerunt. Hæc sunt fidei exercitia, quæ in omnibus ijs inuenire licet, quos scriptura nobis fidei nomine commendat. Hodie fidem multi profitentur: at si ista quæras, vel nulla, vel perquàm rara & obscura inuenies.

Vt discipuli Magdalenæ nuntium acceperint.

Porrò discipulos videamus, quibus mulieres istæ Christum resuscitatum nuntiare iubentur. Desident illi lugentes & flentes. Pius quidem dolor, sed non secundum scientiam. Debebat enim in Christi resurrectionem intenti fuisse, quam ille toties promiserat, & qua illos in vltima Cœna fuerat consolatus. Sed tam alieni sunt ab ea cogitatione, vt ne mulieribus quidem credant ea dicentibus quæ ex Christo sæpius audierant. Imò, vt Lucas annotauit, verba illarum pro delirijs habent, aut fabulis anilibus. Quo exemplo adumbratur, quod sit carnis nostræ iudicium de resurrectione. Etsi enim eius exempla passim extent in rerum natura, carni tamen vix possibile videtur, vt resurgat, qui semel hac vita defuncti fuerunt. Differunt tamen hîc multùm pij ab impijs. His enim, cùm nihil præter carnalia sapiant, resurrectio mortuorum prorsus fabula videtur, & omnem eius mentionem scurriliter rident, sicuti Atheniensium & Festi præsidis exemplo Lucas in Actis docet. Et hodie multorum scurrilia dicta passim audiuntur, qui omnia ea in dubium vocare satagunt, quæ de beatæ immortalitatis spe & corporum resuscitatione ex scripturis docemus. At longè alia est piorum ratio, qui etsi interdum ignorantia decepti errent, aut cruce offensi nonnihil dubitare incipiant, adeoq; metu absorpti interdum promissionum vitæ futuræ ad tempus obliuiscantur, manet tamen in illis vitæ illius promissæ desyderium, & verum esse cupiunt quod de illa dicitur, & proinde institutionem admittunt, sicq; perpetuò cum dubitatione & diffidentia luctantur.

1. Cor. 15.

Act. 17. & 26.

Petrus ad sepulchrum excurrit.

Est hoc in Petro videre, qui (vt idem Lucas scribit) etsi mulierum verbis fidem nō satis habeat, mox tamen cum Ioanne, dilecto Christi discipulo, ad sepulchrum excurrit, illud ipsum ingreditur, lintea quæq; suo loco posita inuenit (quod nouum erat Christi resuscitati, non furto sublati, argumentum) adhuc tamen stupore & admiratione impeditus, rem ipsam, vt erat, non potest intelligere. Est autem diligenter obseruanda hæc nostræ carnis tarditas, vt huius consyderatione ad studium salutis ardentius excitemur, nec superuacaneam putemus institutionem, quam nobis Deus quotidie vult adhiberi. Si enim hoc tanto Apostolo in re tanti momenti & toties à Christo promissa accidit, quid de nobis sperabimus, quorum infirmitas maior est, quàm vt illi simus vlla ex parte conferendi? Interim Petri exemplo discamus, quid eos deceat, qui aliquando per infirmitatem lapsi sunt. Hic illis studiorum omnium scopus sit, vt Christum denuo inueniant, & illi coniungantur. Fiet hoc, si relictis ijs, qui ipsis lapsus authores fuerunt, ad ecclesiam redeant, cui Christus se præsentem semper fore pollicitus est, & in qua (vt Dauid inquit) nidum inueniunt, qui aliquando passerum & hirundinum instar sunt vagati. Hîc verò festinatione opus est, ne carnis rationes admittant, quæ in ijs quæ ad Dei gloriam & animarum salutem faciunt, mirificè cunctari solet. Ingrediantur autem sepulchrum Domini, id est, diligenti & seria mortis ipsius meditatione occupati, carnem suam & membra terrestria mortificent, & relictis peccati inuolucris omnibus in illo ad vitæ nouitatem resurgant. Et hæc quidem in præsentis historiæ expositionem dicta sint. Faxit Deus, vt læta resurrectionis spe confirmati, aduersus omnes tentationum fluctus intrepidè luctemur, & cælestis felicitatæ portum ingrediamur per Christum Iesum Dominum nostrum: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Psalm. 84.

Colos. 3.
Rom. 6.

HOMILIA CXXXVI.

Postea autem duobus ex ipsis ambulantibus apparuit alia forma, cùm rus proficiscerentur. Et illi abierunt, ac renuntiauerunt reliquis, qui ne illis quidem crediderunt.

Dei

DEI filius, Iesus Christus, non modò priusquam moreretur doctoris officio functus est, cui illum pater destinauerat, verumetiam postquam ex mortuis reuixit, plurimus in hoc est, vt suos in illo articulo plene & perfectè instituat, qui vt nostræ salutis complementum habet, ita in tentationibus summam consolationem affert: Resurrectione nimirum sua, qua & mortem deuicit, & nobis iustitiam sempiternam reduxit, sicuti de illo olim Daniel prædixerat. Ex omnibus verò, quæ tunc dixit & fecit, Marcus tres tantùm historias paucis perstringit, quibus luculentiora resurrectionis ipsius testimonia continentur. Inter has maximè memorabilis est, quam in præsenti proponit, & quæ à Luca prolixè admodum descripta est, vnde nobis pleraq; petenda erunt, quæ marcus breuitatis studio omisit. Nam præter resurrectionis Christi testimonia, primam quoque illius concionem continet, qua ille post mortem omnia nostræ redemptionis & sui regni mysteria exposuit. Ex quorum consyderatione vt plus vtilitatis ad nos redeat, primò qui nam et quales isti fuerint, videbimus, quibus in præsenti Christus se visendum exhibuit. Deinde quid cum illis egerit. Tertiò quis totius actionis fuerit effectus.

Argumentum & usus loci præsentis.

Daniel. 9.

Quoad primum, ex discipulorum numero illos fuisse patet: quia verò non fuerunt Apostoli, ex septuaginta illis fuerint oportet, quos à Christo delectos et ad docendum emissos fuisse, alibi Lucas tradit. Nomen vnius fuit Cleopas, vnde quidam eum putant, cui Maria Diuæ virginis soror nupta fuisse apud Ioannem legitur. Alterius nomen tacetur, quia non omnia nos scire opus est, nec ab hominum authoritate Christi & salutis nostræ causa dependet: & fortaßis obscurior fuit, quàm vt ad fidem narrationi faciendam aliquid potuerit conferre. Eunt isti ipso resurrectionis Christi die Emauntem, quæ sexaginta stadijs, siue paßuum septem millia & quingentos ab vrbe distabat, & dum inter eundum de Christo & ijs, quæ ipsi acciderant colloquuntur & disputant, illis ipse interuenit, & post longam actionem se illis cognoscendum præbet, vt postea audiemus. Nunc primò obseruabimus, infirmitatem & imperfectionem, qua laborarunt, & quam in hac ipsa actione non obscuris argumentis prodiderunt. Etsi enim Christum de resurrectione & suo regno sæpius disserētem audiuerint, & per mulieres de ijsdem edocti sint, adhæc Petrum & Ioannem ita rem omnem comperisse sciant, sicuti à mulieribus nuntiata fuerat: adhuc tamen anxij & soliciti hærent. Imò errorem grauißimum ipsi in sese fatentur, quando de Christo quidem magnificè loquuntur, quòd propheta fuerit, potens in opere & sermone, simul verò addunt: Et nos sperabamus eum esse, qui redempturus esset Israelem. Istis enim verbis non obscurè fatentur, ipsorum spem illius paßione & morte non mediocriter esse labefactatam. Quin patet hinc, illos in Christo redemptionem carnalem sperauisse, et regnum somniasse terrenum: quem errorem Christus cùm sæpè aliâs, tum in vltima Cœna apertè confutarat. Et quod isti paßi sunt, hoc ipsum in Apostolis quoq; adhuc deprehendere licet, si postrema illorum verba consyderes, quæ Christo iam cœlum conscensuro dixerunt. Vides ergo infirmitatem & imperfectionem in sanctos quoq; cadere, & proinde illos etiam pœnitentia quotidiana opus habere. Quod in eum finem à nobis obseruari debet, vt nos doctrina & institutione nunquam non indigere cogitemus: & ne quid fiduciæ in nostras vires aut nostrorum operum merita collocemus. Quid enim de nobis fiet, si tanti naui in sanctis & selectißimis Dei cultoribus reperiuntur? Porro vt ad nostros hosce redeamus, patet illos in hac sua infirmitate fidei semina non omnino excußisse. Nam licet in multis adhuc dubitent & perplexi hæreant, fidei tamen & studij Christiani argumentum est, quòd de Christo & illius rebus tam diligenter & non absq; disputatione inter sese conferunt. Est enim sermo animi index luculentißimus, & (vt Christus inquit) ex abundantia cordis os loquitur. Qui verò de se loquentibus Christus interuenit, admonemur illorum exemplo qualia esse debeant eorum colloquia, qui in veritatis & salutis cognitione proficere cupiunt: sancta nimirum, quibus & Dei gloria prouehatur, & qui nos audiunt meliores fiant. Vt enim ex cordis sensu oratio emanat, & nostrarum cogitationum siue sensuum nuntia est, ita in aliorum quoq; animis plurimùm operari solet, maximè eiusmodi sit, quæ corruptis affectibus nostris aliquam occasionem offerat. Vnde Paulus Menandri dictum comprobauit: Corrumpunt bonos mores colloquia praua. Et idem de sermone Christianorum præcepta dat diligenter. Nam Ephesijs scribens ait: Nullus sermo spurcus ex ore vestro procedat, sed si quis est bonus ad ædificationem, quoties opus est, vt det gratiam audientibus, & ne cōtristetis spiritum sanctum, per quem obsignati estis in diem redemptionis. Et ad Colloßen. sic monet: Sermo vester sem-

Cleopas et eius comes qui fuerint.

Lucæ 10.

Ioan. 19.

Matth. 18, 20.

Luc. 22.

Acto. 1.

Matthæi 15.

Qualia esse debeant colloquia Christianorum.

1. Corinth. 15.

Ephes. 4.

Colos. 4.

Matth. 5. per cum gratia sit sale conditus. Sale autem Dei verbum designari, alibi diximus, & ipsius Christi testimonio probatur, qui hoc nomine Apostolos salem terræ esse dicit. Sed & ipse Paulus seipsum exponit, addens: Sermo Christi habitet in uobis opulenter, cum omni sapientia. Arguuntur his nostri seculi mores, quos corruptissimos esse, vel hoc vno argumento abunde patet. Dum enim res secundæ sunt, omnis propè pietatis immemores, in lasciuiam effundimur, & plerique de obscœnis & turpibus sermones serendo teneros animos offendunt. Si qui verò seueriores aut grauiores alijs haberi volunt, horum ferè verba nihil præter quæstum & vsuras, aut etiam rapinas, cædes & ambitionem sonant: Quod malum ita obtinuit, vt si quis in conuiuio aut familiari colloquio de rebus diuinis & ad communem salutem pertinentibus sermonem ex scripturis instituat, pro importuno conuiuatore aut moroso theologo habeatur: in precio autem sint, imò mercede conducantur, qui aut improbis dicterijs sacra omnia rident, aut lasciuis & obscœnis carminibus quosuis offendunt. Quòd si crucem & afflictiones immittat Deus, quibus nos castigare & fidem nostram probare instituit, mox impatientia superati conuiciamur, & in dubium vocamus quæcunque in scripturis de Dei auxilio & æternæ vitæ promissionibus traduntur. Quid mirum [...] si in rebus secundis plerique deteriores fiant, in aduersis verò à fide & salute omnino excidant?

Christus de se colloquentibus interuenit. Transeamus nunc ad secundam huius historiæ partem, qua quid cum illis Christus egerit, describitur: vbi singula peculiarem consyderationem merentur. Primò colloquentibus interuenit, & se illis comitem adiungens interrogat quos nam sermones cedant, & ita occasionem captat ipsos instituendi. Est hoc exemplum plenum consolationis. Docet enim, Christum infirmos & imperfectos non negligere nec aspernari, modò erudiri cupiant, seque dociles præbeant: quales istos fuisse constat: Nam peregrini habitu interuenientem, & de rebus ipsorum interrogantem minimè reijciunt, vt præfracti & insolentes facere consueuerunt, sed amicè respondentes rem omnem illi exponūt. Deinde cùm ab illo suam stultitiam sibi exprobari audiunt, non tamen exacerbantur, sed patienter ferunt, & illius doctrina sic capiuntur, vt illum perpetuò secum manere cupiant. Sunt hæc animi pij & tractabilis indicia: & qui tales sunt, illis se Christus spontè offert, & ijsdem institutionem externam simul & internam adhibet, vt magis proficiant. Alia longè est ratio hypocritarum, qui vt in recipiendis aut excogitandis erroribus admodum audaces sunt: ita ne errauisse videantur, eosdem pertinaciter tuentur, nec vllam institutionem, nedum correptionem, admittunt. Relinquit ergo illos in erroribus suis Deus, vt propria culpa pereant qui emendari nolunt. Interim obseruabis quòd ignota specie se illis Christus offert, & oculos ipsorum aliquandiu detinet, ne ipsum agnoscere possint, imò postea se ab illis longius progressurum esse simulat: Seruit hoc quidem præsenti negotio, vt hac occasione sermonem commodius instituat de sua morte & resurrectione, adeoque de regno suo & vniuerso nostræ redemptionis negotio. At nos hîc primùm admonemur, non nouum aut insolens esse, si nobis etiam Christus interdum peregrinus, aut à nobis alienus vel discessurus appareat. Vt enim Ioseph olim ea ratione fratres suos probauit, qualis esset illorum erga patrem & se inuicem pietas atque fides: Ita nostram quoque fidem Christus nonnunquam examinat. Ibi nos officij memores esse conuenit, vt fidei veræ professionem constanter retineamus, & precibus assiduis eum complectamur, qui à nobis videtur abiturus: Docemur præterea Christi cognitionem non esse humanæ industriæ, sed dei donum esse, qui vt corporis sensus acuit & habiles reddit: ita solus ille mentis oculos illustrat, vt Christum agnoscere & complecti possint. Admonet de hoc ipse quando ait: Nemo nouit filium nisi pater, neque patrem quisquam nouit nisi filius, & cuicunque voluerit filius reuelare. Item: Nemo venit ad me, nisi pater traxerit eum. Et Paulus fidem Dei donum esse pronuntiat. Quorum consyderatio vt nostrarum virium & operum fiduciam euertit, ita nos ad preces & pietatis studium excitat, ne Deo sua gratia lumen nobis offerenti improbè reluctemur.

Christus ignota specie se illis offert.

Gene. 42. 43. 44. &c.

Matth. 11. Ioan. 6. Ephes. 2.

Prima Christi concio post resurrectionem. Secundò sermonem instituit, quem nos primam ipsius à mortuis resuscitati concionem dicere possumus. Audiant ergo hanc, quotquot cum diuite epulone aliquem ex defunctis doctorem siue monitorem sibi dari vellent. Partes eius tres sunt. Exordio attentos reddit, & quia stupidiores esse sciebat, quàm qui facilè excitari possent, graui exprobratione vtitur. O stulti (inquit) & tardi corde ad credendum omnibus quæ locuti sunt prophetæ. Hæc dicendo non peccat in suum præceptum, quo probibet ne quem stultum aut fatuum dicamus. Nec enim ex affectu carnis loquitur, sed officium facit,

Lucæ 16.

Matth. 5.

facit, & ideò causam stultitiæ simul indicat, quòd nimirum non attendant ijs, quæ prophetæ olim de promisso Saluatore sint locuti: sicq; illos ad diligentiorem scripturæ consyderationem excitat. Cùm verò stultos dicat, eò quòd prophetarum scriptis non credant, nec illis animum intendant, vtiq; suprema & vera sapientia fuerit scripturis credere & obedire, quibus nobis Deus suam voluntatem reuelat, quæ sola veram cognitionem rerum diuinarum & humanarum complectitur. Docet hoc Moses, quando Israelitis Legem proponens inter alia ait: Custodietis & facietis, hæc enim est sapientia & intelligentia vestra coram populis, qui audient cuncta statuta ista, & dicent: Duntaxat populus sapiens & intelligens est gens hæc magna, &c. Et sanè si probè examines eorum placita quotquot absq; scripturis sapere voluerunt, meras tenebras & non tam risu quàm deploratione dignam stultitiam reperies. Audiamus ergo nos scripturas, ne dum mundi huius iudicio sapiêtes haberi volumus, à Christo stulti & vecordes pronuntiemur. Deute. 4.

Secunda orationis Christi pars est Propositio, quam interrogatione vestit, vt animos illorum magis feriat. Nonne hæc (ait) oportuit pati Christum, & introire in gloriam suam? Sensus est: Offendit vos Christi crux & eo nomine turbamini, quòd de illius resurrectione nihil dum certi comperistis. Atqui hæc ita fieri oportuit, nec alia est ratio, qua ille in regnum & gloriã suam ingrediatur. Ergo vos offendi aut turbari minimè decet. Vbi probè obseruabis, quòd hæc ita fieri oportuisse dicit. Ex eo enim colligitur, non aliam fuisse rationem, qua genus humanum à peccatis & morte redimi posset. Si enim fuisset aliqua, Christum pati minimè necesse fuisset, nisi Deum præter omnem rationem filium suum diro & execrabili crucis supplicio exposuisse dicamus. Arguuntur itaq; hoc Christi dicto, quicunq; noua sacrificia & nouas pro peccatis satisfactiones excogitant. Simul verò consoletur, quòd gloriam suam passioni coniungit, adeoq; per hanc sibi in illam ingrediendum fuisse fatetur. Simili ratione Petrus prophetas Christi spiritu animatos dixit, vt illius afflictiones & post secuturam gloriam inuestigarent. Sunt ergo hæc semper coniungenda, & quoties Christi crux ob oculos versatur, simul animi oculos in illius resurrectionem & triumphum ascensionis extendamus, ne vel illius vel nostris afflictionibus offendamur, quarum eandem omnino rationem esse scripturæ docent. Huc enim facit, quòd ad crucem ferendam Christus omnes in se credentes inuitat, & quòd Apostoli dicunt, nos per multas tribulationes oportere ingredi in regnum Dei. Vide Acto. 14.

Christum oportuit pati & resurgere.

1. Pet. 1.

Matth. 16.

Cæterùm propositioni Christus confirmationem subijcit, quæ tota ex scripturis petita fuit. Exorsus enim à Mose & omnibus prophetis, interpretatus est in illis quæcunq; de ipso scripta erant. Atqui poterat miraculum aliquod edere, aut subitò apertis illorum oculis se ipsis cognoscendum præbere: sed scripturas profert, vt ipsius cognitionem certam & solidam ex illis peti debere doceat, in quibus passim occurrunt, quæ ad illam faciunt. In Mose enim promissiones habentur, quas omnes in illo impleri constat. Accedunt his typi legales, qui illius mysteria sub inuolucro proponunt. In Psalmis verò & prophetarũ libris oracula de illo tam perspicua extant, vt (quod de Isaia Hieronymus dixit) multis in locis non vaticinia scribere, sed rei gestæ historiam contexere videri possint. Ex is omnibus cùm postea etiam noui testamenti libri accesserint, nimis stolidi sunt, qui Christi & salutis cognitionem alibi quærunt. Non debet autem oscitanter præteriri, quòd scripturas veteres non obiter allegat Christus, sed easdem interpretatur, adeoq; inuolucris sublatis latentia sub illis mysteria patefacit. Simili ratione illum in schola Nazarethana vsum legimus, quando Isaiæ locum interpretatus est. Non sufficit ergo scripturas legisse in ecclesia, sed quia multa illis insunt, quorum sensus non statim omnibus patet, expositione opus est, quæ diligenti collatione facta locos singulos præsentibus auditoribus accommodet, vt quid sibi hîc obseruandum sit, intelligant. Nisi enim hoc fiat, ex scripturarum prælectione non plus cõmodi referes, quàm ex re prorsus ignota & à nobis alienissima. Et hæc quidem in Christi concionem dicta sufficiant, quando singulos veteris Testamenti locos, qui de Christo habentur, excutere, alterius loci est & temporis.

Christus suam mortem & resurrectionẽ ex scripturis probat.

Ioan. 5.

Luc. 4.
Isaiæ 61.

Nunc in præsenti actione Christi progrediamur, qui vbi ad castellum vsq; ventum est, simulat se vlterius ire velle, vt veri & salutis desyderium magis in illis excitet. Illis verò rogãtibus vt secum maneat, diuertit, & mox vbi mensæ accubuerunt, se illis cognoscendum præbet. Nam pro more accipit panem, frangit, & solita benedictionis, seu gratiarum actionis formula vtitur: & dum ista agit, aperiuntur ipsorum oculi, vt Christum esse intelligant, quem hactenus peregrinum & hospitem igno

Christus se cognoscendum præbet.

tum esse putauerunt. Ipse autem simul à conspectu illorum aufertur. Hic verò in vnum colligi debet argumenta, quæ illum in resurrectione veri corporis proprietates retinuisse testantur. Et huc facit, quòd cum illis iter faciendo de loco in locum mouetur, quòd humano more cum illis colloquitur, ad mensam discumbit, panem suis manibus prehensum frangit, gratias agit, & mox vt illorum oculi aperiuntur, ab ipsis agnoscitur. Nec temere Euangelista tam diligenter annotauit, oculos ipsorum primò detentos, deinde apertos fuisse. Ita enim cauere voluit spiritus sanctus, ne quid hîc præter veri corporis naturam præstigiose factum, aut illud exinanitum fuisse putemus. Neq; obstat, quòd mox ab illorum conspectu sublatus esse aut disparuisse dicitur. Quia enim iam fecerat quod voluit, præsentia eius corporali amplius non opus erat. Subduxit autem sese, ne quam illis occasionem daret de se aliquid terrenum cogitandi: & simul nos admonet, ne post hac in ipso terrenum aliquid quæramus.

Ioan. 13. 14. 16. &c. Acto. 1.

Ex mundo enim sibi discedendum esse iam sæpius prædixerat. Post quàm ergo per dies quadraginta suæ resurrectionis ueritatem asseruit, nec haberet quod suo corpore in terris ageret, illud cælis inuexit, ut nostræ carnis illuc aliquando transferendæ pignus esset, nobis uerò spiritum suum transmisit, qui & ueritatem omnem nobis reuelaret, & salutis nostræ arrhabo esset infallibilis. Hunc ergo in scripturis & intra animos nostros loquentē audiamus, corporalem uerò Christi in terris præsentiam impostoribus relinquamus, quos ille nouissimis temporibus exorituros esse prædixit. Vide supra cap. 13. & Matth. 24.

Effectus huius actionis.

Restat postrema huius loci pars, quæ totius actionis effectus continet, qui non uulgares fuerunt, si quæ Lucas tradidit cum ijs conferas, quæ à Marco sunt annotata. Primò enim ubi Christum uerè agnitum mox disparuisse uident, dicunt: Nonne cor nostrum ardebat in nobis, dum loqueretur nobis in uia, & cùm aperiret nobis scripturas? Fatentur his se uim spiritus Christi uiuo sensu percepisse, adeò ut qui antea in illius mysterijs frigidi languebant, nouos & insolitos ignes intra animos suos senserint. Est hic effectus uerbi Dei, si externæ prædicationi Christi cooperatio accedat. Excitat eni ignem qui & carnis affectus excoquit, & Dei amorem gignit, qui omnia alia nobis sordida & ingrata reddit. Ad hanc ergo regulam teipsum proba, num Dei uerbum cum fructu audias. Nisi enim cor Dei & cælestis beatitudinis desyderio totum inflammetur, nondum in illud Dei uerbum penetrauit. Et in hoc quidem plurimùm hodie peccatur. Sunt enim qui conciones sacras audiunt quidem,

Ezech. 33.

sed illis non aliter quàm cantione aliqua nihil ad se pertinente afficiuntur (vt Dominus Ezechieli dicit) & proinde absq; fructu discedunt. Sunt verò alij his deteriores, qui flammas quidem concipiūt, sed odij & iræ flammas, quibus aduersus verbi ministros in rabiem accenduntur, & ita se ex reproborum numero esse docent, quando ex eo peiores fiunt, quo in melius proficere debebant. Secundò

Cleophas discipulis nuntiat resurrectionem Christi.

ea ipsa hora surgunt, & in vrbem reuersi, quod viderunt, discipulis nunciant. Est hoc magnum fidei & piæ industriæ argumentum. Die enim iam ad occasum vergente Emauntem venerunt, quæ ab vrbe (vt diximus) septem millibus & quingentis passibus distabat. Fieri ergo non potuit, quin multa demum nocte eò peruenerint. Adde huic incommoditati periculum, quod Christi sectatoribus omni-

Ioan. 20.

bus imminebat, & cuius metu reliqui discipuli delitescebant, & mox patebit illos ex hac Christi apparitione non uulgariter affectos fuisse. Et apparet hic fidei effectus, qua fit, ut Dei gloriam & fratrum salutem omnibus alijs rebus anteponamus, nec ullis laboribus aut periculis nos ab officio abstrahi patiamur. Imitentur ergo hos quotquot fide in Christum gloriantur, & superatis fortiter obstaculis omnibus toti in hoc sint, ut per ipsos Christus Iesus in multorum animis resurgat.

Discipuli alij credunt, alij non credunt.

Addit his Marcus, quòd discipuli ne istis quidem crediderint: Videtur hoc pugnare cum eo quod Lucas scribit: Inuenerunt congregatos undecim & eos qui cum illis erant, dicentes: Surrexit Dominus uerè, & apparuit Simoni. Tunc illi narrauerunt quæ gesta erant in uia, &c. Quomodo enim non crediderunt Cleopæ, si ipsi Christum resurrexisse & Simoni apparuisse dixerunt? Sed solutio facilis est. Aut enim narrationi Cleopæ alijs de causis non crediderunt, licet de Christi resurrectione non amplius dubitarent. Aut Marcus per Synecdochen omnibus tribuit quod paucorum fuit, perinde ac si quis sibi à cœtu toto responsum dicat, quod vnus aut alter respondit. Et quantum colligere licet, cœpit quidem iam crescere quorundam fides, cùm tot resurrectionis Christi testimonia concurrerent: aliqui verò infirmi adhuc & contumaces credere noluerunt, ex quorum numero Thomas fuit, cuius incredulitas (vt Ioannes scribit) adhuc toto octiduo durauit. Quorum durities eò grauio-

rem

vem reprehensionem meretur, quòd tam mulis tamq; grauibus testimonijs non potuit superari, quibus non aliud dicebatur, quàm quod ipse Christus sæpius promiserat. Horum similes sunt, qui cùm diuinæ bonitatis & gratiæ argumenta quotidie videant, tamen Deo diffidunt, & vanissimis rationibus locum dant, quas caro & mundus suggerit. Sunt tamen his peiores multò, qui cùm Christum per Euangelij doctrinam quotidie surgere videant, & regnum illius mirificè propagari, sicuti olim prædictum fuit: illum tamen regem & redemptorem suum agnoscere nolunt, imò regnum suum hostiliter oppugnant, & oppressum volunt. Dabunt illi olim pœnas, quas scripturæ non vno loco minantur. Nos verò consolationem ex eo capiamus, quòd non defuerunt, qui Cleopam & comitem ipsius nouo resurrectionis nuntio exhilararent. Solet enim Deus læta tristibus miscere, neq; vnquam suos grauius, quàm ferre possint, tentari patitur. Quare in Christi victoriam intenti, quam ille sua resurrectione nobis acquisiuit, fortiter feramus quæcunq; à Deo imponuntur. Aderit enim nobis certantibus Christus, vt malis omnibus superiores facti, cum illo olim in cœlis regnemus. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen. Psal.2. Zach.12.&c. 1. Corinth.10.

HOMILIA CXXXVII.

Postremò una sedentibus ipsis undecim apparuit, & exprobrauit eis incredulitatem ipsorum & cordis duritiē, quòd ijs qui ipsum uidissent suscitatum, non credidissent.

Dominus & saluator noster, Iesus Christus, resurrectionem suam multis argumentis & testimonijs asseruit, quando per quadraginta dies cum discipulis suis conuersatus est, priusquam in cœlos ascenderet. Ex omnibus verò, quæ toto illo tempore fecit, Marcus tres modò historias commemorat, quæ vt euidentiora habent resurrectionis istius testimonia, ita simul illius bonitatem nobis commendant, qua & peccatoribus indignis cognitionem salutis offert, & nostram infirmitatem benignè sustinet, ac eidem mederi studet. Primò enim Magdalenæ se visendum præbuit, quæ vilissimum diaboli mancipium fuerat: vt palàm testetur, mortis & resurrectionis suæ fructum ad peccatores cumprimis pertinere, iuxta illud prophetæ: Infirmitates nostras ipse portauit. Item: Christus Iesus in mundum venit, vt peccatores saluos faceret. Deinde cum duobus discipulis Emauntem profectus est, & vt illorum errores corrigeret, ipsis pleraq; suæ mortis & resurrectionis mysteria ex scripturis exposuit: eo exemplo docens, quod nec tardos & mysteriorum suorum rudes reijciat. Sequitur nunc, vt paulò post, duobus istis in vrbem reuersis, discipulis simul omnibus apparuerit, quam historiam modò inspiciemus. Argumentum & usus præsentis loci. Isaiæ 53. 1.Tim.1.

Marcus pro more suo (quod sæpe monuimus) summam modò rei complectitur, & apparitionem hanc postremam vocat, non quòd verè postrema fuerit (nam plures aliæ à reliquis Euangelistis & Paulo Apostolo commemorantur) sed quòd ipse hanc postremo loco narrat, & eam cum postremo Christi actu coniungit, in quo ex mundo hoc discessurus prædicandi munus discipulis commisit. Includit ergo in hanc omnia, quæ vsq; ad diem ascensionis ab illo facta sunt. Deinde discipulos vndecim simul sedisse ait, cum ex Ioanne constet, Thomam tunc temporis abfuisse, cum ista fierent. Aut ergo per Synecdochen hoc dicit Marcus, & totum Apostolorum collegium nominat, etsi vnus ex hoc defuerit: aut propter Matthiam hoc dicitur, quem plerisq; Christi actionibus vsq; ad ascensionis diē interfuisse, ex Petri oratione constat, quam habuit, cùm in Iudæ locum surrogaretur. Præterea hoc vnum dicit Marcus, quòd incredulitatem ipsis exprobrauerit & cordis duritiem, eò quòd illis non credidissent, qui ipsum viderant à mortuis resuscitatum. At quia historiam eandem propter multa, quæ huic insunt ad nostram institutionem & consolationem pertinentia, Lucas & Ioannes diligenter describunt, multùm proderit singulas eius partes ex ordine inspexisse. Christus discipulis omnibus apparet. 1.Corinth.15. Acto.1.

Occasionem & causam huius apparitionis discipulorum diffidentiam aut incredulitatem fuisse, ex Marci contextu patet. Quæ similiter illos mouit, vt fores diligenter clausas seruarent præ metu Iudæorum, vt Ioannes annotauit. Inter metum ergo & spem dubijs, & de Christi resurrectione disceptantibus ille ex improuiso interuenit, & in medio illorum consistens, salutatione sibi vsitata illos Apparitionis huius causa.

compellat, & dicit: Pax vobis. Vbi minimè opus est disputare, quomodo per clausas ianuas ad illos ingressus sit. Nec enim tale quid dicit Ioannes, sed temporis circumstantiam et discipulorum anxium metum denotans, Christum ad illos venisse ait, cùm fores prae metu Iudaeorũ occlusissent. Quòd si quis pertinacius vrgeat miraculum, quo Christus ianuis clausis ingressus sit, cum illo non libet contumaciter contendere, modò finem miraculi eum statuat, quod simul cum resurrectionis testimonio diuinitatis etiam suae specimen diffidentibus & metu consternatis exhibere voluerit. At si quis inde colligat, Christi corpus in resurrectione veri corporis propria exuisse, adeoq; in spiritum aut phantasma conuersum esse, vt sua natura per solida corpora ligni aut lapidis penetrare possit, nec amplius loco certo contineatur: hoc ego nunquam concessero. Obstat enim huic sententiae, quòd paulò post Christus se spiritum esse negat, imò carnem & ossa disertè nominat, ex quibus corpus suum constet, & illud discipulis palpandum praebet. Miraculum ergo ita concedimus, vt salua nobis maneat corporis veritas, & cum Augustino dicimus: Moli corporis, vbi diuinitas erat, ostia clausa non obstiterunt. Ille quippe non eis apertis intrare potuit, quo nascente virginitas matris inuiolata permansit. Quibus & illud Hieronymi addimus: Quòd clausis ingressus est ostijs, eiusdem virtutis fuit, cuius & ex oculis euanescere. Praeterea, num corpus Christi exinaniri oportuit, vt clauso ostio ad discipulos ingrederetur, cum idem prius aquis inambularit, & eiusdem virtute Petrus quoq; idem fecerit? Nos potius hoc loco Christi bonitatem obseruemus, qui infirmis & imperfectis sese offert, nec patitur illos diutius dubios & anxios haerere: imò dubitantibus & periculi metu consternatis pacem offert. Vbi simul admonemur, quid ille nobis acquisierit, quidq; in illo sperare possimus. Pacem nimirum, non quidem huius mundi, quae incerta est, & plerunque consensum in malo parit, sed quae omnem intellectum superat, vt Paulus ait. Primò enim Deo patri reconciliat, & ex irae filijs gratiae filios fecit, atq; spiritum adoptionis contulit, in quo clamamus, Abba pater. Deinde animos peccatorum conscientia aestuantes & turbatos idem ille placat, vt certam salutis per ipsum partae spem & fiduciam possint concipere. Qua fit, vt nullis afflictionibus pax ista turbetur. Nam iustificati ex fide (inquit Paulus) pacem habemus erga Deum, per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem & aditum nacti sumus fide in gratiam hanc, in qua stamus, & gloriamur sub spe gloriae Dei. Nec id solùm, verumetiam gloriamur in afflictionibus, scientes quòd afflictio patientiam pariat, patientia verò probationem, probatio autem spem: porro spes non pudefacit, &c. Nec tamẽ hîc quoq; pax Christi consistit, verumetiam credentium animos mutuo amoris vinculo sic connectit, vt pacem inter sese firmam & stabilem seruent. Pro hac pace nobis hodie laborandum est. Quoad mundum verò & res huius seculi pacem quidem quantum in nobis est, cum omnibus habere debemus, iuxta Apostoli sententiam: quando autem Dei causa agitur, huius gloriam fratribus quoq; germanis, imò parentibus coniugibus & liberis, vitae deniq; propriae, anteponere decet: ne dum mundo pacifici esse volumus, à pace Dei excidamus, & mundi amicitiam colendo Dei inimici reddamur. Nec vnquam nobis aurea illa D. Hilarij sententia excidat: Speciosum quidem nomen est pacis, & pulchra opinio vnitatis. Sed quis ambigat, eam solam vnitam ecclesiae pacem esse, quae Christi est?

Tract. in Ioan. 121. Ad Pammach. contra errores Ioan. Hierosol. Matth. 14. Ioan. 14. Philip. 4. Rom. 8. Rom. 5. Rom. 12. Matth. 10. Lucae 14. Iacobi 4.

Sed vt in historiae contextu progrediamur, discipuli subito Christi conspectu territi timent. Et huius consternationis causam indicat Lucas, dicens: Existimabant se spiritum videre. Simile quid illis accidisse Matthaeus tradit, quando Christum super aquas ambulantem viderunt. Vnde constat vetustum admodum esse errorem de spiritibus & spectris: & ex historijs patet, diabolum rudes & incautos mirificis praestigijs dementauisse. Hinc enim enatus error, quòd nonnulli animas vel spiritus defunctorum excitari posse crediderunt, vt responsa darent interrogantibus. Quem errorem in Saule etiam notat sacra historia, qui Samuelem excitari voluit, vt illum de belli imminentis euentu sciscitaretur. Alij verò spiritus defunctorum oberrare dixerunt, quoad illorum corpora sepulturae honore carerent, sicuti nuper ex Vergilio annotauimus. Qui error inter Christianos superstitiones infinitas & noxias peperit, purgatorij quaestum mirificè auxit & imperitos rerum diabolo illudendos exposuit. Nos reiectis hominum fabulis & inanibus terriculamẽtis, scripturas audiamus, quae quid de animabus defunctorum credi debeat, verè & simpliciter docent. Aut enim in fide vera moriuntur homines, aut in superstitionibus & peccatis suis. Qui in fide decedunt, illorum animae in sedes beatorum transferuntur, vt cum Christo gaudeant, cui crediderunt. Huc facit quod scribitur: Iustorum

Discipuli Christo uiso timent. De spirituum apparitionibus. 1. Sam. 28.

anima

animæ in manu Dei sunt, nec attinget eos cruciatus. Et illud Christi: Amē dico vobis, qui audit ver- Sap.3.
ba mea, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam, & in iudiciū non veniet, sed transiuit à mor- Ioan.5.
te in vitam. Et Lazari animam in Abrahami sinum, id est, beatorū consortium translatam fuisse, Lucæ 16.
idem Christus docet. Et latroni in cruce ipsum inuocanti dicebat: Hodie mecū eris in paradiso. Qua Lucæ 23.
spe Paulus fretus, dissolui cupiebat, & esse cum Christo. Rursus, quotquot in peccatis suis & absque Philip.1.
fide in Christum moriuntur, ad inferos & damnatorum sedes descendunt, vbi (vt propheta ait) col- Ezech.32.
liguntur omnes, qui posuerunt terrorem suum in terra viuentium. Et huc referri debent, quæ de Ba-
byloniorum tyranno ad inferos deijciendo apud Isaiam & de diuite epulone in tartaris sepulto in E- Isaiæ 14.
uangelio leguntur. Vanissimi ergo nugatores sunt, qui animas in terris oberrare, & pro sua redem-
ptione Missas & alia sacra huius generis expetere fabulantur. Quoad spectra autē vel phantasmata,
quæ multis occurrere videntur, ea aut falsa sunt, aut vera. Falsa dicimus, quæ ab impostoribus fin-
guntur, vel vt quæstum ex superstitione captent, vel vt rudes inanibus terriculamentis exagitent.
Ad eundem ordinem oculorum etiam præstigiæ pertinent, quando vel metu vel alio affectu, aut ani-
mi infirmitate fascinati, nos videre putamus quæ nulla sunt, aut ex ijs quæ videmus, ipsi nobis for-
mas rerum nouas & insolitas fingimus. Vera spectra sunt, quæ aut ex causis naturalibus oriuntur,
quales sunt exhalationes igneæ è terra & mari: aut quæ satan nobis obijcit, quale fuit quod de Saule
supra adduximus, qui Samuelem à Pythonissa excitatum fuisse putauit. Vt verò primis illis nihil
tribuendum est, ita nec diabolicæ illusiones timeri, nec quisquam spirituum eiusmodi verbis credere
debet, quando constat diabolum nihil in nos iuris habere, & hoc vnum captare, vt deceptos in exitiū
trahat. Et ista obiter dixisse sufficiat, vt videas non nouum esse errorem, quem hodie mordicus multi
retinent, & proinde in illo cauendo maiori cum diligentia aduigilemus, quando ex præsenti discipu-
lorum exemplo patet, in ijs quæ ad salutem spectant, nullum studium posse nimium censeri, quod Dei
verbo impenditur.

Vt verò Deum diligentibus omnia cooperantur in bonum, ita hæc quoq; discipulorum infirmitas
suum fructum habuit. Nam ea occasione Christus suam resurrectionem apertius testatur, & sui cor
poris veritatem argumentis irrefragabilibus probat. Sequitur enim oratio eius, cuius singulæ par-
tes considerationem diligentissimam merentur. Primò ab increpatione orditur his verbis: Quid Christus disci-
turbati estis, & cogitationes ascendunt in cordibus vestris? Reprehendit in illis stuporem & animi pulos corripit.
consternationem, simulq; illius causas indicat, Cogitationes nimirum, quas carnis sensus ipsis obijcie-
bat. Quia enim homo animalis non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei, fieri non potest, vt Christo & 1.Corinth.2.
verbo eius intrepidè nitantur, quicunq; carnis rationes audiunt. Est autem diligenti obseruatione
dignum, quòd vt antea Cleopam & comitem eius reprehendit Christus, ita nunc omnibus simul in-
credulitatem & cordis duritiem exprobrat, quòd de ipsius resurrectione hucusq; dubitauissent. Idem
angelum fecisse audiuimus, quando mulieres illum in sepulchro quæsiuerunt. Facit hoc ad asserendā
resurrectionis Christi veritatem, quam certissimam esse oportet, si reprehensionem merentur, qui de
illa vel minimùm dubitant. Adhæc docemur, displicere Deo incredulitatem nostram, siue diffidentiā.
Est quidem longanimis, & infirmitati nostræ clementer parcit. Idem tamen eos non fert, qui pertina
cius illius promissis & præceptis reluctantur: & interdum tales non verbis modò increpat, verum-
etiam pœnis grauibus vlciscitur. Exemplo sunt Israelitæ, quos in deserto Deus prostrauit, quòd pro- 1.Cor.10.
missionum immemores aduersus illum pertinaciter contenderent. Quid? Si reprehendi merentur di-
scipuli, quòd mulierculis non crediderint, tūne nos impunè laturos putabis, si Apostolis non creda-
mus, quos Christus ipse suæ mortis & resurrectionis testes esse voluit? Est ergo hoc obseruandū in om Ioan.15.
nibus fidei articulis, adeoq; in omnibus ijs, quæ expresso Dei verbo traduntur: nec carnis rationes & Acto.1.
affectus admittamus. Ex his enim densæ illæ cogitationum nebulæ ascendunt, quibus si intra animos
nostros locus detur, mox mentem totam obnubilant, vt quod Deus loquitur, nec videre nec audire
possimus, & multò minus fidei assensu probare.

Deinde demonstrationem subijcit, in qua multa argumenta concurrunt, quibus se vero suo cor- Christus corpo
pore resurrexisse probat. Et primò quidem visum in testimonium adducens, ait: Videte manus meas, ris sui resurre-
& pedes meos, quia ego ipse sum: ille nimirum, qui antea vobiscum versari solebam. Ergo ex pristina ctionem de-
forma agnosci potuit: eò quòd illam clarificatio in resurrectione non abolet, sed à vitijs liberat, quæ monstrat.

nostris corporibus ex peccato obrepserunt. Et dulcissimam consolationem hoc pijs affert, quòd in resurrectione primo statim intuitu non suos modò eiusdem salutis consortes, verumetiam sanctos patres & reges, prophetas item & Apostolos, adeoq; omnes Dei seruos agnituri sunt, quorum memoriam nunc venerantur. Exemplum huius rei supra vidimus, quando tres discipuli Christum in monte clarificatum, & cum hoc etiam Mosem & Eliam agnouerunt, licet ipsi adhuc in corpore mortali & corruptibili versarentur. Nec ineptè à quibusdam huc refertur, quòd Adam, priusquàm laberetur, Euam è sua carne desumptam esse intellexit, vt primùm illa in ipsius conspectum fuit adducta. Videbunt è contra & agnoscent impij Christum, in quem pupugerunt. Videbunt tyranni & agnoscent eos, quos aliquando propter veritatis confessionem persecuti sunt. Non temerè ergo à discipulis Christus ex pristina forma agnosci voluit.

Corpus Christi palpabile.

Secundò, quia visus frequenter fallitur, tactu quoq; sese explorari vult, qui ferè in solidis modò et palpabilibus corporibus locum habet: & ne hoc etiam falli possent, cum tactu visum coniungens, simul corpus suum ex partibus & substantia, siue (vt dialectici loquuntur) ex materia & forma describit, quando addit: Contrectate me, & videte: quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Et his dictis rursum illis manus & pedes ostendit. Spiritum ergo disertè excludit à corporis substantia, & se non modò inanem formam manuum atq; pedum, verumetiam substantiam carneam & osseam in resurrectione retinuisse docet, quam sua natura non modò visibilem, sed palpabilē quoq; esse constat. Ita autem suo exemplo eos confutat, qui hodie realem & substantialem corporis sui præsentiam statuunt, ubi nullum veri corporis iudicium apparet. Quod enim de corpore spirituale obijciunt ex Paulo, qui de resurrectione agens inter alia dicit: Seminatur corpus animale, resurgit corpus spirituale, &c. sensu violenter detorto faciunt. Spirituale corpus dicit Paulus, quod totū spiritu Dei viuit, seruatur & regitur: et illud opponit animali, quod affectibus & passionibus obnoxiū, præsidijs naturalibus opus habet. Idem nobiscum D. Augustinus sensit, qui de Genesi ad literam scribit spirituale dici corpus quod resurget, eò quòd miris modis ad omnē facilitatem & incorruptionem spiritui subdatur, & sine vlla indigentia corporaliū alimentorum solo viuificetur spiritu, non quòd incorpoream substantiā sit habiturū, &c. Theodoretus item qui Pauli locum exponens scribit: Animale vocat, quod ab anima gubernatur: spiritale autē quod à spiritu regitur. Sed quid patrum testimonijs hîc opus est, quando ipse Christus spiritualem substantiam statuere vetat, dum se spiritū esse negat, & corpus suum discipulis palpandum exhibet?

1. Cor. 15.

Lib. 12. cap. 7.

Christus resuscitatus edit.

Marc. 5.
Ioan. 12.
Act. 10.

Tertiò adhuc illis dubitantibus præ gaudio, & mirantibus cibum poscit, & ab ipsis oblatam sibi piscis assi partem & fauum mellis in omnium conspectu edit. Est hoc certum & infallibile corporis verè restituti argumentum. Ideò ipse Iairi filiæ, quam à mortuis suscitarat, cibum dari iussit: & Lazarum rediuiuum in domo Simonis discubuisse tradunt Euangelistæ, vt veram eius resurrectionem probent. Quæ causa est, quòd huius potissimùm argumenti Petrus apud Cornelium meminit, quando Apostolos cum Christo resuscitato edisse & bibisse dicit. Minimè tamen hoc ita accipi debet, quasi corpora clarificata cibo & potu adhuc opus habere, aut saltem his delectari putemus, sicuti de suo paradiso Mahumetani fabulantur. Quia enim corruptio omnis tollitur, nec generatio amplius est necessaria. Nam quod in præsenti fecit Christus, in eum finem fecit, vt corpus suum tale esse doceret, quo cibi & potus (si illius organa spectes) capax sit, licet illis non amplius sustentari oporteat. Hoc ipsum de clarificatis corporibus D. Augustinus sensit, quando illa cibum quidem non gustatura, possibilitatem verò edendi cibos, si his opus foret, habitura dicit. Est verò hoc eximium bonitatis Christi argumentum, qui rebus non necessarijs sibi vti voluit, nè quod dubiū de resurrectione sua in discipulorum animis hæreret. In quem usum clauorum quoq; & vulneris in latere hiantis vestigia retinuit, quæ postea Thomæ exhibuit contrectanda.

De mirabilibus script. Cap. 14.

Christus resurrect. probat ex scripturis.

Quartò promissiones suas & veteris scripturæ testimonia illis in mentē reuocat, dicens: Hæc sunt verba, quæ locutus sum ad vos, cùm adhuc essem vobiscū, quòd necesse foret impleri oīa, quæ scripta sunt in lege Mosis, & prophetis, & Psalmis de me. Istis verò obliuiosam carnis tarditatē ipsis exprobrat. Quasi dicat: Cùm de his toties admonuerim, & hoc ipsum scripturæ testentūr, quæ ista mentis hebetudo est, quæ istis fidem habere prohibet. Possent hîc scripturæ veteris loci adduci, in quibus Christi mors simul & resurrectio, vel apertè prædicitur, vel typis & figuris adumbratur: sed quia hi passim

sim occurrunt, & alibi de illis agendi occasio sese offeret, in præsenti cum Marco nostro breuitati studebimus. Obseruabimus tamen, quòd à morte resuscitatus Dei filius, non noua & inaudita hactenus docet, sed scripturas subinde allegat, & ex illis sui regni et nostræ salutis mysteria exponit. Quin scripturæ veteris libros in suas quasi classes aut titulos distinguit, in Mosen nimirum, prophetas & Psalmos: vt nobis certò constaret, qui nam libri pro authenticis haberi debeant. Sub prophetis verò historici quoq; libri continentur, quos à prophetis conscriptos esse, non obscuris argumentis colligi potest. Admonemur autem Christi exemplo, nobis quoq; salutis doctrinam ex scripturis petendam esse, & non modò turpiter, sed perniciose etiam errare eos, qui vel ex alio mundo sibi doctores dari postulant, vel inania hominũ placita sectantur. Confutantur item, qui veteris testamenti libros hodie reijciunt, cùm ex illis Christus simul & Apostoli suarum concionum argumenta desumpserint. Nostrum fuerit, in his omnibus Christi fidem et bonitatem agnoscere, qui vt nostræ saluti consuleret, resurrectionem suam non modò scripturæ & sensuum nostrorum testimonijs affirmare voluit, verumetiam rebus sibi non amplius necessarijs vti, vt modò diximus. Vnde patet, detestabilem esse illorum impudentiam, qui vel corporis Christi veritatẽ, vel quæ ex hac dependet, mortuorum resurrectionem adhuc negare audent, quales fore olim Petrus prædixit, & ipsi hodie nõ paucos audimus. Quid enim isti aliud faciunt, quàm quòd Dei filium mendacij arguunt? quod cùm viro bono intolerabile videatur, ille certè inultum nunquam sinet. Positis ergo cæcis affectibus & procul explosis omnibus quæ caro dictat, salutis spem omnem in vno Christo repositam habeamus, qui pro peccatis nostris mortuus, & propter iustificationem nostri resuscitatus, in se credentibus locum in cælis parauit, vbi olim cum ipso æterna felicitate fruentur. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

2.Pet.2.

Rom.4.

HOMILIA CXXXVIII.

Et dixit eis: Profecti in mundũ uniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ: qui crediderit, & baptizatus fuerit, seruabitur: Qui uerò non crediderit, cõdemnabitur. Signa autẽ eos, qui crediderint hæc subsequentur: Per nomen meum dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent, & si quid lethale biberint, nequaquam nocebit eis: super infirmos manus imponent, & benè habebunt.

Argumentum & vsus præsentis loci.

EXposuit hucusq; Euangelista, quæcunq; Dei filius in terris agens propter nos fecit & passus est. Præcipua in his sunt, Doctrina, quam miraculis confirmauit: Mors, qua peccata nostra expiauit: & Resurrectio, qua mortem deuicit, & effractis portis inferorum, nos in libertatem filiorũ Dei asseruit. Continetur his tota nostræ redemptionis ratio, nobis autem non prosunt, nisi illa & intelligamus rectè, & fide vera amplexemur. Ideò Christus, ne qua in parte nobis deesset, iam è terris discessurus discipulis ista per totum orbem prædicandi munus commisit: & hunc illius actum, qui ipsi in terris postremus fuit, in præsenti Marcus describit: & primò quidem narrat, quid in mãdatis acceperint discipuli: deinde vt eosdem miraculis instruxerit Dominus, quæ doctrinæ ipsorum fidem facerent. Etsi verò hæc ad discipulos potissimùm pertinuerint, docent tamen, salutem per Euangelij prædicationem nobis offerri, simulq; ostendunt, quam rationem & modum in illo prædicando ministri omnes tenere debeant, & quanta illius esse debeat authoritas apud eos, qui salutis suæ studio aliquo tenentur.

Postremũ Christi mandatum.

Mandatum Iesu Christi tale est: Profecti in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Conuenit hoc cum eo, quod olim futurum prophetæ prædixerant: vt nimirum Lex è Zion egressa totum orbem illustraret, quæ prius in sola Iudæa audiebatur. Et ita sui regni fines constituit extremos orbis habitati cardines, iuxta illud prophetæ: Imperium eius à mari ad mare, & à fluuio vsq; ad fines terræ. Vbi nobis immensa Christi potentia & regni ipsius amplitudo considerandaveniunt. Fuit quidem magna & formidabilis valde Assyriorum & Babyloniorum potentia, quæ Asiam propè omnem & maiorem Africæ partem obtinuit. Persas verò vltra Babylonicæ monarchiæ fines in Europam quoq; imperium suum extendisse legimus. Superauit vtrosq; Alexander Macedo, cu-

Isaiæ 2. Mich.4. Psal.72. Zach.9.

ius ambitiosam potentiam vix totus orbis capere posse videbatur, cùm iam nouos orbes somniare inciperet, vt non inscitè poeta de illo dixerit: *Vnus Pellæo iuueni non sufficit orbis.* Post hunc Romani victricibus armis orbem ferè totum peruaserunt. Attamen nullis istorum tanta fuit Imperij maiestas & authoritas, vt hominum mentes mutare, religionem nouam inuehere, adeoq; vniuersam mundi huius faciem mutare potuerint. Illud verò Christum fecisse scimus, non quidem armata manu, sed verbi sui prædicatione, quam discipulis commendauit, qui vt numero pauci, ita non aliqua huius seculi authoritate siue potentia instructi fuerunt. Quia verò ipse illos exire, & Euangelium passim prædicare iussit, nihil fuit tam excellens & formidabile, quod huius prædicationis cursum impedire & sistere potuerit. Est hoc ingens diuinæ potentiæ Christi argumentum, quæ non minus hodie sese exerit, quando Euangelij doctrina passim prædicatur, nequicquam reluctantibus omnibus illis, qui quæstus sui ergò illam oppressam & extinctam vellent. At quia istud mandatum Christi iam è mundo hoc abituri postremum fuit, non inutile fuerit, singula illius verba paulò diligentius consyderauisse.

Apostolorum munus est prædicare.

Primò munus illorum definit, quando illos prædicare iubet. Græcè est, κηρύξατε quod propriè de præconibus dicitur, qui ex suorum principum mandato aliquid publica authoritate promulgant. Ergo salutis quam ipse suæ mortis & resurrectionis merito acquisiuit, præcones fecit discipulos suos, non authores, nec etiam rerum dominos, qui sibi in gentes & vrbes, instar huius seculi principum, aliquid iuris & potestatis vendicent, sed qui salutis doctrinam miseris hominibus proponant. Fatetur hoc de semetipso & reliquis Apostolis Paulus, quando dicit: *Ministri sumus, per quos credidistis, & & vt cuiq; Dominus dedit.* Et Petrus Apostolus grauiter monet ecclesiarum antistites, ne ita præsint, quasi dominium exercere cupiant in clerum, id est, in sortem vel hæreditatẽ Domini, quam Ecclesiam esse scimus. Confutantur igitur hoc loco, primùm, quicunq; Apostolos & horũ successores salutis authores faciunt, illos inuocant, & in illos transferunt gloriam, quam sibi uni deberi Christus non vno loco testatur. Deinde Romani Pontifices, qui cùm Apostolorum successores dici & haberi velint, regna inuadunt, summum rerum imperium ad se pertinere clamant, & patrimonium quoddam Petri finxerunt, quod non paruam nec contemnendam Italiæ partem continet. Nam vt successionis Apostolicæ titulum illis concedamus, illo certè non aliud euincere poterunt, quàm quòd Euangelium prædicare, & auditores suos Christo adducere debeant. Vnde ergo regnum huius seculi? vnde corona triplex? vnde opulentũ illud Petri patrimonium, qui vt Euangelium longè lateq; propagaret, piscatoriã quoq; nauiculam, retia & quicquid præterea habuit, volens reliquit? Si (inquã) Apostolorum successores sunt, cur non audiunt Christum Apostolis dicentem: *Principes gentiũ dominantur illis, & qui magni sunt, potestatẽ exercent in eas: nõ ita erit inter vos, &c.* At Constantini liberalitate ecclesiam ditatam, & Romam cum terris adiacentibus Pontificibus donatam fuisse dicunt. At si quis donationẽ illam ab ipsis confictam esse respondeat, quibus argumentis illam probare poterunt? quando historici illius nusquam meminerunt, & ex historijs constat, Græcos Imperatores post Constantinũ Magnum annis circiter trecentis & octuaginta nouem in Italia per Exarchos, regnauisse, vsq; ad Leonẽ III. qui propter imagines è templis eiectas à Gregorio III. excommunicatus, & eiusdem Gregorij auspicijs Italiæ regno exutus est, occiso Paulo Exarcho, qui Rauennæ cum imperio fuerat. Ad Pipinũ ergo & Carolum Magnum, eiusq; filium Ludouicum confugiant, oportet, qui Romanam sedem opibus & terris donarunt. At quo iure hoc illis licuerit, adhuc sub iudice lis est: eodem fortaßis, quo Pipinus Chilpericum regem ex Papæ Zachariæ consensu regno exutũ in monasterium detrusit, vt ipse florentißimum Franciæ regnum posset occupare. Sed quid opus est ista multis agere, quando satis constat, Pontificum potentiam cum Christi institutione pugnare, & malis artibus eò vsq; ascendisse, vt regibus & Imperatoribus formidabilis postea fuerit?

1. Corinth. 3.
1. Pet. 5.
Isaiæ 42.
Ioan. 14. &c.
Matth. 20.

Euangelium prædicent Apostoli.

Redeamus ergo ad Christi verba, qui secundo loco quid Apostoli prædicare debeant docet, & illud omne Euangelij vocabulo comprehendit. Apud Matthæum verò hoc ipsum pluribus exponens, ait: Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomen patris, & filij, & spiritus sancti, docentes eos seruare omnia quæcunq; præcepi vobis. In Luca doctrinæ Euangelicæ partes constituit, Pœnitentiam & Remißionem peccatorum, & vtramq; in suo nomine prædicari debere monet. Et de Euangelio quidem in prima huius operis homilia diximus. Hîc illud addimus, Euangelij voce primò historiam

Euangelij historia & usus.

filij

filij Dei incarnati, deinde illius vsum comprehendi. Historiæ partes sunt præcipuæ, Paßio & Resurrectio. Paßionis enim nomine totum vitæ ipsius in terris curriculum continetur, quam afflictionum & dolorum continuam palæstram fuisse constat. Ad historiam hanc, ceu ad scopum certum referuntur promißiones, typi prophetiæ & historiæ sacræ, quibus exempla credentium & non credentium describuntur. Vsus verò omnium hîc est, vt in Christo habeamus pœnitentiam & remißionem peccatorum. Docet hoc ex ipsius ore Petrus Apostolus, quando Senatui Hierosolymitano dicit: Deus patrum nostrorum excitauit Iesum, quem vos interemistis, suspendentes in ligno. Hunc principem & seruatorem Deus exaltauit dextra sua ad dandam pœnitentiam Israeli, & remißionem peccatorum, &c. Acto.5.

Nos autem in præsenti admonemur, quæ vera sit Euangelij prædicãdi ratio: ea nimirum, vt non modò rerum à Christo gestarum narratio texatur, sed vt ad pœnitentiam excitentur homines, & in Christo per fidem suorum peccatorum remißionem inueniant. Pœnitentia (vt alibi diximus) conuersio est ad Deum, & totius vitæ emendationem continet: quando fieri non potest, vt ad Deum redeamus, nisi relinquamus peccata & errores, quos secuti à Deo discesimus. Ab ea verò prædicandi initium fieri oportet, quia cùm natura à Deo alieni simus, salutis in Christo exhibitæ non erimus capaces, nisi præparatio quædam præcedat, quam in pœnitentia potißimùm consistere in Ioannis Baptistæ historia vidimus, qui cùm Christi præcursor esset, pœnitentia doctrina hominum mentes ad illum excipiendum præparauit. At pœnitentiam peccatorum nunquam agent, nisi qui peccata sua & illorum atrocitatem verè agnouerint: eò quòd caro ex illis voluptatem summam capit, & in ijsdem sibi mirificè placet. Vt ergo illa redarguantur opus est, in quem finem à Deo legem nobis datam esse constat, iuxta illud Pauli: Per legem agnitio peccati. Item: Peccatum non cognoui nisi per legem. Minimè ergo ab Euangelij prædicatione legis doctrina separari debet, quod prophetas & Apostolos diligenter obseruauisse constat omnibus qui illorum sermones & scripta non oscitanter inspexerunt. Et Christus ipse inter spiritus sancti (quem Apostolis promittit) officia hoc primum numerat, quando ait: Ipse arguet mundum de peccato. Errant igitur toto cœlo, qui hanc doctrinæ partem omitti vellent, qua hodie cumprimis opus esse, immanis illa peccandi licentia testatur, quæ paßim regnum obtinet. Obseruabis autem quòd hanc etiam in suo nomine Christus prædicare iubet. Ita enim cauet, ne audita pœnitentiæ mentione, aliquid nostris operibus aut meritis tribui putemus. Etsi enim illa omnino opus sit, ex nobis tamen non orietur nisi Christi spiritu attracti, in illo peccatis moriamur, & in eodem ad vitæ nouitatem resurgamus, sicuti Paulus ad Rom. admonet. Pœnitet quidem impios scelerum suorum, quando Dei iudicium illis ob oculos versatur: at quia Christo carent, & in suis modò viribus siue operibus satisfactionem quærunt, pœnitentia illorum ferè in desperationem desinit, quæ illis exitij & interitus æterni causa est: cuius exempla in Caino, Iuda & horum similibus habentur. Facit huc illud Pauli: Qui secundum Deum est dolor, is pœnitentiam ad salutem parit, cuius nunquam pœniteat: contra mundi dolor mortem affert. Dolorem secundum Deum vocat (vt Chrysostomus & Theodoretus annotarunt) qui propter peccata commissa potius, quàm illorum pœnas suscipitur. Huius finis est, vt cum Deo in gratiam redeat, qui ab illo discesit: qui cùm absq; Christo fieri nequeat, sine illo etiam nunquam verè & salutariter pœnitebimus. Vehementer ergo ineptiunt, imò prorsus delirant, qui ex pœnitentiæ doctrina nostrorum operum merita stabilire conantur, cùm illa in nobis nulla vnquam futura sit, nisi in Christo nobis diuinitus donetur.

Ratio prædicandi Euangelij.

1. Pœnitentia.

Rom.3.&7.

Ioan.16.

Rom.6.

1.Corinth.7.

At pœnitentiæ remißionem peccatorum coniungit Christus, cuius nisi spes nobis certa fiat, peccatorum agnitio terrebit quidem, sed ad salutem nihil conferet. Remißionis vox illam ex gratia contingere docet, vt cùm debita illi remittuntur, qui soluendo non est: qua parabola Christus in Euangelio vtitur. Ex gratia autem peccata remitti docet scriptura, non quòd nulla omnino satisfactio intercedat, sed quoad nos, qui cùm ex nobis ipsis ne ad cogitandum quidem idonei simus, diuinæ iustitiæ satisfacere minimè poßumus. Ne tamen illi aliquid decederet, Christus datus est, qui cùm peccata nostra in sese recepisset, pro ijsdem in ara crucis satisfecit, vt in se credentibus imputari non poßint. Vt ergo à pœnitentiæ articulo ministri exordiri, et illam in Christo monstrare debent: Ita peccatorum cognitione territis conscientijs satisfactionem & remißionem gratuitam prædicare debent, cuius idem Christus nobis author est. Seruarunt ordinem hunc prophetæ veteres, ipse etiam Christus, & ab eodẽ

2. Remißio peccatorum.

Matth.18.

1.Cor.3.

Apostoli nunquam discesserunt. Eundem ergo teneant quicunq; Christi ministri censeri volunt, neque sibi permissum putent, vt pro suo arbitrio doctrinæ genus nouum confingant, aut aliquid eorum omittant, quæ Christus docere iussit. Arguitur enim hoc loco grauiter admodum illorum audacia, qui vel suas vel aliorum hominum traditiones in ecclesiam inuehunt, & eas sub plausibili ecclesiæ titulo quibusuis seruandas obtrudunt. Cùm enim Apostolos certo mandato Christus astrinxerit, & olim prophetas verbum ex suo ore iusserit petere, num posteris temporibus aliquibus mortalium hoc iuris datum esse putabimus in Ecclesia Dei, vt ex semetipsis doctrinam fingant nouam, aut à Christo traditam aliqua ex parte immutent? Quin potius perpetuò ratam fore credamus Dei sententiam, quam olim per os Isaiæ prolatam Christus sui testimonij authoritate confirmauit: Frustra me colunt docentes doctrinas hominum, &c.

Ierem. 1. Ezech. 3. 33.

Doctrinæ baptismus coniungitur.

Cæterùm doctrinæ baptismum coniungit Christus, vt ex Matthæi verbis supra citatis patuit. Omisit eam partem Marcus, quia eius mentionem postea facit, vbi salutis in Christo percipiendæ ratio traditur. Vt enim ab ipso mundi exordio Deus verbo suo ritus externos & symbola sacra coniunxit, quæ hodie Sacramenta vocantur: Ita sub Christi aduentum fieri debuit, quando veteres quidem ritus, qui & operosiores & cruenti erant, aboliti sunt, instituti verò alij, quorũ simplicitas cum gratia in Christo iam exhibita melius conuenit. Sunt hi Baptismus & Cœna mystica, de quibus singulis alibi diximus. In præsenti solius baptismi mentionem facit Christus, quia vt ecclesia primò colligi debeat, docet: nec interim Cœnam excludit, aut superuacaneam ducit, cuius obseruationem postea Apostoli ecclesijs diligenter tradiderunt, vt ex Actorum libro & priori ad Corinth. satis patet. Baptismum uerò statim conferri voluit credentibus, primò quidem, quia iustitiæ fidei sigillum est (quod de Circumcisione dixit Apostolus, in cuius locum ille successit) deinde verò, quòd ad fidei professionem facit, qua nos à reliquis populis siue sectis Christus seperatos esse vult. Quò Petrus respexisse videtur, quando salutis consilium petentibus Iudæis dicit: Delictorum pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisq; vestrûm in nomine Iesu Christi, & seruemini à generatione ista praua. At hîc simul obseruabimus Christum non alios baptismi ministros constituere, quàm quibus Euangelij prædicandi munus commisit. Conuincitur enim hîc illorum error, qui baptismum per mulieres administrari posse sentiunt, si quando infans à partu statim moriturus videatur. Cùm enim mulieri verbum Dei prædicare non liceat, et eandem in ecclesia loqui vetet Apostolus, certè nec baptizare debet, quando baptismus absq; Dei verbo administrari non potest, & ad ecclesiæ ministerium cumprimis pertinet. Quid verò de illis dicemus, qui annis superioribus peregrinæ ecclesiæ ministro, quem sacramentarij erroris suspectum habebant, permiserunt, vt in baptismi administratione ipse quidem verba Euangelij recitaret, aquam verò per diaconum illius loci aspergi voluerunt? Ridiculi homines quasi aqua baptismi verbo præstet, cùm potius constet, omnem baptismi authoritatem ex Dei verbo pendere, iuxta illud Augustini: Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum. Sed ita se ridendos propinant, qui pro superstitiosis hominum commentis pertinaciter contendunt, & omnem institutionem improbe reijciunt.

Rom. 4.

Acto. 2.

1. Cor. 14. 1. Tim. 2.

Quibus prædicari debeat.

Tertiò, quibus prædicari debeat Euangelium, videamus. Prædicate (inquit) omni creaturæ. Per excellentiam ita de homine loquitur, quem omnium rerum creatarum Deus principem constituit. Non aliud ergo vult, quàm vt omnibus gentibus, imò omnibus hominibus, salutem prædicent, quam ipse nobis acquisiuit. Non est enim personarum respectus apud Deum, sed in quauis gente (vt Petrus ait) acceptus est illi, qui ipsum timet, & iustitiam operatur. Et in Christo Iesu non est Græcus aut Iudæus, nec barbarus aut Scytha, seruus aut liber, &c. Nec hoc modò in mãdatis dedit Christus, verumetiam admirabili sua uirtute fecit, vt discipulis vbiq; locorum ostium prædicandi aperiretur, adeò vt viuentibus adhuc plerisque Apostolorum Euangelium in toto orbe diuulgatum fuerit, (sicuti Paulus testatur. Venit hîc nobis obseruanda singularis bonitas Dei, qui salutem gentibus communicauit, quas à repub. Israelis alienissimas, & tenebrarum potestati omnino subiectas fuisse scimus. Quòd verò posteris temporibus cursus ille Euangelij cessauit, & partim Mahumeticis furoribus partim Papisticis superstitionibus doctrina salutis obscurata, & multis in locis extincta fuit, hominum vitio factum est, qui (vt Paulus inquit) dilectionem veritatis non receperunt, imò tenebris lucem postposuerunt, ne illorum opera mala arguerentur. Instauratur tamen hodie cursus ille

Acto. 10. Colos. 1.

Colos. 1. Rom. 10. 15. Ephes. 2.

2. Thess. 2. Ioan. 3.

fuit ille,& singulari Dei beneficio in Germania veritatis lux denuo accensa est,quæ non modò Europam totam illustrauit,sed in Africam & Asiam vsq; radios suos iam incipit diffundere. Oportet enim impleri,quod supra dixit Christus,fore vt ante vltimum suum aduentum Euangelium in toto orbe prædicetur. Curent modò quibus illa felix affulget, ne vel ingratitudine,vel peccandi licentia eam abs sese repellant. Admonet præterea locus hic,salutis rationem,quæ in Christo habetur,omnibus gentibus communem esse,& vehementer eos falli,qui plures & diuersas salutis vias statuunt,& vnumquenq; in patrum suorum religione saluari posse docent,modò animi intentione bona & sancta ducatur. Quid enim vel Christum incarnari & mori & resurgere, vel Euangelium tanto cum labore Apostolorum & manifesto vitæ discrimine per totum orbem prædicari opus erat,si absq; Christi cognitione & fide gentes seruari poterant? Diximus de hac re copiosius nuper in Michea Cap.secundum,quare hæc modò sufficiant. Marci 13.

Cæterùm mandato suo Christus promissionem simul & comminationem subijcit;qua mentes hominum excitare vult,ne salutis nuntium contemnant.Sequitur enim: Qui crediderit & baptizatus fuerit,seruabitur.Qui verò non crediderit,condemnabitur.Sunt hæc disertè & grauiter pronuntiata ab eo,qui ipsa est Veritas:quare de illorũ fide nemo dubitare debet. Continetur autem his verbis vera salutis in Christo prædicatæ apprehendendæ ratio, quam in sola fide consistere, Christus docet. Nec enim dicit: Qui hoc vel illud fecerit,seruabitur.Sed,Qui crediderit,& baptizatus fuerit. Baptismum verò propter fidei professionem coniungi supra diximus, non quòd illi salus necessariò connexa sit.Ideo in sequenti membro,vbi non credentibus condemnationem minatur,nullam illius mentionem facit.Et constat interdum necessitate excludi pios,vt Baptismo vti non possint: quibus illud non magis fraudi est,quàm Israelitarum infantibus fuit,si quando ante octauum diem, priusquam circumciderentur,decedebant. Firmum ergo ratumq; nobis sit, salutem non alia ratione quàm fide apprehendi posse. Quia enim illa in vno Christo habetur,hunc apprehendant oportet,quicunq; volunt salui fieri.Apprehenditur autem is sola fide,& proinde hac etiam sola seruantur homines.Hinc illa in Euangelio: Abi in pace,fiat tibi secundùm fidem tuam : Fides tua seruauit te: Qui credit in me, habet vitam æternam.Imò hinc illud suum axioma deriuant Apostoli, quo sola fide homines iustificari & seruari,passim docent. Porro fidei nomine non inanis quædam opinio siue persuasio intelligi debet,sed certus firmusq; animi assensus, quo talem agnoscimus Christum, qualem scripturæ proponunt:Nimirum Dei filium,patri coæternum & consubstantialem,qui præfinito tempore ex Maria virgine homo factus,peccata nostra in se transtulit,eadem mortis suæ merito expiauit,mortem verò resurrectione sua deuicit,& proinde vnicus humani generis redemptor, & noster apud patrem mediator, imò Rex & sacerdos suæ ecclesiæ supremus illam conseruat, & nouissimo die ad iudicium venturus est,vt suis quidem promissa vitæ æternæ præmia,impijs verò pœnas sempiternas retribuat. Videntur ista nudam Christi historiam continere, at qui ea in illo verè & ex animo agnoscunt,ij in eodem omnem suæ salutis spem & fiduciam collocatam habent, & idcirco nulla alia quærunt pro peccatis suis sacrificia,nullis alijs mediatoribus nituntur, ab hoc item vno rege & sacerdote suo dependent,illum vnum audiunt,illius verbo non modò carnis affectus,verumetiam rationem & intellectum suum per fidei obedientiam subijciunt, & quæ ille vel præcipit vel promittit, nequaquam ad suæ rationis calculum reuocant, sed illis firmiter nituntur, licet ijs non rationem modò & communem sensum,verumetiam cursum naturæ aduersari videant. Deniq; per fidem hanc Christo ita inseruntur,vt in illo viuant,illius spiritu ducantur,illum dictis & factis referant,dum in secundis innocentiæ & charitati student, id aduersis verò inuicta fidei constantia & patientia constanti omnes huius mundi conatus vincunt. Hi (inquam) fidei effectus sunt,quorum exempla in Abrahamo, Mose,Dauide,Apostolis & alijs infinitis sacræ literæ proponũt.At si ista diligenter examines,illa vires nostras & humanæ rationis captũ longè superare videbis. Quis enim si carnis rationẽ audiat, hominem miserum,qui post omnis generis contumelias in medio latronum expirauit,mortis victorem esse credet? Quis salutis authorem putabit eum, qui ipse in hostium manus deuenit? Quis dilectum illum Dei filium dicit,quem in cruce clamantem audit: Deus meus, Deus meus, cur me dereliquisti? Aut num humanarum virium esse dicemus, abnegatis & mortificatis carnis affectibus omnia relinquere,pro terrenis cœlestia & pro præsentibus futura sectari,et inter perpetuas afflictio-

Euangelio additur promißio & cõminatio.

Salus fide sola apprehenditur.

Fides quid.

Fidei effectus.

nes felicitatem æternam sperare? Hæc certè tam sunt grauia, vt ea nunquam præstituri simus, nisi Deus efficaci spiritus operatione animos nostros non illuminet modò, verumetiam trahat, vt carnem reluctantem superemus. Ideo fidem Dei donum esse Apostolus dicit, & Christus clamat: Nemo venit ad me, nisi pater meus traxerit eum. Non ergo leuicula est salutis ratio, quæ fide in Christum nititur, quin Christo verè credere plus quiddam & magis arduum opus est, quàm si omnium quotquot vnquam fuerunt & futuri sunt, monachorum & hypocritarum opera in vnum cumulum congeras, quibus illi se cœlum mereri posse somniant. Possunt enim illa à prophanis quoq; hominibus præstari & illis gentium philosophos olim excelluisse constat, quales fuerunt Diogenes, Crates et infiniti alij, quorum mores & studia ab omni auaritia & ambitione alienissima commendantur. At fides diuinum quiddam est, & proinde rei omnium præstantissimæ præmium quoq; maximum, Vita nimirum salusq; æterna, promittitur.

Ephes. 2. Ioan. 6.

Porro cùm sola fides salutis in Christo exhibitæ consortes reddat, sequitur ex eo, damnationi obnoxios manere eos, qui fide illa destituuntur. Vbi obseruabis, per incredulitatem illam (vt ita loquamur) non modò priuationem boni notari, sed sub illa scelus contineri, quo vix vllum grauius & atrocius in ipsum Deum committi potest. Admonet de hoc Ioannes Apostolus, quando ait: Qui non credit Deo, mendacem fecit eum, quia non credidit in testimoniũ, quod Deus testatus est de filio suo. Deum mendacem facere dixit, pro mendacem putare, aut mendacij insimulare. Id verò facere eos, quicunq; non credunt Euangelio, per illud probat, quòd Dei patris testimonium de filio suo Iesu Christo reijciant. Nam vt alibi Euangelium testimonium Iesu Christi dicitur, ita constat hoc non aliud contineri, quàm quod Deus iam inde ab origine mundi de humani generis redemptione testatus est. Christus enim hic ipse est, quem patribus olim redemptorem Deus promisit, quem typi legales adumbrarunt, de quo prophetæ ex Dei spiritu vaticinati sunt, & cui post hæc omnia Deus pater testimonium cœlitus tulit, dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo placata est anima mea. Si quem ergo ista omnia non mouent, vt Euangelio fidem habeat, quis negauerit, illum mendacij insimulare Deum, & proinde læsæ maiestatis diuinæ crimine teneri? Est hoc scelus longè grauissimum, & si nihil aliud accedat, damnationem æternam meretur. At sicuti fides fœcundissima virtutum omnium mater est, eò quòd non possunt non obsequi Dei præceptis & promissionibus quicunq; illi verè credunt: ita fieri non potest, quin in omne scelus præcipites ruant, quotquot Deo credere nolunt. Fidem enim carnis sensu omnia metientes, præcepta eius rident, promissiones contemnunt, minas improba scurrilitate exibilant, & proinde rebus secundis ad peccandi licentiam abutuntur, aduersis verò superati impatientia peccant, & plerunq; horribiles blasphemias in Deum & verbum eius euomunt. Sunt hæc omnium seculorum exemplis confirmata, & multa fiunt quotidie, quæ illis possunt fidem facere. Non temere ergo æternæ damnationis supplicium ijs decernitur, qui Euangelio prædicato credere detrectant.

Damnantur, qui non credũt Euangelio.

1. Ioan. 5.

1. Ioan. 1. Apoc. 1. 7. &c.

Matth. 3. 17.

Priusquam hinc discedamus, Anabaptistis quoq; respondendum erit, qui huius loci authoritate abutuntur, dum infantes baptizandos esse negant. Christi (inquiunt) mandatum est, vt qui credũt baptizentur: Infantes verò credere non possunt. Ergo nec baptizari debent. Errant autem primùm in eo, quòd mandatum faciunt ex promissione. Nec enim isto loco Christus mandare voluit, qui nam baptizari, aut à baptismo reijci vel excludi debeant: sed potius ostendere, salutem ad eos pertinere, qui Euangelio credunt, & fidem suam publicè profitentur. Deinde quia de gentibus in fidei & salutis consortium vocandis agit, rectè à doctrina initium fieri iussit. Quid enim baptismo proficias apud prophanum hominem & non rudem modò tanti mysterij, verumetiam à consortio ecclesiæ alienum? At alia est infantum ratio, qui ex parentibus pijs & fide donatis nascuntur. Hos enim fœdere Dei contineri, & sanctos imò pro credentibus censeri, & ad ecclesiam regniq; cœlorum consortium pertinere, ex scripturis liquidò constat. Baptismus ergo illis negari non potest, nisi prius probetur, eos pro alienis ab ecclesia & prophanis à Deo iudicari. Quod cùm illi nunquam facere possint, & Christus infantes sibi adduci velit, nostrum fuerit veterem ecclesiæ consuetudinem retinere, nec audire fanaticos illos, quorum omne studium in hoc incumbit, vt ecclesias bene constitutas euertant, & damnatis omnibus alijs ipsi soli cœlos conscendant, quod olim Acesio Nouatianorum episcopo Constantinus nõ minus verè quàm argutè respondit.

Anabaptistæ confutantur.

Gene. 17. 1. Corinth. 7. Marc. 10. Matth. 18.

Porro

Porro vt legatis literæ dantur, quas hodie Credentias vocant, ita Christus Apostolos testimonio publico commendare voluit, ne quis eos priuato consilio functionem istam suscepisse putaret. At literarum loco miraculorum donum concessit, quorum eò maior fuit authoritas, quòd nõ Apostoli modò hac edendi facultatem habuerunt, sed eadem illi quoq; ornati sunt, qui ipsorum doctrinæ credebant. Ait enim: Signa eos, qui crediderint, hæc subsequentur, Per nomen meum dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, &c. Consentiunt his, quæ apud Ioannem dicit: Amen amen dico vobis, Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora his faciet, &c. Et verè hæc impleta fuisse, Actorum liber testatur, vbi Petri vmbram & Pauli cinctoria multis salutem contulisse legimus, ita nimirum Christo occulta sua virtute testimonium ferente de illorum doctrina. Sed & illos linguis nouis locutos legimus, qui Apostolorum doctrinæ crediderunt. Obseruabimus autem, promissionem hanc temporalem esse, & ad primordia ecclesiæ nascentis restringi debere, quando doctrinam, quæ gentibus inaudita fuerat hactenus, & quæ à sensu communi aliena videri poterat, signis confirmari oportuit. Quod ipsum Hieronymus testatur, qui in suis super Dan. comment. scribit: Signa fiunt per seruos Dei apud Barbaras nationes, vt vnius Dei cultus & religio prædicetur. Barbaras enim vocat eas, quæ scripturarum cognitione omni destitutæ sunt, & proinde alijs argumentis opus habent, quibus doctrina scripturæ ipsis approbetur. Quod cùm abundè olim factum sit per Apostolos & horum successores, miracula cessarunt, vt qui iam Christo nomen dederant, non à signis & externis operibus, sed ab vno Dei verbo pendere discerent. Quam causam Augustinus quoq; obseruauit, qui in libro de vera religione sic scribit: Accepimus maiores nostros eo gradu, quo à temporalibus ad æterna conscenditur, visibilia miracula (non enim aliter poterant) secutos esse: per quos id actum est, vt necessaria non essent posteris. Cùm enim ecclesia catholica per totum orbem diffusa atq; fundata sit, nec miracula ista in nostra tempora durare permissa sunt, ne animus semper visibilia quæreret, & eorum consuetudine frigesceret genus humanum, quorum nouitate flagrauit, &c. Quibus etiam illud adijci potest, quod idem pater in libro de vtilitate credendi ad Honoratum scribit: Cur ista modò non fiunt? Quia non mouerent, nisi mira essent. At si solita essent, mira non essent, &c. Neq; tamen ista sic accipi debent, quasi hodie doctrina Euangelij miraculis omnino careat. Nam & vetera illa nobis etiam inseruiunt, vt illorum scriptis credamus, qui olim miraculis sibi fidem apud homines rudes & barbaros conciliarunt: & si ita exigat necessitas, non exhausta est Dei virtus, quin verbo suo per signa aliqua testimonium ferre possit. Quod suo tempore Augustinus factum fuisse, seq; Mediolani cæcum quendam miraculosè illuminatum vidisse scribit. Et possent nonnulla huius generis recenseri, quæ nostro seculo facta sunt, sed illa consultò omittimus, ne quid in alicuius gratiam dicere videamur. Miraculis tamen non immeritò adnumerari possunt stupenda Dei iudicia, quibus ille tyrannorum conatus præter omnem expectationem dissipat, vt ecclesia inter medios hostes, perinde vt ouium grex inter lupos, incolumis seruetur.

Miracula Euangelio fidem faciunt.

Ioan. 14.

Acto. 10. 19. &c.

Cap. 25.

Cap. 16.

1. Retract. 13.

Obseruabis præterea, signis, quæ hîc commemorantur, effectus fidei in Christum adumbrari. Hæc enim Christi spiritu animata diabolum eijcit, ne in nobis per superstitiones & scelera regnũ obtineat. Facit huc, quòd olim oracula cessauisse legimus, & quòd hodie diaboli spectris minus ludificantur, quicunq; Euangelium Iesu Christi audiunt. Deinde mentes quoq; & linguas hominum fides ista innouat, vt & intelligamus spiritus mysteria, & ea loquamur quæ ad Dei gloriam & proximi ædificationem faciunt. Adhæc veteris serpentis morsui medetur, ne exitio nobis sit peccatum Originale, quod ex primis parentibus contraximus. Imò peccata quoq; actualia, etsi instar toxici sint, tollit, ne nobis imputari queant. Fide enim fit, vt & Christum amplectamur, qui nobis iustitia atque satisfactio à Deo factus est, & per pœnitentiam quotidie innouemur. Fide deniq; animarum morbi omnes sanantur, & eadem in secundis carnis ferocem confidentiam reprimit, in aduersis verò vacillantibus conscientijs consolationes dulcissimas adhibet. Vides ergo quanti à nobis Euangelium fieri debeat, quando illo nobis conferuntur, quæ humanum captum longè superant, & nulla alia arte vel studio acquiri possunt. Audiamus hoc, & credamus, vt omni peccati noxa liberati viuamus & regnemus cum Christo Iesu, cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Signis adumbrantur fidei effectus.

R

HOMILIA CXXXIX.

Dominus igitur postquam locutus fuisset eis, sursum assumptus est in cœlũ, & sedit à dextra Dei. Illi uerò egressi prædicauerunt ubiq;, Domino unà operante, & sermonem confirmante per signa subsequentia.

Argumentum & vsus præsentis loci.

EVangelistæ non ea modò narrant, quæ Iesus Christus priusquam moreretur fecit & passus est, verumetiam, quæ illius mortem proximè sunt secuta: eò quòd & illa cumprimis pertineant ad nostræ redemptionis negotium, cuius ille author & executor esse debuit. Primum inter illa est Resurrectio eius, qua mortem & omnem aduersariam potestatem deuicit, cuius multa argumenta uidimus. Secundum locum ordinatio Apostolorum & ministerij Euangelici institutio habet, per quod salutem suo merito acquisitam nobis Christus offert, vt nuper abunde dictum est. Sequitur nunc Ascensio eiusdem in cœlum, quam in præsenti Marcus narrat, simulq; adijcit quid discipuli factitarint, postquam ab illis Christus subductus est. Nos verò in horum quoq; consyderatione ita versari conuenit, vt omnia hæc nostræ salutis ergò facta fuisse, & ad nostram tum institutionem tum consolationem facere cogitemus.

Ascensionis historia.

Ascensionis historiam, vt alia quoq;, paucis Marcus absoluit, quare quæ hîc desyderantur ex Luca sarciri debent, qui in fine historiæ suæ Euangelicæ & Actorum libro illam luculenter describit. Et summa quidem narrationis est, Christum discipulos Bethaniam eduxisse ad montem oliuarum, & postquam illos sui officij admonuit, ijsdem solenniter sublatis manibus benedixisse, & mox ab illis recessisse ipsis videntibus in cœlum, vbi à dextra Dei consederit, & horum omniũ testes fuisse angelos, qui ea discipulis declararint, quæ pro visus humani imbecillitate ipsi non potuerant perfectè cernere, sicuti gesta fuerant. Hæc (inquam) historiæ summa est, in qua singulæ partes diligentem consyderationem merentur.

Ex Bethania cœlum conscendit Christus. Matth. 21. Lucæ 19. Acto. 14.

Videamus igitur primùm, ex quo loco in cœlos conscendere voluerit. Fuit is Bethania, ad montem oliuarum sita, Lazaro & sororibus ipsius illustris, sicuti Ioannes tradidit. Nomen habet ab afflictione, & Latinis Domus afflictionis dicitur. Atqui ex eodem loco ad mortem illum profectum fuisse, Euangelistæ testantur. Non temerè ergo hoc factum putabimus, sed vt exemplo suo nos institueret simul & consolaretur. Vt enim Dei filius per mortem ignominiosam in gloriam patris ingressus est: ita omnibus nobis hanc sortem à Deo constitutam esse Paulus testatur, vt per multas tribulationes in regnum Dei ingrediamur. Vt autem Christi gloriæ inseruiuit locus, qui ignominiæ & passionis ipsius initium dederat: ita in ipsum credentibus & patienter ferentibus à Deo impositam crucem, ad gloriam & salutem æternam seruient, quæcunq; carni acerba & ignominiosa putantur, Postulat enim hoc iustitiæ lex, vt gloriæ suæ consortes faciat Christus, qui afflictionum ipsius consortes fuerunt. Hæc si diligenter meditemur, tam in publicis quàm priuatis afflictionibus, haud vulgariter nos in fide & patientia Christiana sentiemus confirmari.

Christus ascendit uero suo corpore.

Secundò quis ascenderit videndum est, & quis ascensionis huius modus fuerit. Sunt enim, qui cùm Ascensionis articulum ipsorum sententiæ de corporali Christi præsentia in Cœna obstare videant, mirificis figmentis illum eludere satagunt. Nam disparitionem fingunt, & Ascensionem non aliud quàm conuersationis siue conditionis Christi mutationem esse contendunt, vt qui prius in terris visibiliter & humano more versabatur, nunc quidem inter nos vero corpore versetur, non autem pro ratione huius seculi, sed modo inuisibili & quem nulla hominis ratio possit capere. Negant ergo in Ascensione motum aliquem factum esse, quo Christi corpus ex terris sursum in cœlos subuectum siue translatum sit. Et vt suum illud commentum tueantur, cœlum terræ miscent, & illud loci nomen esse negant, vt Christi corpus iam nullo loco certo contineri euincant. Mirum verò est, homines, qui in Cœnæ negotio tropis adeò iniqui sunt, vt illis ἄσπονδον πόλεμον (quod prouerbio dicitur) indixisse videantur, sexcentos scripturæ locos interpretationibus non figuratis modò, sed violentis in sensum alienum detorquere, & omne inter cœlum & terram discrimen tollere, ne in locutione Sacramentali tropum aliquem admittere cogantur. At si Ascensionis historiam diligenter excutiamus, mox omnes eius circũstantias istorum opinioni aduersari patebit. Primùm enim de Christo hîc

sto hîc sermo est, qui in corpore, quod ex Maria virgine assumpserat, verè mortuus, & in eodem resuscitatus per dies quadraginta cum discipulis egit, seq; illis non modò videndum, verumetiam contrectandum præbuit, imò corpus suum manus & pedes habere, & ex carne atq; ossibus constare testatus est. Ille (inquam) ascendisse dicitur. Vt ergo illum in suo corpore reuera mortuũ esse, verè etiam resurrexisse, & post resurrectionem verè comedisse & bibisse credimus: ita eundem etiam reuera ascendisse credendum est. Quòd si id aduersarij fateri nolunt, rationem aliquam adducant, quæ illos cogat in ascensionis historia ad interpretationes figuratas, imò violentas, confugere, cùm quæcunque de morte & resurrectione eius dicuntur, verè & iuxta literam accipiant. Dicent illi, se verbis Cœnæ moueri, quibus realis & substantialis præsentia corporis Christi sanciatur, quæ consistere nequeat, si ascensionem ita intelligamus factam esse, vt è mundo hoc corpus suum in locum alium transtulerit. At hîc ego rursus scire velim, quæ ratio illos moueat, vt Cœnæ verba crasso sensu iuxta literam accipiant, ea verò aliter interpretentur, quæ de ascensione dicuntur? Oh, Christi verba sunt, inquiunt, disertè & ore rotundo dicentis: Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus, &c. Audio. Sed eundẽ Christum eadem hora dixisse audio: Filioli, adhuc paulisper vobiscum sum: Expedit vobis, vt ego uadam: Exiui à patre & veni in mundum, iterum relinquo mundum & vado ad patrem. Dicant ergo illi, cur omnia ista potius, quàm Cœnæ verba, per tropos exponere opus sit, cùm illa ad simplicem historiæ narrationem pertineant, in Cœna verò Sacramentum instituatur, cuius finis & vsus præcipuus est, Commemoratio mortis Christi, quam Paulus ex ipsius Christi verbis in hunc modum definit: Quotiescunq; comederitis hunc panem, & de poculo isto biberitis, anuntiate, vel prædicate mortem Domini, donec venit. 1. Corinth. 11. Ioan. 13. & 16.

Deinde nobiscum facit ipse ascensionis modus, quem ita describunt Euangelistæ, vt singula commemorent, quæ hîc contigerunt, quasi de industria cauere voluerint, ne quis aliquid imaginariè factũ putaret, aut historiæ narrationem figuratis interpretationibus euerteret. Nam cùm benediceret illis (inquit Lucas) recessit ab eis: At recedendi verbo abitionẽ in alium locũ denotari nemo sanæ mentis negauerit. Et quò nam recesserit, idem innuit, dicens: Et ferebatur in cœlum. Ferebatur (inquit) quæ iterum motus ex loco in locũ nota est certissima. Et ne cœli vox ambigua & incerta esset, idem cum Marco illum sursum & in altum assumptum esse testatur. De cœlo igitur, quod supra nos est, loquuntur, non de cœlesti conuersatione, qualis in terris etiam esse potest. Neq; his contentus Lucas, etiam nubis meminit, quæ illum vehiculi instar in altum subuexit. Et hæc quidẽ ipsis videntibus facta fuisse scribit, Ergo non disparuit Christus, vt quò nam abijsset, omnino ignorarent. Nam defixis in cœlum oculis illum secuti sunt abeuntem, quod ridiculè & stultè facturi erant, nisi illum in altum ferri vidissent. Accedit his angelorum testimonium, quos ego hanc potissimùm ob causam ascensionis huius interpretres & testes adhibitos fuisse crediderim, ne quid minus verè factum suspicaremur. Si enim ea gratia in præsenti dignatus esset Apostolos Christus, qua paulò post Stephanus illuminatus cœlos apertos & filium hominis à dextris Dei stantem vidit: non immeritò illos in extasi & visione supernaturali tale quid spectauisse crederemus, qualia olim multa prophetas, & postea Paulum & Petrum & Ioannem vidisse legimus. Ne quid ergo eius generis hîc factũ putaremus, Apostoli nec extra se rapti, nec noua & insolita oculorum acie donati sunt, sed eò vsq; illum viderunt ascendere, quò vsq; visus ipsorum penetrare potuit. Quod verò in illo defuit, hoc postea angelorum testimonio sarciri voluit Christus, qui totius actionis testes & illum ascendisse in cœlum, & inde olim rediturum esse dixerunt. His ergo nos insistere conuenit, quæ vt simpliciter describi curauit spiritus sanctus, ita inter fidei articulos referri voluit, in quibus omnia simpliciter & absq; troporum inuolucro contineri scimus, quæ cognitu & creditu necessaria sunt.

Ascensionis modus. — *Act. 7.* — *2. Corith. 12. Acto. 10. Apoc. 1. &c.*

Cæterùm cogit nos aduersariorum obstinatio, vt de loco, in quem Christus ascendit, plura adhuc dicamus. Marcus illum assumptum esse ait in cœlum, & consedisse à dextra Dei. Et quia cœli simul & simul & dextræ Dei meminit, qua sæpius diuina maiestas & potentia denotatur, arbitrantur illi, non aliud dici, quàm quòd Christus in diuinæ maiestatis consortium assumptus sit, & proinde quoad humanitatem, perinde vt Deus, sit vbiq;. Et argumentum insolubile se afferre putant, quando dicunt: Christus homo ascendit ad dextram patris. Dextra patris est vbiq;. Ergo Christus homo est vbiq;, nimirum quoad humanitatem & corpus, quod ex Maria virgine assumpsit. At quid de illo

De loco in quẽ Christus ascendit.

argumento sentiamus, postea dicetur. Nunc de Marci verbis agemus, qui duo simul comprehendit, Locum videlicet, in quem Christus ascendit, & Maiestatem siue gloriam, in quam carnem ipsius assumptam esse, minimè negamus, modò illud rectè intelligatur. Quoad locum, in cœlum ascendisse dicitur Christus.

Cœlum nomen loci. Per cœlum verò æternæ beatitudinis locum intelligimus, iuxta illud Apostoli, qui nostrum πολίτευμα, siue ciuitatem & patriam in cælis esse dicit, vbi nimirum thesauri illi incoruptibiles nobis repositi sunt, quos Christus nos quærere iubet. (Philip. 3. Matth. 6.) Locum verò illum extra hunc mundum corruptibilem, adeoq; supra aut extra omnes cœlos esse, primùm ipse Christus testatur, quando se non amplius in mundo fore ait: deinde Apostolus quoq; docet, qui illum supra omnes cœlos ascendisse, & olim in nubibus venturum esse, nosq; illi obuiam per aërem rapiendos docet. (Ephes. 4. 1. Theß. 4.) Quòd verò aduersarij ex eo colligunt, Christi corpus iam non amplius loco certo contineri, sed ubiq; esse, id nimis ridiculè faciunt. Quò magis enim clamant, illum supra omnes cœlos ascendisse, & mundum hunc corruptibilem & huius conditiones reliquisse, eò magis nostram confirmant sententiam, qui illum non amplius in terris corporaliter quærendum esse docemus. Cauillantur illi, nos physicis rationibus niti, nec altius quiddam quàm Aristotelica illa principia sapere posse, quæ corpus omne loco certo contineri docent: imò per nos Dei omnipotentiam negari plenis buccis vociferantur, quod Christum, qui supra omnes cœlos ascendit, corpore suo non simul in cœlo & in terris esse, & omnes mundi partes corporaliter implere sentimus. At si rem ipsam penitius inspiciamus, multò magis illos philosophorum placitis falli patebit, & diuinæ Christi potentiæ maiorem ab illis, quàm à nobis iniuriam fieri. Quis enim ignorat illorũ argumenta: Christus ascendit supra omnes cœlos. Supra omnes cœlos non est locus: Ergo Christus non est in loco. Item: Cœlum non continetur loco. Christus ascendit in cœlum: Ergo non continetur loco. Vnde verò hæc sua axiomata habent, quibus vel cælum loco cõtineri, vel supra cœlos locum aliquem esse negant? Nónne ista philosophi tradiderunt, quorum nulla est in regno cœlorum hæreditas? Illis autem nos Christi Iesu authoritatem opponimus, qui & se loco contineri, & supra omnes cœlos locum esse testatur. Eius enim verba sunt: In domo patris mei mansiones multæ sunt: quòd si secus esset, dixissem vobis. Vado vobis paraturus locum. Et si abiero ad parandum vobis locum, iterum veniam, & assumam vos ad meipsum, vt vbi sum ego, & vos sitis. (Ioan. 14.) Ecce, mansiones multas in domo patris sui esse testatur, & loci meminit, in quẽ abiturus sit ipse, & in quẽ nos quoq; ad ipsum colligi oporteat. Christóne igitur magis, quàm Aristoteli & Philosophis credemus, quos Tertullianus olim hæreticorum patriarchas esse dixit? In locum ergo certum Christus abijt, non quidem, vt illic ceu vinculis alligatus sedeat, aut ergastulo & carcere clausus detineatur (vt quidam nimis scurriliter loquuntur, quorum dicacitati vt ignoscat Deus precamur) sed in sedes beatorum, vbi nemo inuitus detinetur, & ubi nullum est alterius loci aut conditionis desyderium, cùm illic sit in conspectu Dei bonorum & lætitiæ omnis satietas, sicuti Dauid testatur. (Psalm. 16.) Neque illius omnipotentiam negamus, sed de voluntate eius disputamus, sine qua nihil ex eius omnipotentia colligi potest. Agnoscimus etiam Christi promißiones: Vbi duo aut tres congregati fuerint in nomine meo, ero in medio ipsorum. Item: Ecce, ego vobiscum sum, vsque ad consummationem seculi. (Matth. 18. & 28.) Illas verò de ipsius diuinitate intellig. debere dicimus, quæ sua virtute omnia penetrat, & Christi meritum nobis vbique locorum præsens & salutare exhibet. Per Idiomatum verò communicationem de tota Christi persona dicitur, quod alterius modò naturæ proprium est. Quam regulam non ipsi primi finximus, sed à patribus orthodoxis, acceptam obseruamus, inter quos Theodoretus est, cuius verba habentur: κοινὰ τῶ προσώπου γέγονε τὰ τῶν φύσεων ἴδια, id est, quæ naturarum propria sunt, personæ communicantur. Et parum honorificè de Christo sentire videntur, qui illum nobis non aliter salutarem esse putant, quàm si corpore in terris versetur, cùm illum olim patribus affuisse constet, priusquàm corpus ex Maria virgine assumpsisset.

De dextera Dei. Obijciunt illi, non modò cœli, sed etiam dextræ Dei mentionem fieri, per quam diuina maiestas & potentia intelligi debeat, in cuius consortium Christi humana natura assumpta sit. Fatemur istud nos etiam, & Dauidis oraculum, ipsius Christi authoritate confirmatum agnoscimus: Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextra mea, donec posuero inimicos tuos scabellum pedum tuorum. (Psalm. 110. Matth. 22.) Fatemur etiam, Christum, quoad humanam naturam, verè de semetipso dixisse: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. (Matth. 28.) Paulum quoque de hoc loqui dicimus, quando ad Ephesios scribit: Pater (Ephes. 1.)

bit: Pater gloriæ efficaciam roboris fortitudinis suæ in Christo exercuit, cùm suscitauit eum ex mortuis, & sedere fecit ad dexteram suam in cælestibus super omnem principatum & potestatem, & virtutem & dominium, & omne nomen quod nominatur, non solum in seculo hoc, verumetiam in futuro, & omnia subiecit sub pedes illius, & ipsum dedit caput super omnia ipsi ecclesiæ, quæ est corpus illius, complementum eius, qui omnia in omnibus adimplet. At hîc addimus, in præsenti causa, Dei dextra non modò diuinæ maiestatis consortium, verumetiam locum, in quo humana Christi natura gloriæ & maiestatis diuinæ consors facta est, denotari. Id verò ex eo colligimus, quòd priusquàm Marcus illum à dextris Dei consedisse dicat, illum in cælum assumptum esse scribit. Et Paulus in eo, quem modò citauimus, loco vtrumq; coniungit, quando Christum ad dextram Dei in cælestibus sedere ait. Et huius generis loci in scripturis paßim occurrunt. Stephanus protomartyr, plenus spiritu sancto, clamabat: Ecce video cælos apertos, & filium hominis stantem à dextris Dei. Et hæc illum oculis in cælum intentis dixisse, Lucas scribit. Paulus item ad Colossenses scribit: Si resurrexistis vnà cum Christo, superna quærite, vbi Christus est ad dextrã Dei sedens. Quibus verbis Christum ad Dei dextram sedere quidem ait, sed eundem in supernis monstrat: ijs nimirum, quæ terræ & terrenis opponit, cùm mox inferat: Superna curate, non terrestria. Petrus quoq; Apostolus ait: Iesus Christus est ad dextram Dei, profectus in cælum, &c. Fatetur quidem illum ad dextram Dei esse subiectis sibi omnibus angelis & potestatibus, sed tamen eundem in cælum profectum esse ait, vt illic huius gloriæ & maiestatis consortem faceret carnem suam, quam ex nobis assumpserat. Et idem Apostolus alibi fatetur, Christum oportere cælos tenere vsque ad tempus restitutionis omnium: Quod utique de illius corpore dixit, cùm illius diuinitas in cælo simul & in terra præsens sit. Vt verò Petrus cælum & dextram Dei coniungit, adeoq; per dextram Dei beatitudinis æternæ locum simul & diuinæ gloriæ consortium comprehendit: ita Paulum hoc ipsum facere constat, quando ad Hebræos scribit: Filius per semetipsum purgatione facta peccatorum nostrorum, consedit in dextra maiestatis in excelsis. Quid verò opus erat addere, In excelsis, si in terris quoq; Christi humanitas diuinæ gloriæ particeps facta est? Quò & illud pertinet, quòd in eadem Epistola illum à dextris throni Dei consedisse dicit. Thronus enim Dei cælum est, sicuti ipse apud Isaiam fatetur. Et rursum: Qui consedit ad dextram maiestatis in cælis. Quibus etiam illud Christi adnumerari potest: Videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis, & venientem in nubibus cæli. Cur enim in nubibus cæli veniat, imò de cælo descendat Christus (quod ipsum disertè dicit Paulus) si illuc non verè ascendit? Aut cur idem nos illum è cælis expectare scribit, si non illuc assumptus est, sed in terris manens corporis modò sui conditiones cum cælestibus commutauit? Nihil ergo efficiunt aduersarij, quãdo Dei dextram pro illius potentia & maiestate exponunt, & Christum, quoad humanam naturam, vbiq; præsentem esse, ex eo colligunt, quòd ad dextram Dei sedeat. Paralogizant illi ab eo quod est secundum quid, ad id quod est simpliciter. Quod enim de gloria carnis Christi in cælo agentis dicitur, illi ad eius substantiam referunt, quasi illa aliquam mutationem subierit, vel diuinitatis vnione nunc per omnia loca extendatur. Sed repugnat huic sententiæ Apostoli authoritas, qui nostra corpora glorioso Christi corpori conformia fore, & illi obuiam per aerem transferenda dicit, in eum videlicet locum, quem nobis suo merito ille acquisiuit. Abundè ergo demonstratum esse arbitror, Christum corpus suum in clarificatione non exinaniuisse, nec in ascensione illius cõditiones mutasse, nisi quatenus illud è terris in cælos subuexit, vbi in gloria Dei sedens æterna cum illo potentia & beatitudine fruitur.

Acto.7. Colos.3. 1.Pet.3. Acto.3. Hebr.1. Hebr.12. Isaiæ 66. Hebr.8. Matth.26. 1.Thes.4. Philip.3.

At ne quis nos doctrinam nouam & ecclesiæ ante hæc tempora incognitam afferre putet, patrum aliquot testimonia adducemus, & eorum quidem, quos in controuersijs de naturis in Christo & earum vnione nemo vnquam erroris aut hæreseos accusauit. Primus ex his prodeat Augustinus, qui in Epistola ad Dardanum ex professo ad istam quæstionem respondens, Quomodo Christus non sit vbiq;, & rursus sit vbiq;, inter alia sic scribit: Noli dubitare, ibi nunc esse hominem Christum Iesum, vnde venturus est, memoriterq; recole & fideliter tene Christianam confeßionem, quoniam resurrexit à mortuis, ascendit in cælum, sedet ad dextram patris, nec aliunde quàm inde venturus est ad viuos mortuosq; iudicandos. Et sic venturus est illa angelica voce testante, quemadmodum ire visus est in cælum, id est, in eadem carnis forma atq; substantia, cui profectò immortalitatem dedit, naturam non abstulit. SECVNDVM HANC FORMAM non est putandus vbiq; diffusus. Cauen-

Patres idem nobiscum sensisse. Augustinus.

dum est enim ne ita diuinitatem astruamus hominis, vt veritatem corporis auferamus. Et in eadem Epistola loci accidens ita proprium esse docet corpori, vt hoc sine illo posse consistere neget. Spacia locorum (inquit) tolle corporibus, nusquam erunt: & quia nusquam erunt, nec erunt. Tolle ipsa corpora qualitatibus corporum, non erit vbi sint, & ideò necesse est, vt non sint. Idem pater illud Christi exponens, Pauperes semper habebitis vobiscum, me non semper habebitis, sic ait: Loquebatur de præsentia corporis: nam secundum maiestatem suam, secundùm prouidentiam, secundùm ineffabilem & visibilem gratiam impletur, quod ab eo dictum est: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad consummationem seculi. Secundùm carnem verò, quam verbum assumpsit, secundum id quòd de virgine natus est, secundum id quòd à Iudæis comprehensus est, quòd ligno confixus, quòd de cruce depositus, quòd linteis inuolutus, quòd in sepulchro cōditus, quòd in resurrectione manifestatus, non semper habebitis vobiscum. Quare? Quoniam conuersatus est secundùm corporis præsentiam quadraginta diebus cum discipulis suis, & eis deducentibus videndo, non sequendo, ascēdit in cœlum, & non est hîc: Ibi enim sedet ad dextrā patris: Et hîc est, non enim recessit præsentia maiestatis. Aliter. Secundùm præsentiam maiestatis semper habemus Christum: secundùm præsentiam carnis, rectè dictū est, Me autem non semper habebitis. Habuit enim illum ecclesia secundùm præsentiam carnis paucis diebus: modò fide tenet, oculis non videt. Sed & idem Augustinus contra Serm. Arianorū cap. 12. de patris dextera sic pronuntiauit: Quid autem est dextera patris, nisi æterna illa ineffabilisq; felicitas, quò peruenit filius hominis, etiam carnis immortalitate percepta.

Tract. in Ioan. 50.

Hieronymus.

Diuus Hieronymus ad Damasum scribens, sic ait: Resurrexit tertia die, ascendit in cœlum, sedet ad dextram Dei patris, manente ea natura carnis, in qua natus & passus est, in qua etiam resurrexit. Non enim exinanita est humanitatis substantia, sed glorificata, & in æternū cum Deitate mansura. Fulgentius verò: Idem atq; inseparabilis (inquit) Christus secundùm totum hominē, quem accepit, terram LOCALITER *deserens ad cœlum ascendit, & in dextris Dei sedet. Sentit cum his Cyprianus, qui in symboli expositione ita scribit: Ascēdit ad cœlos Dominus, non vbi verbum Deus ante non fuerat (quippe qui erat semper in cœlis, & manebat in patre) sed vbi verbum caro factum ante non sedebat. Deniq; quia nouus iste ingressus portarum cœli ædituis & principibus videbatur, videntes naturam carnis cœlorum secreta penetrantem, dicunt ad inuicem, sicut Dauid plenus spiritu enuntiat: Tollite portas principis vestri, & eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ. Quis est iste rex gloriæ? Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio. Quæ vox vtiq; non propter diuinitatis potentiam, sed propter nouitatem carnis ascendentis ad dexteram Dei, ferebatur. Et paulò post: Sedere quoq; ad dextram patris, carnis assumptæ mysterium est. Neq; enim incorporeæ illi naturæ conuenienter ista absq; assumptione carnis adduntur, neq; sedis cœlestis perfectum diuina natura, sed humana natura conquirit.*

Fulgentius.

Cyprianus.

Psal. 24.

Epiphanius.

Addamus his Epiphanium, qui etsi de corpore Christi quædam dicat, quæ accurata consyderatione & sobrio iudicio opus habent, dum illud λεπτομερὲς καὶ εἰς θεότητα συνηνωμένον, id est, tenuium partium & in diuinitatem counitum vocat, [illegible] eiusdem tamen substantiam post resurrectionem non exinanitam esse, & sursum in cœlos assumptam esse fatetur. Nam contra Apelleianos scribens, cùm & Pauli & Stephani testimonia adduxisset (quorum supra mentionem fecimus) tandem infert: ἄνω δὲ αὐτὸ τὸ ἅγιον σῶμα σὺν τῇ θεότητι ὅλος θεὸς, εἷς υἱὸς ὁ ἅγιος τοῦ θεοῦ, καθεζόμενος ἐν δεξιᾷ τοῦ πατρὸς, ὡς ἔχει καὶ τὸ τοῦ Μάρκου εὐαγγέλιον, καὶ τῶν ἄλλων εὐαγγελιστῶν, καὶ ἀνῆλθεν εἰς τοὺς οὐρανοὺς, καὶ ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ τοῦ πατρός. *Id est. Superne est ipsum sanctum corpus, vnà cum Deitate totus Deus, vnus filius ille sanctus Dei, sedens ad dextram patris, sicuti tradit Marci Euangelium & aliorum Euangelistarum: Et ascendit in cœlum, & consedit ad dextram Dei patris.*

Possem huius generis multa ex Theodoreto & Cyrillo producere, sed omissis illis duos vetustissimos ecclesiæ doctores audiamus, qui ex ijs, quorum scripta extant, ad Apostolorum tempora proximè accesserunt. Ireneum & Tertullianum, quorum ille τὴν ἔνσαρκον εἰς τοὺς οὐρανοὺς τοῦ ἠγαπημένου Χριστοῦ Ἰησοῦ κυρίου ἡμῶν ἀνάληψιν profitetur, ita illius verba citante Epiphanio. Atqui assumptionem Christi in cœlos ἔνσαρκον, id est, in carne factam non dixisset, nisi Christum credidisset in illa carne cœlum ascendisse, quam ex nobis assumpserat. Tertullianus autem in libro de carnis resurrectione hæc tradidit: In ipsa adhuc regia cœlorum sedet Iesus ad dextram patris: homo, etsi Deus: Adam nouissimus,

Ireneus.

Tertullianus.

nouissimus, etsi sermo primarius: caro & sanguis, etsi nostris puriora: idem tamen & substantia & forma, qua ascendit: talis etiam descensurus (vt angeli affirmant) agnoscendus scilicet eis, qui illum conuulnerauerunt. Hic sequester Dei atq; hominum appellatus, ex vtriusq; partis deposito commisso sibi, carnis quoq; depositum seruat in semetipso arrhabonem summæ totius. Quemadmodum enim nobis arrhabonem spiritus reliquit, ita & à nobis arrhabonem carnis accepit, & vexit in cœlum, pignus totius summæ illuc quandoq; redigendæ, &c. Et hæc quidem Christi verbis conueniunt, qui spiritum non venturum fuisse testatur, nisi ipse è mundo abijsset. Et Paulus spiritum Christi nostræ salutis arrhabonem dicit, quo quid obsecro opus erat, si Christus corporaliter nobiscum manere debuit? Hæc præter morem nostrum pluribus patrum testimonijs confirmauimus, vt inuidiosa noui dogmatis suspicione nos & ecclesias nostras liberemus, & vt ijs medeamur, quos nonnullorum authoritas hodie ita trahit, vt aut illos non posse errare arbitrentur, aut nefas putent ab illorum sententia discedere. Si enim alicuius hominis authoritas valere debet in fidei & dogmatũ controuersijs, maior vtiq; illorum erit, qui olim Christi fidem contra varias hæreses non modò labore & studio, verumetiã exilio, carceribus, & multi etiam sanguinis sui testimonio defenderunt: quàm eorum, quorum oculi adhuc papisticæ superstitionis fulgore perstringuntur, & qui otio abundantes & titulis ambitiosis, & plerunq; vel precio vel fauore emptis, sanctorum Christi martyrum indigna supplicia securi audiũt, imò illis in cruce pendentibus suas sannas & scommata scurrilia, acetum longè acerbißimum, propinant, & suis suffragijs pontificum sententias confirmant, dum hæreticos dicunt eos, quos illi propter solam Christi fidem & veritatis doctrinam persequuntur.

Ioan 16. Ephes. 1. 2. Cor. 1. & 5.

Cæterum non sufficiunt ista ijs, qui animos suos in tuendis suis opinionibus obfirmarunt, sed ad vnionem personalem naturarum in Christo confugiunt, ex qua ad hunc modum argumentantur: In Christi persona naturæ duæ, diuina & humana, inseparabili vnione conueniunt: Ergo vbicunque est Christi diuinitas, ibidem humanitas eiusdem sit oportet. Si enim alicubi sit eius diuinitas, vbi humana natura non est, scinditur illarum naturarum vnio. Et hîc ipsi quoq; patrum testimonia allegant quibus illi contra Eutychen & Nestorium vsi sunt, quorum ille quidem duas naturas in vnam coaluisse, & humanam in diuinam conuersam esse docebat hîc verò duas in Christo personas constituebat. Atqui agnoscimus nos quoq; inseparabilem in vna eademq; Christi persona duarum naturarum unionem, sed illas cum patribus & scripturis dicimus ita uniri, ut distincta maneat earundem proprietas, & nullius fiat in alteram conuersio, aut vtriusq; confusio siue permixtio, quæ & proprietates & actiones illarum confundat. Et hic cum primis locum habere debet Augustini regula, cuius paulò ante meminimus, ne ita astruamus hominis diuinitatem, vt corporis veritatem auferamus. At quomodo manebit corporis Christi veritas, si illud vbique sit, & omnia penetret, id quod soli diuinæ naturæ scriptura sacra tribuit? Neque vt vbique sit, inseparabilis illa naturarum vnio in eadem persona requirit, Sufficit enim ad hanc conseruandam, quòd in cœlis ad dextram patris Christus Deus & homo consideat, nec diuinitatis vllum deliquium patitur, etsi hæc cœlos & terras impleat, & vbiq; præsens sit. Imò quia vbique præsens est, & omnia implet, in cœlis quoque sit oportet, quò Christus homo ascendit: Manet ergo indiuisa & inseparabilis naturarum vnio, licet Christi humanitatem nullo nouo figmento in terras detrahamus, aut per omnia diffundi dicamus. Nam vt idem Augustinus ait, non consequens est, vt quod in Deo est, ita sit vbique vt Deus. Nã & de nobis veracißima scriptura dicit, quòd in illo viuimus, mouemur et sumus, nec tamen sicut ille, vbique sumus: sed aliter homo ille in Deo, quoniam aliter, & Deus ille in homine, proprio quodam et singulari modo. Vna enim persona Deus & homo est, & vtrumq; est vnus Christus Iesus, vbique per id quod Deus est, in cœlo autem per id quod homo, &c. Mirum verò est, aduersarios nostros putare, quòd personalis vnio naturarum in Christo consistere non poßit, nisi humanitas eius, perinde vt diuinitas, vbique esse dicatur, cùm in ipso homine exemplum habeamus, quo illorum error confutari poßit. Constat ille anima & corpore, & inter duo hæc vnio personalis intercedit. Quis verò corpus vbique locorum præsens esse & operari dicat, ad quæ anima suis operationibus sese extendit? Num oculum ibi esse dicemus vbi visus operatur? Num auris tam procul quàm auditus extẽditur? Num nares cum olfactu ad huius obiectum vsque porrigi dicemus? Quæ ergo ratio nos cogit in Christo naturarum proprietates confundere?

De unione naturarum personali.

Sed agedum propius congrediamur. Si personali illa (vt ipsi loquuntur) naturarum vnione necessariò conficitur, vt vbicunq; Deus est, ibi quoq; homo sit, quem ille in persona vnionem assumpsit, hoc ipsum etiam priusquam in cœlos ascenderet in illo statuere oportebit. Nec enim in ascensione demum cœpit illa naturarum vnio, sed quàm primum in vtero virginis conceptus est, quam ideo veteres θεοτόκον, id est, Dei genitricem dixerunt, quia eum peperit, qui simul verus & substantialis est Dei filius. Si ergo istos audiamus, Christus quoad humanam naturam tunc quoq; in cælo simul & in terra, imò in omnibus & singulis terræ totius locis erat. Hic autem ego libens interrogauero, quid de illius actionibus & passionibus quas tũc humana natura subijt, statui ac dici debeat? In Iudæa enim & Galilæa illum docuisse, miracula fecisse, edisse, bibisse, fleuisse, & tandem captum, flagellatum & in crucem suffixum esse scimus. Num ergo hæc ipsa eodem tempore in extrema quoq; Asia, in Africa, in Europa, apud Garamantas & toto diuisos orbe Britannos fecit, & passus est? Imò num eadem in cœlis quoq; tunc ab illo facta sunt? cùm in cœlo iam tunc ipsum fuisse, ex illius ore nobis constet, quando dicit: Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descẽdit, filius hominis qui est in cœlo. Si ergo vbiq; tunc fuit illius humanitas propter diuinitatis vnionem, eadem vbiq; fecerit & passa sit oportet, aut alicubi otiosa fuit, & in sola Iudæa officio suo defuncta est. Si eadem vbiq; fecit, cur illa apud Iudæos visibiliter, alibi verò inuisibiliter facta sunt? Vel quis obsecro in cœlis per illum miraculose curari opus habuit? quis illic eum prodidit? quis ibidem vinculis constrinxit, flagellauit, crucifixit? Pudet me hæc dicere fratres, at vt dicamus necesse est, quando hæc & his absurdiora ex istorum figmentis sequuntur, qui nos quouis supplicio dignos clamant, quia cum illis insanire nolumus. Quod si hæc Christi maiestate indigna esse vident, cur eiusmodi dogmata tradunt, ex quibus ista colligi omnes intelligunt? Aut enim (vt modò diximus) vbiq; locorum eadem facit & patitur Christi humana natura, aut alicubi otiosa quiescit: quorum alterum planè absurdum, alterũ verò ridiculum est. Quid enim illam vbique præsentem esse opus est, si nihil eorum facit, quorum ergò illam Dei filius assumpsit? Quantò rectius ergo Augustinus? Secundùm hominem in terra erat, non in cœlo vbi nunc est, quando dicebat: Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit, filius hominis qui est in cœlo: quamuis secundùm id quòd filius Dei erat, esset in cœlo: secundùm id verò quòd filius hominis erat, adhuc esset in terra nondumq; in cœlum ascendisset. Et paulò post: Secundùm hanc formam (humanam scilicet naturam) non est putandus vbiq; diffusus. Quantò etiam religiosius & magis sobriè loquemur, si Christum corpore suo in cœlis gloria æterna frui, sua verò diuinitate & virtute vbiq; præsentem esse, & suæ mortis & resurrectionis meritum ad omnes credentes extendere dicamus? Ita enim & consolatio efficacior ad pios redibit, & absurdis ac prodigiosis cogitationibus via omnis obstruetur. Et hæc quidem prolixius à nobis tractata sunt, quia multos hodie absurdis quæstionibus & opinionibus mirificè exagitari scimus, & quòd eadem ad præsentis historiæ tractationem pertinent, vt nimirum rectè intelligamus, quid nos de Christi ascensione sentire conueniat: quam vetus ecclesia non temere inter fidei articulos singulari diligentia recensuit, cùm & Christi in cœlo regnantis maiestatem illustri admodum argumento declaret, & nostræ saluti multiuariam seruiat, vt ex sequentibus patebit.

Fructus & usus ascensionis Christi.

Nam omissis disputationibus superuacaneis, ascensionis Christi fructus consyderabimus, qui multi sunt & salutis cognitionem vehementer confirment. Primò enim salutis nostræ certitudinem & illius spem siue fiduciam infallibile asserit, dum Christum reuera peccati, mortis & diaboli victorem esse docet. Triumphi enim instar fuit, quem ille de hostibus deuictis egit, & (vt Paulus ex Psalmis annotauit) in altum ascendens captiuitatem captiuam duxit. (Ephes. 4. Psal. 68.) *Imò quia corpus suum è mundo in cœlos subuexit, abunde testatus est, iam peracta esse quæcunq; in terris nostræ redemptionis ergò peragenda fuerunt, sicuti iam moriens testatus est, quando dicebat: Consummatum est.* (Ioan. 19.) *Quo dicto spiritum suum Deo patri commendans expirauit. Secundò, quod vnum restabat in nostræ redemptionis negotio, sua ascensione perfecit. Cœlos enim aperuit, qui propter peccatum nobis antea clausi fuerunt, adeoq; carnem, quam ex nobis assumpsit instar pignoris in cœlos intulit, ne posthac dubitemus, illos nostræ etiam carni iam patere, quæ olim eodem sit subuehenda, vt cum ipso regni promissi hæreditate fruatur: Ipsius enim promissio est: Volo vt vbi ego sum, sit etiam minister meus. Vado vobis paraturus locum, & iterum veniam, & assumam vos ad meipsum, vt vbi sum ego, &* (Ioan. 12. 14.)

vos

vos sitis. Vnde olim Tertullianus dicebat: Securi estote caro & sanguis, vsurpastis & cœlum & regnum Dei in Christo. Tertiò in cœlis iam sacerdotem pro nobis agit Christus, & pro nobis apud patrem aduocatus siue Mediator comparet: cuius rei typus olim præcessit, quando Sacerdotem summum quotannis non absq; sanguine intra velum in Sanctum sanctorum ingredi oportuit, quod mysterium ab Apostolo in Epistola ad Hebræos pulchre explicatur. Hinc verò dulcissima ad nos consolatio redit, quando constat nos iam aduocatum habere in cœlis, & fidelem pontificem, qui cùm ipse infirmitates expertus sit, nobis compati & condolere potest. Vides ergo in Christi ascensione præcipua nostræ salutis mysteria contineri, adeoq; per illam consummari & perfici. Quod ipsum Paulus obseruauit, quando hanc cum morte & resurrectione eius coniungens scribit, Christus est qui mortuus est, imò qui et suscitatus est, qui etiã est ad dextram Dei, qui & intercedit pro nobis. Et mox quasi lætum Pæana siue epinicion canens, omniq; potestati aduersariæ insultans, subijcit: Quis nos separabit à dilectione Dei? num afflictio? num angustia? num persecutio, &c. Breuiores sumus in his tractandis, quia eadem in nostris super Acta Apostolorum homilijs tractauimus. Quibus in præsenti quarto loco addimus, nos ascensionis Christi exemplo nostri etiam officij admoneri, vt nimirum ipsi quoq; vbi in Christo peccatis mortui sumus & ad vitæ nouitatem resurreximus, mẽtes nostras à terrestribus auocemus ad cœlestium bonorum consyderationem: qua de re Paulus ad Colossenses scribens nos admonet. Si resurrexistis (inquit) vnà cum Christo, superna quærite, vbi Christus est ad dextram Dei sedens. Superna curate, non terrestria: siquidem emortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo, &c. Nec enim decet, vt terrenis studijs & impuris carnis voluptatibus se dedant, qui & Christum redemptorem, & patriam, & hæreditatem suam in cœlis esse profitentur. In horum omnium consyderatione si diligenter versemur, multò plus inde ad nos vtilitatis redibit, quàm ex curiosis & contentionum plenis de corporali Christi in terris præsentia disputationibus.

Leuit. 16. Hebr. 7. 8. 9. 1. Ioan. 2. Hebr. 2. Rom. 8. Colos. 3.

Restat postrema huius historiæ pars, qua narratur, vt discipuli ascensione Christi affecti sint, & quid fecerint, vbi ipsum abs se discessisse viderunt. Primò illos Christum adorauisse Lucas scribit, nimirum quòd iam illum plenius quàm ante hac verum Deum & Dominum suum agnoscerent, qui hactenus regnum terrenum in illo quæsiuerant. Deinde, sicuti iussi sunt, in vrbem reuertuntur. Præterea frequentes sunt in templo, & ibi Dei beneficium publicè celebrant. Tandem, vbi spiritus sanctus illis datus fuit, in totum orbem egressi Euangelium vbique gentium magno & incredibili successu prædicarunt, Domino ipsis cooperante, & sermonem confirmante per signa, quæ doctrinam ipsorum comitabantur.

Quid discipuli fecerint Christo digresso.

Quo loco primùm admonemur, quomodo à nobis quoq; celebrari debeat Ascensionis filij Dei memoria, quam multi hodie (vt & reliqua omnia) in fabulam theatricam conuerterunt. Agnoscamus illum verum Deum & Dominum nostrum esse, qui omne ius in nos obtineat, eò quòd ex peccati & mortis tyrannide in libertatem filiorum Dei asseruit. Adoremus ergo illum, non fucato cultu, sed in spiritu & veritate. Frequentes simus in piorum cœtibus & illic cum fide & gratiarum actione beneficia illius celebremus, iuxta illud Psalmi: Narrabo nomen tuum fratribus, in media congregatione laudabo te. Imprimis autem præstemus illi obedientiam fidei, cuius hìc memorabile exemplum in discipulis proponitur. Scimus enim, quàm incommodum fuerit, Hierosolymis moram ducere, hominibus peregrinis & quorum fortunæ tenuiores erant. Sed & periculi plenum erat, in vrbe sanguinaria versari, in qua iurati hostes Christi rerum potiebantur. Imò vt hoc facerent discipuli, superuacaneũ & temerarium videri poterat, quando constat, spiritum sanctum nulli loco certo alligatum esse, & nõ minus in Galilæa, quàm Hierosolymis, dari potuisse, si ita Deo visum fuisset. Nec adeò hebetes fuerunt discipuli, vt ista cogitare non potuerint, At quia diserto Christi mandato astricti erant, qui eos Hierosolyma abire vetuerat, priusquam donum illud promissum à patre accepissent, nihil sibi contra illud audendum esse putant, nec modò illi obtemperant, sed in publico versantur, nec illos sui redemptoris pudet, quem mortis & diaboli victorem esse didicerant. Et vbi spiritu instructi sunt, mox absq; omni mora docendi munus aggrediuntur, nec vrbem modò Hierosolymorum, sed Iudæam omnem, imò orbem vniuersum Christi prædicatione complent. Hæc nobis hodie imitanda sunt ô fratres, vt singuli pro suæ vocationis ratione Dei mandatis obtemperent, & quam ab illo acceperunt stationem tueantur, nec vllas rationes admittant, quibus ab officio sese reuocari sentiunt.

Vt celebrari debeat ascensionis memoria. Psalm. 22. Acto. 1.

Successu magno prædicant Apostoli.

Hoc vt maiori animo præstemus, vtilissimum fuerit successum quoq; felicem consyderare, quo Apostoli in suo hoc munere, vt laboriosissimo ita periculosissimo, vsi sunt. Primò enim cooperatus est illis Dominus & interna spiritus virtute hominum mentes mouit, vt ijs quæ dicebātur, aures simul & fidem adhiberent. Et sanè diuinam virtutem siue operationem illorum prædicationi coniunctam fuisse, illius effecta satis testantur. Quis enim humanarum virium opus dicat, hominum mentes innouare, voluntates mutare, superstitiones veteres abolere, nouum veræ religionis sensum inducere, & paucorum annorum curriculo doctrinæ nouo & inaudito genere orbem totum replere? Atqui hæc omnia viuentibus adhuc plerisq; Apostolorum facta fuisse, ex Pauli scriptis & Actorum historia colligere possumus. Eundem verò successum sibi polliceri debent, quotquot in Dei vocatione fideliter versantur. Nec enim deest verbo suo Deus, & qui aliquid fieri mandat, simul vires sufficit, & ad suum finem suorum actiones destinat, vt quod ipse mandauit, effectum suum habere possit. Deinde signis quoq; doctrinam discipulorum confirmauit Dominus, sicuti promiserat. Quibus tunc temporis opus fuisse, nuper diximus. Hodie illis minimè opus est, cùm fidei doctrina veteribus illis signis abunde sit confirmata. Quæ si qui hodie adhuc requirunt, eo ipso suam diffidentiam & impietatem manifeste produnt. Aut enim credunt Deum in scripturis loqui, aut non credunt. Si credunt, quæ impudentia est, petere, vt quod ille loquitur, signorum testimonio confirmet? Augustinus olim Confess. lib. 10. cap. 35. scribebat: In ipsa religione tentatur Deus, cùm signa et prodigia flagitantur, non ad aliquam salutem, sed ad solam experientiam desyderata. Et idem De consensu Euangelistarum 4. cap. 10. Iudæos à signis pendentes ideo à Christo reprehensos fuisse dicit, quòd ille credentis mortem super omnia mutabilia adeò attolli velit, vt nec ipsa miracula diuinitus facta, à fidelibus quæri debeant. Sin verò illi non non credunt, Dei verbum esse quod in scripturis habetur, cur fidem profitentur? cur Christi nomen vsurpant? cur inter Christianos sibi locum dari volunt?

Colos. 1. Rom. 15.

De usu miraculorum.

Interim de miraculorum vsu locus iste nos admonet, & vt vera à falsis discerni debeant docet. Quæcunq; enim olim per prophetas, deinde ab ipso Christo, & tandem per Apostolos & horum successores edita fuerunt, ad hunc solum finem destinata fuisse constat, vt Veritatis doctrinam confirmarent. Quæcunque ergo ad superstitionum & doctrinæ falsæ confirmationem faciunt, pro falsis signis reputari debent, licet in re ipsa dolus nullus subsit, & reuera fiat quod fieri videtur. Nam ab impostoribus quoq; miracula & signa fieri, scriptura non vno loco testatur. In lege cerè Moses sic scribit: Si surrexerit in medio tui propheta, aut qui somnium somniet, dederitq; tibi aut signum aut portentum, eueneritq; signum & portentū quod prædixit tibi, dixerit autem: Eamus post Deos alios (quos non nouisti) & seruiemus eis: non audies verba prophetæ illius, aut eius qui somniauerit huiusmodi somnium: quia tentat uos Dominus Deus vester, num sitis amantes Domini Dei vestri in toto corde vestro, &c. Vides ergo Dei permissione signa ab impostoribus fieri, quæ falsa dici merentur, quia ad falsæ doctrinæ & mendaciorum confirmationem seruiunt. Illa verò permittit Deus, non quòd hominum seductione delectetur, sed vt fidem suorum probet, & in illis ardentius verbi sui studium accendat. Admonet de hoc Christus etiam in Euangelio, quando nouissimis temporibus exorituros dicit pseudoprophetas & pseudochristos, qui prodigia & signa edant, quibus mendacia sua stabilire conentur. Et Paulus Antichristi aduentum dicit esse secundùm operationem satanæ cum omni potentia, ac signis & prodigijs mendacibus & cum omni deceptione iniustitiæ. Causam verò, cur ista permittat Dominus in reprobris indicat, quos efficaci errore seduci iustum sit, eò quòd veritatis lucem improbè reijciūt. Siue ergo pios spectemus, siue impios, Deus accusari nequit, eò quòd illorum quidem fidem salutari experimento probat, horum verò impietatem summo iure vlciscitur. Habent hîc rudes & imperiti, quod illis respondeant qui superstitiosos imaginum & Diuorum cultus signis & miraculis probare conantur. Quia enim horum legitimus vsus est, vt veritati confirmandæ seruiant, meritò falsi crimen eos incurrisse dicemus, qui per illa superstitiones stabiliunt.

Deut: 13

Matt: 24.

2. Thess. 2.

Ratio ministerij ecclesiastici.

Præterea ministerij ecclesiastici ratio nobis hoc loco consyderanda venit. Prædicasse dicuntur Apostoli, ipsis verò prædicantibus sua virtute cooperatus est Dominus, vt doctrina ipsorum in auditorum animis suum effectum haberet. Quod verò de his dicitur, vbiq; & in omnibus obseruari debet, vt externam quidem verbi prædicationem ad ministrum, huius verò vim & effectum ad Deum referamus, qui solus in animos nostros ius habet & imperium. Sine huius benedictione enim nihil proficitur

ficitur, sicuti Paulus eleganti parabola docet, quam ab agricultura desumpsit. Huic ergo transcribenda est vniuersa salutis nostræ gloria, nec vnquam excidat illud Apostoli: Ministri Dei sumus, per quos credidistis, pro vt cuiq; Dominus dedit. Nec tamen ideò externam verbi prædicationem, ceu inutilem & superuacaneam contemnamus. Etsi enim absq; Dei cooperatione nihil efficiat, quia tamen medium est & instrumentum, quo ille in hominibus conuertendis & illuminandis vtitur, ad salutiferam vitæ æternæ & regni cœlestis cognitionem nunquam peruenient, quicunq; illam improbè contempserint. Notum est enim illud Pauli: Fides ex auditu est, auditus autem per verbum Dei. Et illud Christi: Qui vos audit, me audit, & qui me audit, eum audit, qui misit me. Qui verò vos spernit, me spernit, &c. Quæ sententia vt verbi ministerium magnificè commendat, ita docet quæ tantæ contumaciæ causa sit, qua hodie mundus superstitiones manifestas & fœdissimos idolorum cultus tuetur, & in illis sciens volensq; perit. Quid enim aliud fiat, quando Dei verbum aspernatur, quod vnum & solum malo huic mederi poterat?

1. Cor. 3.

Rom. 10.

Luc. 10.

HAEC in Iesu Christi historiam, quam Marcus Euangelista descripsit, pro gratia nobis à Domino data diximus. Finis omnium est, vt Iesum hunc, qui ex Maria virgine natus est, agnoscamus esse verum ac æternum Dei filium, ecclesiæ regem & sacerdotem, in quo vno salus omnis nobis à Deo patre sit exhibita. Patet hoc ex illius doctrina, miraculis, morte item, resurrectione à mortuis & ascensione gloriosa in cœlos, quam non multò post spiritus sancti missio secuta est. Propagauit Christus hîc olim regnum suum per Apostolos, & illud in hunc vsq; diem aduersus hæreticorum insidiosas artes & horribiles tyrannorum conatus mirificè conseruauit, & in posteram quoq; conseruabit vsq; in consummationem seculi, quando tota hæc mundi machina corruptionis pondere liberabitur, & electi ipsius promissa æternæ vitæ præmia recipient. Credamus ergo illi ô fratres, & eidem seruiamus in fide non fucata, in vitæ innocentia & charitate fraterna, vt olim cum illo regnum illud obtineamus, quod in se credentibus præparauit. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

FINIS.

Vbiquitas corp: Xp̃i 2 2 3 Marc.